



43
5 F
23





Ad usum Fr. Flaminii a Castellario

DICTIONARIUM
MANUALE BIBLICUM
TOMUS SECUNDUS.



DICTIONARIUM
MANUALE BIBLICUM
EX CELEBRATISSIMIS POTISSIMUM DICTIONARIIS,
QUÆ CLARISSIMI ET PROBATISSIMI VIRI


SIMONIUS
UZETIÆ IN VIENNENSI DIŒCESI PAROCHUS, AC T. D.
ET AUGUSTINUS CALMET
ORDINIS S. BENEDICTI ABBAS CONCINNARUNT,
A R. ET ECC. JO. ANTONIO DALMASO VICETINO S. T. D. C.
EX GALLICO IDIOMATE LATINE REDDITUM.

EDITIO PRIMA VENETA


ADNOTATIONIBUS, ARTICULIS ET TOPOGRAPHICIS TABULIS

A P. D. PROSPERO DE AQUILA
IN REGIA NEAPOLITANA UNIVERSITATE SACR. SCRIPT.
PROFESSORE LOCUPLETATA.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS MDCCLXIX.
Typis JOANNIS BAPTISTÆ PASQUALI.
SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.



DICTIONARIUM
MANUALE BIBLICUM.



Aacha, *rupta*, exigua Syriæ Provincia ad ortum, & septentrionem fontium Jordanis, qua Damascum itur. Hujus provinciæ Rex Ammonitis contra Davidem opem attulit, & Seba filius Bochri se *Abelam* ejusdem regionis Urbem recepit. II. *Reg*. x. *9*.

Maacha. Hujus nominis fœminæ multæ sunt in sacris Litteris, quarum præcipuæ Maacha filia Tholmai Regis Gessur (II. *Reg*. III. 3.), uxor Davidis, Mater Absalonis, & Thamar; Maacha filia Absalonis, uxor Roboam Regis Juda, & mater Abiæ, cui etiam conjux fuit Maacha nomine (III. *Reg*. XIII. 2. 10. 20.). Sacra Scriptura refert, Asam, hujus postremæ filium ademisse matri officium Sacerdotis profanorum Numinum, quæ in nemoribus colebantur.

Maasias, *opus Domini*, filius Adajæ, fuit eorum unus, quibus summus Pontifex Jojadas consilium patefecit, quod inierat, instituendi Regem Juda juvenem Joas, & Athaliam e solio deturbandi. Hujus etiam nominis fuere tum socer Baruch, tum unus e filiis Regis Achaz, tum alii multi seu Sacerdotes, seu Levitæ. II. *Paralip*. XXVII.

Machabæi. Nomen hoc Asmoneis Principibus inditum, qui Judaicum Populum a Syriæ Regum tyrannide liberarunt, eumque per centum triginta circiter annos rexerunt. Horum fratrum primus Mathatias fuit e familia Joarib, cui filii quinque erant, quorum tres, nempe Judas, Jonathas, & Simon ei successerunt. Judas omnium primus Machabæi nomen gessit, neque alio titulo, quam Capitis Populi insignitus fuit; Principis titulus Simoni collatus; ejusque nepos Aristobulus Regis titulum sumpsit, quem ipse, ejusque successores ad Herodem usque servarunt. Ex Etymologiis multis, quæ afferuntur, nominis Machabæi, maxime probabilis ea est, quæ nomen repetit a quatuor Hebraicis litteris, י .ב .כ .מ. *Mem*, *Caph*, *Beth*, *Job*, quas Judas Judæorum vexillis inscriptas voluerat, quæque primæ sunt horum verborum, מי כמוך באלים יהוה *mi chemocha baelim Jehova*, videlicet, *quis est tibi similis inter Deos*, *o Jehova?* Jam vero e communi inter Hebræos consuetudine confectum est ex his quatuor litteris M. C.

M. C. B. J. artefactum vocabulum *Machabi*, seu *Machabaeus*, quod primo quidem Judæ tributum fuit, iisque deinceps omnibus, qui insignia sollicitudinis, & constantiæ specimina ediderunt, ut patriæ libertatem, & majorum suorum Religionem Antiochi Epiphanis tempore propugnarent.

Machabei, septem Judæi fratres, qui in Antiochi Epiphanis persecutione, cum matre, sanctoque sene Eleazaro, an. Mund. 3837. Antiochiæ martyrium subierunt. Princeps hic cum strenuos hos Confessores comprehendi jussisset, nihil intentatum reliquit, ut eos ad suinam carnem edendam adduceret, quod veluti defectionis a Judaica Lege argumentum erat. At primus, cum fidenter Regi dixisset, se mori potius paratum esse, quam Divinam Legem violare, a Tortoribus captus, inter acerbissimos cruciatus obiit, fratres ad martyrium hortatus. Cæteri deinceps excruciati, eadem constantia tolerarunt, quidquid ingeniosa persecutorum crudelitas excogitare potuit, ut de eorum animi robore triumpharet. Septimus, natu minimus, matris cohortationibus animatus, Carnifices rogavit, ut vinculis solutum ad Regem accedere paterentur; annuerunt Carnifices, ea spe adducti, fore ut Principis jussa faceret; at ille statim citato gradu ad supplicii locum perrexit, cumque Antiocho crudelitatem exprobrasset, ac Dei judicia minitatus esset, se in medias flammas conjecit. Horum Martyrum mater, cum filiorum triumpho adstitisset, ab iisdem coronam obtinuit, eaque constantia mortem subiit, quam iis inspiraverat; figura sanctæ Ecclesiæ, matris unicæ omnium fidelium, quæ filios hortatur, ut pro ejus nomine vitam effundant, cui eos ipsa concepit, & peperit. Hos porro Sanctos Martyres, etsi ad veterem Legem pertineant, jam inde a primis sæculis Ecclesia tamquam Christi Domini Martyres colit, persuasum habens, eam singularem fidem, cujus vi tormenta, & mortem spernebant, Messiæ, quem expectabant, gratiæ donum fuisse. *

* *Ecclesia a primis usque temporibus in Canonicorum Librorum numero posuit Machabæorum Libros duos, quorum primus capitibus sex, alter quindecim constat. Primus id complectitur, quod a reditu crudelis Antiochi Epiphanis ex Ægypto, quo tempore cæpit ea gravissima Judæorum persecutio, ad incohatum Hircani filii Simonis Pontificatum contigit, qui a Ptolemæo genero Abobi filio per insidias occisus fuit; id quod annorum omnino triginta trium spatium conficit. Leguntur hoc in Libro, quæcunque memoratu digna in bellis fuere, quæ Mathatias, ejusque filii gesserunt, ut veterem patriæ gloriam, & Religionis sanctitatem in splendorem pristinum restituerent.*

Liber secundus altius historiam repetit, memoratque, quidquid ea insignia bella antecesserit, eorum causas, & prodigia, quæ ante inchoatam Judæorum persecutionem super Jerusalem apparuerunt; formidandam pœnam, quam Heliodoro Deus intulit, cum sacros thesauros deprædari vellet; idololatrias, simoniam, vim cum apostasia summorum Pontificum quatuor, nempe Jasonis, fratris Oniæ Summi Pontificis, cognomento Sancti, qui, ejus opera, dignitate spoliatus, in exilium missus, ac demum crudeliter trucidatus fuit, Menelai, Lysimachi, & Alcimi; Machabeorum fratrum septem, eorumque Sanctæ matris martyrium. Hæc omnia descripta leguntur in prioribus capitibus septem; in reliquis fusius tantum Judæ Machabæi præclara facinora referuntur; ut appareat, huic secundo libro, temporis ratione habita, primum locum tribuendum fore, cum primus non nisi secundi prosecutio quædam, & continuatio esse videatur. At cum semper ita collocati fuerint; Ecclesia, quæ nihil unquam in Sacra Scriptura novare, aut invertere voluit, eum semper in iis ordinem reliquit, servavitque, quem obtinent in præsentia. Græcus textus tertium quemdam Machabæorum librum admittit, qui nunquam ab Ecclesia Canonicus habitus fuit.

Hæretici Machabæorum libros in Apocryphorum numero ponunt, in quo magnopere veteribus Patribus adversantur, qui eos tamquam sacros recipiunt; ejusmodi sunt S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus, S. Prosper, S. Isidorus, S. Leo, *& præ omnibus ipse* Christus Dominus, *qui ea sane servare voluit, quæ in iisdem libris mandantur, & inter cætera, Encænia, seu Templi*

pli Dedicationem, quod *Festum Judas Machabæus instituerat*. Joan. x.

Carthaginense, *atque adeo Tridentinum Concilia Canonicos eos declararunt*, *iidemque jam inde a S. Augustini ætate in Ecclesia legebantur*. Erasmus *in Præfatione ad librum de Martyribus Machabæis*, *quem* Eliæ Marcæo, *Coloniensis Machabæorum Ecclesiæ Decano nuncupavit*, *ita de iis honorifice loquitur*: Extat argumentum hoc in libris Machabæorum, quos Hebræi licet non recipiant in Canonem, inter Sacros tamen habent.

Quis autem primi potissimum libri Auctor fuerit, *certo non constat*. *Eum nonnulli* Joanni Hircano, *Simonis filio propterea tribuunt*, *quod ejus* cap. xvi. *cum relatum esset*, *hujus Summi Pontificis jussu eos morte damnatos fuisse*, *qui ad eum occidendum venerant*, *sub ejusdem capitis finem dicitur*, *quidquid ille commemoratione dignum egit*, *ejusque omnia egregia facinora in ipsius Chronicorum libro descripta occurrere*. *Cum enim* Joannes Hircanus *rebus omnibus præclare gestis*, *earum & ipse apprime particeps interfuerit*, *quæ ejus Avorum*, *Jonathæ*, *ac potissimum Simonis ipsius Patris Pontificatum insignierunt*; *valde probabile iisdem videtur*, *eum ipsum*, *quæ viderat*, *scripta reliquisse*, *& posterorum memoriæ commendasse*. *Infirma tamen est conjectura hæc*, *& ejusmodi*, *ut nihil inde certi*, *ad hanc rem quod attinet*, *inferri possit*. *At quorsum in Sacrorum Librorum quærenais Auctoribus immoramur*, *dum certi sumus*, *quicunque tandem eos scripserit*, *nihil ipsum non Spiritu Sancto dictante scripsisse?*

Secundus autem Liber non nisi Librorum quinque compendium est, *quos Jason de Machabæorum Vita concinnaverat*; *sapiens*, *piusque Judas ex Essæniorum Secta Compilator eorum fuit*. II. Machab. c. II. & III. 24. *Liber Tertius temere Machabæorum dictus*, *quippe qui de strenuis bis Divinæ Legis Propugnatoribus ne verbum quidem habet*, *persecutionis historiam continet*, *quæ a Ptolemæo Philopatore Ægypti Rege in Judæos ibidem versantes excitata fuit an. Mund.* 3737. *Et liber quibem hic tamquam apocryphus rejicitur*, *quemadmodum &* Quartus, *qui tam parum notus est*, *ut in nulla prorsus ex Latinis Versionibus reperiatur*.

Maceda, *incendium*, Urbs Regni Caput, quod ejus nomen gerebat, in Tribu Juda. Eam cepit, evertitque Josue, qui morti Regem ipsum addixit. In cavernam Macedæ proximam se receperunt Reges quinque regionis Chanaan, qui ad Urbis Gabaon obsidionem convenerant. Eos insecutus Josue suspendi jussit. *Josue c.* x. &c.

Macedonia, *elevata*, Græciæ Regnum, cui datos incolas ajunt a *Cethim*, filio *Javan*, quodque hoc nomine in Sacris Litteris notum est. Postquam Alexander Magnus Asiæ potitus est, *Macedonum* nomen per universum Orientem celebre evasit; & ita quidem Sacra Scriptura Græcos vocat, qui in hujus Principis imperio successerunt. S. Paulum in Macedoniam ad Evangelium nuntiandum accivit ejusdem Provinciæ Angelus, qui ei in Urbe Troade apparuit; ibique Apostolus hic Thessalonicensem, & Philippensem Ecclesias, quæ celebres extiterunt, instituit. Macedonum nomen aliquando ponitur appellativa significatione pro Judæorum hoste, ut in Additionibus Libri Esther, ubi legitur, *Aman & animo*, *& Natione Macedonem fuisse*. 1. *Machab. cap.* I. *Act. Apost. cap.* XVI. 9.

Machæron, arx ultra Jordanem in Tribu Ruben, prope lacum Alphaltitem, supra excelsum montem, profundis vallibus circumdatum ædificata. Arcem hanc Asmonei munierant, quam Gabinus evertit, & Herodes Magnus, majore, quam antea, diligentia restituit. Hoc in Oppido S. Joannes Baptista in carcerem trusus, obtruncatusque fuit Herodis Antipæ jussu. *Joseph. Antiq. lib.* XIV.

Machir, *venditor*, filius Manasse, & nepos Joseph, Macheritarum familia Princeps fuit. Ei filii fuere *Phares*, *& Sares*, itemque filia, quæ nupsit Etron e Tribu Juda. *Numer.* XXVI. 1. *Paralip.* VII. 16.

Macphela. Nomen hoc Hebraice significat *duplex*; illudque hoc sensu sumpsit Vulgatæ Auctor, de Spelunca loquens, quam Abraham ab Ephron emit, in qua Saram conjugem sepeliret. Verum alii potiore jure putant, Macphelam hoc loco agri nomen esse, ubi sita Caverna erat, & ita vertendum esse: *Caverna*, *quæ in Macphela est*. Genes. XXIII. 8.

Madai, *mensura*, tertius filiorum Japhet, qui Medorum pater fuisse creditur. *Genes.* x. 2.

Madan, *judicium*, tertius filiorum Abrahæ, & Cethuræ, qui cum fratre Madian dedit incolas regioni Madian, quæ ad Maris Mortui Orientem est. *Genes.* xxv. 2.

Madian, *Judex*, quartus filiorum Abrahæ, & Cethuræ, qui Madianitis populis Idolorum cultoribus nomen dedit, quorum filiæ Israelitas ad delictum, cultumque Phegor traxerunt. Hi populi ad Ortum Maris Mortui, regionisque Moab meridiem degebant, eorumque Metropolis Madian erat. Eos Deus ob mala, quæ Hebræis intulerant, punire volens, homines ex quaque Tribu mille misit, duce Phinees, ut suam in eos ultionem exereret. Ergo duodecim hominum millibus præfectus Phinees progressus est, & Madianitas aggressus fudit, eorum quinque Reges occidit, Urbes incendit, & immensam prædam congessit. Pseudo-Propheta Balaam, diri hujus belli auctor ob perniciosum consilium, quod Madianitis dederat, communi eorum populorum strage involutus, obrutusque, vitæ jacturam subiit. *Genes.* xxv. 2. *Numer.* xxii. xxv. & xxxi.

Madian. Erat alia regio Madian ad Ortum Maris Rubri, ubi se Moses in tuto posuit, & Sephoram filiam Jethro conjugem duxit. Regio hæc dubio procul incolis locupletata fuit ab aliquo filio Chus, quoniam Mosis uxor *Chusites dicitur*, & Habacuc Madianitarum loco *Chusitas* ponit. *Numer.* xii. 1. *Exod.* ii.

Madon, *disputatio*, Urbs in regione Chanaan, cujus Rex Jobab cum aliis multis fœdus iniit contra Josue, a quo captus, occisusque fuit, ejusque incensa Urbs. *Josue* xi. & xii.

Magala, *circulus*, locus, in quo Israelitæ castra posuerant, cum David Gigantem Goliath interfecit. 1. *Reg.* xvii. 20.

Magdalel, Urbs in Tribu Nephtali, cujus nomen significat *turrim Dei*. *Josue* xix. 38.

Magdal-Gad, *turris Gad*, Urbs erat in Tribu Juda. *Josue* xv.

Magdalum, seu *Magdala*. Duo hæc vocabula turrim significant, & modo seorsim, modo cum alio nomine proprio conjuncta reperiuntur. Erat hujus nominis arx prope Gamalam, a qua Maria Magdalena nomen sumpsisse creditur.

Mageddo, seu *Mageddo*, *qui annuntiat*, Urbs in Tribu Manasse, in qua Ochozias periit, cum per insidias, jussu Jehu, vulneratus fuisset. Insignis est etiam hæc Urbs Josiæ Regis clade, qui ibidem a Nechao Ægypti Rege victus, lethalibusque vulneribus affectus fuit. *Josue* xi. *Jud.* i. iv. *Reg.* xxiii. 29.

Magi. Sacra Scriptura ita nonnullos celebres viros nuncupat, qui, stella duce, ab Oriente Hierosolymam convenerunt, ut Judæorum Regem recens natum ibidem quærerent. Herodes, de eorum adventu, ac de suscepti itineris causa commonefactus, a Legis Doctoribus certior fieri voluit, ubinam Christus nasciturus esset; & cum audiisset, ejus ortui statutum locum *Bethleem* esse, Magos dimisit, ea lege, ut, quidquid de eo Infante detexissent, relaturi redirent, quo & ipse ad eum adorandum pergere posset. Iter ergo prosecuti sunt Magi, semper a stella ducti, quæ super ea domo constitit, in qua Infans erat; donique loco aurum, thus, & myrrham Christo obtulerunt. Ac deinde a Deo in somnis vetiti ad Herodem regredi, per aliam viam in patriam redierunt. Hæc de Magis Sacræ Litteræ; at cum in iis nec de eorum patria, nec de arte, aut conditione, nec de numero quidquam occurrat; Interpretes in his reparandis omissionibus desudarunt. Cum enim Orientis nomen, de quo loquitur Evangelium, nullam peculiarem regionem designet; eos proinde nonnulli ex Mesopotamia, alii ex Perside, ubi *Magi* nomen notius erat, alii denique muneribus dixi, quæ obtulerunt, Arabiæ propriis, ex hac ipsa regione, quæ Judææ ad Orientem est, venisse contendunt *. Ad eorum artem, titulum, conditionemve quod attinet, Evangelium non dicit eos Reges fuisse, ut vulgo creditur **; Magos tantum vocat, nempe sapientes, & Philosophos, qui ad astronomiam potissimum incumbebant. Admodum probabile est, a Balaam eos descendisse, qui multis ante sæculis, scilicet an. Mund. 2553. ejusmodi vaticinium

cinium protulerat: *Orietur stella ex Jacob, & nascetur in medio Israel Dominator* (Numer. cap. IV.), *qui percutiet primores Moab, & destruet omnes filios Seth*. Ac ne eorum quidem numerus innotescit, quos ad tres nonnulli redigunt ob tria munerum genera, quæ obtulerunt; nec certa sunt nomina, quæ iis tribuuntur, & sunt, *Gaspar*, *Melchior*, & *Balthassar* ***. Multæ quoque opiniones sunt super stellæ natura, quæ Magis apparuit; quarum vero simillima ea est, eam stellam phænomenon aliquod in astri formam fuisse, quod cum Magi non sine prodigiosis & inusitatis adjunctis animadvertissent, rati sunt eam stellam esse, quam Balaam prædixerat, quamque ipsi proinde sequi statuerunt, ut Regem quærerent, cujus adventum ipsa nuntiabat. Magos semper Ecclesia felices duxit, tamquam gloriosas Ethnicorum primitias, quos Deus ad Cœlorum Regnum per Filii sui missionem vocaturus erat.

* *Magorum nomen iis omnibus tributum fuit, qui ad Philosophiam, ad Mathesim, ad Astronomiam animum applicabant; quamobrem Magi nomen idem erat, ac* Sapientis, Philosophi, Astronomi, Mathematici. *Magi ii quoque dicti, qui futura ex hominum nativitate divinabant, nuncupati proinde* γενεθλιακοί, *&* Horoscopi; *itque demum omnes, qui superstitiosas artes sectabantur* Præstigiatores *appellati. Quamvis autem Magi, qui ad adoranda Christi incunabula se contulerunt, vulgo primi generis fuisse, scilicet* Astronomi, *&* Philosophi *perhibeantur; Scriptores tamen magni nominis, ut S.* Iustinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone*, Tertullianus *de Idololatria*, *&* Origenes *contra Celsum illos superstitiosos, & veneficos fuisse voluerunt. Quorum si opinionem recipimus, Christi in cunabulis gloria longe major accedet; Quo enim scelestior fuerit Magorum ars, eo magis enitebit Omnipotentis Dei gratia, quæ eorum animos superstitioni, & idololatriæ maxime addictos pietate, & religione cumulaverit.*

Jam vero de Magis his, qui ad Divinum Servatorem adorandum venerunt; quæritur primo loco, undenam venerint, quæque eorum patria fuerit. Non mira videri non potest hac in re Patrum, Interpretumque discordia. Cum S. Matthæus dixerit, Magos ab Oriente venisse: Ecce Magi ab Oriente venerunt: *Orientis vocabulum occasionem præbuit, ut eos alii ex Chaldæa, alii ex Mesopotamia, alii ex Perside, alii ex Arabia deducerent; atque adeo non defuere, qui ex omnibus terrarum partibus eosdem repeterent, quemadmodum ipsos exhibuerunt, & adhuc exhibent Pictores nostri, quorum alii Europam ore albo, Europæisque vestibus, alii Africam nigro vultu, & Africano indumento, alii Asiam pallido vultu, & Orientali veste, alii denique Americam Indico habitu ab iis repræsentatas voluerunt. At quo demum perveniat audacia, & licentia Pictorum, ignorat nemo; ac proinde in expendendo paradoxo non immoramur, cui S. Matthæus aperte repugnat, qui eos omnes ex una eademque regione, seu mundi parte, scilicet* ex Oriente *venisse vult.*

Opiniones ergo, quæ passim obtinent, quibusque probabilitatis fundamenta suppetunt, perpendamus. Eorum opinio, qui Magos ex Chaldæa volunt, ea scientia nititur, quæ in ea Regione florebat, in qua Astrologia summo in pretio habebatur. Daniel hos Magos, seu divinos Chaldæos in classes tribuit omnino tres, ejusque Nationis historia luculenter ostendit, quam huic studio dediti Chaldæi essent. Atque hæc quoque Regio venit in sacris Litteris Orientis nomine. Job Idumææ Orientalis incola tamquam inter Orientales, nempe Syros, Arabas, & Chaldæos potentissimus, ditissimusque describitur. Prophetæ sæpe innuunt, Hebræos captivos in Judæam patriam suam ex Oriente, scilicet ex Chaldæa rediisse. Præterea volunt Magos Christi adoratores ex Abrahamo descendisse, qui ex Ur Chaldææ in Chananæam transiit. Verum opinio hæc non omnes probabilitatis gradus habet; tum quia Chaldæa si cum Judæa conferatur, Aquilonaris est, non Orientalis; & sane Prophetæ Judæis prædicebant fore, ut omnes eorum calamitates ex Aquilone, ex Chaldæa nempe, prodirent; tum quia dona quæ Magi obtulerunt, in Chaldæa non existunt.

Alia opinio eos ex Mesopotamia repetit, & posteros vult Prophetæ Balaam, qui (Numer. XXIV.) *proposito stellæ symbolo, Messiam ex familia Jacob nasciturum prædixerat,*

xerat. *Ita qnidem* Origenes *&* S. Basilius Magnus, *ea potissimum ratione nixi, quod vaticinii Balaam memoria in ejus posteritate servabatur; & Magi novum planetam conspicati, statim ad recens natum Regem qnerendum permoti fuere. At frustra prorsus, & perperam; quamvis enim Balaam ex Mesopotamia esset, vaticinium tamen non in patria protulit, sed in Moab, quo accitus fuerat; neque vero in patriam reversus ejusmodi vaticinium suorum memorię commendavit; sed potius quod ei reliquum vitę fuit, ad studia nefanda contulit. Pręterea Mesopotamię incolas ad Astrologiam animum applicuisse non legimus.*

Eos opinio tertia ex Perside revocat. Ita Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* I. S. Joannes Chrysostomus *Homil.* VI. *in Matth.* S. Hieronymus *in Dan. cap.* II. Theodoretus *Lib.* V. *Hist. Eccles. cap.* XXXIX. S. Leo *serm.* I. *ad Epiph. aliique. At ne id quidem solide propugnari potest; Persis enim procul ab Urbe Bethleem, quingentarum scilicet leucarum intervallo distat; nec dona, quę Magi attulerunt, in Perside occurrunt, tametsi Judęę ad Orientem sit Regio hęc, & Magis afflueret.*

In opinionem quartam, quę Magos ex Arabia, proprieque ex ea, quę Felix *dicta, venisse, statuit, omnia conveniunt, quę eam cęterarum maxime plausibilem reddunt. Ita* S. Justinus Martyr, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, *aliique. Et sane quidquid S. Matthęus ait, Arabię optime congruit; Judęi quippe vulgo Arabiam Judęę Orientalem dicebant, ut* Genes. cap. XX. 3. *&* XXV. 6. Judic. cap. XVIII. Job. cap. 1. 3. Reg. I. cap. IV. 30. Isaiæ cap. II. 14. Jerem. cap. XLIX. 28. *Et facta hypothesi, aliquam Arabię partem, quę latissime patet, Judęę potius australem esse, tamen Arabia Felix omnino Judęę Orientalis est. Cum enim Abraham susceptos ex Cethura filios divisit ab Isaac, ut omnem contentionem everteret, iis prędia tribuit in Orientali Regione, scilicet ab* Evila *usque* Sur, *quę in Arabia sunt, ut* Genes. cap. XXV. *Legitur. Et Judęorum regionem describens* Tacitus lib. V. Hist. *ita diserte loquitur:* Terra, & fines, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.

Secundo loco quę Magi Christi *adoratores obtulere, dona Felicis Arabię propria, & peculiaria sunt, neque in aliis Regionibus reperiuntur, ut scribit* Plinius *lib.* XII. *Historię Naturalis cap.* 14. Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. Virgilius *lib.* II. *Georgic. v.* 17. *& lib.* I. *v.* 57. India mittit ebur, molles sua thura Sabæi. Pomponius *itidem* Mela: Arabia Cinnami, & thuris, aliorumque odorum maxime ferax. *Equidem an, quod ajunt, verum sit, haud satis scio; ajunt tamen Auctores multi, antiquis temporibus, antequam auri tanta esset sacra fames, ejusque causa homines maria dimensi, terrasque scrutati essent, auri, quam gris majorem in Arabia copiam fuisse, eoque pretioso metallo universam incolarum supellectilem constitisse.*

Tertia loco Magos ex Arabia fuisse ex consuetudine evincitur, quę iis quidem temporibus in Oriente vigebat, ut subditi, aliive Dominis, & Principibus, quos conveniebant, fructus offerrent non in alienis regionibus emptos, sed in patrio solo natos, ut ex donis palam fieret, cujates essent. Cum ergo Magi aurum, thus, & myrrham obtulerint, quę in Arabia gignuntur, legitima rerum consecutione fit, ut Arabes fuerint.

Quarto loco Astronomia non in Perside solum, & Chaldęa, sed etiam in Arabia colebatur, qua de re nos dubitare non sinunt tum Job in eruditis, quę cum amicis habuit, colloquiis, tum Regina Saba, quę a proprio Regno secessit, ut Salomonis sapientium audiret, quemadmodum Paralip. lib. II. cap. IX. *legitur.* Cyrillus *quoque* lib. X. *contra Julianum, Porphyrio teste, Pythagoram refert ad Chaldęos, & Arabas profectum esse, ut somniorum perfectam scientiam acquireret.* Elymas *etiam Magus, de quo Actor. Apostolic.* cap. XIII. *sermo est, ex Arabia venerat. Pręterea de Arabię Magis meminit Plinius. Denique Ptolemęus Magorum sedem in Arabia collocat.*

Sed hanc opinionem nihil magis roborat, & confirmat, quam Prophetia Balaam: Orietur Stella ex Jacob; *quę Magos movit, ut novum Regem inquirerent, cujus ortum Stella, tum quidem in Cęlo rutilans, indicabat. Pręterea prophetia hęc ipsa longe magis iis, qui in Arabia degebant, quam-*

quam Chaldæis, & Persis innotescebat; eam quippe Balaam in Arabia pronuntiavit, tum scilicet, cum eum Balac Moabitarum Princeps accivit, ut Israelitico populo malediceret. Quamobrem maxime probabile est Arabia Magos, qui Stellam, quam Balaam prędixerat, expectabant, cum jam in Cœlo fulgentem suspicerent, novum Regem, cujus ea ipsa Stella nuntia venerat, sibi quærendum putasse. His accedit, cum Magorum adoratio die 13. a Christo nato peracta fuerit, quemadmodum ab Ecclesia celebratur, eos proinde tam brevi temporis spatio non nisi ex Arabia Felice venire potuisse, quæ ut summum octo dierum itinere a Judæa adistat.

Non me latet, Adversarios respondere, certum non esse, ipsis, quibus contigere, diebus mysteria celebrari. Ecclesia enim Innocentium stragem ante Magorum adventum, quin immo inter ipsos Dominici Natalis festos dies celebrat. Præterea die sexta Januarii eadem Ecclesia recolit mysteria tria, adorationem Magorum, baptisma Christi, miraculumque, quod Christus ipse in Nuptiis Canæ Galilææ primum edidit: an vero credit ea tria, quamvis non eodem anno, tamen eadem die contigisse? Minime gentium. Ergo in festorum dierum celebratione non temporis, sed mysterii tantum habenda ratio. Quamobrem Epiphania, nempe manifestatio *tria hæc mysteria complectitur, quia in tribus hisce occasionibus se Christus manifestavit.*

At cur, quæso, Adversarii concedunt, iis ipsis diebus, quibus Ecclesia Divini Verbi Incarnationem die 25. Martii & Nativitatem die 25. Decembris celebrat, mysteria hæc accidisse? Si Ecclesia mysteriorum tantum, non temporum rationem habet; asseri quoque posset, 25. Martii, & 25. Decembris veros, & genuinos Incarnationis, & Nativitatis Domini dies non esse. Sciant ergo adversarii, præcipuorum mysteriorum festa (ut ut de reliquis sentiendum sit) iis ipsis diebus, quibus contigerunt, celebrari. Quemadmodum ergo Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, & Præsentationis Festa iis diebus celebrantur, quibus ejusmodi mysteria reapse acciderunt, ita de adventu quoque, & adoratione Magorum idem statuendum est. At hæc ipsa regula in Innocentium Festo locum non habet; eorum enim stragec non unius diei, sed plurium mensium spatio peracta fuit, nec constat, quandonam cæperit, aut desierit; ut proinde ejus celebrationem cuivis diei pro arbitratu addicere Ecclesia potuerit.

P. Hyacinthus Serry *in Exercitatione* xxxv. de tempore adventus Magorum *respondet, Magos non nisi die 26. Januarii, paucis ante Præsentationem diebus venire potuisse; alioquin Herodes stragis decretum non distulisset; neque vero credibile est, eum tantopere de Magorum eventu sollicitum, cum Urbs Bethleem sex tantum passuum millibus Hierosolyma abesset, tam sero, ac prope post mensem, se a Magis deceptum, ac delusum agnovisse.*

At hęc difficultas, qua permotus P. Serry *a communi opinione recessit*, S. Augustini *acutissimos oculos non effugit. En ejus verba* lib. II. de consensu Evangelistarum cap. XI. Quæri posset, cum jam sollicitus esset ille major Herodes, perculsus Magorum nuntio, quod Rex Judæorum natus fuisset, quomodo potuerint, completis diebus purgationis Matris ejus, tuto cum illo ascendere in Templum, ut fierent circa eum, secundum legem Domini, quæ Lucas commemorat. *Ad cujus difficultatis solutionem, omissa responsione, Herodem gravibus nonnullis, proximisque periculis exagitatum eo tempore de Magorum nuntio non cogitasse, subdit S. Doctor*: Illud dico, postea quam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, postea quam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum, timore depulso, ab inquirendo, ac persequendo puero quievisse. Cum ergo post purgationem Matris ejus in Jerusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in Templo, quæ a Luca narrantur; quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium, cum cæpissent ab iis, qui audierant, prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum Regis; admonitus per somnium Joseph, cum Infante, & Matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in Templo factæ, dictæque fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos Infantes, sicut Matthæus

thæus narrat, occidit. *Ita difficultati* S. Augustinus *occurrit, quam* P. Serry *renovavit, qui in Opere* de Christo, ejusque Virgine Matre *nihil aliud egit, quam Veterum argumenta recoxit, eaque acrimonia, & sale, quæ peculiaris ejus nota est, promovere studuit.*

Multo magis absona opinio est Laurentii Benedicti Triebel, *qui in Dissertationa inserta* Thesauro Criticorum Sacrorum Novi Testamenti P. II. pag. 115. *contendit Magos ad Christi adorationem post ejus in Templo præsentationem venisse; si enim ita se res habuisset, Salvatorem non Beth-leem, sed Nazareth invenissent, contra atque asserit S. Matthæus, qui Magos refert in Urbe Beth-leem eum nactos esse.*

Facta igitur hypothesi, Magos ex Arabia Felice, & quidem die decima tertia a Christo nato venisse; quæritur secundo loco, Regesne, an privati homines fuerint. Eos Sacra Scriptura Regum titulo non insignit, sed Magos *tantum nuncupat. Ita* S. Matthæus cap. II. Ecce Magi ab Oriente venerunt. *Traditio, quæ iis augustum hunc titulum tribuit, legitima omnino non est; primus enim eos Reges fecit* Tertullianus, *e quo omnes deinceps alii sumpserunt. At cum critica super sacris Litteris controversia sit, non nisi ex Sacris Litteris ipsis dirimi potest. Quod si in Sacra Scriptura pro regia Magorum Christi adoratorum dignitate ne probabilia quidem monumenta præsto sunt; qui ea propugnari possit, sane non video. Non is tamen sum, qui negem, regiæ Magorum dignitatis assertores multos esse, cujusmodi sunt* Baronius ad an. Christi 1. num. 30. Bellarminus, P. Berti, *aliique, quibus alii plurimi refragantur, ut* Tillemont, Dupin, Calmet, Serry &c. *Utra pars præferenda sit, judicabit Lector ex argumentis, quæ subdam, quæque ea ipsa sunt, quæ Neapoli in publica Disputatione in Monasterio habita, quod e præcipuis est, Regiæ Magorum dignitatis Defensorem, prudentem licet doctumque hominem ad incitas redegerunt; ut unum sibi perfugium reliquum videns, ut acribus acerbisque verbis victoriam arriperet, in omnem se partem versans, suum ipse gravissimum discrimen proderet.*

Atque ut ad rem accedam, theorema, *quod exposuit, ejusmodi fuit:* Adhuc in stabulo Divino Infantulo moras trahente, Magos ad ipsum colendum accessisse Matthæus Evangelista describit; quorum statum, conditionemque perpendentes, regio honore fuisse potitos contendimus. *Theorema hoc omnibus argumentationis legibus impugnandum suscepi. Hoc loco, ne longum faciam, ea tantum paucis afferam, quæ ad privatam Magorum conditionem demonstrandam facient.*

Sane semper is Evangelistarum mos fuit, ut, cum de Viris illustribus ad Christi Domini historiam spectantibus verba facerent, eorum titulos, & dignitates innuerent, non ut eos solum honore afficerent, verum etiam ut ad majorem Divini Redemptoris gloriam conferrent. Ita Nicodemus *dictus fuit Legis Doctor*, Jair *Synagogæ Præfectus*, Joseph *Senator*, Herodes *Rex* &c. *Si ergo Magi Reges fuissent, S. Matthæus ad condecoranda Christi incunabula, eos quoque non simpliciter* Magos, *hoc est sapientes, sed Reges dixisset, quemadmodum aliorum omnium titulos, quibus reapse insigniti erant, expressos voluit. Quid enim fuisset, cur Magorum tantum titulum silentio præteriret? Quid obfuit, quominus regiam dignitatem, siquidem in Magis erat, Matthæus innueret?*

Huic argumento doctus Pater occurrit rationibus quatuor, quas producit P. Berti *Theologiæ suæ* Tom. V. *quasque ille prorsus invictas, & oracula veluti quædam existimabat.*

Prima ratio (ita ille) silentii S. Matthæi, quod attinet ad regium titulum, ea est, satius fuisse, ad majorem Christi gloriam, ut S. Matthæus eos Magos, quam Reges diceret; ut nimirum significaret, ad humanam sapientiam, cujus imaginem Magi exhibebant, confundendam venisse. II. *Quia Regis nomenclatura ad occultæ veritatis confirmationem inutilis omnino erat.* III. *Quia Evangelista docere nos voluit, mortalium neminem dignum esse, qui coram Christo, Regum scilicet Rege, Rex nuncupetur.* IV. *Evangelista eos Reges non nominavit, quia minuti Reges erant, seu Toparchæ.*

At mihi magnopere laborandum non fuit, ut allatas rationes everterem, quas ad S. Matthæi silentium quoad regiam Magorum dignitatem excusandum ineptas asserui.

Inepta prima est, quia Christus non solum

lum venerat, ut Mundi sapientiam retunderet, verum etiam ut ejusdem potestatem reprimeret. Quemadmodum ergo ad confundendam mundanam sapientiam par fuit, ut diceretur adoratus a Magis, ita ad humanam potestatem evertendam par erat, ut diceretur a Regibus adoratus.

Inepta pariter est secunda ratio. S. enim Matthęus ut Regem Regum natum ostenderet, in ejus veritatis confirmationem referre debebat Magos Reges fuisse, ut nemo non legens ad Christi adoranda incunabula Reges venisse, convictus remaneret, Regem Regum jam Mundo natum esse. Ergo non modo non inutile, sed etiam necessarium erat, ad Dominicę nativitatis confirmationem, Magorum regiam dignitatem commemorari.

Nec subsistere potest tertia ratio; quia si quid evinceret, id etiam evinceret, coram omnium sapientissimo, & potentissimo Christo Domino, nec Nicodemum *Legis Doctorem, nec* Jair *Synagogę Praefectum, nec* Joseph *Senatorem, nec* Herodem *Regem, & sic porro dici debuisse.*

Quarta denique ratio admodum infirma est. Cum enim Moses victoriam describsisset, quam Abrahamo e minutis quinque Regibus Regionis Sodomæ reportavit, eorum regiam dignitatem minime dissimulavit. Haud aliter Magos, tametsi Reguli fuissent, S. Matthaeus Mosem imitatus regio titulo frustratus non esset.

At regiæ Magorum dignitatis propugnator homini similis, qui expergefactus, & oculos aperiens id conspicatur, quod antea nunquam vidit, haud secus meas impugnationes spectavit, qua tamquam novæ, nec praevisæ eum summopere consternarunt, qui proinde ad Psalmistæ, & Isaiæ vaticinia, & ad Magorum conditionem, iis temporibus regiam confugit; ut S. Matthaeo satis fuerit eos Magos dicere, ut Reges quoque fuisse significaret.

In hunc quidem modum sibi visus est ab omni se labyrintho extricasse; at non ita res habuit. Ea nimirum vaticinia, tantum abest, ut Prophetæ de Magis protulerint, ut potius Magis nulla prorsus ratione tribui possint. Oraculum hoc Psalmi 71. Reges Arabum, & Sabæ dona adducent, *quoad litteram perfectum est, cum Regina Saba se Hierosolymam contulit, ut Salomonem conspiceret; quod si Magos spectasset, dubio procul id innuere non omisisset S. Matthęus, qui Christi rebus gestis aptat Prophetarum Oracula. Profecto dixisset, ut solet, Christum a Magis adoratum fuisse, ut impleretur, quod David praedixerat: Reges Arabum, & Saba munera illi adducent; quemadmodum Vaticinia caetera ad Christum spectantia S. Matthaeus eidem aptavit.*

Non ergo de Magis explicari possunt ea vaticinia, sed quoad litteram de Ethnicorum, barbararumque Nationum Regibus, quocunque demum tempore ad Cristianam Religionem vocandis explicanda universim sunt. En integrum Psalmistæ textum: Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent; Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Sabæ dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ. *En Isaiæ verba:* Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. *Jam vero possumne, quæso, verba hęc de Magis intelligi? Absit nos ita sentire; ita quippe sentientes asserere cogeremur, Magos non peculiaris alicujus loci, seu regionis, sed Tharsis, Insularum, Arabię, Sabę, Æthiopię Reges fuisse; quodque magis mirandum foret, universi, quam late patet, terrarum orbis Reges eos extitisse. Quis ergo non videat, generatim Psalmistę, & Isaię verbis vocationem Gentium ad fidem portendi, qui promulgationis Evangelicę fructus futurus erat? Et in hanc quidem rem ejusmodi Oracula ipso Epiphanię die Magis tribuit Ecclesia, ut e Sermonibus licet intelligi, quos eo solemni die Patres habuerunt.*

Nec quidquam conficeret, qui reponeret, Magos secum attulisse thesauros, e quibus eduxere dona, quę Divino Infanti obtulerunt; atque ita Reges se prodidisse; vox enim thesaurus *capsulam quamcunque significat, in qua res pretiosę servantur, sive ea publicę ac regię, sive alicujus privatę personę sit. Hoc sensu locutus est S. Lucas cap.* XII. Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Quod autem ad Magorum conditionem spectat, qui in Oriente Reges adhuc apud Persas erant; respondemus, in Arabia quidem ejusmodi non fuisse, e qua sane nos volumus eos venisse. Prӕterquamquod Chri-

sti tempore non amplius Magi apud Persas ad Regale Sceptrum assumebantur, *ut* Strabo lib. 1. *de* Geographia *fidem facit*. *Immo vero penes Romanos*, *teferente* Suetonio, *etate Christi*, *Magorum nomine nihil magis execrandum*, *invisumque erat*.

Ad extremum si Magi Reges fuissent, *cum eo devenissent*, *ut in Herodis ditionem pedem inferrent*, *nuntium*, *ut assoles inter Principes*, *ad eum misissent*. *Neque ita facile Herodes improvisum exterorum Principum adventum tulisset*, *cujus animum ipse nati novi Regis timor turbasse dicitur*. *Qui porro Reges esse poterant Magi*, *quibuscum Herodes*, *tamquam cum abjectae*, *vulgarisque conditionis hominibus egit?* Mittens eos in Beth-leem (*S. Matthaei verba sunt*) dixit: ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi. *Itane vero Herodes cum Magis egisset*, *tametsi Reguli essent?* *Nonne potens eos tamquam sibi pares precatus esset*, *ut se de invento puero certiorem facere ne renuerent?* *Cur ergo Magos imperantis in modum allocutus est?* *Non alia sane de causa*, *quam quia regiae*, *pro ut venditantur*, *persona non erant*.

Verum undenam regiae Magorum dignitatis opinio originem traxit? *A Patribusne*, *quos Apostolicos nuncupamus?* *Esset profecto*, *si res ita se haberet*, *legitima*, *& vera traditio*. *Primus omnium Magos insignivit Regum nomine* Tertullianus; *caeterum nemo unus e priorum saeculorum Patribus id somniavit*, *non* Justinus Martyr, *non* Clemens Alexandrinus, *non* Athanasius, *non* Basilius, *non* Nyssenus, *non* Epiphanius, *non* Hieronymus, *qui de Magis omnes verba fecerunt*. *Immo vero animadversione digna verba sunt Auctoris Homiliarum super diversis inter* Origenis *Opera*, *qui Herodem ita loquentem induxit*: Deludor nunc a Magis, & ab alienigenis veluti nullus irrideor; decidi a potentia mea, a miseris hominibus illudendus deveni. *Iam vero si Magi Reges fuissent*, *eosne Herodes in vulgarium*, *& miserorum hominum numero posuisset?* *Apte proinde* Mantuanus:

Nec Reges, ut opinor, erant; nec enim tacuissent
Historiae Sacrae genus istud honoris
Inter mortales quo non sublimius ullum.

*** *Multo magis incerta sunt Magorum nomina*, *de quibus non ante duodecimi saeculi finem quisquam locutus est*. *At quis eo potissimum tempore poterat ejusmodi nomina certo detegere*, *quin vel minimum eorum vestigium apud Veterum ullum occurreret?* *Adeo proinde insitata*, *& varia pro cujusque arbitratu excogitata sunt Magorum nomina*. *Ab aliis quippe vocantur*, Gaspar, Melchior, *&* Balthassar; *& hac quidem vulgaris opinio est*; *ab aliis* Apollius, Ametus, *&* Damascius; *ab aliis* Galgalad, Magalad, Serachim, *ab* aliis Ator, Sator, Parator. *Et quod magis dolendum est*, *ad magicae artis usum inventa nomina*, *si* Casaubono *fides Exercitatione* II. *in Baronium* §. 20. *Hinc orta superstitio*, *apud recentiores Graecos potissimum*, *si quis ipso Epiphaniae die in nova acicula capite Magorum nomina scripserit*, *eum Serpentum veneficis morsibus obnoxium non fore*. *Non his tamen finibus se Impostorum audacia continuit*. *Non defuit an.* 1636. *qui in Gallia librum ederet*, *in quo Auctor omnino se ostensurum recipit*, *Magos non alios fuisse*, *quam* Hanoch, Eliam, *&* Melchisedech. *At cum ejus omnia argumenta insulsa sint*, *ea ne confutationis quidem honore digna ducimus*.

Cultus Christo a Magis exhibitus dubio procul Latriae fuit, *is nempe*, *qui Deo tantum debetur*. *Et sane Stella*, *quae in Oriente apparuit*, *iis vaticinium Balaam in animum revocavit*. *Insitato autem externo splendori*, *qui eos ad speluncam Beth-leem ducebat*, *accessit interna illustratio* Spiritus Sancti, *per quam Mundi Servatorem natum esse cognoverunt*, *permotique sunt*, *ut eum non solum tamquam Judaeorum Regem invenirent*, *verum etiam tamquam verum Deum adorarent*: Vidimus (*ita Magi*) Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. *Ac deinde*: procidentes adoraverunt eum. *Ita S.* Justinus *in Dialogo cum Triphone*, S. Irenaeus lib. 3. cap. 1. Origenes lib. 1. *contra Celsum*, S. Gregorius Nyssenus *Orat. de Christi Nativit.* S. Basilius *de humana Christi generat.* S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 38. *& ex Latinis* S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S.

Leo,

Leo, S. Hilarius, S. Petrus Chryfologus, *aliique. Legitimam hanc utriusque Ecclesiæ traditionem Theologicæ rationes, Ecclesiasticæque preces confirmant; ut proinde Auctor Bibliothecæ Criticæ* Tom. II. cap. VIII. *an.* 1709. *Basileæ typis editæ in dubium revocans, utrum Magi Christi Divinitatem agnoverint, traditioni, & quod inde fit consequens, fidei refragatus fuerit. Dissertationis Auctor* Richardus Simonius *creditur, in quem* Honoratus a S. Maria *suse disputat* Tom. II. *Animadversionum suarum in regulas, & usum Critices* lib. III. Differt. IV. art. V. & VII. *ad quem Lectorem mitto, ne Adnotationem longius protraham.*

Magi. Nomen hoc sæpe occurrit in Sacris Litteris ad divinum, seu vaticinatorem felicium eventorum significandum. Eos Moses, indicta mortis pœna, consuli vetat: „ Anima, quæ declinavit ad Magos, & Ariolos; . . . interficiam illam de medio Populi mei. „ Genus hoc hominum Saul e Regni sui finibus exterminavit; at ejus licet maxima sollicitudo impedire non potuit, quominus Hebræus populus ad curiositatem, & superstitionem apprime factus Magos, & Veneficos adire, & consulere pergeret. Hi Magi Dæmonis ope in Ægypto Mosis miracula præstigiis suis imitati sunt; at eorum vis & potestas omnis ad pediculorum prodigium defecit. * Deus nimirum, qui non alia de causa per aliquod tempus eos cum Mose pugnare permiserat, quam ut Moses ipse splendidiorem ex iis victoriam referret, ita suæ tandem Omnipotentiæ juribus usus est, ut Magi ipsi fateri cogerentur se victos esse: *Digitus Dei est hic*, eorum coacta simul & ingenua confessio fuit. Hæc, & alia multa in Sacris Litteris commemorata nos dubitare non sinunt homines esse, qui per initum cum Dæmonibus commercium mira faciant; ac male feriati animi vis, & periculosissima credulitas est, imaginationi, illusioni, vel ignorantiæ tribui, quidquid Magiæ prorsus ipsi, ac Dæmonis operæ adscribunt Sacri Codices, cum certum sit, Deum in res materia constantes aliquam potestatem tenebrarum spiritibus concessisse. Huic rei argumento sunt exempla tum Job a Dæmone afflicti, tum Christi Domini, ex uno in alium locum a tentatore translati, tum Obsessorum, de quibus Sacræ Litteræ sæpenumero verba faciunt. Est ergo fidei dogma, Dæmonem in corpora agere posse; verum ad rationem quod attinet, qua Dæmon in eadem agit, nobis nil certi est. Alii Dæmonem ipsum reapse agere putant; alii vero quæ a Dæmone fieri videntur, nihil aliud esse contendunt, quam posita in imaginatione præstigia. Priorum sententia, Dæmon a Pharaonis Magis invocatus, reapse virgas in serpentes, & aquas in sanguinem vertit; materiæ partibus eum motus gradum, eam dispositionem, eamque figurarum varietatem tribuens, unde sanguis, & serpentes existerent; at posteriorum judicio, nil novi Dæmon edebat; sed in sensuum organa tantum agebat; oculis nempe ita sanguinis, & serpentum imagines exhibebat, ut perinde conspicerentur, ac si reapse extitissent. *Exodi cap.* VIII.

* *Cum Magi perficere potuerint, ut magna ranarum, aliorumque insectorum vis nasceretur, illud controvertitur, quid impedierit, quominus cætera Mosis miracula, illudque potissimum, quo pediculi prodierunt, imitarentur. In hac difficultate, quin ad solutionem confugiamus, quæ vulgo affertur, eam scilicet novi verminum generis novam creationem fuisse, quam propterea Dæmon imitari non poterat, cum e sacro Textu liquido constet, eos pediculos* כנים *fuisse; dicendum potius videtur, in hoc demum miraculo* Mosem *supremam, qua pollebat, potestatem prodidisse, vinctis Magorum manibus, ineptisque redditis ad edendum miraculum haud omnino cæteris, quæ hactenus ediderant, difficilius; ut proinde faterentur ipsi, eum agere vi, & potestate longe majore, ac tum quidem omnipotentem Dei dexteram se ipsam interposuisse. Legatur* Lesley *in sua facili Methodo.*

Magog, qui celat, filius Japhet, & nepos Noe, Scytharum, seu Tartarorum Nationis conditor fuit; & quidem nonnulla Magog vestigia etiamnum inter eos occurrunt. Hoc nomine Scriptura designat populos Judæorum hostes, eosque, qui Ecclesiam sub Antichristo persequentur: *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog.*

Mahalon, infirmitas, filius Elimelech, & Noemi, conjugem duxit Ruth Moabitidem, obiitque prolis expers. Eo mortuo, vidua socrum Noemi Beth-leem secuta est, ibique nupsit Booz, qui Elimelech propinquus erat. *Ruth. cap.* I. 3.

Mahanaim, seu *Manaim*, *agri duo*, Levitarum Urbs, eorum, qui erant e Familia Merari in Tribu Gad ad torrentem Jaboc. Nomen hoc significat agros duos, & Jacob ita locum hunc nuncupavit, quia ibidem ei contigit Angelorum accedentium visio. *Mahanaim* post Saulis mortem Regni Isboseth sedes fuit. Huc se recepit David, dum Absalonis perduellio grassaretur; atque hac non procul Urbe is perduellis filius victus, & e vivis sublatus fuit. *Genes.* XXXII. 2.

Mahol, seu *Machol*, *cantus*, pater Ethan, Eman, Chalchal, & Dora. Nonnulli putant, hoc eorum matris nomen esse, seu Machob veluti generale nomen Chorum significare, iisque fratribus quatuor nomen tribui *filiorum Chori*, quod Cantores, & Musicos agerent. III. *Reg.* IV. 31.

Malachias, *Angelus*, ultimus duodecim Prophetarum minorum, omniumque Prophetarum Veteris Testamenti, adeo ignotus est, ut etiam dubitetur, utrum ejus nomen proprium, an generale sit, quod Angelum Domini, Prophetam significet. Origenes, ac Tertullianus ex hoc nomine dicendi occasionem sumpserunt, hunc Prophetam reapse Angelum fuisse, qui humanam formam sumpserat, ut vaticinaretur. Alii cum Judæis putant, Malachiam non alium quam Esdram esse, quæ vero quidem similis opinio est, sed probationibus caret. Ut ut res habeat, certum videtur, Malachiæ Prophetiam ad Nehemiæ tempus, regnante Artaxerse *Longimano*, referendam esse, quo tempore Sacerdotes inter, & Populum Juda dissidia fervebant, in quæ Propheta stilum acuit. Judæis conjugium cum extraneis fœminis initum exprobrat; eorum in fratres duritiem arguit; Judaicorum Sacrificiorum abrogationem, novique Sacrificii per universum terrarum Orbem celebrandi institutionem prædicit; S. Joannis Baptistæ adventum; Divini Servatoris adventum duplicem, & quidem perspicue admodum, & Eliæ missionem ante *magnum & formidandum judicii diem* nuntiat. Ejus Prophetia in capita quatuor divisa est.

Malaleel, *is*, *qui Deum laudat*, filius Cainan e stirpe Seth, cum ætatis an. 65. genuisset Jared, octingentos deinceps annos vixit. Obiit an. Mund. 1290. *Genes.* V. 23.

Malazar, *dispensator*, cui Danielis, ejusque sociorum, qui Babylone captivi detinebantur, educatio demandata erat. Nomen hoc militarem potius virum, seu Præfectum, aut Procuratorem, quam proprium nomen significat. *Daniel.* I. II. 16.

Malchus, *Rex*, Summi Pontificis Caiphæ servus, cum in Olivarum horto inter eos esset, qui ad Christum capiendum missi fuerant, ei a S. Petro aure gladio amputata, ab eodem Christo tactu sanatus fuit. *Joan.* XVIII. 22.

Mambre, *rebellis*, Amorræus frater Aner, & Escol. Fratres hi tres amicitia cum Abraham conjuncti erant, cui suppetias tulerunt, ut Assyrios everteret, & Loth, quem iidem captivum traxerant, liberaret. Ita Abraham, qui nihil ex eorum Principum spoliis sibi retinere voluit, mandavit, ut fœderatis fratribus tribus eorum congrua pars tribueretur. Regio, quam Mambre incolebat, ab eo nomen obtinuit, eamque Sacra Scriptura nuncupat *Vallem Mambre*. *Genes. cap.* XIV.

Mambre, Vallis ad Hebron fertilis, ac deliciis affluens, in Sacra Historia celebratissima. Hic in Tabernaculis versanti Abrahæ Angeli tres filii Isaac ortum prædixere. Hic etiam eos excepit prandio sub arbore, quam S. Hieronymus Terebinthum vocat, a qua ipsa *Vallis Terebinthi* dicta est. Testatur hic S. Pater, adhuc eam arborem, dum ipse viveret, extitisse. Ibi nonulli Populi altaria erexerant, in quibus sacrificia celebrarent in rei memoriam, quæ sub ea Terebintho contigerat; verum Constantinus Magnus de hac superstitione matrem Helenam monuit, cujus proinde jussu ea Sacrificia abrogata, ibique magnificum Templum extructum fuit. Mambre erat & torrens in Mesopotamia, de quo in *libro Judith*. Holofernes insignes omnes Urbes subegit, quæ

quæ a torrente Mambre ad mare conspiciebantur. *Judith cap.* II. 14.

Mambres, unus e Magis, qui Mosi in Ægypto obstiterunt, suisque præstigiis ejus vera miracula imitati sunt. II. *Ad Timoth.* III. 8.

Mammona. Nomen hoc proprie Syriacum est, & divitias significat. Christus ait, neminem Deo, & divitiis servire posse: *non potestis Deo servire, & Mammonæ*; jubetque, ut nobis ipsi amicos faciamus de Mammona, seu divitiis iniquitatis, de temporaneis nempe divitiis, ad Æconomi exemplum, qui apud Herum de dissipatis ejus bonis accusatus rationem invenit, qua suum ipse sibi officium servaret: *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*. Divitias Christus Dominus injustas vocat, seu quia injustitiæ occasio sunt, seu quia injustis fere rationibus comparantur, seu denique quia eas nobis in proprietatem vindicamus, tametsi non ad nos ipsos, sed ad Deum pertineant, cujus nos non nisi procuratores, & Æconomi sumus. *Lucæ cap.* XVI.

* *Mamzer*. Hebraicum est vocabulum hoc, & spurium significat. Vetat Deus, ne spurii usque ad quartam generationem in Populi sui cœtum recipiantur, vetat scilicet, ne officia, dignitates, privilegia, quibus Hebræi proprie dicti gaudebant, iis ante conferantur, quam eorum natalium infamia funditus deleta fuerit: *Non ingredietur* Manzer (cap. XXIII. Deuter.) *hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini*. Ita Jephte ob natalium vitium in Hebræorum caput eligi non poterat; at electio facta fuit afflatu Dei, qui tamquam supremus Legislator eum a Lege excipit, quem ipse per singularem vocationem eligit.

Manahem, *solator*, filius Gaddi, & Dux Exercitus Zachariæ Regis Israel, Terfæ versabatur, cum Domini mortem audiit, quem Sellum occiderat, ut ejus loco regnaret. Statim in usurpatorem progressus est, quo, cum se Samariam recepisset, occiso, Solium conscendit, quod sibi servavit ope Phul Assyriorum Regis, cui se annuum vectigal soluturum recepit. Princeps hic per annos decem rerum potitus est, ac tam in Deum impius, quam in subditos injustus fuit. E vita migravit an. Mund. 3243. IV. *Reg.* XV.

Manahem, Propheta Christianus, Herodis Antipæ collactaneus, unus ex Antiochenis Sacerdotibus fuit, quibus Spiritus Sanctus mandavit, ut Paulo, & Barnabæ manus imponerent, quo ad Evangelium Gentibus nuntiandum mitterentur. Creditur hic Manahem e septuaginta duorum Discipulorum numero fuisse, & Antiochiæ occubuisse. *Actor.* XIII. 1.

Manasses, *in oblivionem adductus*, primogenitus Joseph, & Aseneth, & nepos Jacob, cujus nomen oblivionem significat, quoniam Joseph ita locutus est: perfecit Deus, ut meatum omnium sollicitudinum, & patriæ domus obliviscerer. Natus est an. Mund. 2290. Cum Jacob esset morti proximus, ei Joseph duos, quos genuerat, filios obtulit, ut Sanctus Senex suam utrique benedictionem impertiretur; & patrem sinistram Manassi manum imponentem videns, rogavit, ut consilium mutaret; at ille benedictionem ita prosecutus est, inquiens, primogenitum quidem multorum populorum patrem, secundogenitum autem eo majorem, ipsiusque posteritatem nationum terrorem fore. Tribus Manasse ducentos homines armis gerendis aptos supra 32. millia numerans ex Ægypto exiit, & in ipso Terræ promissæ aditu sita fuit; & partim ultra, partim citra Jordanem constitit. Prior pars regionem Basen, & Jaboc usque ad Montem Libanum possidebat, posterior autem portionem suam inter Tribus duas Ephraim, & Issachar obtinebat. Patriarchæ Jacob benedictio, quam duobus Joseph filiis tribuit, mystica dubio procul, & prophetica fuit. Pertinet nimirum ad Christi mysterium. Manasses, & Ephraim populorum duorum imago sunt, e quibus Christi familia constat; sunt autem Judæi fideles, & fideles Christiani. Judæi primogeniti sunt; ab iisque initio statim Christum secutis Christiani Evangelium acceperunt; iidem primi crediderunt, primi Christum nuotiarunt, primi pro ejus nomine mortem subierunt. At posteriore loco ad Evangelium vocati Ethnici in longe majorem multitudinem excreverunt. Ex iis Fideles innumeri prodierunt, qui

ex

ex omni conditione sanctitatem adepti sunt eo animi robore, quo cum suæ ipsorum salutis hostibus pugnarunt; ut proinde perfecta fuerit ea prophetia, *Manassem magnum fore, & populi cujusdam caput; at Ephraim ejus fratrem, & quidem juniorem, eo fore majorem, ipsiusque posteritatem Nationum plenitudinem fore.*

Manasses, decimus quintus Regum Juda, Ezechiæ patri successit ætatis anno decimo septimo, suique regiminis initia omnibus idololatriæ abominationibus insignia reddidit. Restituit excelsa loca, quæ solo pater æquaverat, erexit Altaria Baal, filium suum per ignem transire voluit in honorem Moloch, & se in omne vitiorum genus ingurgitavit. Nullam unquam execrandam impietatem in ea ipsa regione Amorræi perpetraverant, quam ienon æquarit modo, sed etiam longe multumque superarit. Deus ergo gravissimis hujus impii Principis flagitiis ad iracundiam provocatus Prophetas misit, qui durissima quæque & acerbissima minitarentur, fore scilicet, ut Hierosolymam iis pœnis obruerent, quarum ipsa narratio aures terrore percelleret. Isaias Propheta, Regis socer, in tot scelera præ cæteris invectus est; at inhumanus Rex, optima monita flocci faciens, socerum ipsum comprehendi, & medium secari jussit. Divina tandem ira in Tyrannum irruit. Sub ejus Regni vicesimum secundum annum, & Mundi 3328. Assaradon Assyriæ Rex Exercitum in ejus ditionem immisit. Captus Rex ipse, vinculis pressus, & Babylonem captivus ductus. Eum tanta calamitas revocavit ad bonam frugem, qui manum fassus, qua p'ectebatur, testatusque est, se ex animo pænitere. Molliit hæc humilitas iram Dei, qui pœnitentem Principem liberavit, & Regno reddidit. Hierosolymam regressus Rex animum applicuit ad mala, quæ patraverat, reparanda. Templum ab Idololatriæ, quam induxerat, execrationibus expurgavit, evertit Altaria profana, quæ erexerat, veri Dei Altaria restituit, quæ everterat, & nihil omisit, quo populum ad Domini cultum adduceret. Obiit his sanctis operibus deditus an. Mund. 3361. ætatis suæ 67. Nobis suppetit ejus Oratio, quæ ab eo, cum in carcere detineretur, edita fertur, at quæ tamen Canonica non habetur. Eam tantum ut precem excitandæ pietati inservientem Ecclesia spectat. IV. Reg. XX. XXI. &c.

Manasses, ex Tribu Simeon, maritus Judith, quam brevi post initum conjugium tempore viduam reliquit. Ab incepto Holofernis bello elapsi erant jam anni tres. Ille vero, suis omnibus bonis sponsæ relictis, Bethuliæ sepultus fuit.

Manasses, Joannis filius, & frater Summi Pontificis Jaddo, cum ob ductam conjugem, quæ aliam Religionem profitebatur, se Hebræis invisum videret, eoque adductum, ut vel conjugi, vel Summo Pontificatui renuntiaret, patriam deseruit, & apud Sanaballat Samariæ Satrapam, Socerum suum se recepit; qui cum generum ab honoribus, ad quos ipsa origine vocabatur, ob eam potissimum causam exclusum ferre non posset, favente Alexandro Magno, Templum in Monte Garizim ædificavit, cujus Pontificia dignitate insignitus Manasses in Judæos schisma conflavit. *Joseph. lib.* XI. *Antiq. cap.* VII.

Manasses, filiis Hason, fuit eorum unus, qui a Babylonica captivitate reversi se a fœminis sejunxerunt, quas contra Legem duxerant. I. *Esdr.* X. 36.

Mandragora, peculiaris plantæ nomen, cujus speciee duæ describuntur, & quidem sexu distinctæ; nigra, quæ fœmina putatur, cujus folia lactucam referunt, & mala excavata nigrum granulum continent; & candida, quæ mas habetur, & poma duplo majora parit, croceo colore, quæ gratissimum odorem emittunt. Mandrogoræ longe maxima vis tribuitur; at ejus usus periculosus est. Ejus interim non una jactatur fabulosa virtus; & radicum forma, ut exprimi solet, humano corpori similis non nisi Circulatorum arte, ac technis nititur. Refert Moses, Ruben Liæ filium, cum aliquando in agrum profectus esset, Mandragoras nactum matri attulisse. Eas Rachel expetens a Lia obtinuit, ea conditione, ut Jacob nocte insequente cum Lia jaceret. Ea sane Rachelis cupiditas nitebatur jactata vi, qua planta hæc prædita fertur, ut fœminas fœcundas reddat. *Genes. cap.* XXX. 14. *

* *Vulgata Editio*, & Septuaginta

Man-

Mandragoram *reddiderunt Hebraicam vocem* דודאים *Dudaim, quæ tum hoc loco, tum in Canticis reperitur. Cujusmodi tamen proprie* Dudaim *fuerint, in tanta, quæ occurrit, opinionum varietate, difficile dictu est. Qui* Mandragoras, *esse ajunt, præter Interpretum Septuaginta, Onkelosi, & Vulgatæ Versionis auctoritatem, his rationibus innituntur.* I. *Mandragoræ mala sunt visu pulcra, ac proinde Rachelem allicere poterant; ac* Dioscoride *quidem teste, odorifera sunt, ita tamen, ut caput habetent; in quo Dioscorides cum* Cantic. cap. VII. 13. *convenit.* II. *Mandragora prolifica censebatur, ut propterea* Venus *Mandragorita nuncuparetur; & in eum finem* Julianus *Imperator* Mandragoræ fuccum bibit, *quemadmodum* Soctates, *apud* Xenophontem *in quodam convivio se per ejusmodi potionem exhilaravit. Neque alia de causa malum, seu pomum amoris Mandragora dicta est. Nullum denique apud Veteres philtrum erat æque ac Mandragora celebratum.* Juvenalis Satyra IV.

. . . . Thessala vendit.
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Hæc omnia congruunt tam vocabulo Dudaim, *quod amorem significat, quam Rachelis animo, quæ videtur ea poma, ut conciperet, expetiisse.* III. *Fœcundati, cujus afferendæ vi Mandragora pollet, plantæ figura favet, quam* Homini *similem nonnulli dicunt; at* Columella, *quod vero similius*, semivirum *vocat; quoniam ejus bifurcæ usque ad umbilicum hominem repræsentant.*

At Calmet *in Commentario super hoc Geneseos loco contendit,* Dudaim *esse mala Cedrina, his rationibus ductus.* I. *Ob odorem suavissimum.* II. *Quia* Dudaim *nullo non tempore poma producunt, & jam maturis acerba succedunt.* III. *Quia mamillis similia sunt.* IV. *Quia messis tempore maturescunt.* V. *Quia ejusmodi fructus non minus ex Mesopotamia, & Judæa, quam ex Media, Assyria, & Perside derivantur; quod si* Dudaim *Assyria mala, seu Cedri non sint, mirari subit, adeo excellenti pomo nomen in Hebraica lingua defuisse.* VI. *Denique ea Cedri pulcritudo est, ut merito* Levit. cap. XXII. 40. *tamquam* fructus Arboris pulcherrimæ *designatus fuerit. Hinc facile fieri potuit, ut Rachel eum fructum expeteret, cujus odore vel ad propriam oblectationem, vel ad vestium condimentum uteretur.*

At Junius *flores gratissimos*, Cadurcus Tuberes, *alii* Violas, *alii* Lilia, *alii* Leucanthema *fuisse* Dudaim *interpretantur. Si nobis datur optio, opinionem præferimus, quæ cæterarum antiquissima est. Quæ enim* Mandragoris *objiciuntur, non ita magni momenti sunt. Ajunt primo, Mandragoras frigidas esse; at nonnunquam quæ natura frigida sunt, in philtra redigi solent. Addunt, earum odorem gravem esse; at* Cantic. cap. VII. *id unum legimus, odoras esse; suaves, aut insuaves esse non legimus; immo vero* S. Augustinus lib. XXII. *contra* Faustum cap. 56. *eas se odore suaves expertum ait; neque unus* Augustinus, *sed alii quoque. Tandem asserunt,* Mandragoras *Mense Decembri maturescere, & in calidis Regionibus citius; at mihi quidem videtur Ruben eas & immaturas collegisse, & Liæ Matri tradidisse.*

Manducare. Hebræi veteres non cum omni indiscriminatim hominum genere comedebant. Se nimirum pollui, & infamiæ notam subire putabant, si cum iis ad mensam accumberent, qui aliam Religionem, turpemve aut vilem artem profiterentur. Patriarchæ Joseph ætate, nec Hebræi cum Ægyptiis, nec Ægyptii cum Hebræis vescebantur; nec Judæi ipsi cum Samaritanis, Christi tempore: *non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Ac Judæi fane Christum cum Publicanis, & Peccatoribus manducantem videntes grave scandalum patiebantur: *Quare cum Publicanis, & Peccatoribus manducat Magister vester?* eum enim non unum ciborum genus iis vetitum esset, cum iis ad mensam sedere non poterant, qui ejusmodi cibos sumebant, veriti, ne quam impuritatem contraherent, siquidem eas dapes tetigissent. Id etiam in veterum Hebræorum conviviis animadversione dignum est, suam cuique mensam seorsim fuisse. Joseph, cum in Ægypto fratribus convivium parasset, eos separatim sedere jussit, instructa singulis mensa, ipso quoque Joseph sejunctim cum Ægyptiis sedente, qui cum

eo

eo vescebantur. In eorum mensis aderat copia, sed deliciarum parum; magna in Hospites observantia, quibus ipsi opipare, effuseque deserviebant. Eorum solemnes epulas cantus, & instrumenta musica comitabantur; suffimenta, & unguenta pretiosa in iis usitata erant. Initio quidem mensæ assidebant, pro ut apud nos in more positum est; at Persas deinceps, & Chaldæos, quibus lecto incubantibus edendi mos, imitati sunt. Ante tamen quam mensæ accumberent, se de lavandis manibus valde sollicitos exhibebant; eamque consuetudinem tamquam necessariam, & sacram spectabant.

Manilius, Romanus apud Antiochenos Orator, datis ad Judæos litteris, sibi ratum esse testatus est, quidquid iis Rex Lisias concesserat; monuitque, si quid haberent, quod exponerent, iis se, siquidem Antiochiam perrexissent, jus redditurum. II. *Machab. cap.* XI. 34.

Manna, seu *Man*, * cibus, quem Deus Israelitis quadraginta annorum spatio suppeditavit, quo in Arabiæ Deserto versati sunt, quique quotidie, excepto Sabbato, e Cœlo mane cadebat. Mannæ mellis sapor inerat, bdellii color, & Coriandri seminis magnitudo. Mandavit Israelitis Moses, ut non nisi certam Mannæ mensuram singulis diebus colligerent, cui mensuræ nomen *Gomor*; quam si quis excessisset, postridie, quidquid supererat, amarum, & verminosum erat; quod argumentum est, ea in esca quiddam supra naturam, ac divinum fuisse. Quod porro feria sexta in Sabbatum congerebatur, nulli prorsus corruptioni obnoxium erat. Manna, quod soli expositum sub vesperam liquescebat, intra domesticos parietes ea erat duritie, ut in mortario tereretur, ignique obsisteret, ex eo denique subacto Israelitæ folia conficerent, quibus panis sapor inerat, qui e simila oleo, & melle condita esset. Auctor libri Sapientiæ ait, manna se ad eorum gustum accommodasse, qui eo vescebantur. Interpretes nonnulli sumunt litteraliter verba hæc, putantque Israelitas in eo saporem nactos, quemcunque expetiissent; at cum certum sit, eos hujus cibi fastidio captos fuisse, probabile proinde est, Auctorem sacrum id unum sibi voluisse, Manna jucundo sapore fuisse, qui satis comedentibus facere posset; vel, ut S. Augustinus explicat, ei prodigiosam eam vim fuisse quoad eos tantum, qui ex Israelitis Deo fideles essent, divinisque beneficiis se gratos præstarent. Auctor porro Libri Sapientiæ, qui Manna vocat *panem Cœli*, & S. Paulus, qui eumdem *cibum mysticum* dicit, aperte monent, mysterium aliquod sub eo prodigiose pane latuisse, quod Christus ipse nobis detegit, dum ait, se panem esse, cujus Manna figura erat: *Amen, amen dico vobis* (ita Judæos alloquitur), *Moyses non dedit vobis panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum*. Ejus caro in Eucharistia est *Manna absconditum*, quo veri Israelitæ nutriuntur, qui a Dæmonis captivitate liberati promissam Terram inquirunt, & ad eam felicem, beatamque sedem aspirant. *Exodi cap.* XVI. *Numer. cap.* XI. 7. *Deuter. cap.* VIII. *Jos. cap.* V. *Sapient. cap.* XVI. *Joan. cap.* VI. 31.

* *Magnopere laborarunt Interpretes, ut Mannæ nomen, & naturam inquirerent. At quoad nomen quidem, nonnulli, ut* Salomon Tarchi, & Aben Ezra, *eum novum cibum ab Israelitis propterea* Manna *dictum volunt, quod ignorarent, quid rei esset. At quamvis, allatis variis Etymologiis, Textui lucem afferre conati sint;* Septuaginta *tamen, qui verba ea, τί ἐστι τοῦτο, explicant*, quid hoc rei est? *videntur ad Hebraicum Textum propius accedere;* & Josephus Antiq. lib. III. cap. I. S. Hieronymus, Grotius, Calmet, *aliique bene multi in eadem sententia sunt; siquidem* הוא מן Man-hu *in autographo significat* quid, *vel* unde est hoc?

Verum ad ejusdem Mannæ *naturam quod attinet, Moses sane nobis ejus magnitudinem, figuram, colorem, & saporem exhibet. Ait ergo, ejus molem exiguam, roris guttulis similem, & rotunda figura donatam fuisse. Quid proprie significet vox* גד Gad, *quam Vulgatus Interpres, & Septuaginta vertunt* Coriandro simile, *certo non constat. Autographus Textus potius vertendus esset*, & id erat simile semini Gad, *quoniam Coriandri semen fusci coloris est, cum Manna fuerit colore candido* לבן Laban.

ban. *Quamobrem Judaei nonnulli dicunt* simile sinapis semini; *quaedam enim est ejus species albicans. Verum* Aben-Ezra *ingenue fatetur se nescire, cujusmodi semen fuerit. At si coloris albi, non secus ac* bdellium *fuisse dicatur, quod doctus* Bochartus, *aliique putant quoddam genus* Unionis *esse, facile conjici licet*, Gad *non* Coriandrum, *sed aliquod aliud exiguum album semen significare; & quoniam* Manna *candidum erat pruinarum instar, unioni proinde simile non esse non poterat. Et nobis quidem id satis est. Ad saporem quod spectat*, Manna *in Exodo* cap. XVI. *cum melle confertur; quamquam Numerorum* cap. XI. 8. *ejus sapor olei similis fuisse dicitur. Utrunque cum veritate apprime consentit; si enim* Manna *solummodo comedebatur, mellis saporem obtinebat; at si ex eo folia, aliaeve dapes conficiebantur, ejus sapor omnem olei dulcedinem praeseferebat.*

Jam illud inquirendum superest, an hactenus descriptum Manna *idem sit, ac vulgaris manna, de qua Medici, & naturalium rerum historici verba faciunt. Contendunt multi, non alterius generis extitisse, quam quae reperitur in Monte Libano, de qua loquuntur* Hippocrates, *&* Galenus, *itemque in Arabia Perside, ipsaque Calabria, ut* Franciscus Valesius *in Philosophia Sacra*, Lemnius, *&* Conimbricenses *memoriae prodiderunt; qui proinde miraculum, quod in Israelitici populi gratiam editum fuit, non in Mannae nova creatione ponunt, sed in ratione, qua quotidie Israelitis suppeditata fuit, & ea sane copia, quae ad sustentanda tria circiter hominum millia satis esset. Qui hanc sententiam tuentur, affinitate nituntur, quam inter communem Mannam, & Israeliticam interesse dicunt, non tamen probant, si verum fateri volumus. Sane nullam inter haec duo Mannae genera nisi* nominis *cognationem intercedere animadvertimus.*

Primo quidem Israelitarum manna ad Salis ortum evanescebat, cum potius, Solis vi, Persidis, Arabiae, Calabriae, aliorumque locorum communis manna obdurescat. II. *Vulgaris manna colligitur e quarumdam arborum frondibus, aut excussis arboribus decidit; nec nisi sub iisdem arboribus invenitur; cum Israelitarum manna circum eorum tabernacula e nubibus in terram ceciderit.* III. *Manna gummi quoddam est, quod flatis temporibus ex quibusdam arboribus, seu* fraxinis, *seu ornis per corticem affluens; cum Judaeorum manna inusitatus, & a Deo mirandum in modum missus ros quidam fuerit.* IV. *Manna praesto fuit Israelitis in Deserto, ubi nil simile occurrit, & quidem* 40. *annorum spatio.* V. *Israelitarum manna per dies deinceps sex, excepto Sabbato, decidebat; itaque die sexta duplum aderat in sabbatum reservandum; quod de vulgari manna dici non potest.* VI. *Mandavit Deus, ut ex manna ad futuram posterorum memoriam, in Templo pars aliqua servaretur; quod si vulgaris manna fuisset, ita quidem immerito mandatum esset; nunquam enim Israelitis vulgaris mannae conspiciendae occasio defuisset, ut cibi recordarentur, quo Deus eorum Majores in Deserto paverat. Mitto plura Sacrarum Litterarum loca, in quibus manna, quo cibo Deus Hebraeos aluit, inter insignia prodigia recensetur.* Exodi *sane* cap. XVI. 15. *leguntur haec*: Cibavit te Deus manna, quod nec tu cognovisti, nec patres tui cognoverunt. *Quae quidem loquendi ratio de longo latoque inter Israeliticam, consuetamque & communem mannam discrimine nos dubitare non sinit.*

Manus pro extensione nonnunquam ponitur: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*. Sumitur etiam pro vi, qua Spiritus Sanctus Prophetae alicujus animum excitat, permovetque: *Facta est super eum manus Domini*. Populum suum Deus allocutus est *per Prophetarum manum*, per eorum os scilicet. *Manus elata* vim, & auctoritatem designat. Ita legimus Deum in *manu alta*, *& elevata* ex Ægypto populum eduxisse. Hæc ipsa locutio peccatoris arrogantiam notat, qui in Deum insurgit: *peccare elata manu*. Manus quoque vindictam exprimit, quam Deus in aliquem exerit: *Manus Domini in Philistaeos gravis evadit*. Ponitur & manus pro *fide*; Daniel quippe, ejusque socii *manibus decem*, quam indigenæ Magi omnes, ac divini, sapientiores inventi sunt. *In alicujus manus aquam effundere* idem sonat, ac ei deservire; ita Eliseus aquam in Eliæ manus fundebat, ei scilicet famula-

mulabatur. *Lavare manus in sanguine peccatorum* nihil est aliud, quam vindictam probare, quam ex eorum nequitia sumit. Justus inter innocentes manus lavat, videlicet cum iis amicitia junctus est. *Pilatus* sibi *manus lavat*, ut innuat se quoad Christi mortem innocentem esse. *Manum demittere* divini cultus specimen est: *si solem in splendore conspexi, ac manum demisi*, ita *Jacob*. *Replere manus*, significat Sacerdotalis alicujus dignitatis possessionem inire; quoniam in ea caeremonia ponebantur in novi Sacerdotis manibus partes victimae, quam oblaturus erat. *Date manus* significat inire foedus, amicitiam jurejurando firmare. Judaei se Ægyptiis manus dare coactos dicunt, ut panem obtinerent, hoc est, iis se dedere.

Manue, Samsonis pater e Tribu Dan, & ex Urbe Sama, cui Angelus an. Mund. 2848. celebris hujus filii nativitatem nuntiavit. *Judic.* XIII. 2.

Maon, Urbs in Tribu Juda prope Desertum ejusdem nominis, ubi Nabal e Carmelo praediis affluebat, & David diu commoratus est, dum eum Saul persequeretur. 1. *Reg.* XXIII. 24.

Maozim, Hebraica vox, quae *fortes, munitasque arces* significat: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur Dan*.. Antichristus per Antiochum designatus Deum suarum fortium arcium patronum colet, & *faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno*, munietque arces extranei Dei cultu. Propheta de Antiochi impietate loquitur, qui eo temeritatis progressus est, ut Hierosolymitanum Templum Jovi Olympio dicaret, ejus Idolo in locum Sanctum illato. Jupiter hic Athenarum Deus erat, ac proinde Antiocho extraneus, scilicet haud Regum Deus, qui eum praecesserant. *Daniel.* XI. 38.

Maraa, vocabulum, quod *amaritiem* significat. Israelitae cum ex Ægypto egressi in Desertum Ethan pervenissent, adeo amaras aquas ibidem nacti sunt, ut eas nec ipsi, nec eorum armenta bibere possent; itaque stationem hanc *Maraa*, seu amaritiem nuncuparunt. Tum vero Mosi obstrepuerunt, & inibi fuerunt, ut in eumdem insurgerent; Dominus porro Mosi lignum indigitavit, quod ille in aquas projecit, quae dulces evaserunt. Lignum hoc, Sancti Augustini seoteotia, sive ejus natura, sive effecta spectentur, Crucis Christi Domini figura fuit, quae amaritiem depellit, quam nostra ipsa corruptio nobis in iis omnibus exhibet, quae Deus praecipit; efficitque, ut Martyres, & Poenitentes in cruciatibus, & voluntariis poenis laetitiam inveniant. *Exodi cap.* XXV. *Numer. cap.* XXXIII.

Mara. Noemi cum a regione Moab reverteretur, ita ad eos, a quibus Noemi, hoc est, *pulcra* dicebatur: me potius *Mara amaritiem* dicite, quoniam Dominus maerore, ac doloribus me cumulavit. *Ruth. cap.* I.

Marai, *qui festinat*, filius Netophar, e stirpe Zarai, ducebat viginti quatuor hominum millia, qui serviebant post David mense decimo. 1. *Paralip.* XVII. 13.

Maran-Atha. Sunt haec duo Syriaca vocabula, quae significant, *Dominus venit*. Erat haec apud Judaeos comminatio, seu quaedam anathematis ratio; qua S. Paulus utitur in prima ad Corinthios Epistola: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum, sit anathema, Maran-Atha*; perinde ac si diceretur, longe maximis calamitatibus, omnique Divinorum judiciorum severitati addictus sit; ex eo statim Dominus vindictam sumat. Hoc nimirum in pertinaces postremum anathematis genus erat. Legatur Articulus *Anathema*.

Marcus, *liberalis*, Evangelista, alius a Joanne Marco in Actis Apostolicis noto, S. Petri Discipulus, & interpres erat, isque esse creditur, quem idem Apostolus spiritalem suum filium nuncupat, quippe quem Christo genuerat. Id autem ex probatissima traditione post Divini Servatoris resurrectionem contigit. Cum S. Petrus iterum Romam se contulisset, eum comitatus est Marcus, qui ibidem Evangelium scripsit, rogantibus Fidelibus, ut scripto traderet, quidquid ex S. Petri ore perceperat. Qua porro id lingua scripserit, magnopere disputatum, aliis Graece, aliis Latine scripsisse contendentibus. Ostenduntur Venetiis nonnulli Codices, qui autographi, nempe S. Marci manu scripti asseruntur. Soluta statim esset omnis quaestio, si iidem manuscripti Codices legi,

gi, & genuini probari possent; at prætertquamquod ita subiere antiquitatis injurias, ut una vix littera intelligi possit, ostendendum superesset, hoc ipsum Sancti Marci verum exemplar esse. Evangelium hoc non nisi ejus compendium est, quod S. Matthæus concinnavit. Auctor sæpe iisdem vocabulis utitur, easdem historias refert, eademque singillatim adjuncta persequitur; quibus nonnunquam peculiaria quædam addit, quæ magnam S. Matthæi textui lucem afferunt. Cum autem Claudius Imperator Judæos omnes Roma expulisset, S. Marcus, Evangelii nuntiandi causa in Ægyptum profectus est, ubi Alexandrinam Ecclesiam instituit. Hæc ad S. Marcum quod attinet, constanti ac legitima traditione nituntur; non item cætera, quæ de hujus Evangelistæ seu vita, seu morte in ejusdem Actis referuntur.

Mardochæus, *contritio*, filius Jair, e Saulis stirpe, & e primoribus Tribus Beniamin captivus Babylonem ductus fuit a Rege Nabuchodonosor una cum Jechonia Rege Juda an. Mund. 3405. Apud eum Susæ commorantem degebat neptis Esther, quam ille fratris filiam adoptaverat, & educaverat. Cum Esther ipsa Assueri sponsa evasisset, Mardochæus celavit, quod erat, & nunquam a regis foribus discedebat, ut de rebus ad neptem spectantibus certior fieret. Ibidem consistens conjurationem detexit, quam Eunuchi duo in Regem struxerant. Ea de re statim Mardochæus Reginam Esther, & hæc quidem Assuerum monuit. Ergo perspecta conjuratione, & qua per erat, pœna affectis proditoribus, res in Annalibus, jubente Principe, scripta est. Aliquanto, post cum Aman, qua pollebat apud Regem gratia, ad summum honoris gradum evectus id sibi arrogaret, ut subditi quique se ad ejus pedes abjicerent, in Mardochæum, qui unus genu flectere renuebat, adeo vehementer excanduit, ut conceptis verbis juraret, se extremam perniciem Judæis allaturum. Itaque Edictum obtinuit, quo, quicunque Judaicam Religionem profiterentur, morti addicebantur, eorumque bona ad Regis beneficium proscribebantur. Statim atque Edictum vulgatum fuit, Mardochæus nepti Esther rem patefecit, significavitque, ipsam non posse, quin sui universi populi saluti se devoveret. Quadam interim die contigit, ut Assuerus, cum somnum capere non posset, sibi Regni Annales legi juberet, e quibus Eunuchorum conjurationem a Mordochæo detectam percepit, cujus monitum nulla prorsus remuneratio subsecuta erat; Amanum ergo, qui venerat, ut ipsius Mardochæi mortem urgeret, accedere jussum interrogavit, quid facto opus esset, ut is honoraretur, quem Rex honoribus cumulare vellet. Ratus Aman, eum se fore, quem Rex designabat, oportere respondit, ut is quidem diademate, regiisque vestibus insigniretur, eumque ipsi Regis equo impositum Aulicorum primus habenas tenens per Urbem duceret, clamans: *sic honoratur, quem Rex honorare voluerit*. Assuerus Amano præcepit, ut id Mardochæo faceret, quod ipse dixerat; ac trux aulicus inimici triumpho deservire coactus fuit. Esther interea, quidquid Aman in Judæos moliebatur, Assuero detexerat; qui Amanum ipsum ad supplicium damnavit, quod ille Mardochæo paraverat, & hunc ad honores extulit quibus indignus aulicus insignitus fuerat. Interpretum plerique Mardochæum libri, qui *Esther* inscribitur, Auctorem putant.

Mare hebraice מים *jamim*. Hebræi magnæ cuique aquarum congregationi, ingentibus Lacubus, & stagnis id nominis tribuebant; itaque mare Galilææ, mare mortuum, mare Deserti nihil sunt aliud quam lacus Tiberiadis, & Asphaltites. Prophetæ quoque sæpissime magna flumina designat maris nomine.

Per hæc nomina, mare magnum, mare Occidentis innuitur Mediterraneum, quod ad Terræ promissæ Occasum erat.

Mare Suph, hoc est, juncorum mare, ita dictum a magna juncorum vi, qui ibidem nascuntur, id nimirum est, quod nos mare rubrum dicimus, nominis auctoribus Idumæis, qui ad ejus ripas sibi sedem posuerunt. In hoc mari contigit Israelitarum insignis transitus, haud numeratis senibus, fœminis, pueris, ut videri poterit in Adnotatione ad articulum *Moses*.

Mare æneum, vas ingens, quod ad usum purificationum Sacerdotum ante, &

post sacrificia Salomon in Templo poni jussit. Vas hoc rotundum erat, altumque cubitos quinque, ab uno ad aliud labrum diametro decem, & circumferentia triginta circiter latum. Labrum funiculo ornatum erat, pomisque, & pilulis, bubulisque capitibus anaglyptice perpolitum. Pedi, qui magnæ altæque columnæ instar erat, & præterea bobus duodecim innitebatur, qui terni acervis quatuor distincti erant, quatuor iisdem patentibus viis, quibus aqua e parvis fontibus quatuor vasis pedi conjunctis educeretur. *Exod. cap.* xxx. III. *Reg. cap.* VII.

Maresca, *hæreditas*, Urbs in Tribu Juda, in qua natus Michæas Propheta, & cui proxima erat Vallis Sepharæ, ubi insigne prælium Asa Rex Juda, & Zara Rex Chus invicem commiserunt. Postremis Judaicæ Reipublicæ temporibus, Maresca cum pluribus aliis merinionalibus Urbibus Juda Idumææ tribuebatur. A Parthis eversa fuit, Antigoni in Herodem grassante bello. I. *Paralip.* XI.

Maria, *maris amarities*, soror Mosis, & Aaron, filia Amram, & Jocabed, an. Mund. circiter 2424. ante fratrem Mosem duodecimo, seu quintodecimo lucem aspexit. Mose vix nato Nili ripis exposito, Maria, quæ forte aderat, Pharaonis filiæ operam suam obtulit, ut infanti nutricem quæreret. Annuente puella regia, Maria citato gradu matrem accivit, cui Moses nutriendus traditus. Maria nupsisse creditur Hur e Tribu Juda, at ex eo genuisse non legitur. Post Maris Rubri transitum, & Pharaonici exercitus extremum excidium, Maria gentiles fœminas ducens præcinuit, reliquis concinentibus, celebre Canticum, *Cantemus Domino*, dum Moses virorum dux eumdem psalmum caneret. Cum Sephora Mosis conjux ad castra pervenit, Maria, cui non nihil cum ea rixarum erat, Aaron fratrem sibi devinxit, quicum Mosi oblocuta est. Id Deus acerbe tulit, qui Mariam puniit molesta lepra, a qua eam liberavit ad Mosis preces, ea tamen lege, ut per dies omnino septem extra castra consisteret. Obiit illa an. 2552. in statione Cades in Deserto Sin, ubi sepulta fuit; ejusque sepulcrum sua quoque ætate in urbe Cades extitisse testatur Eusebius. *Exod.* XV. *Numer.* XII. & XX. *Deuteron.* XXIV. 9.

Maria, Virgo, & Mater Dei, erat e Tribu Juda, & ex familia David, cujus posteri in obscuram conditionem, gravemque inopiam prolapsi erant. De ejus agnatis nihil in sacris Litteris; ac tantum in apocryphis, quamvis antiquissimis scriptis, *Joachim* ejus Patris, & *Annæ* Matris nomina occurrunt. Virgo ætatis anno tertio in Templo præsentata fuit, ubi per annos undecim morata est *; tum S. Josepho nupsit, quem Deus eidem dedit, ut ejus puritatis protector, & custos esset, cum ambo, ut ait S. Augustinus, eo animo matrimonium iniissent, ut nunquam nisi uno spiritu conjungerentur **. Missus ad Mariam fuit Angelus Gabriel, qui prodigiosam Filii Dei conceptionem eidem nuntiaret; & cum Maria humiliter quæsisset, quomodo id fieri posset, cum ipsa virum non cognosceret, Gabriel eam certam reddidit fore, ut Spiritus Sanctus in ejus sinu infantem ipse efformaret, cujus ea Mater esset. Tum vero Sancta Virgo perfectam obedientiam Deo testata est verbis hisce: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Eo ipso momento temporis in ejus castissimo sinu Divinum *Verbum caro factum est*. Paulo post Maria in Urbem Hebron se contulit in Montibus Juda, ut Elisabeth cognatam inviseret, quæ S. Joannem Baptistam ventre gerebat. Hic infans eum accedentem sentiens cujus ipse præcursor futurus erat, exultavit in Matris utero; tum vero Maria mirabile Canticum pronuntiavit, quod ejus humilitatis, gratique animi monumentum æternum erit. Ergo trimestri spatio apud Consobrinam versata Sanctissima Virgo Nazareth reversa est, ubi constitit, quoad partui proxima ipsa, & Joseph se Bethleem conferre jussi, unde eorum familia originem ducebat, ut utriusque nomen in acta publica referretur, pro ut Imperator Augustus mandaverat. Ac tum quidem in eam parvam Urbem tanta populi multitudo confluxerat, ut in præsepe se recipere Maria, & Joseph coacti fuerint, ubi Jesus Christus e Sanctissimæ Matris sinu prodiit, quin Virginitatis, quam illa ab ineunte ætate Deo devoverat, Sigillum frangeret.

geret. Maria non sine admiratione vix natum puerum invisentes Pastores, & Magos adorantes vidit, & quadragesimo post partum die, ut Legis præcepto satisfaceret, infantem in Templum attulit, perfecitque, quidquid ad fœminarum purificationem præscriptum erat, quamvis eidem legi non subesset, quippe quæ puerum secundum consuetas naturæ leges nec conceptisset, nec peperisset. Tum comitem secuta Joseph, qui in Ægyptum secedere jussus fuerat, ut Herodis furori infantem subduceret; nec prius Nazareth rediere, quam impius Princeps e vita migrasset. Hac ergo in Urbe constiterunt, nunquam egredi soliti, nisi ut ad Paschatis Festum quotannis Hierosolymam se conferrent. Eo Jesum attulere, cum duodecimum ætatis annum ageret, eumque, cum ex ipsorum oculis evanuisset, tertio post die inter Doctores in Templo invenerunt. Ab hoc autem tempore nihil amplius in Evangelio de Sanctissima Virgine legitur usque ad Canæ nuptias, quibus interfuit una cum filio, qui ibidem ad Matris preces suum primum miraculum edidit. Eum ipsa Capharnaum secuta est, eorumque multitudine pressum videns, qui docentem audituri conveniebant, accessit, ut e turba filium educeret. Addit Evangelium, Crucis extremo filii supplicio Sanctam Matrem adsuisse, & a Christo commendatam fuisse dilecto Discipulo, qui eam apud se excepit; crediturque post Ascensionem, cujus ipsa fuit oculata testis, Ephesum cum Apostolo perrexisse, ubi admodum ætate provecta ex hac mortali vita discessit, quin de ejus morte quidquam peculiare certo constet.

* *De Mariæ in Templo Præsentatione, ejusque ad 14. ætatis annum ibidem mora, sermo erit in Articulo* Præsentatio. *Id hoc loco inquirendum venit, quo demum ætatis anno, & qua conditione Sanctissima Virgo castitatis votum emiserit. Omnis inter Catholicos dissensio est. Alii, qui votum matrimonio præmissum cum subsequente matrimonio conciliare non possunt, castitatis votum post conjugalem cum S. Joseph contractum a S. Maria editum volunt; atque adeo eorum nonnulli ulterius progressi contendunt eam Deo castitatem vovisse, postquam Angelum nuntiantem audiit, multoque proinde post quam S. Josepho nupsisset. Alii vero difficultatibus aliis permoti aliter de hujusmodi voto senserunt. Rati scilicet in Veteri Testamento cum ad humani generis propagationem, tum ad Judaici populi incrementum, præsertim in Tribu Juda, e qua Messias nasciturus erat, procreandæ prolis præceptum extitisse, ac proinde eo quidem tempore Virginitatem vetitam fuisse contendunt, Virginem primo quidem castitatem ea conditione Deo promisisse, nisi eam Deus ipse prohiberet, aut contrarium significaret; deinde vero, Dei voluntate perspecta, promissionem suam absolute protulisse; ea prorsus ratione, qua Regularis a Superiorum nutu pendens, peregrinationis voto se obstringere ea tantum conditione potest, si ejusdem solvendi facultatem ab iis obtinueris. Jam vero ut de memoratis opinionibus distincte, atque ordine dicam, ajo certissimum esse, Virginem ante Angelicam legationem voto obstrictam fuisse. Quamobrem graviter hallucinantur ii, qui castitatis votum a Maria editum putant, statim ac percepit ab Angelo, Christi partum absque ulla ejus Virginitatis injuria fieri posse. Et sane Dei Mater ab Angelo monita fore, ut conciperet, & pareret* (ecce concipies in utero, & paries filium), *difficultatem, quæ suberat, his verbis opposuit:* quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Quæ difficultas non aliunde, quam ex virginitatis voto jam edito oriri poterat. Si enim iis verbis Maria conjugalem actum, quem nunquam antea exercuerat, significare voluisset, viri tamen cognoscendi facultate remanente, proposita difficultas inepta fuisset. Partus enim tamquam futurus ab Angelo proponebatur: fœminam autem, postquam virum cognoverit, parere non repugnat; & Virgo quidem virum cognoscere potest, nisi forte castitatis votum impediat. Præterea Deipara per ea verba*, virum non cognosco, *se cognoscere non posse significavit, ea prorsus ratione, qua abstemius diceret*, vinum non bibo, *scilicet*, bibere non possum, *& cæcus*, Cœli lumen non video, *hoc est*, videre non possum.

Ita sane Ecclesiæ patres Mariæ responsum in-

interpretati sunt, & ex allatis ad Angelum salutantem verbis, Virginitatis votum ante Angelicam salutationem editum intulerunt; ut proinde nullus hac de re dubitandi locus supersit. Ita S. Gregorius Nyssenus *Oratione de Natali Christi Domini*, S. Augustinus cap. IV. *de Sancta Virginitate*, S. Bernardus *Sermone* IV. *super* Missus est, Venerabilis Beda *in cap.* 1. *S. Lucae*, B. Edmerus, *aliique*.

Nec solum ante Angelicam salutationem, verum etiam antequam Joseph sponsa esset, Sanctissima Virgo votum edidit. Omnes veteres Patres, iique ipsi quos modo laudavimus, in hac prorsus sententia sunt. Praeterquam quod ratio nos de ejusmodi veritate convincit, etiamsi Patrum auctoritas non adesset. Nisi enim Maria per Virginitatis votum se Deo dicasset, antequam nuberet, matrimonium ea mente iniisset, ut maritum cognosceret, & filios, eo cognito, procrearet; & ita quidem in futuram copulam, quantum in ipsa erat, consensisset; ut autem nubens non eo animo esset, ut copulae assentiretur, non aliunde profecto, quam ex prius edito virginitatis voto derivari poterat. Atqui Mariam eo consilio nupsisse, ejus puritati repugnat, quam caeteris Virginibus exemplo esse oportebat; alioquin praestantiores Virgines extitissent, in quibus scilicet ejusmodi consilium nunquam fuit.

Quo autem vel infantiae, vel pubertatis tempore, uno verbo, quo demum aetatis anno se SS. Virgo Deo dicaverit, omnino dubium, incertumque est. Cedrenus *in Historiae Compendio id ejus aetatis an.* XI. *non sine parentum consensu peractum ait. At quae noni Saeculi Scriptori fides, qui id absque ullo fundamento refert! Praesertim cum arrogatus parentum consensus fictitius Patribus visus fuerit, qui Deum unum, & unicum ejus voti testem agnoscunt; e quibus non possum, quin S.* Bernardum *appellem Sermone* IV. *in Evangelium* Missus est. *Scholasticorum multi putant, Virginem se voto obstrinxisse, statim atque ad rationis usum pervenit. Verum eo primo momento temporis non omnes virtutum actus menti succurrunt, e quibus homo, quos maluerit, eligere possit. Equidem in ea sum sententia, Virginem, ex quo primum de Virginitate, ac de Matrimonii usu cogitare caepit, per castitatis votum se Deo consecrasse, peculiari Spiritus Sancti instinctu, per quem cognovit, ejusmodi Sacrificium Deo gratissimum esse. Hoc autem primum rationis usus momentum fuisse quis certo affirmare ausit?*

Interim dubitari non potest e Patrum sententia, quin Virgo omnium prima castitatis votum emiserit, & religiose executa sit. Ita Origenes *in S. Matthaei* cap. III. S. Ambrosius *de* Instit. Virg. cap. V. S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium, *de custodia Virginitatis* cap. VII. S. Augustinus *Tract.* X. *in S. Joannem, & omnium clarissime* S. Bernardus *Serm.* de Virgine, Rupertus Abbas, Venerabilis Beda, & S. Anselmus.

Frustra quispiam objeceris, in Veteri Testamento non deesse multorum exempla, qui Virginitatem servarunt. Neque enim quaeritur, quis temperantiae studio Virginitatem primus servaverit, sed quis primus religionis causa; qua sane causa Virginitatem ante Sanctissimam Virginem a nemine servatam dicimus. Neque vero exemplum filiae Jephte apud Judaeos, aut Vestalium apud Ethnicos quicquam evincit. Quamvis enim filia Jephte per Virginitatis votum se Deo dicaverit, id tamen non suapte sponte praestitit, sed ut patris voto satisfaceret. Ad Vestales autem quod attinet, nemo nescit, eas per aliquod temporis spatium Virginitatem servasse, non usque ad vitae finem promisisse; quandoquidem ministerio perfunctae nubebant, ut legimus apud Alexandrum ab Alexandro *genialium dierum* Lib. V. *Ac tamen si Virginitatem professae essent, earum tamen verum, & proprie dictum votum habendum non est, quippe quod non Deo, sed falsis Numinibus, non religionis, sed superstitionis causa editum fuerit.*

At si quis Joannis Hierosolymitani lib. de Instit. Monachi cap. 32. *testimonio uti voluerit ad ostendendum, Virginem in ipsa pueritia ad Eliae exemplum se Virginitatis voto obstrinxisse; erit ad eum facilis, & expedita responsio, memoratum librum non Joannis Patriarchae Hierosolymitani, qui S. Joanni, & Epiphanio coaevus fuit, sed recentioris cujusdam Carmelitae Fratris esse, qui ut suae Religionis antiquitatem ostenderet, pronuntiare non dubitavit, B. Virginem Carmelitam Monialem fuisse, imitatricem, filiamque Eliae, quem hic Ordo Institutorem jactat.*

jectat. *Ejusmodi doctissimorum Cardinalium duorum judicium est*, Bellarmini *scilicet in* Libr. de Script. Ecclesiast. *in* Joanne Hierosolymitano, *&* Baronii *in Annalibus ad* an. 444.

Ejusmodi autem votum, quo nullum exemplum secuta Sanctissima Virgo se Deo dicavit, absolutum fuisse, non conditione suspensum, ut Theologi nonnulli contendunt, praeter Patrum, quos supra laudavimus, auctoritatem, gravissima evidentissimarum rationum momenta persuadent; cum ei sane nil causae fuerit, cur votum suspenderet; non ob procreandae prolis praeceptum, quod in Veteri testamento quoad privatas personas non legitur; non ob servandae castitatis prohibitionem, quae ne privatis quidem personis indicta occurrit.

Primo quidem id evincunt sanctissimorum complurium Virorum exempla, qui in Veteri Testamento castitatem servarunt, quod profecto non praestitissent, si qua lex eam vetuisset. In horum numero, communi sententia, fuere Josue, Elias, Elisæus, Jeremias, Daniel, Misach, Sidrach, *&* Abdenago; *& inter alios* Daniel, *&* Abdenago *ad Davidis stirpem spectabant, e qua Messias nasciturus erat, & in qua proinde procreandae prolis ratio potissimum obtinebat. Ad eumdem numerum accedunt* Essenii, *Hebraeorum secta in communae vivens seorsim a foeminis, id quod virtuti, ac pietati tribuebatur, referente* Josepho lib. II. de Bello cap. VII. *&* lib. XVIII. Antiquit. cap. II. *Jam vero* S. Ambrosius lib. de Virginib. *&* S. Gregorius Nyssenus lib. de Virginit. cap. XIX. *Mariam sororem Mosis innuptam obiisse testantur. Idem persuadent Christi Domini, S. Joannis Baptistae, & Apostolorum exempla, quorum alii Virgines fuerunt, alii, relictis uxoribus, continentiam professi sunt, quin a Judaeis tamquam Mosaicae Legis violatores arguerentur, qui eos accusandi occasionem ande unde quaerebant*.

Praeterea tantum abest, ut in Veteri Testamento Virginitas prohibita fuerit, ut potius, quod maxime permovet, commendata legatur: Hæc dicit Dominus (*Isaiae cap.* XVI.) Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint foedus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Quae verba quamvis Interpretes nonnulli de veris Eunuchis explicent, qui vel ob partium sectionem, vel ob naturae frigiditatem steriles sunt; multi tamen Patres de Eunuchis iis accipiunt, qui propter Caelorum Regnum ejusmodi facti sunt, qui nempe libere, & sponte voluntate castitatem servant, & profitentur. Ita* S. Hieronymus *Comment. in Isaiam*, S. Augustinus *lib. de Sancta Virginitate cap.* 14. S. Ambrosius *exhortatione ad Virgines*, S. Basilius *lib. de Virginitate*, S. Gregorius Nyssenus *lib.* 3. *de Cura Pastorali* cap. 29. Rupertus Abbas *in Isaiam, aliique. Quamobrem hi Patres in eam sententiam conveniunt, in Veteri Testamento Eunuchos spirituales extitisse, nempe castitatis liberos, & voluntarios professores, eosque a Deo commendatos, adeoque nec Virginitatem prohibitam, nec conjugalem copulam praeceptam fuisse*.

Sed agamus liberaliter, demusque fuisse praeceptum, quo prolis procreatio juberetur, & Virginitas vetaretur, primo quidem ad humani generis propagationem, deinde vero ad Israelitici populi incrementum; quoniam tamen quo tempore Sanctissimo Virgo vivebat, hujus imaginarii praecepti finis jampridem cessaverat, & privato cuique liberum erat ad prolis procreationem incumbere; omnino privatas quisque Virginitatem profiteri poterat, quam tum quidem Deo pergratam esse non ignorabat. Est haec D. Thomæ *doctrina in* III. *Sentent Dist.* 37. *Q.* 3. *art.* 2. Non est inconveniens, *inquit*, aliquid esse licitum uno tempore, quod non est licitum, vel virtuosum, si alio tempore fiat. Et ideo si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus Divini homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem, seu castitatem servasset, omnino peccasset. Sed postea, facta multiplicatione sufficienti humani generis, vel colentium Deum, non peccabat Virginitatem servans, etiam in lege Moysis, nec faciebat contra præceptum; quia & tunc qualiscumque multiplicatio per alios fieri poterat.

Porro ex hac S. Thomæ *doctrina ad Theologos conditionati voti propugnatores responsio facilis, & in promptu est. Ii primo*

mo quidem objiciunt versiculum 28. cap. I. Genefeos: Benedixitque illis (*protoparentibus scilicet*), & ait: crefcite, & multiplicamini. replete terram; *itemque versiculum* I. cap. IX. Benedixitque Deus Noe, & filis ejus, & dixit ad eos: crefcite, & multiplicamini, & replete terram: *Triplici tamen ratione textus uterque explicari potest. Primo respondetur, Deum non præcepisse procreationem prolis, sed iis tantum benedixisse, qui eidem operam darent, ipsisque fœcunditatem promisisse. Atque ita se rem habere evincitur ex versiculo* 22. *cap.* 5. *ubi cadem verba Brutis vix producis recipiendæ legi prorsus inertis dicta leguntur. Præterea si allata verba præceptum significant, illud temporaneum fuit, & ad certum tempus, quoad humanum genus satis excrevisset, non jam perpetuum, & in omne tempus præceptum fuit. Denique dici & illud potest, ejusmodi præceptum ad hominum genus ipsum, non autem ad fingula humana individua spectasse. Quamobrem putant Patrum multi, Abelem Adæ filium cælibem fuisse, & Noe, post Diluvium, quamvis a Deo audisset ea verba*: crefcite, & multiplicamini, *non proinde tamen alios filios genuisse, quamvis per annos trecentos & quinquaginta Diluvio superstes fuerit.*

Triplici pariter pacto explicari potest, quod legitur Exodi cap. XXIII. 26. non erit infæcunda, & fterilis in terra tua; & *cap.* VII. 14. *Deuteronomii*: non erit in te fterilis utriufque fexus tam in hominibus, quam de gregibus tuis. I. *Exodi, & Deuteronomii verba non eo sensu accipienda sunt, ut Deus continentiæ professionem vetuerit, sed ut in Terra Chanaan fœcunditatem promiserit.* II. *Si de vetita continentia eadem verba explicari lubeat, id sane ad initia Judaicæ Reipublicæ referri debet, quo tempore gente opus erat, non autem ad consecuta tempora, quibus fidelis populus jam excreverat.* III. *Exodi lectio vitiosa, & erronea est; ita enim legendum, ut in Hebraico Textu, & in multis Latinis Codicibus legitur*: non erit infæcunda & fterilis terra tua; *ut per ea verba non hominum, sed terræ Chanaan fœcunditas promittatur.*

Non ignoro, Theologos respondere, sterilitatem in veteri Testamento ignominiosam, ac turpem, adeoque maledictionem veluti quamdam habitam fuisse, quemadmodum e multis ejusdem Testamenti locis inferri videtur. Oseæ cap. IX. da eis vulvam fine filiis. *Genefeos* cap. XXX. *Rachel, cum filium peperisset, ita locuta est*: abftulit Deus opprobrium meum. *Econtra fœcunditas summæ felicitatis, & benedictionis loco habebatur. Itaque Isaiæ* cap. XXVI. beatus *dicitur*, qui habet femen in Sion, & propinquos in Jerufalem. *Et Lucæ* cap. I. *cum S. Elisabeth S. Joannem Baptistam in lucem edidit, ita legitur*: congratulabantur vicini, & cognati, quia magnificavit Dominus mifericordiam fuam cum illa.

At iis sane concedamus, sterilitatem in Veteri Testamento probrosam fuisse; nunquid idem de Virginitate sentiendum? Minime vero. Sterilitas enim procreandi impotentia est, ex naturali defectu orta; & in eo tantum esse censetur, qui, dum generationem vult, generare non potest; at Virginitas a libera voluntatis electione derivatur, quæ proli generationi, omnique actui venereo renuntiat; & in eo residere dicitur, qui generare cum possit, unice ob majoris perfectionis amorem generare non vult. Sterilitas ignominiosa fuit, & maledictio putabatur, peculiariter in conjugatis, qui tantopere optatum matrimonii fructum non obtinebant. Cæterum semper laude digna Virginitas fuit, quia Virgo cum carnali operi vacare possit, ab eodem abstinet amore continentiæ, quæ matrimonio perfectior virtus est. Idem ratione habita de fœcunditate dicendum. Est hæc in conjugatis summa felicitas, & larga benedictio, quia per eam bonum obtinent, quod in matrimonio desiderant. At longe major felicitas est extra matrimonium servata Virginitas, quoniam Virgines excellens bonum obtinent, quæ carnis incorruptio, & puritas est, prout Sapientiæ cap. III. *legitur*: Felix eft fterilis, & incoinquinata, quæ nefcivit torum in delicto; habebit fructum in refpectione animarum fanctarum. *Prima carnalis, altera spiritalis felicitas est.*

Cur ergo, reponent Theologi, qui contra sentiunt, filia Jephte duorum mensium spatium a patre petiit, impetravitque, suam ut Virginitatem in Monte defleret, quia prolis expers moriatur erat, nisi Virginitas eo tem-

tempore, quemadmodum in conjugatis sterilitas, ignominiosa fuisset?

Respondeo, Virginitatem filiæ Jephte deplorandam fuisse, minusque decoram, utpote non libera electione susceptam, sed a patre necessitate quadam impositam, adeoque nec virtutem, nec veram Virginitatem, si proprie loqui volumus, extitisse. Misera sane puella lugebat, quia prolis cupiditatem, qua vehementissime flagrabat, explere non poterat. Quamobrem corpore integra fuit, sed animo, affectuque vitiosa. Nos autem asserimus, alterius generis Virginitatem in Veteri Testamento non permissam modo, verum etiam laudatam fuisse.

S. Augustinus *tamen videtur contra sentire lib. de Bono Viduitatis cap.* VII. Sanctas fœminas (*inquit*) Propheticis temporibus nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, ut propagaretur populus Dei. *Si ergo obedientia fœminas, ut nuberent, adigebat; aderat sane lex, quæ matrimonium præciperet, & Virginitatem prohiberet. Et* S. Augustino *quidem concinere videtur* S. Bernardus *in Sermone de Virgine, ubi ad ea Apocalypseos verba*, signum magnum apparuit in Cœlo, *perspicue ait, Dei Matrem, dum Virginitatis voto se Deo consecravit*, Legis Mosaicæ decreta transcendisse, *perinde ac si Virginitas Mosaicæ Legi repugnasset.*

Omnem tamen dubitationem amovet S. Augustinus *ipse* lib. de Sancta Virginitate cap. IV. *ubi Virginitatis votum a B. Virgine emissum expendens, Hebræorum consuetudini solummodo contrarium dicit*: Hoc (*inquit*) Israelitarum mores adhuc recusabant. *Quamobrem quod alibi dixit, fœminas obedientiæ vi propheticis temporibus ad matrimonium compulsas fuisse, de obedientia non Legi, sed consuetudini præstita explicandum est. Nisi forte quispiam allata S. Doctoris verba explicare malit de obedientia, quæ præceptum respiceret non jam singulis humani generis individuis, sed ipsi tantum generi universim impositum; seu de præcepto, quod omnes & singulos obligabat in ipso quidem Synagogæ nascentis exordio, non autem subsecutis temporibus, quibus jam fidelis populus satis excreverat. Atque hoc ipsa ratione* S. Bernardi *auctoritas explicari potest.*

** *Posito ergo in Maria Virginitatis voto, quæritur, an eam inter, & Joseph verum matrimonium fuerit. Et sane passim in Evangelio scriptum legimus, Josephi* virum *Mariæ & vicissim Mariam Josephi* sponsam *fuisse.* Matth.c.1.16. Jacob genuit Joseph *virum* Mariæ, *&* v.19. Joseph autem *vir* ejus; *denique* v. 20. Joseph, noli temere accipere Mariam *conjugem* tuam. Lucæ cap. II. 5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi *uxore* prægnante. *Hæc autem postrema verba non de simplici promissione, sed de vero matrimonio, in corporum traditione posito intelligenda esse vel ex eo compertum fit, quod Virginem promissam* S. Lucas *uxorem prægnantem vocat. Neque enim uxor prægnans ea dici potest, quæ tantum promissa fuit, quemadmodum ne* Uxor *quidem ea dici potest, quæ solum futuri matrimonii fidem dedit.*

Neque audiendi sunt, qui respondent, Josephum, & Mariam Conjuges dictos fuisse opinione vulgi, quemadmodum Christus dictus fuit filius Joseph, hoc est, tantum putatus ejus filius; ejusmodi enim modificationem quoad eosdem Josephum, & Mariam in viri, uxoris, & conjugis nominibus Evangelistæ non adhibuerunt. Præterea conjugium, per quod obtinetur mariti, & uxoris nomen, apud Hebræos publicæ solemnitatis erat; ac proinde fieri non poterat, ut sua quispiam in patria maritus fœminæ diceretur, qui reapse non esset; at conjugalis copula, per quam aliquis pater evadit, occulta res est, quæ sub oculos vulgi non cadit; ut facile contingat, quempiam putari alicujus filium, quamvis re vera non sit. Fortasse conjuges dicti fuerint, quod convixerent; nil minus; honestat enim convictum non tolerasset, nisi matrimonii vinculo conjuncti fuissent. Ita S. Augustinus Juliano *respondit, qui Evangelistam ex vulgi opinione locutum ajebat*: Hoc putemus Evangelistam facere potuisse (*lib.* V. *contra Julian. cap.* XII.) cum vel sua, vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem vulgi loqueretur. Numquid & Angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam suam, & ipsius, cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem locutus fuerat, cui & dixit: noli timere accipere Mariam Conjugem tuam?

Nemo quidem certe Mariam *negat sancto Joseph saltem promissum fuisse. Si ergo ad actuale conjugium, &* de præsenti, *ut Scholæ loquuntur, non pervenerunt, id accidit, vel quia alteruter obstrictam fidem non præstitit, quod de sanctissimis Sponsis suspicari non licet, vel quia promissio communi consensu soluta est, quod ipsum nullam veritatis speciem præsefert.* I. *Quia penes Judæos promissa solvi non poterant, nisi sollemni ratione afferrentur causæ, quæ sane in hac facti specie Judæis patefieri non poterant.* II. *Quia solutis promissis, & matrimonio non secuto, nec licitus, nec honestus convictus erat. Contra vero ex integro Evangelico textu constat, post Christum natum, Conjuges una, eademque in domo vixisse: cujus quidem convictus necessitatem, multis allatis rationibus, Patres demonstrant;* I. *scilicet ne Maria stupri rea censeretur, si innupta genuisset, atque ut scite* S. Ambrosius lib. II. *in* Lucam: Maluit (*Christus*) aliquos de sua generatione, quam de Matris pudore dubitare; nec putavit ortus sui fidem Matris injuriis adstruendam. II. *Ne Christus spurius haberetur, atque ita ab Hebræorum societate repelleretur.* III. *Ut Joseph auxilio, & custodia tum Mariæ, tum Christo esset.* IV. *Ut Joseph Mariæ Virginitatis testis esset.* V. *Ut divinæ Incarnationis mysterium Diabolo celaretur, qui Christum (ut ait* S. Ignatius Martyr) *non de Virgine, sed de Conjugata natum putabat.*

Quod autem Patrum nonnulli quibusdam loquendi formulis usi sunt, quibus negasse videntur, inter Joseph, & Mariam verum matrimonium fuisse, quippe qui eos solum Conjuges *nomine, & opinione tantum dixerunt, ut* S. Petrus Chrysologus, *& Auctor Sermonis* de passione *apud* S. Cyprianum; *aut* innuptos, *ut* Tertullianus, S. Epiphanius, *&* S. Gregorius Magnus; *aut denique ita* Sponsos, *ut eorum unio sponsalium fines minime prætergrederetur, ut* S. Gregorius Nyssenus *in Oratione in die Natali Domini; ajo ejusmodi locutiones a Patribus usurpatas esse, ut carnalis commercii, & matrimonialis usus inter Josephum, & Mariam omnis suspicio tolleretur, ob variam horum verborum significationem:* Uxor, Nupta, Innupta, Vir, Maritus, Conjuges, Conjugium, *&* sponsalia.

Cum ergo demonstratum sit, Mariam Virginitatis votum edidisse, & verum Matrimonium cum Josepho iniisse; quæritur postremo loco, quomodo continentiæ votum, & verum Matrimonium componi potuerint, quoniam mutuo pugnare videntur, cum matrimonialis contractus sit in eo positus, ut vir, & fœmina sibi mutuam in corpora potestatem, & quidem quoad conjugalem actum tribuant. Facile assequi mente non possumus, quomodo suum corpus alteri tradere possit, qui jam castitatis votum emisit; 1. *quia corporum traditio consensum requirit in futuram copulam, siquidem Conjugum alter debitum petat; quod Virginitatis voto repugnat. Quare* S. Augustinus lib. de bono cap. 8. *statuit* Viduit. *ita:* Voventibus Virgitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est. II. *Nemo potest alteri dare quod proprium non est; non est autem proprium, quod alteri datum fuit.* III. *Qui Virginitatis votum edit, alieno corpore utendi potestate se privat.* IV. *Matrimonii finis est prolis procreatio, quæ ab eo obtineri non potest, qui voto castitatis obstrictus est.* V. *Id sane exempla testantur. Eunuchus, & impotens valide contrahere non possunt, quia debitum reddere nequeunt cap.* quod fidem, *& cap.* ex litteris, de frigidis, & maleficiatis. *Jam vero qui castitatis voto obligati sunt, debitum reddere nequeunt; non ergo contrahere possunt.*

In hac difficultatum farragine, nulla alia se nobis offert nodi solvendi ratio, quam si dicamus, Deiparam Virginem, antequam Josepho nuberet, Divino instinctu afflatam novisse, Josephum potestate nunquam usurum, quæ in ejus corpus eidem collata fuerat, & nunquam debitum petiturum, quippe qui Virginitatis votum & ipse edidisset. Ergo Divini Numinis afflatu monita Sanctissima Virgo consensit in traditionem potestatis ad conjugalem copulam, quod ad Conjugii substantiam satis erat; non tamen consensit in potestatis usum, quo se per virginitatis votum spoliaverat. Quamobrem uterque conjux matrimonii vi mutuam in corpora potestatem obtinebat, tametsi voti causa ejusmodi potestatis usus utrique vetitus esset. Hæc ergo propositis Ænigmatis commodatissima solutio est. Sed age allatas rationes ad trutinam revocemus.

Tum

Tum sane corporum traditio consensum ad copulam exigit, cum absolute fit, nec certo constat, copulæ periculum nullum esse, non autem, cum certo constat, ejusmodi periculum nullum fore.

Alterum quoque argumentum nullum est; quia in ea facti specie non datur non propria res. Nec Virginitatis voto jus, seu potestas in alterius corpus, sed tantummodo potestatis usus prohibetur. Sunt enim in matrimonio distinguenda tria, substantia, usus, & finis. Substantia, *seu essentia est humanæ potestatis in corpus traditio;* usus *est copula conjugalis; finis est procreatio prolis. Hinc fit, ut Conjugii substantia sine fine constare possit, quemadmodum in Mariæ matrimonio reapse contigit.*

Nec facit ad rem Conjugii nullitas, ad Impotentem, & Eunuchum quod attinet; hi enim suapte natura impotentes sunt; cum is, qui castitatem professus est, potentiam retineat, quamvis ei non liceat eadem uti. Nec quicquam conficiat qui responderit eam potentiam vanam esse, cujus usus fieri non potest; ea quippe utendi facultas in eo est ob Conjugium (ut proinde qui ea usus fuerit, adulter non sit), tametsi non sit ob Votum.

At si ita res habeat, inquiet fortasse quispiam, licebit castitatis Professoribus matrimonium contrahere, quemadmodum Mariæ licuit. Responsio in promptu est. Liceret sane, spectata naturæ lege, similique Divini Numinis afflatu posito; quoniam Virginitas ipsa per se cum Matrimonio non pugnat; non licet tamen in Lege scripta, Ecclesiasticaque potissimum, quæ id diserte vetat. Quamobrem Ecclesia præcipit, ut qui continentiæ votum post matrimonium emiserint, perpetuo divisi sint, ne violandi voti periculo subsint.

Maria, aliter Salome, erat Zebedæi conjux, Sanctique Jacobi, & S. Joannis mater. Erat ex fœminarum numero, quæ Christum Dominum comitari, eique deservire solebant. Adfuit passioni Christi, & ex iis fuit qui ad ejus corpus opobalsamo condiendum se contulerunt. *Mat.* xx. 20.

Maria, Mater Joannis Marci, Apostolorum discipuli, domum Hierosolymis possidebat, in quam creduntur Apostoli post Ascensionem se recepisse, & in qua Spiritum Sanctum acceperunt. Dum S. Petrus in carcere detineretur, Fideles, cum eo convenissent, fervidas preces offerebant; Petrus vero per Angelum liberatus ad pulsandam januam se contulit. Fertur domus hæc in Hierosolymæ excidio constitisse, & celeberrima Ecclesia, quæ multis sæculis viguit, evasisse.

Maria Cleophæ, ita dicta, quia Cleophæ, aliter Alphæi conjux erat, nuncupatur in Evangelio soror Matris Christi Domini. Ei filii erant S. Jacobus minor, & S. Simon, fratres, hoc est, consobrini Domini. Maturius amplexa fidem in Christum credidit, quem in itineribus comitata est, ut ei deserviret, & ad Calvarium secuta, ejusdem sepulturæ adfuit; cumque ad ejus sepulcrum una cum aliquot aliis fœminis die Dominico se contulisset, nuntiante Angelo Christum resurrexisse, cum iisdem fœminis, citato gradu Apostolos adiit, rem nuntiatura, obviumque in itinere Christum, flexis genibus, adoravit. Porro ad hujus Mariæ vitam quod attinet, nihil præterea certi est. *Matth.* XIII. *Marc.* VI. *Luc.* XXIII.

Maria, Soror Lazari, & Marthæ, in vico Hierosolymæ proximo, cui Bethaniæ nomen, cum iisdem degebat. Familiam hanc Christus peculiari amore prosequebatur, atque ut ex Evangelio constat, se in eam domum sæpenumero cum Discipulis recipiebat. Eo profectum aliquando festinanter excepit Martha, ad parandum incumbens, quidquid hospitem tantum deceret, Maria interim, genu flexo, audiente Divini Magistri verba. Quamobrem Marthæ se solam a sorore in domestico ministerio relictam quetenti respondit Christus: *Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Aliquanto post cum Lazarus in morbum incidisset, Christus a sororibus monitus se ad eum non contulit, nisi postquam mortuum audiit, ad cujus pedes provoluta Maria: *Domine*, inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Servator ad sepulcrum se ductum voluit, Lazarum a morte excitavit, eumque sororibus reddidit, sexto ante Paschatis festum die. Christus postremo Betha-

D a

thaniam profectus apud Simonem Leprosum cænavit. Ei Martha deserviit, & mensæ Lazarus aderat. Maria sumptam libram unguenti Nardi spicati, quod omnium hoc in genere pretiosissimum est, effudit in Christi, caput, & pedes, quos capillis tersit. De hujus Mariæ vita hactenus Evangelium, in quo deinceps altum de ipsa silentium est.

Maria Magdalena, ita dicta a Magdala Galilææ vico apud oiare Tiberiadis, sanata fuit a Christo, qui Dæmonia septem ejecit ex ejus corpore. Ei se deinde dedidit, omniumque itinerum sociam, & comitem addidit. Ad Calvarium secuta cum sepultum vidisset, Hierosolymam rediit, unguentum sumptura, quo Divini Magistri corpus conditet. Postridie, Sabbato scilicet, in Urbe constitit; at insequente die, quæ hebdomadæ prima erat, summo mane cum aliis fœminis ad sepulcrum se contolit, at corpore non invento, ad monendos Apostolos properavit; tum vero ad sepulcrum rediit, ubi flens Angelos conspexit duos, quibus de fletus causa interrogantibus respondit sublatum fuisse Magistri corpus, & ubinam positum esset, se nescire. Sub idem tempus reversa, Jesum stantem vidit, ignorans, quis esset; ille vero eam, quid quæreret, interrogavit. Magdalena hortulanum rata: *si tu*, inquit, *sustulisti eum, dic mihi, quæso, ubi posuisti, & ego tollam*. Maria, Jesus ait; illa vocem agnoscens, se ad ejus pedes abjecit osculatura. At Jesus festinanrem moderatutus se per aliquod præterea tempus cum ea remansurum dixit, antequam ad Patrem pergeret, jussitque, ut fratribus id nuntiaret. Illa Hierosolymam statim profecta de viso Domino Apostolos monuit, qui ejus dictis credere ooluerunt, quoad alia testimonia notitiam firmassent. Nihil præterea certi, exploratique de Magdalenæ vita, quam nonnulli cum Fœmina peccatrice, cujus nomen ignoratur, atque adeo cum Matia Lazari sorore temere confuderunt. Legatur Adnotatio ad Articulum *Bethania*.

Martha, *magistra*, Mariæ, & Lazari soror, Bethaniæ prope Hierosolymam cum iis versabatur. Infertur ex Evangelio præcipuam domesticam administrationem penes eam fuisse, quæ aliquando apud Servatorem, qui in eam domum diverterat, questa est, Mariam nunquam ab ejus pedibus recedentem sibi uni parandæ cænæ curam omnem, ac sollicitudinem reliquisse. Ægrotante Lazaro, sorores duæ Jesum quæsitum miserunt, qui non nisi post ejus mortem advenit. Ei Martha occurrit, dixitque: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Respondit Jesus: *resurget frater tuus; scio equidem*, reposuit Martha, *eum aie judicii resurrectionum*. At Jesus: *ego*, inquit, *sum resurrectio, & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum; credis hoc?* Respondit Martha: *utique, Domine, credo te Christum esse, filium Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*. His dictis, clam ad sororem de Christi Domini adventu monendam profecta non amplius prodiit nisi sexto aote passionem die apud Simonem Leprosum, ubi Servatori ad mensam deserviit, & ubi Lazarus e Convivis unus erat. Nunquam non Græcis, & Latinis Auctoribus persuasum fuit, eam cum fratre, ac sorore Hierosolymis obiisse, & ibidem singulos sepultos fuisse. Eorum in Provinciam adventus decimi sæculi fabula est. Nimirum contenditur, post Christi mortem, Martham, Mariam, & Lazarum navi sine velis impositos Massiliam feliciter appulisse, Lazarum hujus Urbis Episcopum fuisse, Martham prope flumen Rhodanum, ubi nonc est Urbs *Tarascon* dicta, secessisse; denique Magdalenam, quæ cum Maria confusa fuit; reliquum vitæ tempus in Deserto transegisse, quod hodie sanctum Balsamum nuncupatur. *Luc.* x. 39.

Masal, *parabola*, Urbs in Tribu Aser, ad mare prope Carmelum montem, quæ Levitis ex familia Gerson concessa fuit. *Josue* xxI. 30.

Maschil, per *intellectum* translata vox sæpe occurrit in Psalmorum titulis, eumque significat, qui docet, qui declarat, seu Canticum institutioni accommodatum.

Maserephot, *fornaces*, Palæstinæ locus, ad Mediterraneum, salinis clarus. Cum

mare

mare limites superabat, aquæ in canales derivabantur, iisque per solares radios evaporatis, sal conficiebatur. Israelitæ, duce Josue, Chananæos *persecuti sunt usque ad Sidonem magnum, & aquas Maserephot*. Josue xi. 8.

Maspha, *excubiæ*, Urbs Tribus Gad in Montibus Galaad, ubi Jacob, & Laban fœdus invicem inierunt. Hac in Urbe degens Jephte copias collegit, quibus Ammonitas profligavit. Erat & alia hujus nominis Urbs in Tribu Juda, ubi Samuel jus reddebat, & ubi Godolias obsidionem edidit; nec non regio ad radices Montis Hermon, de qua ita Josue: *Hervæum, qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha*. Non constat, quem ex his locis innuat Scriptura, dum ita loquitur: *Locus orationis erat in Maspha, ante in Israel*. Judæi, cum Antiochi tempore Templo uti non possent, Ethnicorum furore impediti, in Urbem Maspha se contulerunt, qui locus olim cœtibus solemnibusque supplicationibus clarus erat, ibidem fieri soliti, ante quam Templum Hierosolymis ædificaretur. *Josue cap.* III. 8.

Massada, Urbs Palæstinæ munitissima in Tribu Juda, supra prærupram rupem sita, quam Jonathas Machabæus ædificaverat, ut Syriæ Regibus obsistere posset. Herodes Magnus, loci opportunitate perspecta, eam rursus muniit, & arcem invictam reddidit, in quam se tuto recipere posset, si qua calamitas incidisset. Romani, Hierosolyma capta, hanc arcem obsidione cinxerunt, eaque non nisi admodum ægre potiti sunt. *Joseph. de Bel. lib.* VII. *cap.* 31.

Massora, hebraicum vocabulum, quod *traditionem* significat. Massora est quorumdam sapientum veterum opera, quam in sacros Codices contulerunt, ut quamlibet eorum depravationem impedirent, eaque veluti sepe, ut Judæi dicunt, Legem ab omnibus mutationibus, quæ in eadem fieri possent, tuerentur. Laboriosa hæc opera in eo posita fuit, ut religiosa quadam diligentia enumerarentur versiculi, vocabula, litteræ textus, omnibusque varietatibus indigitatis, statueretur una omnium lectio, ne ulla amplius variatio locum haberet. Opera hæc ab iis dicta *Massora*, seu traditio, quasi nihil esset aliud, quam a majoribus accepta traditio. Poterat utile esse opus hoc, ut e textu innumeræ ambiguitates, & perturbationes expungerentur, & cohiberetur amanuensium temeritas, qui nullam aliam regulam, quam suum ipsorum arbitratum secuti, passim sine scrupulo textum variabant, mutabantque. At censuræ hujus Auctores ipsi læsere puritatem textus, antiquis nempe majorum suorum lectionibus alias temere substituerunt, quæ præposteris ipsorum anticipationibus patrocinarentur, & Christianæ Religioni adversarentur, cujus argumenta, ac testimonia nunquam non pro viribus infirmarunt. De Massoræ origine inter doctos viros non convenit; eam referentibus aliis ad Esdram, & ad magnæ Synagogæ proceres, qui ejus ætate vivebant; contendentibus aliis, Rabbinorum opus esse, qui in Tiberiadis celebri schola sæculo quinto docebant. At maxime probabilis sententia est, Massoram non unius Doctoris, neque unius sæculi opus esse. Rabbini Tiberiadis omnium primi in illud incubuerunt, aliique deinceps Rabbini, prout se obtulit occasio, ad usque undecimum, ac duodecimum sæculum, quo postrema manus eidem operi imposita.

Mathan, *donum*, filius Eleazari, & pater Jacob, & avus Joseph sponsi B. Virginis. *Luc. cap.* III. 23. *Matth. cap.* I. 16.

Mathan, Sacerdos Baal, qui ad hujus falsi Numinis aram occisus fuit, jussu magni Pontificis Jojadæ ann. Mund. 3126. IV. *Reg.* XI. 18.

Mathat, *qui dat*, filius Levi, & Pater Heli, qui idem esse creditur, ac Joachim pater Mariæ Virginis. *Luc. cap.* III. 24.

Mathata, filius Nathan, & pater Menna, unus e Christi Domini secundum carnem majoribus. *Luc.* III. 31.

Mathata, filius Halom, fuit eorum unus, qui a Babylonica captivitate reversi conjuges repudiarunt, quas contra legem duxerant. I. *Esdr.* X. 33.

Mathatias, *donum Domini*, filius Sellum e stirpe Core, caput decimæ quartæ Levitarum familiæ. I. *Paralip.* XXV. 3.

Mathatias, filius Joannis e familia Jorib, Machabæorum, seu Asmonæorum dicta,

cta, quæ, grassante Antiochi Epiphanis persecutione, celeberrima evasit. Non sine dolore scelera videns, quæ Hierosolymis perpetrabantur, hac Urbe capta, cum filiis quinque secessit in Urbem Modin, in qua natus erat, expectaturus, dum occasionem aliquam offerret Deus, in qua suam ipse de Religione, ac patria sollicitudinem insigniret. Paulo post advenere Legati, quos Antiochus miserat, ut ad Divinam Legem repudiandam, & Idolis thus adolendum Modinitas adigeret. Plurium animos subegit vis; at Mathatias, ejusque filii constantes & firmi in vera Religione perstiterunt; & egregius pater publice edixit, se nunquam iniquis Antiochi mandatis obsecuturum. Vix hæc fatus Mathatias Israelitam ad sacrificium Idolis offerendum progredientem vidit; tum vero Dei spiritu actus irruit in nequam hominem, militemque, qui eum ad execrandam impietatem extimulabat, & utrunque ad aram ipsam occidit, quæ ad sacrificium parata erat. Post hoc præclarum facinus in montem secessit una cum filiis, magnoque Israelitarum numero, qui, ne officio deessent suo, nihil non reliquerunt. Ergo conflato suorum exercitu, regionem omnem percurrit, evertit altaria falsis Numinibus sacra, Dominique cultum restituit, quem impius Antiochus propemodum aboleverat. Strenuus vir se morti proximum reputans accitos filios hortatus est, ut in Dei Lege persisterent, eamque alacriter tuerentur, mandans, ut Judam Machabæum armorum Ducem eligerent, qui ab ineunte ætate insignis fortitudinis argumenta præbuerat. Iis bene dixit, obiitque, cum Israeliticum populum anni spatio rexisset, an Mund. 3838. Ab eo cæpit Asmonæorum principatus, qui usque ad Herodem viguit. Ei Pontificatus fere semper conjunctus fuit post Judam Machabæum, qui primus ea dignitate insignitus fuit. Laudes, quibus spiritus sanctus Mathatiam, ejusque filios exornat, miri successus, qui eorum arma comitati sunt, prodigia, quæ in eorumdem gratiam Deus edidit, nos dubitare non sinunt, quin Machabæorum bella Divini Spiritus afflatu suscepta fuerint, ut nimirum impii Antiochi funesta in veri Dei cultum consilia pessum irent. At horum præstantium virorum exemplum adeo singulare est, ut subditorum in Principes, quibus subsunt, conjurationem tueri non possit. I. *Machab.* 2.

Mathatias, Simonis filius, magni Mathatiæ nepos, per insidias a Ptolomæo cognato cum patre, & fratrum uno in Oppido Dog occisus & fuit. I. *Machab.* 16.

Matthias, *donum Domini*, cum e Discipulorum numero esset, post Divini Servatoris Ascensionem Apostolus in Judæ proditoris locum per sortem electus fuit *. De ejus seu vita, seu morte nil peculiare constat. Quod de ejus Apostolica in Æthiopiam missione, quod etiam de martyrio dicitur, nullo fide digno monumento nititur. Ei veteres Hæretici Evangelium tribuerunt, quod ab universa Ecclesia inter apocrypha rejectum fuit. Apostoli hujus exuviis Roma gaudere fertur; at S. Matthiæ celebris Abbatia prope Trevirim potiore jure id ornamenti sibi vindicat. *Act.* 1. 14. 15.

* *Quæritur imprimis, an veræ sortis ope Matthias Judę proditori successerit.* S. Joannes Chrysostomus *Homilia* III. *in Act. Apost. in ea est sententia, veri nominis sortem fuisse, & quidem propterea quod, ut ipse animadvertit, nondum Apostoli Spiritum Sanctum acceperant*: Quoniam, *inquit*, non erat spiritus, sortibus rem peragunt, *& paulo post*: Nondum judicarunt, sese esse idoneos, ut ipsi ex se se facerent electionem, eoque cupiunt aliquo signo edoceri. Chrysostomo *concinunt* S. Hieronymus *in cap.* I. *Jonę*, Beda *in Actor. cap.* I. *&* S. Augustinus *Serm.* 2. *in Psal.* 30. *ubi hęc habet*: Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere; sors enim non aliquid mali est; sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & sortes miserunt Apostoli, quando Judas, tradito Domino, periit, & sicut de illo scriptum est, abiit in locum suum; cæpit quæri, quis in locum ejus ordinaretur. Electi sunt duo judicio humano, & electus est unus judicio divino. S. Antoninus *in Chronico part.* I. *tit.* 6. *cap.* 2. *Dionysium testem adhibens diserte pronuntiat* hanc sortem fuisse quemdam radium splendoris, qui adparuit super Matthiam. *Eamdem sententiam pro-*

pu-

pugnat Natal. Alex. *in Hist. Ecclesiast. Sec. I. cap. 2. Alii subitum quemdam splendorem fuisse autumant, qui ejus nomen exhibuerit; alii columbam, quae ejus capiti insederit; alii ipsius virgam, quae prorsus ut Aaronica floruerit; alii propheticum spiritum, quo Deus eum statim perfuderit; alii denique suffragiorum, seu votorum consensum, quemadmodum scribit* P. Calmet *in Dissertatione de electionibus per sortem, quam suis in Acta Apostolica Commentariis praefixit. At* Dionysius, *seu quicumque fuit Actor libri* de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. *cujusmodi tandem S. Matthiae sors fuerit, omnino non exprimit*: Mihi, *inquit*, videtur Scriptura sortem adpellare θεαρχικὸν τι δῶρον, divinum quoddam donum, quo declarabatur Choro hierarchico, quisnam divino suffragio alectus erat. *Equidem ad* S. Joannem Chrysostomum, Hieronymum, & Augustinum *accedo, quippe qui perpenderim in sacris Litteris Judaeos saepissime sortibus usos esse. Sorte Achan reus habitus, sorte Saul in Regem electus; per sortes terra Chanaan in singulas Tribus divisa; sortis ope suum cuique Sacerdoti officium collatum fuit. Non is tamen sum, qui sententiam in sacris electionibus licere sortibus uti, quia, ut monet* S. Hieronymus *loco laudato, privilegia in communem legem abire non possunt; neque ignoro, id ab* Honorio IV. cap. Ecclesia 3. de sortilegiis *vetitum fuisse. Legi possunt in hanc rem* S. Thomas 2. 2. quaest. 95. art. 8. Calmet *in memoratis Commentariis*.

Verum qua demum sorte peracta fuerit S. Matthiae electio, statui non potest. Extrahendarum enim sortium ratio haud disertis verbis explicatur in sacris Litteris, neque ab interpretibus exponitur uno modo. Poterant nomina in urna, seu capsula poni ex Ethnicorum consuetudine, a qua sane, pro ut Salomon. Proverbior. cap. XVI. *loquitur, Hebraei alieni non erant:* Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Potuit & alia ratione per sortem Matthias eligi. Hebraei enim memorant, ita Sacerdotes per sortem extrahi consuevisse, qui Templo ministrarent, quemadmodum* Le Moine *refert animadversione* 587. *apud* Basnagium *ad an.* 331 §. 168. Tom. I. Qui praefectus erat sortibus, Sacerdotum cinctus corona dicebat, digitos attollite & alteri eorum tiaram detraxit, tum dato numero, qui semper numerum Sacerdotum multum superarit, incapit ab eo numerare, cujus tiaram detraxisset. Postquam singulorum digitos ordine numerasset, a primo iterum exorsus numerabat, usque dum ad finem numeri pervenisset, & in quem ultima unitas incidisset, is Altare detergebat. *Quidni quemadmodum in Templo consueverat, S. Matthias eligi, & in Apostolorum numerum referri potuit? Sane* Sanctus Ambrosius *in hac sententia esse videtur in S. Lucae* caput 1. *dum inquit:* Deniqua & super Apostolum Matthiam sors cecidit, na Apostoli electio a mandato discrepate Legis videretur.

Matthaeus, datus, seu Levi, filius Alphaei, & ut est varo simillimum, e Galilaeae regiona arat. Vectigalia, quae in Urbe Capharnaum solvebantur, exigendi munere fungebatur, extraque Urbem, & ad littus maris Tiberiadis pro Tribunali sedebat. Christus in aa regione jam annum docens, & prope Matthaei Tribunal transiens eum sequi jussit; & Matthaeus se statim erigens omnia deseruit, secutusque Servatorem excepit domi, ubi splendidum ai prandium paravit, cui multi quoque Publicani interfuerunt; quibuscum, hoc est, cum nequam hominibus comedentem Christum conspicati Pharisaei se admiratione captos, & scandalum passos significarunt. Quod probe percipiens Divinus Servator eos monitos voluit, Medico non valentibus, sed male habentibus opus esse, ac se quidem venisse, non ut justos, sed ut peccatores vocaret. Matthaeus, repudiato, quo fungebatur, officio, se omnino Christo addixit, a quo in duodecim Apostolorum numero positus fuit. Haec de S. Matthaeo constant a sacris Litteris; nihil praeterea. Super ejus tum morte, tum Evangelicae missionis loco magna ast opinionum varietas; e quibus apud veteres simul, ac recentiores ea maxima communis est, eum, cum in Judaea per annos aliquot Evangelium nuntiasset, ejusdem propagandi causa ad Persas, ac Parthos profectum, ibidam martyrium subiisse. Ante quam a Judaeae finibus egrederetur, Evangelium a Palaestinae Fidelibus rogatus

tus scripsit Hierosolymis, Hebraico sermone, vel Syriaco, qui tum quidem in Judæa communis erat. Exemplar Hebraicum a Judaicæ Nationis Christianis, qui Hierosolymis erant, custoditum, & ante ejusdem Urbis obsidionem, Pellam translatum fuit. Horum, qui ex Judæis crediderant, multi, cum Judaismi non nihil retinuissent, Nazaræorum sectam constituerunt; & hi quidem S. Matthæi autographum Evangelium servarunt, cui tamen addidere non pauca, quæ per traditionem acceperant, quæque ipsi vera putabant. Illud etiam deinceps Ebionitæ additionibus, & mutilationibus, quæ ipsorum erroribus faverent, corruperunt, ut proinde a cæteris Ecclesiis rejectum fuerit, quæ veterem Græcam Versionem ex Hebraico textu paulo post S. Matthæum elaboratam secutæ sunt. Hæc Græca Versio, quæ ad nos pervenit, jampridem exemplaris Hebraici locum tenet. Quis hujus Versionis Auctor fuerit, non constat; eam nonnulli S. Joanni, alii S. Lucæ, sed temere, tribuerunt. Id potissimum S. Matthæus, docente S. Augustino, propositum habuit, ut nobis Christi regiam stirpem referret, humanamque, quam inter homines egit, vitam describeret. S. Ambrosius animadvertit, Evangelistarum nullum singulas Christi res gestas persecutum esse, perinde ac S. Matthæum, qui prætera morales institutiones, quæ ad rem nostram maxime facerent, nobis exhibuit.

Mathusael, qui mortem suam petit, filius Mariael, & frater Lamech bigami e stirpe Cain. *Genes.* IV. 18.

Mathusala, *arma mortis suæ*, filius Henoch, & pater Lamech patris Noe, e stirpe *Seth*, anno Mundi 687. natus est. Obiit anno ipso Diluvii 1656. ætatis suæ 969. qua quidem nullius hominis in terris ætas diuturnior fuit. *Genes.* V. 21.

Medaba, seu *Medara*, *aqua doloris*, Urbs ultra Jordanem in Tribu Ruben. Ab hujus Urbis incolis occisus Gaddis, Judæ Machabæi frater, cum ad Nabatæos proficisceretur. Eam celebrem reddidit in sacris Litteris victoria, quam ad ejus mœnia, Joab Davidis supremus Dux e Syris, & Ammonitis retulit. *Josue* XIII. 9. *Joseph. Antiquit. Lib.* XXIII. *cap.* 1.

Medad, *demensor*, & Eldad, Israelitæ duo ex eorum numero, quos Deus spiritu perfuderat, ut in ducendo populo Mosi opem afferrent. Ambo vaticinabantur in ipso exercitu, nec Josue preces Mosem adducere potuerunt, ut id impediret. *Numeror. cap.* XI. 19.

Medicina. De Medicis Scriptura non loquitur ante Josephi tempora, qui a servis suis Ægypti Medicis patris sui Jacob corpus opobalsamo conditum voluit. Hebræis Medicos ob internos morbos fuisse non legimus, bene vero ob ulcera, externosque morbos, quibus adhibebant medicamenta quædam, ut resinam, opobalsamum, adipem, oleum: *oppressus sum afflictionibus*, inquit Jeremias, *ob concussionem filiæ populi mei; deest resina Galaad &c.* Nulla lepræ, nulla morborum delitescentium remedia nota erant. Ita cum Job gravissimo morbo correptus esset, de impendenda Medicorum arte ne verbum quidem; ejusque ægrotatio tamquam Divinæ manus ictus spectatur. Nimirum vulgo morbi inter Divinæ indignationis effecta recensebantur, ut proinde ægrotantes, obtinendæ salutis gratia, ad Prophetas confugerent. Hazael ergo Syriæ Rex Elisæum de morbo, quo laborabat, consultum vult. Naaman Syrus in regionem Israel se contulit, ut per eumdem Prophetam a lepra liberaretur.

Medi, veteres Asiæ populi, Mediam incolentes, quæ ampla regio est, cui Madai filius Japhet incolas dedisse creditur. Medorum Metropolis erat Ecbatana, quam Auctor libri Judith a Rege Arphaxad, quem eumdem ac Phaortem fuisse ferunt, conditam, aut saltem amplificatam tradit. Salmanasar in Medorum Urbes deductos voluit decem Tribuum Israelitas, quos ipse ultra Euphratem transtulit. Medos tamquam Divinorum in Babylonem decretorum executores nobis exhibet Isaias: *In eam Medos suscitabo, qui argentum non quærunt, qui aurum non appetunt, at suis ipsi sagittis lactentes pueros interficient, nec infantium miserebuntur* (*Isaiæ* XIII.). Jeremias de calamitatibus loquitur, quæ Medis futuræ erant; prædicit nimirum fore, ut iis circum calix iræ Dei potum præberet; ac Propheta quidem videtur Cyrum

rum innuere, qui mala Medis intulit, quæ Jeremias iis minitatus fuerat.

Mediator, *pacis inter duos*, *aut plures conciliator*. Cum homines in suis instrumentis Deum interponunt, tunc Deus ipse mediator est, testisque promissorum, quibus ipsi se mutuo obstringunt. Ita Laban, & Jacob, cum in monte Galaad mutuum fœdus inire vellent, Domini nomen invocarunt, qui inter eos mediator evasit. cum Deus in monte Sinai suam Hebræis Legem tradere, & fædus cum iisdem inire voluit, Moses eum inter, & populum mediator fuit; qui propterea Dei verba ad Israelitas, eorumque responsa ad Deum deferebat: *Ego sequester*, *&* *medius fui inter Dominum*, *&* *vos*, *ut annuntiarem vobis verbum ejus*. At quoniam fædus hoc non parum deficiebat, nec satis erat, utpote quod hominem cum Deo conciliare, eumdemque perficere omnino non posset; rejectum proinde fuit, ut alteri locum daret, quod Deo dignius, & homini utilius esset. Dei, & hominum mediator Christus est, & quidem perfectus mediator, quippe cui humana simul & divina natura sit, divina scilicet ob divinitatem Verbi, & humana ob susceptam humanitatem; qui nempe cùm pro nobis pati posset, quia naturam nostræ similem obtinet, & nos Deo suis perpessionibus conciliare, quia eidem æqualis est, fædus sui sanguinis effusione firmavit, ut nos sanctos, puros, irreprehensibiles apud Deum redderet: *Et ideo novi Testamenti mediator est*, *ut morte intercedente*, *in redemptionem earum prævaricationum*, *quæ erant sub priori Testamento*, *repromissionem accipiant*, *qui vocati sunt*, *æternæ hæreditatis*. Fungitur & in Cœlis mediatoris officiò, dum plagarum suarum cicatrices, &, quem fudit, sanguinem Deo Patri exhibet; sanguinem, inquam, cujus vox ad misericordiam nobis obtinendam, quam peccatorum nostrorum clamor ad divinæ justitiæ pœnas in nos ipsos revocandas vehementior est. Scilicet ut unùs homines creavit Deùs, ita Mediator unus redemit, æternoque Patri per sua ipsius merita conciliavit: *Unus Deus*, *unus Mediator Dei*, *&* *hominum homo Christus Jesus*. Nihil autem impedit, quominus, mediatores Deum inter, & nos agnoscamus Angelos quoque, qui preces nostras ad *Omnipotentis* gloriæ Tribunal perferunt, & Sanctos, qui diu noctuque pro nobis apud Dominum intercedunt.

Melcha, *Regina*, filia Aram, soror Loth, uxor Nachor, nepos Abrahæ, & Mater Bathuel. Ei filii fuere Huz, Buz, Camuel, Cased, Asan, Pheldas, & Jedlaph *Genes.* xxiv. 15.

Melchi, *Rex meus*, filius Jannes, & pater Levi in divini Servatoris genealogia. Occurrit etiam filius Addi pater Neri, qui e Christi secundum carnem Avis unus fuit. *Matth. cap.* 1. 10. *Luc. cap.* iii. 24.

Melchias, *Dominus*, *&* *Rex meus*. Hujùs nominis plures extant in Sacris Litteris; Melchias Judæus, qui Babylone reversus conjugem repudiavit, propterea quod extranea esset; Melchias filius Herem, qui post eumdem reditum suam operam contulit, ut viæ dimidium in Urbe Jerusalem condeteretur; Melchias filius Rechab, Bethacaram Dominus, qui portam stercoris dictam erigendam curavit; Melchias filius Ammelech, custos carcerum Urbis Jerusalem, qui Jeremiam in Cisternam detrusit, in qua Propheta in vitæ periculo versabatur; aliique multi minus noti. I. *Esdr.* 10. II. *Esdr.* iii. & XI. Judith. viii.

Melchiel, *Rex Deus meus*, filius Beriæ Melchielitarum familiæ præerat Mosis tempore. *Numer.* XXVI. 45.

Melchisedech, *justitiæ Rex*, Rex Salem, & Sacerdos Altissimi, occurrit Abrahæ, qui Codorlahomor deviceratusque ad Vallem Save; eique benedixit, panemque, & vinum obtulit, vel, ut Patres explicant, pro eo panem, & vinum Domino in sacrificium obtulit. Abraham in eo volens agnoscere titulum Sacerdotis Domini, rerum omnium decimam partem eidem obtulit, quas ex hostibus ceperat. Præter hæc, altum deinceps de Melchisedech silentium est; nihil Scriptura refert, ad ejus seu patrem, seu genealogiam, seu natalem diem, seu mortem quod attinet. At S. Paulus nobis sub hujus simplicissimæ narrationis velo, atque adeo in Scripturæ silentio altissima mysteria, omnesque Melchisedech inter, & Christum si-

 mi-

militudinis caracteres detegit. Melchisedech enim justitiæ Rex est sui nominis vi, & Rex pacis ob Urbem Salem, in qua regnavit; Christus autem, quidquid hæc nomina complectuntur, divino prorsus modo in se ipso conjungit; nimirum Rex est, & hunc quidem titulum apud Judicem tenuit, qui eum interrogabat; est etiam *Justitiæ Rex*; eum quippe Scriptura *Justum* per excellentiam vocat, est & *Rex pacis*, utpote quem *Principem pacis* Prophetæ nominant. Sacerdotis titulo, Melchisedech Altissimo panis, & vini sacrificium obtulit; atque in hoc sacrificio semper Ecclesia eximiam figuram perspexit oblationis corporis, & sanguinis Christi Domini, quæ super Crucis Altari peracta est. Melchisedech absque genealogia proponitur, & repente productus, repente pariter evanescit; qua in re Christum Dominum ad vivum exhibet, qui per omnem Æternitatem, quæ ejus Incarnationem præcessit, in Patris sinu delituit, oblatoque Sacrificio, in eam rursus immergitur, quin ullum hic in terris sensibus obvium sui vestigium relinquat. Denique Melchisedech benedixit Abrahæ, ab eoque e pretiosissimis quibusque spoliis decimam partem accepit; quod in uno quidem imperii, in altero autem servitutis argumentum fuit. Et sane a Christo benedictiones omnes in nos derivantur. Suum ob Sacrificium omnia nobis promeruit, eique uni nos servitium nostrum debemus. Ratio, qua Melchisedech in Scriptura producitur, innumeris quæstionibus locum præbuit, seu de ejus persona, seu de Urbe, in qua regnabat, sermo sit. Credidere nonnulli, eum Hierosolymæ Regem fuisse; alii Salem Urbem aliam rati sunt apud Scythopolim sitam, eam scilicet, ad quam Jacob e Mesopotamia rediens pervenit; alii denique Melchisedech ex quadam Sichimitarum Urbe repetunt, de qua *S. Joannes*. Judæi putabant, Melchisedech eumdem fuisse, ac Sem filium Noe; alii vero ethnicum, filium Regis Ægypti, seu Lybiæ fuisse volebant; denique Origenes eum Angelum fuisse contendit. Hæretici, Melchisedechiani nuncupati, ad litteram explicant, quod ait *S. Paulus*, Melchisedech sine patre, sine matre, ac sine genealogia fuisse, eumque non hominem, sed cælestem quamdam virtutem, Christo ipso præstantiorem fuisse garriebant. * *Genes.* xiv. 18. *Paul. ad Hebr.* vii.

* *Ut distinctius opinionum portenta proferam, quæ super Melchisedech persona extiterunt, e re puto superiori articulo hanc Adnotationem subdere. Primo quidem cum Melchisedech absque genealogia in Sacris Litteris exhibeatur, nonnulli sibi visi sunt S. Epiphanii tempore eam detexisse. Ei sane patrem* Heraclam, *seu* Herculem, *& matrem* Astaroth, *seu* Astariam *tribuerunt. In Catena Arabica, in Genes. c. x. ejus genealogia paterna quidem a Sem, materna vero a Japhet ducitur, ejusdemque parentum nomina dicuntur* Heracle, *&* Salatiele. *Apud* Josephum Gorionidem, *undecimi sæculi Scriptorem Judæum Melchisedech nominatur* Jehoras, *seu* Joras; *& Urbs, quam regebat, primo* Jebus *dicta, deinde* Sedech *(unde conflatum nomen Melchisedech, seu Regis Sedech), denique* Salem. Michael Glycas, *&* Cedrenus *Melchisedech ex Ægypto, & a Patre Sidone derivant; ajuntque sine genealogia dictum fuisse, quod impuis genitoribus ortus esset, eumque, cum Urbem in monte Sion, quam* Salem *nuncupavit, ædificasset, ibidem per annos tredecim cælibem vitam duxisse. Alia legitur inepta fabula de Melchisedech in Opere cujusdam falsi Athanasii* Tom. 3. *novæ Editionis* S. Athanasii, *quam missam facio, ne in nugis immorer.*

Quamobrem ad graviora gradum faciamus. Primum omnium, labente sæculo tertio, Hierax Ægyptius, *qui in vetus, & novum Testamentum commentaria, erudita ea quidem, sed erroribus infarta scripsit, in ea opinione fuit, Melchisedechum Spiritum Sanctum fuisse. Hieracitæ ita dicti ab* Hierace *eumdem errorem tenuerunt, referente* Epiphanio *Hæresi* 67. *Deinceps eamdem hæresim pertinaciter propugnavit Auctor Quæstionum veteris, & novi Testamenti, quod Opus extat* Tom. 3. *novæ Editionis* S. Augustini, *nec profecto* S. Augustinum *auctorem agnoscit. Ejus libri auctor creditur* Hilarius *Sardus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, deinde Schismaticus Luciferianus. Putant Eruditi, hoc demum volumen esse, quod* Evagrius *(vel, ut alii vocant,* Evangelus*) ad S.* Hieronymum *misit,*

misit, *qui oblata occasione errorem*, *de quo sermo est*, *copiose confutavit data ad eumdem* Evangelum *Epistola*, *quæ numero* 126. *est*. *Argumenta*, *quibus* Hilarius, *seu quicumque ejus Operis auctor fuit*, *utebatur*, *desumebantur ex eo*, *quod Melchisedech Abrahæ superior dicitur*, *æternusque*, *utpote genealogiæ expers*, *quodque ab* Apostolo *asseritur* assimilatus Filio Dei, *&* *quidem quoad naturam*, *ut* Hieraci *visuat*. *Sed argumenta hæc solventur infra*. *Præterea* S. Epiphanius *Hæresi* 67. *ob eam causam* Hieracitas *refellit*, *quia Spiritus Sanctus numquam humanam carnem sumpsit*, *ut se Abrahæ conspiciendum præbere posset*. *Et* Cyrillus *Alexandrinus Sacerdotale ministerium a Spiritu Sancto propterea removet*, *quod Christus Dominus non nisi ob assumptam carnem Sacerdos fuit*. *Ac frustra quidem* Hierax *ad statuendum Spiritus Sancti Sacerdotium abutebatur S. Pauli verbis in Epist. ad Romanos cap.* VIII. 16. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; *ibi enim verbum* postulat, *hebraica syntaxi*, *idem significat*, *ac per internum eatpulsum* postulare facit.

Præterea secundo labente, *vel tertio ineunte sæculo*, *Melchisedechiani*, *qui a Theodoto Trapezita*, *Theodoti Coriarii discipulo prodierant* (*quos proinde Theodotianos dixit S. Epiphanius Hæres.* 55.) *Melchisedechum ajebant esse virtutem quamdam Christo superiorem* (*testibus Epiphanio loco laud.* Theodoreto lib. 2. Heretic. Fabular. *&* Augustino lib. de Hæresibus), *eumdemque tamquam Angelorum Mediatorem venditabant*, *cum Hominum tantum Mediator Christus esset*, *quem e* Spiritu Sancto, *&* *Virgine natum hominem purum putumque profitebantur*. *Addebant* *&* *illud*, *Christum ipsum nihil aliud*, *quam Melchisedechi imaginem fuisse*, *secundum ea* Psalm. 109. *verba*: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Abutebantur S. Pauli verbis*, *eum fuisse* sine genealogia, sine principio, & sine fine. *Ut autem errores suos confirmarent*, *libros*, *quos edebant*, *Canonicorum Scriptorum nominibus inscripserunt*. *Hanc Hæresim strenue impugnavit* S. Augustinus *Hæresi* 55. Nam quæ virtus major, *inquit S. Doctor*, eo fingi potest, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?

Melchisedechianorum hæc tamen Hæresis haud diu viguit. *Prodiit autem deinde in Phrygia Melchisedechianorum nova quædam Secta*, Atinganorum *dicta*, *cultum non sine dispendio Melchisedecho tribuentium*. *Porro* Atingani *nuncupabantur*, *quia ne pollucrentur*, *a quovis tactu abstinebant*; *quod si quid dare*, *vel accipere deberent*, *aut humi deponebant*, *aut depositum sumebant*; *atque hi quidem Manichæorum quidam surculus fuisse videatur*.

Inter eos, *qui Melchisedechum a Mortalium numero sejunxerunt*, *merito recensendi veniunt* Origenes, *&* Didymus Alexandrinus, *magni nominis Viri*, *qui*, *si* S. Hieronymo *in laudata Epistola credimus*, *opinati sunt*, *eum*, *de quo quæritur*, *Angelum quemdam fuisse*, *qui se per humanam speciem videndum præbuit*.

Verum ea cæterarum maxime obtinuit opinio, *quam S. Epiphanius Hæresi* 55. *nonnullis aliis* Melchisedechianis *tribuit*, *Melchisedech scilicet non alium fuisse*, *quam Dei Filium*, *qui humana forma se Abrahæ conspiciendum dederit*. *Solitarius quidam Ægyptius*, *Theodosio juniore imperante*, *idem sensisse dicitur*, *at palinodiam deinde cecinisse*. Auctor Chronici Paschalis *affert nonnulla*, *quæ ad eamdem opinionem referri possunt*, *cujus Rabbini nonnulli propugnatores feruntur*. *At nemo vehementius pro hac opinione pugnavit*, *quam* Petrus Cuneus, *doctus*, *eruditusque Scriptor* lib. tertio de Repub. Hebr. cap. 3. *Jam vero* Carolus Molineus, *ac demum sub elapsi seculi finem* Jacobus Gaillardus *opinionem hanc ipsam asseruerunt*.

Quod tamen Moses de Melchisedech scripsit, *eum non nisi purum putumque hominem exhibet*. *Ejus enim proprium nomen tradit*, *de Urbe verba facit*, *in qua regnabat*; *denique Sacerdotem fuisse ait*. *Quid Lorum ergo puri palique hominis conditionem excedit*? *Præterea cum Christus Sacerdos dicitur secundum ordinem Melchisedech*, *ac vero secundum sui ipsius ordinem Sacerdos putandus est*? *At S. Paulus*, *dum Melchisedech Dei Filio assimilatum dicit*, *evidenter a Dei Filio eumdem distinguit*. *Quæ enim similia dicuntur*, *non eadem profecto sunt*.

In suæ tamen sententiæ propugnationem Cu-

Cuneus, & Molineus *multa dicunt*. *Negant primo*, *Abrahæ tempore in Chananæa* (*quam viciorum*, & *impietatis sedem*, *ac domicilium fuisse constat*) *extitisse Fidelium cætum*, *penes quem Melchisedech Sacerdotali ministerio fungeretur*. *At respondetur tamen*, *nihil obesse*, *quominus ille aut in gente Salem*, *ubi regnabat*, *aut in sua saltem familia Sacerdotis officium obiret*. *Cætera argumenta non sunt ejusmodi*, *ut digna sint*, *quæ hic referantur*; *legi poterunt cum responsis apud* Grotium *Commentario in Epist. S. Pauli ad Hebræos*.

Quoniam ergo Melchisedech nec Spiritus Sanctus; *nec cælestis Virtus* Christo *superior*, *nec Dei Filius*, *nec certe Angelus fuit*, *quippe quod Moses de eo tamquam de puro putoque homine loquitur*; *idunum superest*, *eum e mortalium numero fuisse*. *At quisnam fuerit*, *id etiam quæritur*.

Primo quidem Judæorum nonnulli opinati sunt, *Melchisedech ex pravo concubitu natum fuisse*; *quia scilicet spurii ita dicti putantur*, *quia sine patre sunt*. Horatius *viles conditionis homines sine genitoribus natos dicit*; & Livius *de Anco Martio Romanorum Rege ita loquitur*: Ancus Patre nullo, Matre serva. *Legitur sane Melchisedech sine Patre*, *sine Matre*, *sine genealogia*, *sine principio*, & *sine fine vitæ*; *non id tamen intelligi debet*, *quod ita reapse res habuerit*, *sed quod Moses nihil horum de eo retulerit*; *ac si id ad ejus natalium obscuritatem referri deberet*, *non ex hoc ipso capite S. Paulus eum commendandum suscepisset*.

Secundo loco Judæorum alii apud S. Hieronymum in Traditionibus Hebraicis putarunt, *Melchisedech non alium fuisse*, *quam* Sem *filium Noe*. *Atque hæc opinio antiquis temporibus*, *atque adeo superiore sæculo propugnatores non paucos habuit*. *Et sane cum Chronologico calculo apprime concordat*. *Habita enim ratione temporum*, *perspectum fit*, *Melchisedech Regem Salem Abrahæ benedixisse annis ante sexaginta sex*, *quam Sem e vivis excederet*. *At cætera non conveniunt*. I. *Moses*, *ad Sem quod attinet*, *ejus Patrem*, *Matrem*, *genealogiam*, *nativitatem*, *mortem expresse commemorat*; *at de Melchisedech nihil horum*. II. *Ea S. Pauli verba ad Hebræos cap.* VII. *6.* cujus autem generatio non adnumeratur in eis, *Regem Salem Hebræis extraneum fuisse significant*, *cum Sem ex Abrahæ majoribus unus fuerit*. III. *Abraham* Chananæam *tamquam peregrinus non habitasset*, *neque ab aliis auxilium petiisset*, *si ibidem Sem ejus Nationis Pater extitisset*. IV. *Cur demum Moses nomen Sem dissimulavit*? *Quod porro dicunt*, *neminem alium eo tempore*, *præter Sem*, *primogenitum Noe*, *veri Dei Sacerdotem esse potuisse*, *fundamento caret*; *Sem quippe*, *quemadmodum alibi animadvertimus*, *Noe primogenitus minime fuit*. *Neque vero certum est*, *Sacerdotium primogenitis tantum collatum fuisse*.

Opiniones aliæ, *quæ Melchisedech cum* Cam, *cum* Henoch *confundunt*, *aut unum e Magis faciunt*, *qui cultum Christi incunabulis exhibuerunt*, *non minus ineptæ*, *ac frivolæ sunt*; *neque enim Melchisedech alius fuit*, *quam is*, *de quo* S. Hieronymus *Epist.* XXVI. *ad* Evangelum *ex opinione Veterum ita scribit*: Revolvi Veterum libros, ut tibi quasi de multorum consilio responderem .... Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eustathium .... Et deprehendi horum omnium opiniones diversis argumentis, & diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedech hominem fuisse Chananæum, Regem Urbis Hierosolymitanæ, quæ primum *Salem*, postea Jebus, postremo *Jerusalem* adpellata sit.

Jam de Sacrificio Melchisedech dicendum superest, *utrum*, *verum*, *ac proprie dictum Sacrificium fuerit*, *nec ne*. *Nos Christi*, & *Melchisedech Sacrificia Invicem conferentes*, *simillima comperimus*; *utrunque panis*, & *vini Sacrificium fuit*, *utrunque Eucharisticum*, *hoc est*, *in gratiarum actionem oblatum*; *quoniam Melchisedech*, *Philone teste*, *sacrificium obtulit*, *Deo gratias agens ob victoriam*, *quam Abraham retulerat*.

Nihilominus adeo peculiarem gloriam Melchisedech adimunt Hæretici, *atque adeo nonnulli Catholici*, *contendentes*, *panem*, & *vinum a Melchisedech datum fuisse*, *ut Abrahæ turmam reficeret*, & *Victorem honorifice exciperet*. *Ad hoc genus hominum impugnandum nobis arma suppeditat Scriptura primum*, *deinde Traditio*.

Et-

Ergo cap. XIV. *Geneseos*, *ubi legitur Melchisedech panem & vinum obtulisse*, *in Hebraico textu scribitur* הוציא *hozi*, *quod significat offerre Sacrificium*, *quemadmodum ex* cap. VI. 18. *Judicum constat*.

Idem ostenditur ex officiis tribus, *quibus Moses perfunctum Melchisedech memorat*. *Postrema duo*, *nempe* benedictio, *ac* decimarum receptio *sine controversia Sacerdotalia munia sunt*. *Quidni & primum*, *quo panem*, *& vinum obtulit*? *Nihil prorsus soliditatis habet*, *quod Heretici respondent*, *panem*, *& vinum ad reficiendas militum vires*, *& honorem Victori deferendum suppeditata fuisse*; *Abraham enim*, *cum prædâ onustus rediret*, *annona non indigebat*; *nec sane decebat*, *Majorem minori honoris argumenta præbere*. *Nec puto exempla ad hanc rem facere*, *quæ tum Deuteronomii c.* XXIII. *tum Judicum* VIII. *occurrunt*. *In iis enim merito puniti leguntur*, *qui rogati in extrema Exercitus penuria alimenta suppeditare noluerunt*; *at nihil ejusmodi Geneseos* XIV. *legitur*. *Præterea ex Deuteronomii textu constat*, *panem*, *& aquam militibus in subsidium tribui consuevisse*; *non autem vinum*, *cujus iis temporibus perrarus usus erat*. *Denique tametsi concessetim*, *ea*, *quæ Melchisedech obtulit*, *militaris turbæ alimenta fuisse*, *illud tamen conveniat*, *necesse est*, *cœnas apud Veteres a sacrificio inchoari solitas fuisse*. *Cum enim cœnæ pars Numini in sacrificium oblata esset*, *tum demum Convivæ*, *quod supererat*, *comedebant*. *Hinc Eruditi jampridem animadverterunt*, sacrificii, *&* convivii *vocabula penes Antiquos promiscua & communia fuisse*.

Neque inconsulto panis, *vinique oblationi veluti causa subditur*: erat enim Sacerdos Dei altissimi; *ut nempe intelligeretur*, *id*, *quod antea gestum erat*, *ad sacrificium spectasse*.

At enim, *respondent*, *in Hebraico textu non causa redditur*, *sed copula tantum occurrit*, *ut proinde vertendum sit*: Et ipse erat Sacerdos. *Quare verba hæc referunt ad ea*, *quæ sequuntur*, *ad reddendam scilicet causam*, *quamobrem Melchisedech benedictionem dederit*, *decimasque receperit*.

Ecquis Hebraico sermone vel leviter imbutus nescit, *hebraicam copulam sepe numero pro causa sumi*? *Ita Genes.* 20. 3. En morieris propter mulierem (*Saram*), quam tulisti; habet enim virum; *in hebraico autem textu*: Et habet ipsa virum. *Isaiæ c.* 64. Ecce tu iratus, & peccavimus, *videlicet*, quia peccavimus *& ejusmodi quidem exempla prorsus innumera præsto sunt*. *Hinc illud consequitur*, *Interpretem nostrum apposite vocabulo usum esse*, *quod causam redderet*, *quippe quem peiorum seculorum traditio docuisset*, *ita semper allatum textum acceptum*, *quemadmodum etiam semper deinceps acceptus fuit*.

Denique cum Psalmo 109. *de Christo legatur*: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; *in ipso Melchisedech peculiare aliquid fuisse oportet*, *itaque ejus proprium*, *ut veterum Sacerdotum nulli tribui posset*, *& uni Cristo congrueret*. *Quod sane nihil aliud fuit*, *quam panis*, *& vini oblatio*; *quoniam benedictiones*, *& decimationes ad Leviticum quoque Sacerdotium spectabant*. *Quod si nec oleo unctus fuit*, *nec ipse cuiquam*, *aut eidem quisquam successit*, *id & de Abel*; *& de aliis dicitur*. *Ac si absque genealogia fuit*, *id ei cum Job*, *& Elia commune fuit*. *Una ergo panis*, *& vini oblatio Melchisedech propria fuit*, *& incruentum Christi sacrificium significavit*.

Nec refert, *Sacerdotes Levi in sacrificio perpetuo* תמיד Tamid *pane*, *vinoque usos esse*, *quia non sacrificii partes*, *sed pura putaque condimenta erant*; *quod enim præcipuum offerebatur*, *anniculus agnus erat*.

Sed jam ad traditionem progrediamur. *Veteres sacrificii Melchisedech*, *quod Christi sacrificium significat*, *veritatem agnoverunt*, *cum hac de re loquendi occasio se obtulit*. Natalis Alexander *in Dissertatione* de Melchisedech *multas Patrum sententias in medium affert*; *ac præsertim*, *e Græcis quidem*, Clementis Alexandrini, Eusebii Cæsariensis, S. Epiphanii, S. Joannis Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Isidori Pelusiotæ, Æcumenii, *e Latinis vero*, S. Cypriani, S. Hieronymi, S. Augustini, Cæsarii Arelatensis, Cassiodori, Paschasii Radberti, *aliorumque*.

Adversarii tamen opponunt Apostoli silentium super sacrificio Melchisedech, *præsertim cap.* VII. *ubi de tanti viri sacrificio magnifice ex instituto verba faciens*, *alte silet*

filet de oblatione panis, *& vini*, *nec non de Eucharistiæ sacrificio*, *cujus Melchisedechianum figura fuit*.

Respondet Natalis Alexander, *non id ad Apostoli institutum*, *finemque spectasse*. *Suscepit enim in eo cap.* VII. *Epistolæ ad Hebræos ostendenda quatuor*. I. *Christi Sacerdotium a Levitico discrepare*; *quod confirmat tum Psalmo* 109. *in quo legitur* Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, *tum origine*, *quam non ex Tribu Levi*, *sed ex Tribu Juda trahebat*. II. *S. Paulus Sacerdotii Christi supra Leviticum excellentiam ex eo demonstrat*, *quod Melchisedech fuit major Abraham*; *cui nempe benedixit*, *& a quo decimas recepit*, *& quod inde consequitur*, *Tribum quoque Levi decimavit*, *quæ tum quidem erat in lumbis Abrahæ*. III. *Leviticum Sacerdotium haud perpetuum futurum esse*, *quippe quod abolendum esset*, *quod ostendit Apostolus ex Jeremiæ cap.* XXXI. IV. *Demonstrat Apostolus inefficaciam Sacerdotii*, *& Sacrificii Levi*, *primo quidem ex eorum multitudine*, *qui sibi invicem*, *ac deinceps succedebant*, *quippe qui æternum durare*, *utpote mortales non possent*, *& ex æternitate Christi*, *quam Melchisedech adumbravit*, *cujus nec principium*, *nec finis vitæ legitur*. *Idem secundo loco ex Leviticis sacrificiis ostendit*, *quæ ob inefficaciam deinceps iterabantur*; *eum Christus per unam*, *& unicam sui oblationem*, *peccatorum remissionem obtinuerit*, *perfeceritque*, *ut peccatores cumulatissimam sanctitatem consequentur*. *Itaque ad Apostoli institutum non id necessario spectabat*, *ut oblationem Melchisedech*, *& sacrificium Christi per eam significatum commemoraret*.

Eodem accedit, *Hebræos*, *ad quos Apostolus verba facit*, *omnino non dubitasse*, *quin Rex Salem in sacrificio panem*, *& vinum obtulerit*, *idque in gratiarum actionem* (*Philone teste Judæorum doctissimo*); *ut proinde Apostolus ea de re*, *utpote penes Judæos notissima sibi dicendum non judicaverit*.

Melchisua, *Rex magnificus*, tertius filiorum Saul, qui in prælio Gelboe cum patre, ac fratribus occisus fuit. I. *Reg.* XIV. I. *Paralip.* VII.

Melchom, *eorum Rex*, falsa Divinitas, quam Ammonitæ potissimum, filiorum suorum oblatione, in ejusque honorem combustione, colebant. Ei Salomon in Valle Ennon Templum ædificavit: *Excelsa ædificaverat Salomon Melchom abominationi filiorum Ammon*. Vox hæc aliquando significat Ammonitas ipsos, qui hoc Idolum venerabantur: *Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad?* Regionis enim Gad Ammonitæ potiti sunt. Sumitur etiam pro ejusdem regionis Rege; *Tulit autem David coronam Melchom*, *tulit diadema Regis eorum de capite ejus*. Melchom idem est, ac Moloch. IV. *Reg.* XIV. I. *Paralip.* XX.

Melita, celebris Insula Siciliam inter, & Africam, ita olim dicta a mellis copia, quo affluebat. Cum S. Paulus naufragium passus huc appulisset, humaniter ab incolis exceptus fuit, hospitio collato, accensoque igne, quo abstergeretur. At cum sarmentorum fasciculum, quem combureret, sumpsisset Apostolus, Vipera, quæ latebat, ignis vi excitata ejus manum corripuit, quam ille, haud quidquam timens, in ignem projecit. Qui aderant, cum morti proximum credidissent, ne leviter quidem læsum videntes, tamquam Numen aliquod spectare cæperunt. Ille vero Insulæ benedixit, ne amplius ejusmodi venefica insecta produceret; ac pro certo habetur, ibidem viperas ex eo tempore, si quæ prodiere, veneficas non fuisse. *Act. Apost. cap.* XXVIII. 2. *

* *Insula hæc hodie ad Equites S. Joannis Hierosolymitani pertinet*, *qui eam ab an.* 1530. *possident*, *Imperatoris Caroli V. munere*, *qui Tunetano Regi eamdem ademerat*. *Septa est Oppidis pluribus*, *aptisque portubus*, *qui Hostes aditu prohibent*. *Animadversione dignæ sunt Urbes duæ*, *nempe Vetus Urbs*, *& quæ Melitæ nomen gerit*, *quam quidem quinquaginta suburbia*, *Vicique cingunt*. *Vetus Urbs in media sede Insula*, *Episcopi Sedes*, *qui Panormitani in Sicilia Metropolitani Suffraganeus est*. *Urbs altera Melita dicta*, *nunc totius Insulæ Metropolis*, *in sinu sita est*, *qui Siciliam prospectat*; *partibus constat tribus*, *Urbe scilicet*, *suburbio*, *& S. Michaelis Insula*. *In Urbe ipsa est Valetta Urbs*, *in qua Magni Magistri Ædes*, *Armamentarium*, *Hospitale*; *Ecclesia vero*, *& Prioratus S. Joannis in*.

in Suburbio, ubi Arx, quæ in Portus duor ingressus præest; & Inquisitionis Palatium. Suburbium hoc victricis Urbis nomine gaudet, ob victoriam, quam ii, qui quatuor mensium spatio eam propugnarunt, ex innumeris Solimani II. Turcarum Imperatoris copiis an. 1565. *ceportarunt. Magna occurrit elegantium Ecclesiarum copia, quarum vetustissima Græcorum Ecclesia est. Melita adjacent exiguæ non paucæ Insulæ, quæ a Magno Magistro pendent.*

Dixi, S. Joannis Hierosolymitani Equiter, aliter Hospitalarios nuncupatos, absolutos supremosque Melitensis insulæ Dominos esse, quam iis dono dedit Imperator Carolus. V. *sexto post anno quam ex Insula Rhodo a Solimano* II. *anno* 1522. *expulsi fuerant. Nimirum Christianus Imperator Siciliæ Regnum ab hostilibus aggressionibus se in tuto ponere non posse credidit, nisi strenuos hos Sanctæ Religionis assertores, ac vindices in Insula Melita collocaret, quæ tunc longe minus, quam in præsentia, munita erat.*

An. 1565. *Solimanus Melitam obsedit innumeris instructis selecto milite Navibus, at irrito prorsus conatu. Barbari, mensium quatuor obsidione, emissis Ballistarum globorum septuaginta octo millibus, cepere Arcem vulgo* S. Elmo, *Suburbiumque, & S. Michaelem in cineres redegere, parumque abfuit, quin Insula reliqua idem fatum subiret. At Magnus Magister Joannes a Valetta, Equitesque firmissimo animi robore obstiterunt, hostesque pudore, ac perturbatione suffusos recedere coegerunt, cum electorum militum quindecim millia, & Nautarum octo millia periissent. Quod si eo tempore bistreaui Christianæ Religionis propugnatores adeo se fortiter, & præclare gesserunt: quid in præsentia, longe melius, firmiusque Insula, & Urbe munitis, agerent?*

Mello, plenitudo. Ita nuncupatur profunda Vallis, quæ inter veterem Urbem *Jebus*, & Urbem David, in monte Siòn ædificatam intercerat. Davidis, & Salomonis jussu impleta Vallis in plateam versa est, in quam populus conveniret; at Salomon ejus deinde partem sejunxit, in qua Conjugis suæ, Pharaonis filiæ regias ædes extrueret, addito ponte, per quem iter ab Ædibus ad Templum fieret. Id operis ægerrime tulit Hierosolymitanus populus, cui plateæ usus non amplius erat, ac tributa, quæ propterea Princeps hic exigere coactus fuit, ansam præbuere Jeroboam, filio Nabath ab eo deficiendi, suisque fratribus e Tribu Ephraim eamdem conjurationis pruriginem inspirandi, quæ post Salomonis mortem erupit. III. *Reg.cap.*XI.

Mello, plenitudo, Urbs *proxima Sichem*, cujus incolæ cum Sichimitis conjuncti Abimelech, Gedeonis filium Regem instituerunt. In Hebraico textu legitur *Domus Mello*; putantque nonnulli, Mello suburbium Sichem, vel ejus Urbis partem fuisse.

Mellothi, mea verba, filius Heman, caput decimæ e 24. Levitarum familiis. I. *Paralip.* XXV. 4.

Mellus, qui regnat, unus eorum fuit, qui a Babylonica captivitate reversi se ab extraneis uxoribus sejunxerunt. I. *Esdr. c.* 29.

Melota, græce *Meloter*, ovinam pellem cum lana significat, qua Prophetæ utebantur. S. Paulus id nominis in hunc sensum usurpat: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Ad Hebr.* XI. 37.

Memphis, Hebraice נף *Noph, favus mellis*, Ægypti celebris Urbs, paulo infra Nili divisionem sita, veterum Ægypti Regum sedes, ad Ptolemæos usque, qui fere Alexandriæ consederunt. Hic alebatur celebris Bos *Apis*, quem cum Cambises occidisset, universum Regnum luctus incessit. Infra Urbem hanc ad meridiem celebratæ Pyramides, & Regum sepulcra conspiciebantur, quorum duo inter Mundi miracula recensebantur. Prophetæ Memphim sæpe memorant, & calamitates portendunt, quas ei deinceps Chaldææ, & Persidis Reges intulerunt: *exterminabo* (inquit *Ezechiel cap.* XXX. 13.) *statuas, dirnam Idola Memphis. Deinceps non erit Princeps regionis Ægypti, & in omnes terras terrorem effundam. Noammon evertetur, & semper in angore Memphis erit.* Nabuchodonosor, & Cambises hujus Urbis, atque adeo totius Ægypti potiti sunt, quæ Persarum Regibus deinde peruit ad Artaxerxis regnum usque. Cum autem Regnum hoc in Alexandri Magni potestatem incidisset, hujus Principis successores Alexandriam Ægypti Metropolim constituerunt; & Mem-

& Memphim, cum a veteri splendore jam decidisset, tandem Arabes everterunt, qui post ejus excidium Urbem aliam, quæ vulgo *Gran-Cairo*, condiderunt an. Christi 800.

Mendacium. Divina Lex mendacium omne damnat, nullumque excipit; atque ex hac regula judicium de mendaciis ferendum est, quæ Sacræ Litteræ nonnullis tribuunt; ut saltem, quod specie tenus mendacium est, reapse mysterium non sit, aut pura putaque veritatis reticentia, quod dici necesse non est. Causa exempli, Abraham dixit Saram sororem suam esse; idemque Isaac de Rebecca. Neque hi Sancti Patriarchæ mendacium dixere, quia Sara, & Rebecca earum neptes erant; Hebræi porro proximos consanguineos fratres, & sorores nominabant; nihil ergo fecere aliud, quam veritatem suppressere, cum ita facto opus erat, ut ipsi sibi vitam servarent. Jacob ut a Patre benedictionem extorqueat, ei se Esau esse testatur, ea mente, ut eum ad id credendum adducat, eaque sibi sumit externa omnia, quæ cæcum senem in errore firmare possint. Siquidem hac in re spectamus id, quod apparet, & in rei gestæ, verborumque Jacob quasi cortice consistimus, nec facta, nec dicta a mendacio tueri possumus; at quo magis externa species offendit aures, eo magis monent, mysterium aliquod ibidem latere. In vulgari quidem homine id nihil esset aliud, quam mentiri, & mala fide agere; at in Jacob, cujus res gestæ Propheticæ erant, nihil mendacium, nihil non mysterium est. Idem dici potest de sermone Judith ad milites Holofernis, in quo quidem initio statim nihil non videtur mendacium sapere, nullusque excusationi locus esse, at re tamen ipsa nihil mysterio, nihil figura vacat. Ægypti sagæ fœminæ, seu obstetrices, ut Hebræorum pueros in tuto ponant, ajunt, eorum fœminas sine ullius ope parere;& Scriptura quidem Deum sagas fœminas remuneraturum ait, quippe quæ se ejus timore permotas exhibuissent. Haud mendacium tamen, quo obstetrices ad excusationem usæ sunt, commendavit Deus, cum omnino nunquam liceat ad mendacia confugere; at eas remuneratus est, propterea quod regiæ in insontes pueros crudelitati ministerium suum præbere noluissent; id vero est in iis laude dignum. David Pontificem Abimelech decipit, inquiens, se ad eum venisse Saulis nomine. Porro quoad historicum, & proximum sensum spectata Davidis verba a mendacio excusari non possunt; nimirum Pontifici falsum dixit, & eo quidem animo, ut id Pontifex crederet; & quamvis generatim Davidis vita Christi figura sit; difficile tamen fuerit huic peculiari rei mysterium aptari, quod Jacob a mendacii labe purgat. Quin ergo de Davide, ad hanc rem quod attinet, aggrediamur judicium ferre; satis habebimus dicere, nihil inde consequi, quod mendacio faveat, quandoquidem Sanctorum Virorum dicta, factaque nobis ipsa per se regulæ loco non sunt; tum solum exempla, quæ imitemur, evadunt, cum supremæ, prorsusque immutabili regulæ, quæ Dei Lex est, conformia sunt.

Menelaus, *vis populi*, cognomento Onias, frater Simonis, & Lysimachi e Tribu Beniamin ab Antiocho Epiphane supremum Pontificatum emit, cujus obtinendi causa majorem pecuniæ vim obtulit, quam Jason dederat. At cum annui tributi solutioni defuisset, dignitate spoliatus fuit, quæ Lisimacho ejus fratri collata. Pontificatum rursus obtinuit, novam pecuniam pollicitus, ad quam solvendam sacra vasa diripuit. Hic nimirum adeo nequam, impiusque fuit, ut Antiochum Hierosolymam induceret, adjuvaretque, ut Jovis Olympii statua in Templi Sanctuario poneretur. At cum Deus perditi hominis delicta non amplius ferre posset, ad eum puniendum Antiocho ipso usus est. Eum Princeps hic e Turris cacumine præcipitem actum voluit an. Mund. 3842. II. *Machab*. IV. & XI.

Meni, eadem ac *Luna*, de qua Jeremias *Reginæ Cœli* nomine, & Isaias nomine *Meni* loquuntur. Uterque non obscure significat, ejus cultum in Palæstina vulgo obtinuisse, eique Hebræos magnopere addictos fuisse. Eum ipsi a Phœniciis, seu Chananæis acceperant. Eos Isaias increpat, qui mensam *Gad*, qui Sol est, erexissent, & *Meni* libationes exhibuis-

buissent. Jeremias ait, ad honorandam Cœlorum Reginam, a patribus ignem accendi, ab uxoribus offas parari, & a filiis ad eas excoquendas ligna congeri: *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciunt placentas Reginæ Cœli*.

Menna, numerus, filius Mathata, & pater Melca, unus e Proavis Christi secundum carnem. *Luc.* III. 31.

Menni, paratus; Jeremias hortatur Reges Menni, ut Babyloni bellum inferant. Creditur *Menni* innuere Meniadem, Arabiæ Provinciam. *Jerem.* LI. 27.

Mennith, numerata, Urbs ultra Jordanem, quatuor passuum millibus Esebon procul sita, qua Philadelphiam iter, quæ ad Ammonitas spectabat, quæque a Jephte diruta fuit. Ezechiel ait a Juda delatum ad Tyri nundinas triticum *Minnith. Judic.* XI. 23.

Mensis. Hebræi veteres ex eo tantum ordine menses vocabant, quem mutuo obtinebant, primum, secundum, tertium, & sic porro. Moses, Josue, Judices, & Reges eamdem consuetudinem secuti sunt. Babylonicæ captivitatis tempore factum est, ut Israelitæ mensium nomina mutuarentur a Chaldæis, & Persis, quibuscum diu versati fuerant. En omnium mensium nomina, & ordo, qui tum in Sacro, seu Ecclesiastico, tum in Civili anno inter eos erat.

Annus Ecclesiasticus.		Annus Civilis.	
Nisan	Martius	Tisri	September
Jiar	Aprilis	Marschevan	October
Sivan	Majus	Casleu	November
Thammuz	Junius	Thebet	December
Ab	Julius	Sebat	Januarius
Elul	Augustus	Adar	Februarius
Tisri	September	Nisan	Martius
Marschevan	October	Jiar	Aprilis
Casleu	November	Sivan	Majus
Thebet	December	Thammuz	Junius
Sebat	Januarius	Ab	Julius
Adar	Februarius	Elul	Augustus

Quoniam vero Judæorum menses lunares erant, nostris, qui solares sunt, exacte respondere non poterant; proinde referuntur ad duos e nostris, & unus in alium migrat; cumque lunares menses non nisi 354. dies conficiant, propterea Judæorum annus diebus undecim Romano brevior erat. Itaque Judæis ea cura erat, ut ultimo mensis dies undecim insererent, adderentque, quos *Veadar* nuncupabant, quo annus lunaris solari æquaretur. Mensium alii penes Hebræos *pleni*, alii *cavi* erant; *pleni* diebus 30. *cavi* 29. constabant.

Menta, seu mentha, herba odorifera, cujus Pharisæi decimam dabant, ut sacratiorum Sectarum accuratissimos Mosaicæ legis cultores ostenderent; lex enim decimæ non subdebat, nisi quod *redditus*, seu *proventus* nomine comprehendebatur; itaque plantæ ab hac lege immunes erant, ut *anethum*, *cuminum*, *menta*. *Matth. cap.* XXIII. 23.

Mephaat, vehementior impetus, Urbs in Tribu Ruben, quæ Lævitis ex tribu Merari concessa fuit. Hac in Urbe, Eusebii ætate, ut ipse testatur, aderat a Romanis positum præsidium, quo regio in tuto esset. *Josue* XXI. 36.

Merajoth, amaritudines, Sacerdos e stirpe Aaron, filius Zarajas, & Pater Amarias. In Summorum Pontificum numerum relatus legitur *lib.* I. *Paralip.*

Merala, stupor, Urbs Tribus Zabulon ad mare mediterraneum.

Merari, amarus, tertius filiorum Levi, Pater Moholi, & Musi. Alius ejusdem nominis erat Pater Judith. *Genes. cap.* XLVI. & *Numer.* III.

Meremoth, *excelsitates*, filius Uriæ, Sacerdos ex eorum numero, qui a Babylonica captivitate redierunt. Meremoth aurea, & argenteæ vasa restituit, quæ Rex Artexerses Templo reddiderat, cum Esdra in Judæam rediit, an. Mund. 3537. I. *Esdr.* VIII. 33.

Merob, *qui pugnat*, primogenita filia Saul, Davidi sponse, in victoriæ compensationem, quem ex Gigante Goliath retulerer. At Saul fidem non præstitit, eamque dedit Hadriel, filio Berzellai filii Molathi. Merob ex eo peperit filios sex, qui Gabaonitis traditi, crucique affixi in monte ante Dominum, ut Saulis injustitia repararetur, quam ils populis Saul intulerat, I. *Reg.* XIV. II. *Reg.* XXI.

Medorach, *parvus Dominus*, unus erat ex veteribus Babyloniæ Regibus, quem Babylonienses in Deorum album retulerunt, divinisque honoribus affecerunt. Jeremias de Babylonis excidio loquens: *Babylon*, inquit, *capta est*, *Beth pertertefactus*, *Medorach victus*, *fractæ eorum statuæ*. IV. Reg. XX. 12.

Medorach-Bala-Dan, filius Baladen Babyloniæ Regis, solium conscendit an. Mund. 3283. idemque est, ac *Maraocempadus*, ut Ptolemæus vocat. Princeps hic, longe maximis muneribus missis, Ezechiæ Regi Juda prodigio receptam pristinem valetudinem gratulatus est. Prodigium hoc illud fuit, quod Propheta Isaias edidit, nempe Solis umbre per gradus decem in Regis Achaz horologio retrogreda. *Isaiæ* XXXIX.

Meroe, Peninsula superioris Ægypti inter duo Nili brechia. Vetus ejus nomen erat Sabe; ac nonnulli putant hinc fuisse Reginam Sabæ, quæ ex longinquis regionibus ed Salomonis sapientiem eudiendam se contulit. A Cambise Meroe in sororis Meroes honorem dicta.

Merom, *excelsitates*, equæ *Merom*, de quibus Josue, ad quas Jabin, ejusque socii coiverunt, ut cum populo Dei, cui Josue præerat, arme conferrent, ibi erant, ubi Cison, Carmelus, & Mageddo. Legitur etiam in libro Judicum, Zabulon, & Nephtali suas enimas exposuisse periculo in campis *Merome*. Non immerito creditur Morome a *Merom* non differre, ibique Sisatam a Barac, & Debora clade affectum esse. Judic. V. 18.

Meroz, *secretum*, Urbs Tribus Nephtali, ad quam celebre prælium in Jabin, & Siseram commissum fuit. Cum Meroz incolæ fratribus opem afferre renuissent, Angelus Domini post victoriem in eem ingratam Urbem execretiones, & anathemate pronunriavit: *Anathema*, *inquit Angelus Domini* (Judic. V. 22.) *anathema Urbis incolis*, *quoniam ad Domini subsidium*, *ad fortissimorum bellatorum subsidium non venerunt*. Quid hæc anathemata consecutum fuerit, non constat. De hac Urbe nihil amplius in Secris Litteris; quod conjecturæ locum præbet, eam a terra absorptam, in perfidiæ pœnam, aut ex Israeliticarum Urbium numero expunctam fuisse. *Angelus Domini*, qui anethema protulit, nonnullis Barac Dux Exercitus, aliis Summus Pontifex, eut Propheta, denique aliis proprie dictus Angelus fuisse videtur.

Merrha: Baruch de Merrhæ mercetoribus loquitur, eosque cum Agarenis, & incolis Theman conjungit, qui se sapientes jactabant. Omnes hi populi dubio procul Arabes erant; at ubinam potissimum Merrha fuerit, in obscuro est. *Josue* XIII. *Baruch* III. 23.

Mes, *qui adimit*, quartus filiorum Aram, qui montem Masium in Mesopotamie possedisse creditur, suumque nomen Mazecæ flumini præbuisse, quod inde originem trahit. *Genes.* X. 23.

Mesa, *Salus*, Moabitarum Rex, cum Jorem Regi Israel agnorum certum mille, & arietum toridem annuum triburum, cui Rex Achab eumdem subdiderat, solvere noluisset, profligatus fuit, coactusque Areopolim Regni caput se recipere. Cum autem se a Rege Israel, cui se Rex Juda, & Rex Idumææ socios ediderant, ad incitas redactum videret, mænia conscendit, ibique filium immolavit, spectentibus Regibus tribus, qui tam inhumani facinoris horrore perculsi ab obsidione destiterunt, & recepiui cecinerunt, an. Mund. 3109. Interpretes nonnulli Hebraicam vocem vertentes *filium ejus* pro *filium suum*, ajunt, non ipsius Mesæ filium fuisse, qui mactatus fuit,

fuit, sed Regis Idumæorum filium, qui in quadam eruptione captus fuerat. IV. *Reg.* 3.

Mesa, *salus*, primogenitus Caleb, nepos Esron, fuit pater Ziph, seu Zifei in Tribu Juda. I. *Paralip.* II.

Meselemiæ, *pax Domini*, filius Core, fuit pater Zachariæ, Jadhiel, Zabadiæ, Jathanael, Aelam, Johanan, Eligmai, qui custodum, seu janitorum Templi officio fungebantur: I. *Paralip.* 26.

Mesopotamia, celebris Asiæ provincia, cujus nomen significat *inter duo flumina*, quia *Tigrim* inter, & *Euphratem* sita erat. Eam Hebræi *Haram*, seu *Charam* nuncupabant. Dicitur etiam Mesopotamia Syriæ, quia ab Aramæis, seu Syris occupata erat. Clara est hæc regio in Sacris Litteris, quod ea tum ante, tum post Diluvium prima hominum sedes fuerit. In ea nati *Phaleg*, *Heber*, *Thare*, *Abraham*, *Nachor*, *Sara*, *Rebecca*, *Rachel*, *Lia*, & filii *Jacob*. Regio hæc hodie Diarbek nomine nota est. *Genes.* XXIV. 10.

Mesraim, seu *Misraim*, *tribulatio*, filius Cham, nepos Noe, dedit Ægypto incolas, quæ ei in domicilium tradita fuerat, quæque ab ejus nomine dicitur in Sacris Litteris terra Mesraim. Ei filii fuere *Ludin*, *Ananim*, *Laabim*, *Nephtuim*, *Petrusim*, & *Casluim*; e quibus omnia populorum genera prodiere, qui Ægyptum, & finitimas regiones incoluerunt. Mesraim vita functus, tanquam Deus, *Osiridis*, *Serapidis*, & *Adonidis* nominibus cultus fuit. *Genes.* x. 6. I. *Paralip.* I.

Messa, *sarcina*. Moses ait, filios Jectan habitasse *regionem*, quæ est a *Messa usque ad Sephar*, *orientalem montem*, scilicet universam regionem, quæ inter montem *Masium*, & montes Sapharnaim interjacet. *Genes.* x. 30.

Messa. Jojadas Pontifex, cum puerum Regem Joas ad solium Juda extollere vellet, Sacerdotum, & Levitarum armatorum tertiam partem posuit in variis Templi locis, & peculiariter in Ædibus Messæ: *Custodietis excubias domus Messa*. IV. *Reg.* XI. 6.

Messis. Judæi messem non sine cæremoniis aperiebant. Frumenti messis incipiebat a die 18. mensis *Jiar*, quæ tricesima dies erat post Paschatis festum, & frumenti primitiæ Templo die Pentecostes offerebantur. Hordei messis statim post festum Paschatis inchoabatur; & decima sexta die Nisan domus judicii duos homines emittebat, qui novorum hordeorum fasciculum colligerent, ut mensium primitiæ Domino devoverentur. Proximarum Urbium incolæ eo conveniebant, ubi fasciculus colligebatur, ut Cæremoniæ oculati testes essent. Homines tres distinctis falcibus tribus fasciculum unum metebant, qui cophinis tribus inclusus in Templum deferebatur, ubi terebatur, cernebatur, parabaturque, ut sequenti mane Domino offerretur. Mandaverat autem Moses, ut, messis tempore, non totus omnino ager meteretur, sed ejus angulus haud messus pauperibus, & indigentibus relinqueretur. *Levit. cap.* XXIII. 22.

Messias, nomen, quod derivatur ex Hebraico משיח *Massiach*, *unctus*, Græce Χριστος; ita etiam Hebræorum Rex, & summus Sacerdos nuncupabantur: *Dominus*, *& ejus Unctus testes sunt*; nempe Rex, quem instituit. David ita non semel: *Absit*, *ut ponam manum meam super Unctum Domini*. Cyrus ipse, qui Judæos libertate donavit, & Persarum Imperium condidit, in Sacris Litteris *Unctus* Domini dicitur: *sic dicit Dominus Christo suo Cyro* (*Isaie cap.* 45.) Patriarchæ quoque, & Prophetæ per eadem nomina *Messiæ*, vel *Uncti* Domini designantur: *Nolite tangere Unctos*, *seu Christos meos*, *& in Prophetis meis nolite malignari*. Ita vero dicti sunt, quia Regibus, Pontificibus, & nonnunquam Prophetis unctio conferebatur. Ita Saul, David, Salomon regalem, Aaron, ejusque filii Sacerdotalem, Elisæus propheticam unctiones receperant. At Messiæ nomen per excellentiam supremo humani generis Reparatori convenit, in quo uno sanctorum virorum posita spes omnis, & salus; quem Judæi scilicet expectabant, & frustra quidem, adhuc expectant, cum eo jam tempore venerit, quod sacræ Litteræ designarunt. Omnia prorsus oracula in ejus persona cumulatissime perfecta sunt, & is unus omnibus & singulis notis insignitus est, quæ ho-

hominum Servatorem demonstrant. Celebre vaticinium Jacob in ipso completum est: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Princeps de ejus posteritate, donec veniet, qui mittendus est; & ipse erit expectatio Nationum omnium.* Jam vero a septendecim & amplius sæculis non solum in Tribu Juda, verum etiam in universo Israelitico populo Principatus defecit; & ab Herodis tempore, quo regnante, sceptrum in Judaica Natione cessavit, nemo unquam fuit, præter Jesum Christum, cui Messiæ qualitates congruere possent; qua de re legenda Adnotatio ad articulum *Jacob*. Daniel in celebri visione, qua afflatus fuit, Messiæ adventum, vitam, & mortem prædixit: *Usque ad Christum ducem erunt hebdomadæ septem, & septuaginta duæ hebdomadæ, & post has septuaginta duas occidetur Christus, & ipse confirmabit fœdus suum per hebdomadam unam, & in dimidio hujus hebdomadæ cessabunt victima, & Sacrificium.* Veteres omnes Rabbini prædictionem hanc de Messia explicant; hebdomadæ, de quibus sermo est, sunt hebdomadæ annorum septem, eæque hebdomadæ septuaginta duæ quadringentos annos & nonaginta conficiunt. Harum porro hebdomadarum finis in illud tempus incidit, quo Christus Dominus venit, qui postremæ hebdomadæ anno tertio mortem occubuit; tum vero penitus eversum Hierosolymitanum Templum, Judæique dispersi. Isaias, Michæas, Zacharias, David, Joel super Jesu Christi persona se adeo perspicuis verbis exprimunt, ut omnino dubitari non possit, quin Messias in Sacris Litteris promissus, prædictusque sit Jesus Christus. Quod autem Judæos carnales decepit, est prægostera ac falsa Messiæ notio, quam ipsi sibi confinxere, tamquam augusti cujusdam Regis, victoriisque, qui sibi universas terrarum Nationes subditurus esset. Atque hac sane de causa iisdem externa Jesu Christi abjectio, & imbecillitas scandalo fuit; eorumque error ex eo derivatur, quod ejusdem Christi adventus duos non distinguunt, quorum unus hominum redemptionem, alter extremum judicium spectat. Adventus primus iis verbis prædicitur, quæ Divinum Servatorem ad summam humilitatem compositum, & acerbissima quæque perferre paratum exhibent; adventus alter gloria, & majestate cumulatus describitur, quemadmodum Malachiæ capite ultimo, & Ezechielis tricesimo legitur.

Pseudo-Messiæ. Christus Dominus in Evangelio Discipulos monet, falsos Prophetas, & falsos Messias prodituros: *surgent pseudo-Christi, & pseudo Prophetæ*; eosdemque prodigia patraturos, quibus Electi ipsi, siquidem fieri posset, in errorem *inducerentur*. Utinam vero exitus non luculentissime prædictionis hujus veritatem patefecisset! E Judæis scilicet Impostores, qui populum seducebant, omnibus fere sæculis extitere; atque adeo ejusmodi hominum monstra ne Christi quidem temporibus defuere. Simon Magus se tamquam virtutem Dei Samariæ venditabat; atque hæc cæca Natio in sua Messiæ expectatione pertinax ita semper comparata fuit, ut nebulonis primi jocus esset, qui ejus spes aleret.

Metatron. Hebræi nomen hoc Angelorum primo tribuebant, ei nempe, qui eos per Desertum ducebat; & de quo Moses Dei nomine: *Mittam Angelum meum qui vos præcedet, ducetque in itinere &c.* Id ille præstabat quoad Israelitas, quod apud Romanos *Metator*; castrorum locum statuebat, eorumque formam, dimensiones, & extensionem designabat. *Metatron*, ut est vero simile, a *Metator* conflatum est. *Exod.* XXIII. 20.

Methca, *dolor*, Israelitarum statio in Deserto, Thare inter & Hesmona. *Numer.* XXXIII.

Methgamma, *frænum tributi*, nomen Urbi Geth a Davide impositum, cum eam ipse Philistæis ademit, & Judæos a tributo liberavit, quod hostibus suis solvebant. II. *Reg.* VIII. I. *Paralip.* XVIII.

Metreta a Græco, μετρητής, mensuræ genus; legitur hoc nomen in Vulgata nostra, quæ ita vertit vocem *Bath*, quæ magna mensura cava erat, sexaginta scilicet libras complectabatur. *Jos.* II. 6.

Metri, *pluvia*, vir e Tribu Beniamin, caput familiæ Cis patris Saul. I. *Reg.* X. 21.

Mezuzoth. Nomen hoc Judæi quibusdam

dam pergamenæ chartæ frustis tribuebant, quæ suarum quique domorum liminibus affigebant, ad litteram accipientes, quod mandat Moses in Deuteronomio (*cap.* XI. 13.) : *scribetis* (legem) *in januarum vestrarum vestibulis*. Hæc loquendi ratio id unum Judæis imponebat, ut nunquam Legis obliviscerentur, ejusque tum domum ingredientes, tum domo egredientes recordarentur. Verum Hebræi Doctores tati Legislatorem aliquid amplius exposcere, Judæos adegerunt, ut in pergamenæ chartæ frusto legem describerent. Chartula hæc internodio concluditur, quod domorum, cubiculorum, frequentiorumque omnium locorum januis appenditur; illudque ingredientes aut egredientes tangunt summo digito, & religionis ergo digitum osculantur.

Miamin, *qui fugax est*, filius Pharos, e Sacerdotali stirpe, fuit ex eorum numero, qui a Babylonica captivitate reversi, conjuges, utpote ad aliam Nationem spectantes repudiarunt. I. *Esdr.* X. 25.

Micha, *pauper*, filius Miphibosetb, & pater Achabor. Ejusdem nominis alii plures occurrunt in Sacris Litteris. I. *Reg.* IX. I. *Paralip.* V. VIII. IX. XXIII.

Michas paupertas, Israelita e Tribu Ephraim, cujus mater cum certam pecuniæ vim, quam amiserat, comperisset, eam Deo dicavit, confecto Ephod cum nonnullis figuris æneis, quibus in filii domo positis, ex idololatria, & vera Religione monstrum quasi quoddam edidit, atque ita præceptum, quo publicus cultus alibi, quam in Templo, ubi Deus coli volebat, vetabatur, transgressa est. Michas, ut Matris votis obsecundaret, filiorum suorum unum ad Sacerdotalia munia consecravit, nulla Divini mandati ratione habita, cujus vi ad Sacerdotium ii tantum assumi poterant, qui ex Aaron familia erant; ac deinde ad se Levitam Jonathan, filium Gerson, nepotem Mosis accivit, quem Sacerdotem Ephod instituit. Id vero locum habuit Anarchiæ tempore, quæ regimen Josue consecuta est. Post annos aliquot populi e Tribu Dan, factis in montem Ephraim irruptionibus. Idola, & Sacerdotalem vestem sustulerunt, quibus positis in Urbe Lais, eumdem Jonathan, filium Gerson Sacerdotem statuerunt. *Judic.* XVII. 18.

Michæas, *quis est similis Deo?* senior nepos Jerulæ e Tribu Ephraim, unus Prophetarum Domini, Achab in Israel regnante, vivebat. Princeps hic, inita cum Josaphat Rege Juda contra Syros societate an. Mund. 3107. Prophetas Baal de belli exitu consuluit. Iis porro cumulatissimam victoriam uno ore pollicentibus, pius, Deique timens Princeps Josaphat, Prophetam Domini consultum volens, Michæam accivit, qui in itinere prohibitus fuit quidquam dicere, quod iis conforme non esset, quod cæteri Prophetæ dixerant, qui scilicet Achab felicem successum promiserant. Michæas ergo se id unum dicturum respondit, quod ei Dominus inspirasset. Duobus se sistit Regibus, alacriter pronuntiavit belli finem haud prosperum fore, ac Regem Achab increpuit, qui a suis se falsis Prophetis decipi passus esset. Tum vero Sedecias, eorum pseudo-Prophetarum antesignanus furore percitus inflixit Michææ alapam, eumdemque Rex in carcerem trudi jussit; at Prophetæ prædictionem firmavit eventum. Rex Israel vitæ jacturam subiit in prælio, quod Syris e voto cessit. Quid deinde contigerit Michææ filio Jerulæ, quem nonnulli cum ejusdem nominis Propheta temere confuderunt, de quo mox, ignoratur. III. *Reg.* XXII.

Michæas, septimus in Prophetarum minorum ordine, cognomento Morasthites, utpote e Judææ vico, cui Morathiæ nomen, per annos quinquaginta, Joathan, Achaz, & Ezechia regnantibus, nempe ab anno 3245. ad 3306. circiter sua vaticinia protulit. De ejus seu vita, seu morte nihil peculiare constat. Ejus prophetia non nisi septem capita continet, scriptaque fuit in utrunque Regnum, Juda scilicet & Israel, quorum ille in delictorum pœnam calamitates, & excidium prædixit. Post hæc injucunda vaticinia, Propheta de Messiæ Regno, ac de Christianæ Ecclesiæ institutione loquitur. Messiæ ortum in Urbe Bethleem, ejus dominium ad extremos usque terrarum fines propagandum, ejusque Ecclesiæ florentem statum Michæas singillatim, & omnino perspicue

ſpicue nuntiat. Ejus prophetia ſublimi ſtilo, tametſi naturæ conſono, & intellectu facili ſcripta eſt.

Michæas, Gamariæ filius, cum Baruch Jeremiæ prophetias, qui in carcere detinebatur, in Templo coram univerſo populo legentem audiſſet, ea de re Principes Juda monitos voluit, quorum juſſu Baruch ad Regem Joakim accitus fuit. Hic impius Rex Jeremiæ librum ferro perforavit, & in ignem projecit. Jerem. XXVI. 12.

Michael, nempe, *quis ſimilis Deo eſt?* Archangelus, qui cæleſtis exercitus Dux eſſe ſupremus creditur. De eo ſua in Epiſtola loquitur S. Judas, occaſione diſputationis, quæ Michaeli cum Dæmone fuit ſuper Moſis corpore, quod ille in ignoto loco poſitum voluit, ne ab Iſraelitis, qui tot ejus miracula conſpexerant, divinis honoribus afficeretur.* Hujus diſputationis hiſtoria, ad quam alludit S. Judas, ducta eſt ex apocrypho libro, qui aſcenſio Moſis inſcribitur, ubi Archangelum inter ac Diabolum pugna deſcribitur. Apocalypſis quoque Michaelem, ejuſque Angelos nobis exhibet cum Dracone pugnantes, qui victus, & præceps in terram actus fuit; qui locus efficit, ut concludamus, Archangelum hunc eum fuiſſe, qui Chriſtianæ Eccleſiæ tutelaris Angelus, ac defenſor erat. Ejus patrocinium Judaico populo preſto fuerat; eum ipſe per Deſertum duxit, ac de eo legitur: *Mittam Angelum meum, ut vos præcedat, & in itinere ducat.* **. Idem Moſi in ardenti rubo, Joſue in agro Urbis Jericho, Dedeoni, & Manue Samſonis patri apparuiſſe creditur; eique celebres apparitiones in Veteri, Novoque Teſtamento memoratæ tribuuntur; verum ad has quod attinet, quæ demum conjecturæ ſuppetant, haud equidem video. Hujus nominis viri plures occurrunt in ſacris Litteris. ***.

* *S. Judas Apoſtolus in ſua Catholica Epiſtola verſiculo nono, de contentione verba faciens, que inter S. Michaelem Archangelum, ac Diabolum extitit de Moſis corpore, Cæleſtem hunc Spiritum non auſum refert eum condemnare, ſed ei tantum dixiſſe, Dominus te cohibeat:* Cum Michael Archangelus, cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ; ſed dixit: imperet tibi Dominus...

Quæritur, undenam diſputatio hæc inter S. Michaelem, ac Dæmonem oriri potuerit. Hac in re doctorum Virorum opiniones duæ ſunt; prima eorum eſt, qui Diabolum ajunt impedire voluiſſe, ne Moſis corpus Angeli ſepelirent, ut Hebræi, qui Moſis inſignia prodigia viderant, eum divino cultu proſequerentur, atque ita in idololatriam laberentur; e contra S. Michaelem Archangelum, tamquam humilem Divinæ voluntatis miniſtrum ei reſtitiſſe, & corpus ſervi Domini, quo nomine ſacra Scriptura Moſem deſignat, clam ſepulturæ datum voluiſſe; cumque Diabolus obluctari nunquam deſiſteret, Angelum ei dixiſſe: imperet tibi Deus; *perinde ac ſi dicere voluiſſet: quoniam Dei juſſis, quæ mihi ſunt impoſita, cedere non vis, par eſt id eum tibi præcipere:* imperet tibi Deus. *Græcus* textus habet: increpet te Deus.

Ajunt alii, quos inter Æcumenius in explicatione Epiſtolæ S. Judæ hanc inter S. Michaelem, ac Diabolum contentionem inde ortam eſſe, quod malignus Spiritus impedire voluit, ne Moſis, utpote ſepulturæ indigni corpus ſancti Angeli ſepelirent, quippe qui Ægyptium hominem occidiſſet, qui ad eum tamquam ipſius affecla pertinebat; itaque cæleſtem Spiritum maledictionis jure, quo pollebat, uti noluiſſe, *ſed ſatis habuiſſe dicere:* Increpet te Dominus, o Diabole. *En ipſa Græci hujus Auctoris verba:* Dicitur Michael Archangelus miniſterium præbuiſſe in ſepeliendo Moyſe; id non ferebat Diabolus, ſed accuſationem afferebat propter cædem Ægyptii, quaſi Moyſes ipſius eſſet, & propterea non permittebat, ut ille honorificam conſequeretur ſepulturam; cum autem in hac controverſia haberet Michael occaſionem, ut Diabolum maledicto impeteret, proptee illius impedimentum, non hæc fecit, ſed id tantum in eum intulit: increpet te Deus, o Diabole.

S. Hieronymus *ſciendi curioſitate tangitur, e quo tandem libro S. Judas hanc inter S. Michaelem, ac Diabolum diſceptationem depromſerit. Ait ergo aliquid ſimile legi Zachariæ capite tertio, ubi ita Prophe-*

pheta loquitur : Et ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei, & dixit Dominus ad Satan; increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem; nunquid non iste terris est erutus de igne?

Origenes *Homilia* XXXV. *in S. Lucam ait Angelum justitiæ, & Angelum iniquitatis in disputationem descendisse super Abrahæ morte, ac super ejusdem salute, cum utroque sibi vindicante*: legimus, *inquit*, justitiæ, & iniquitatis Angelos super Abrahæ interitu, & salute disceptantes, dum utræque turmæ suo volunt cætui vindicare.

Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* VI. *Mosem gloria, & majestate coronatum, ab Angelis in Cælum elatum a Josue, & Caleb visum testatur*.

S. Athanasius *in* Synopsi *has omnes visiones, quemadmodum etiam Testamentum Mosis inter apocryphos libros refert, asseritque nihil horum non Hæreticorum inventum fuisse*.

S. Epiphanius in Panario *hos Hæreticos ait Sethianos fuisse a Valentino derivatos, qui Æræ Vulgaris an.* 145. *vivebant*.

** *Qui Mosi apparuit in Monte Sinai, quo tempore indicta Lex; increatus Angelus fuit, nempe Dei Filius, quemadmodum S. Paulus in Epistola ad Hebræos* cap. XII. *v.* 26. *testatur*.

*** *Christiana Ecclesia multo post Apostolorum tempora apparitionum trium S. Michaelis Archangeli memoriam celebravit. Prima contigit Colossis in Phrygia. Ejus tempus ignoratur; festum tamen ejusdem diem Septembris die sexta Orientalis Ecclesia celebrat. Contigit altera labente sæculo quinto in Gargano Apuliæ monte, quæ Neapolitani Regni Provincia est. Ejus festum Ecclesia Maji* 8. *die celebrat; dedicatio tamen ejus antri, ubi Archangelus apparuit*, 19. *Septembris die solemni ritu recolitur. Apparitio tertia contigit* Euberto *Abrincensi Episcopo in saxo, cui* Tumbæ *nomen, ibique proprie, ubi S. Michaelis Abbatia est, ad mare, in sinu, qui Normanniam inter, & Britanniam interjacet. Hujus visionis memoria celebratur in Gallia jam inde ab an.* 706. *quo apparitio Euberto facta creditur, ut scribit* Baillet *in Vitis* SS. *die* 29. *Septembris*.

Michol, perfecta, filia Saul, qui ei Davidem, cujus amore capta erat, sponsum promisit, ea conditione, ut ipse prius David. Philistæos centum occideret. Id cumulatissime executus David, interfectis ducentis, Michol uxorem obtinuit. Aliquanto post Saul generum perdere volens satellites in ejus domum immisit; at Michol operam dedit, ut vir e fenestra descenderet, & statuam, quam induit, in ejus locum suffecit. Saul se deceptum videns filiam Michol tradidit Phalti, filio Lais ex Urbe Gullim, quicum ad Patris usque mortem versata est. Tum vero David Regno potitus eamdem recepit. Ea vero Davidem ante Arcam saltantem, & choreas agentem videns cum ex Urbe Silo Jerusalem transferretur, aspernata est, & acriter increpuit; Deusque in adeo injustæ increpationis pœnam eam sterilem reddidit, nempe gravissima, si qua alia, Legis execratione puniit, quod sterilitatis opprobrium erat, atque ita ejus ambitionem repressit, cui Davidico solio successoris dandi spem omnem ademit. I. *Reg. cap.* XVIII. II. *Reg.* VI. 23.

Milet, pannus coccineus, Joniæ celebris Urbs, cum apto portu ad Ægæum Mare. Eadem esse creditur & quæ legitur in libro Judith *Melothi* nomine. S. Paulus Corintho Hierosolymam iter faciens, Mileto transiit, quo Ephesiorum Episcopum, & Sacerdotes accivit, quibus documenta traderet. Urbs hæc hodie penitus diruta nihil est amplius, quam rudërum strues. *Act. Apost.* XX. 15. II. *Ad Timoth.* IV. 40.

Mille, centenariorum decem numerus, sæpe pro indefinito numero sumitur in sacris Litteris, & hac significatione in Apocalypsi passim occurrit, ubi legimus Draconem ab Angelo per annos mille catenis vinctum, sanctos Martyres cum Christo Domino per annos mille regnasse, Satan solvendum, cum anni mille completi fuerint. E quibus textibus perperam intellectis prodiit Millenariorum error, opinantium, Christum in terris per annos mille cum Sanctis ante judicii diem regnaturum *. Sententia hæc a Judæis oriebatur,

barut, qui sub Messia Regnum annorum mille in terris expectabant, quod acriter, & bona fide *Papias*, S. Joannis Evangelistæ Discipulus, aliique non pauci veteres Ecclesiæ Patres, doctrina, & sanctitates celebres propugnarunt.

* Prateolus, & Baronius *ajunt anno circiter* 162. *sectam* Chiliastarum, *seu* Millenariorum *dictam prodiisse*, qui resurrectiones duas, *prorsus corporalem unam, omnino spiritalem alteram profitebantur*. *Porro* Millenarii *ridiculas innumeras fabulas obtrudebant, & illud imprimis fore scilicet, ut annis mille post judicium, Inferorum pœnæ, ac supplicia finem habeant, & Deus infinitæ suæ bonitatis, & miserationis vi Dæmonibus, & Damnatis ignoscat*.

Hujus ineptæ sententiæ auctorem Origenem *nonnulli fecerunt; eam alii falso ipsi adscriptam asserunt; in Epistola quidem certe, quam* S. Epiphanius *ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum scripsit, legimus verba hæc*: Doctor egregius Origenes audet docere, Diabolum id rursus futurum esse, quod fuerat, & ad eamdem rediturum dignitatem, & conscensurum Regna Cœlorum. *Legatur* S. Hieronymus *Epistol.* Tom. 3.

Addunt iidem Heretici, statim post judicium Prædestinatos in Terris cum Christo commoraturos, & ibidem omnibus sensuum propriis, & maxime lubricis voluptatibus fruituros. Hujus exercrandæ opinionis auctor non Origenes, *ut scribit* Eusebius *lib.* III. *Hist. Ecclesiast. sed* Cerinthus *primi sæculi Hæreticus fuit, qui utpote in omne turpissimarum voluptatum genus prorsus immersus, docebat, non modo Christum per annos mille Hierosolymis regnaturum, cum eam Urbem in pristinum splendorem restituisset, sed & ipsum ibidem se in fœdissimas, maximeque monstrosas libidines effusurum; en* Eusebii *in hanc rem verba*: Quia erat Cerinthus ventri, & gulæ, & libidini deditus, ea docebat, quæ sibi libido dictabat, docens, non solum per mille annos Christum post resurrectionem Regnum administraturum in terris, sed in ipsius quoque Regno futuras omnes improbas voluptates, hoc est fœdam epularum ingluviem ventris, & ea, quæ sub mente sunt, exquisitissima incitamenta, & vitia quædam turpissima cujuslibet portentosæ, & execrandæ libidinis.

Non defuere, qui adderent, etsi sancti homines in eo Regno honestis omnibus tum corporis, tum animi voluptatibus fruerentur, nullam tamen injustitiam, improbitatem, delictum, sed aureum, omnique felicitate refertum sæculum, & cumulatissimam, numerisque omnibus absolutam tranquillitatem fore: Et isti quamquam existimarent, Christum excitatis Sanctorum corporibus reditutum in terras, ibique regnaturum annos mille; nullam tamen malorum hominum improbitatem, aut impietatem, aut injustitiam in Regno illo futuram crediderunt; sed ex contra inæstimabilem felicissimi, ac vere aurei sæculi tranquillitatem, in qua Sancti viventes in carne omnibus animi, & corporis deliciis summa innocentia, puritate, justitia, temperantia, & pietate fruentur. *Legatur Sixtus Senensis Tom.* II. *lib.* V.

S. Augustinus lib. x. *de Civit. Dei* cap. VII. *Millenariorum opinionem ortam ait ex mille annorum numero, qui Apocalypseos cap.* xx. *legitur, ubi S. Joannes visionem suam ita describit*: Et vidi Angelum descendentem de Cœlo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua; & apprehendit Draconem, & Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per mille annos. Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni; & post hæc oportet illum solvi modico tempore. *His scilicet postremis verbis nititur error Origenis (siquidem ejus fuit) de Diaboli, damnatorumque liberatione*.

Quod autem spectat ad Christi Regnum in terris cum Prædestinatis post extremi judicii diem, age dum videamus, quo fundamento nitatur; his nempe ejusdem S. Joannis verbis: Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt caracterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis; cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.

De

De hoc ergo duplici mille annorum numero ita statuunt, ut primus Christi resurrectionem, ejusque Regnum cum Prædestinatis in terris, alter resurrectionem alteram spectet, quæ Dæmonum, & Reproborum liberatio, ac venia est. Qui in hoc placitum descenderunt, opinati sunt, hoc omne tempus veluti Sanctorum Sabbatum fore, quo nempe quiescent post labores, curas, sollicitudines annorum sex mille, qui tum quidem elapsi erunt, ex quo creatus homo fuit, & a Paradisi felicitate in hujus mortalis vitæ miserias delapsus; quandoquidem legimus: Unus dies apud Dominum (*S. Petr.* II. *Epist. cap.* III. 8.) sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies. *Ubi ergo anni sex mille veluti sex dies excurrerint, septimus dies, hoc est septimum millenarium, seu postremi anni mille Sabbati locum tenent quoad Sanctos, qui illud celebraturi resurgent.*

S. Augustinus *monet, opinionem hanc aliqua ratione tolerandam fore, siquidem eo perdurante Sabbato spiritalibus deliciis Sancti ob Servatoris præsentiam fruituri crederentur. Subdit S. Pater se quoque alias in eadem sententia fuisse; sed ab ea tamen propterea recessisse, quod animadverteret, ejusdem sententiæ propugnatores spiritalium deliciarum loco carnales delicias, & sensuum proprias voluptates inducere.*

Idem S. Augustinus explicans verba illa: Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: *pronuntiat, particulam* donec *non ita accipiendam esse, quasi elapsis annis mille, Diabolus solvendus sit, ut Nationes seducat, quæ Prædestinatorum Ecclesiam constituunt; sed ita, ut illimitatum, indefinitumque tempus significet, nempe,* nunquam, *ut scilicet nunquam Nationes seducat. Potest etiam eadem particula eo sensu accipi, ut significet* semper, *ea nimirum ratione, qua diximus:* Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri, *Psalm.* CXXII. 3. *ut nempe significemus, cum Deus nostri misertus fuerit, non proinde tamen nos oculos nostros in eum defigere cessaturos, sed semper in eo spem omnem nostram collocaturos.*

Alii quoque extitere Millenarii & ipsi dicti, quod gloriæ dilationem usque ad extremi judicii diem quoad animas ab omni omnino labe puras assererent; at Florentinum ac Tridentinum Concilia jam ut firmissimum Fidei Dogma statuerunt, Sanctorum animas, statim atque e corporibus egressæ fuerint, nisi forte superstit aliqua in purgatorio detergenda macula, nulla interjecta mora, in Paradisum recipi, ut Divina visione fruantur, quin suorum corporum resurrectionem expectare cogantur, quo sane tempore beatitatem alteram consequentur, quæ ad earum corpora ipsa spectabit.

Mina, seu *Mna*, nummi genus, hebraice *Min*. Mina hebraica sexaginta siclos valebat, qui libras nonaginta septem, & solidos quinque conficiunt; at Mina Græca, seu Attica, de qua in Novo Testamento sermo est, Drachmas centum, seu quinquaginta libras æquabat. *Ezech.* 45.

Minutum, exiguus nummus, siliqua minor: *misit duo minuta, quod est quadrans.* Marc. XII. 42.

Miphibosceth, ex ore meo egreditur ignominia, filius Saulis, & Respha ejus concubinæ, quem David cum Armoni, & quinque filiis Merob Gabaonitis tradidit, quos ad expiandam crudelitatem in crucem agerent, quam in Gabaonitas ipsos Saul exercuerat. II. *Reg.* XXI. 8.

Miphibosceth, Jonathæ filius, Saulis nepos, adhuc infans erat, cum hi duo Principes in prælio Gelboe occisi fuere, an. Mund. 2949. Ejus Nutrix adeo tristi nuntio perterrefacta, brachia remisit, aperuitque; ita puer humi procumbens, quoad vixit, claudus remansit. Regno potitus David, in amici Jonathæ gratiam, ejus filium humaniter habuit, ei omnia Avi bona restitui jussit, eumdemque suæ semper mensæ assidere voluit. Post annos aliquot, cum Absalon in Patrem insurrexisset, eumque Hierosolymis egredi coegisset, Miphibosceth Davidem subsequi voluit.; at ejus servus Seba, heri infirmitate abutens, quæ impediebat, ne pedes iter faceret, ad Davidem properans, Miphibosceth tamquam Absalonis asseclam accusavit. David impii servi dictis deceptus, omnia Miphibosceth bona eidem tribuit; at Hierosolymam regressus David, cum Miphibosceth innocentiam suam apud eum probasset, mandavit, ut eos inter duos bona dividerentur.

Pharan percutrissent, venisse refert ad *fontem Misphat*, qui aliter dicitur *Cades*. Misphat porto judicium significat; id autem nominis non ante fonti Cades impositum fuit, quam ex eo Moses aquas educeret, quæ dictæ fuerunt *aquæ contradictionis*; & quam Deus judicium suum in Mosem, & Aaron exereret, qui eum apud populum ea, qua par erat, gloria non affecerunt. *Genes. cap.* xiv. 7.

Mithridates, *qui legem explicat*, quæstor Cyri Persarum Regis, cui Princeps hic Hierosolymitani Templi vasa tradidit, quæ Nabuchodonosor surripuerat, ut ea Sassabasaro remitteret, quem Cyrus ipse caput Israelitarum, & Principem Juda statuerat. Fuit & alius ejusdem nominis, qui cum Beselam, Thabal, aliisque nonnullis in Judæos male animatis Artaxersem per litteras hortatus est, ut Templi reparationem impediret. I. *Esdr. cap.* 1. 18. & IV. 7.

Mitylene, *puritas*, Metropolis Insulæ, quæ Lesbos dicta, quam S. Paulus pertransiit, cum se Corintho Hierosolymam contulit. Urbs hæc hodie *Metelino* vulgo dicitur, & Turcis subest. *Actor.* xx.

Mnasus, *qui recordatur*, Judæus ad Christum conversus, & in Septuaginta Discipulorum numero positus. S. Paulus Hierosolymis apud eum divertit. *Actor.* xxi. 16.

Moab, nempe *filius patris mei*, natus est ex incesto Loth cum filia primogenita an. Mund. circiter 2108. Moabitarum pater fuit, qui ad ortum Jordanis & Maris mortui prope Arnon flumen habitabant. Horum populorum Metropolis alluebatur hoc ipso flumine, dicta *Ar*, *Areopolis*, *Ariel de Moab*, *Rabath*, *Moab*, seu *Kirharesseth*, scilicet Urbs, cujus mænia lateritia. Filii Moab regionem hanc occuparunt, Gigantibus profligatis, qui *Enachim* nuncupabantur; ejusdem partem sibi deinde Amorræi vindicarunt. Moabitarum semper cum Israelitis contentio pertinax, & odium acerbum fuit. Hi scilicet obstitere, ne in eorum regionem Israelitæ pedem inferrent, iisque extrema necessitate pressis panem & aquam tribuere renuerunt. Balac Moabitarum Rex præcepit Balaam, ut populo Dei malediceret, eumdemque populum Eglon post Josue mortem in servitutem redegit. Populos hos suo David imperio subdidit, eique ad decem usque Tribuum separationem subditi remanserunt. Tum vero Regibus Israel parere cœperunt; at post mortem Achab insurrexerunt, eorumque Rex Mesa tributum solvere recusavit. Joram, Regibus Juda, & Idumææ in societatem ascitis, in perduelles progressus est, eos profligavit, & regionem vastavit. Ab hoc tempore haud satis in comperto est, quæ Moabitarum conditio fuerit; at vero simile sit, eos a Rege Nabuchodonosor captivos ultra Euphratem ductos esse, & a captivitate, Cyro regnante, reversos easdem fere, ac Judæos vicissitudines subiisse. *Genes.* xix. 31. *Deuter.* II. 12. *Judic.* XI. 13. II. *Reg.* x. II. *Paralip.* xxvi. 7.

Modin, *judicium*, celebris Urbs in finibus Tribus Dan, quæ Eleazari filiis in Terræ promissæ divisione tradita fuit. In ea natus est insignis Mathatias, & in Mausoleo ibidem sepultus, quod Simon ejus filiorum unus in ejus honorem erexit, qui piramides sex ad eumdem locum extollendas curavit, ut familiæ suæ sepulcra distingueret. Monumentum hoc, Vespasiani bellorum tempore, dirutum fuit. Est etiam clara Modin prælio, quo Judas, exigua militum manu, Antiochum Eupatorem profligavit. I. *Machab.* XIII. II. *Machab.* XIII. &c.

Moloch, nempe *Rex*, Ammonitarum Idolum, cui suos ipsi pueros immolabant in ignem projectos, quem in ejus honorem accensum servabant. Consuetudo hæc nuncupabatur Infantium per ignem consecratio. Hebræi sæpenumero hujus Idoli barbaro cultui se dediderunt. Et Salomon super Olivarum monte Templum ædificavit, cujus impietatem Manasses longo post tempore imitatus est, proprio filio in honorem Moloch per ignem transire jusso. In Valle potissimum Jopheth, & Ennon ad orientem Hierosolymæ peragebatur impius cultus, quem Judæi, suis per ignem immolatis filiis, Idolo Moloch exhibebant. Statua hæc truncum, seu dimidium humani corporis exhibebat, Vituli capite, extentis brachiis; vacua erat, ejusque concavus sinus armaria septem, seu promptua-

ptuaria continebat, quorum primum farinæ, proxima quinque variis animalium generibus, quæ ei immolabantur, denique septimum devovendis infantibus inserviebant. Truncus hic, seu dimidium humani corporis furno veluti cuidam imponebatur, ubi vehemens ignis accendebatur; ac ne infantium clamores perciperentur, acer edebatur sonus tympanis, & instrumentis aliis, quæ spectatorum aures obtunderent. Non desunt, qui infantes non reapse combustos, sed, purgationis gratia, per ignes duos. qui ante Idolum accendebantur, transire jussos contendunt. Sacra tamen Scriptura veram, ac proprie dictam immolationem adeo perspicuis verbis innuit, ut nullus dubitandi locus supersit, quin saltem aliquando perageretur. Porro Moloch nonnullis Saturnus, aliis Mercurius, Mars, aut Sol fuisse videtur.

Morasthi, *hæreditas*, Michææ Prophetæ patria, eadem ac Maresa Urbs Tribus Juda. *Jerem. cap.* XVI.

Moria, *visio*, nomen, quod Abraham indidit monti, super quo Deus ei præceperat, ut Isaac in sacrificium offerret. Mons hic dividitur in colles tres, in quorum uno Salomon Hierosolymitanum Templum ædificandum curavit. Davidis arx in eo erat, qui Sion dicebatur; & Christus Dominus affixus cruci fuit in tertio, qui extra Urbem erat, cuique Calvario nomen, ubi creditur Isaac immolandus fuisse.

Mors, *latine*, Θάνατος *græce*, מות Maveth *hebraice*, *nihil est aliud*, *quam extrema naturalis caloris extinctio*, *per quam animæ a corpore sejunctio contingit*. *Cum e limo terræ Deus hominem efformasset*, *ejusque vultum afflasset*, *sumptum transtulit in deliciarum locum*, *quem coleret*, & *custodiret*. *Tum ei summus Opifex ejusmodi præceptum imposuit*: De omnibus arborum Paradisi fructibus comede: de ligno autem (*Gen. cap.* II. 17.) scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis, morte morieris. *Hic enim vero primum de morte factus est sermo*.

Quæritur ergo, *num Adam statim post peccatum mortem subierit*. *Respondetur*, *mortis esse genera duo*. *Alia nimirum animæ mors*, *alia corporis est*. *Adam animæ mortem statim subiit*, *ac præceptum transgressus est*, *quod ei Deus imposuerat*; *ne de scientiæ boni*, & *mali fructu comederet*; *neque unus Adam eam mortem subiit*, *verum etiam ejus posteritas universa*, *perinde ac si Deus ei dixisset*: non morieris solus, sed tu cum omni stirpe tua; voluntates enim posterorum tuorum positæ sunt in voluntate tua. *Tu quippe cæterorum hominum principium es*, *pater*, & *caput*; *ut*, *si meam unus sanctionem violaveris*, *quicunque te consequentur*, *ii quoque omnes ad unum eam transgrediantur*, *reique sint*. *Ita porro peccatum extitit*. *Adam quoad animam mortuus est*, *statim ac fructum primoribus labris*, *ut dicitur*, *degustavit*.

Ad alteram mortem quod attinet, *eam scilicet*, *quæ corpus afficit*; *Adam re quidem vera non statim obiit*, *ac peccavit*, *bene vero moriendi obligationem*, & *necessitatem contraxit*. Tirinus *eo ipso momento temporis Adam mori cæpisse pronuntiat*, *quo Divinum præceptum transgressus est*; *ei quippe remedia omnia*, & *antidota*, *quæ parata fuerant*, *ut se a morte tueretur*, *adempta fuere*; *ac mortalium primus carnis*, *quam rationi subdere nitebatur*, *vehementem contentionem in se ipso sensit*; & *qui in Creatorem suum insurrexerat*, *eo ipse se adactum vidit*, *ut eam subdere omnino non posset*, *nisi potentissima D. N. Jesu Christi medicinalis gratia ei præsto foret*. Legatur liberum arbitrium.

Quæri hoc loco posset, *futurumne esset*, *ut Adam moreretur*, *si non peccasset*. *At cum hæc hypothetica quæstio sit*, *inter eos agitari solita*, *qui ea curiosius inquirentes*, *quæ fieri poterant*, *se minime de iis sollicitos exhibent*, *quæ facta sunt*; *ab ea proinde nos abstinendum ducimus*, *iis contenti*, *quæ contigerunt*.

Mortuus. Deuteronomii cap. XIV. legitur: *Nullam tibi incisionem facies*, *nec tibi capus rades mortui causa*. Id Interpretes ad *Adonidem* referunt; in ejus quippe luctu hæc omnia peragebantur. Quicunque versabantur in domo, in qua mortuus quispiam aderat, aut cadaver tangebant, polluti erant, & purificationis præcepto suberant. *Numer.* XIX.

Mosoch, *circumdatus*, sextus filiorum Japhet, Moschorum pater, qui Ibe-

riam

riam inter, & Armeniam degunt. *Genes.* x. 2.

Moyses, *Moses*, *ab aquis servatus*, Judæorum Legislator, filius Amram, & Jocabed e Tribu Levi, natus est in Ægypto an. Mund. 2433. Quoniam præceperat Ægypti Rex, ut omnes Hebræorum filii masculi occiderentur, Mosem parentes, cum adduci non possent, ut morti traderent, trium mensium spatio celarunt; at veriti, ne detegerentur, junceæ bitumine unctæ cistulæ inclusum Nili aquis exposuerunt, Thermutis, Pharaonis filia, cum eo venisset, ut se ablueret, cistam conspicata capi jussit, inclusique infantis pulcritudine permota miserta est. Tum vero Maria, Mosis soror, quæ hæc omnia attentis oculis advertebat, accedens, ei e sua Natione nutricem obtulit, qua annuente, Jocabed matrem quæsitum iit. Elapso triennio, Thermutis eum sibi filium adoptavit, Mosem vocavit, ac diligenter omnibus Ægyptiorum scientiis imbuendum curavit. At majorem pater, & mater operam contulerunt, ut majorum suorum Religionem, & historiam eum edocerent. Mature ejus animum ad Pharaonis Aulæ fastum flocci faciendum ita composuerunt, ut jam a puero populi sui calamitatum particeps esse mallet, quam insignia emolumenta consectari, quæ e Regiæ filiæ gratia, & amicitia sperare poterat. Historici nonnulli peculiaria multaa de Mosis adolescentia commemorant, quæ in Sacris Litteris non occurrunt. Josephus, & Eusebius ab eo confectum bellum ferunt, quo Æthiopes penitus profligarit; adduntque eum ad Urbem Sabam usque hostes persecutum eamdem Urbem cepisse proditione filiæ Regis Æthiopum, quæ cum ante omnes Ægyptios, quibus præerat, ad mænia strenue pugnantem conspexisset, repente longe maximo ejus amore capta fuerit. At expeditio hæc maxime incerta est *. Nos sacræ tantum Scripturæ narrationi adhæremus, quæ de Mose non nisi ab ejus ætatis anno quadragesimo verba facere aggreditur. Tum vero e Pharaonis Aula egressus est, ut indigenas suos inviseret, qui dominorum duritie, atque adeo tyrannide premebantur; Ægyptiumque hominem, qui Israelitam suste cædebat, occidit **. Eum hoc homicidium impulit, ut fugiens se in regionem Madian reciperet, ubi Sephoram Sacerdotis Jethro filiam duxit, e qua filii duo, Gersam, & Eliezer ab eo suscepti. In ea regione ad pascendos soceri greges incubuit; quos aliquando ad montem *Oreb* ducenti. Deus medio in rubo apparuit, qui ardebat, quin absumeretur. Prodigium admiratus Moses propius expendere voluit; Deusque jussum calceos exuere, quod humus, quam pedibus premebat, sancta esset, admonuit, se, populi sui clamore percepto, descendisse, ut eum ab Ægyptiorum tyrannide liberaret; ac te, inquit, electum volo, qui voluntatem meam exequaris. Mosi porro se utpote imbecillem, & balbutientem excusanti suam Deus opem promisit, certumque reddidit fore, ut ei frater Aaron interpretis loco esset, perfecitque ad ejus vincendas excusationes, ut eo ipso momento temporis miracula duo perpetraret; ejus virga in serpentem mutata pristinam formam recepit; manusque, quam lepra repente obtexerat, statim convaluit. Moses Divinis mandatis obsecutus fratrem Aaron sibi socium addidit; tum vero Pharaonem ambo convenerunt, eique fidenter dixerunt, Deum præcipere, ut Hebræis, sacrificii offerendi causa, in Arabiæ Desertum abeundi facultatem concederet. At impius Princeps ejusmodi jussis exacerbatus labores auxit, quibus Israelitas premebat. Divini Numinis Oratores iterum accedentes edidere miraculum, quo Pharaonis animum permoverent. Aaron ad ejus pedes virgam projecit, quæ statim in serpentem versa est; at Rex, obfirmato durius animo, ob Magorum suorum veneficia, qui id obtinuerant, ut hoc prodigium imitarentur, in suum ipsius Regnum gravissimas plagas decem pertraxit, quibus afflictum fuit ***. Tandem Princeps succumbens earum ultimæ Hebræos discedere passus est, eaque omnia secum ferre, quæ ad eos spectabant, die quinta decima mensis Nisan, quæ anni prima in hujus liberationis memoriam evasit ****. Ramesse discessere hominum, qui gerendis armis idonei essent, sexcenta millia, haud numeta-

hoc ipsum tempus spectantia, & quidem animadversione non indigna commemoravit; at ne tanquam vera venditentur, sacri Textus silentium prohibet. Nihilominus haud injucundum Lectoribus fuerit, Josephi *narrationum breve compendium eorum oculis subjici. Ait ergo Antiquit.* lib. 11. cap. x. *Pharaonis filiam* Thermutim, *cum esset prolis expers, sibique proinde Mosem adoptasset, praeclara vultus pulcritudine, aliisque praeterea singularibus dotibus capta, quae ejus animum exornabant, eum patri obtulisse, qui puerum paterno veluti amore complexus, & sinu fovens, diadema sibi detractum ejus capiti imposuit. At tantum abfuit, ut Moses id sibi gratum ostenderet, ut potius contumeliose dejectum pedibus tereret. Quamobrem is ipse Sacerdos, qui ejus ortum praedixerat, elata voce clamavit, omnino necesse esse puero vitam adimi; secus Ægyptum nunquam salvam, tutamque fore. At eum periculo Thesmutis subduxit, Rege non repugnante, & Prophetam pro arbitratu garrire passa est, qui tamen secum in animo reputare nunquam destitit, quam demum rationem iniret, ut Regnum a tam pernicioso homine liberaret.*

Jam vero Mosi, cum ad virilem aetatem pervenisses, (pergit Josephus*) occasio se obtulit, qua longe maximum, quo pollebat, animi robur ostenderet.* Æthiopes, *qui superiorem regionem ad Ægypti meridiem incolebant, iteratis jam incursionibus, omnia circum loca vastaverant, atque adeo Ægyptium Exercitum repulerant, everterantque, quem* Pharao *miserat, ut justo praelio iisdem obsisteret; quae prospera eventa ad arrogantiam vertentes, in ipsam Ægypti Metropolim progredi coeperant. Ad eas angustias redacti Ægyptii Oraculum consuluerunt, cujus id responsi fuit, siquidem victoriam expeterent, oportere, ut Hebraeum Exercitus ducem statuerent. Cum ergo nemo animi alacritate, ac robore Mosem aequaret, filiam Rex obsecravit, ut eum Exercitui praefici pateretur. At cum ea patri significasset, quam dedeceret Ægyptios ejus opem implorare, cui extremam perniciem tamdiu moliti fuerant, suum tandem assensum praebuit, ad jurisjurandi fidem adacto patre, Mosis vitam ab invidorum Ægyptiorum insidiis salvam per eum & integram fore. Statim ac Moses Exercitui praefectus fuit, non alio spectavit, quam ut hostilem Exercitum, quam celerrime posset, assequeretur. Itaque haud suscepto per Nilum itinere, quod erat in more positum, regionem praetergredi maluit, ut breviore via Æthiopes adoriretur, illinc nil tale propterea veritos, quod venificae aves, & serpentes ita regionem omnem pervaderent, ut aerem ipsum inficerent. At Mosem ratio non latuit, qua exercitum ab eo discrimine tueretur; plurimas scilicet aves,* Ibes *dictas, ferreis caveis inclusas secum attulit, quae ea erant indole, ut serpentum genus omne vorarent, cum caeteroquin aliorum omnium viventium se amicas exhiberent. Hoc ei consilium bene admodum cessit; vix enim emissae* Ibes *ea omnia venefica animalia persecutae longe maxima clade affecerunt, atque ita Mosi perbrevem, tutamque ab hostes viam aperuerunt, quos ille nec opinantes invadens fudit, profligavitque. Tum vero hostilem ipsam regionem subiit, Urbes non paucas cepit, & Æthiopes adegit, ut in Urbem Sabam, quam deinde* Cambises Meroen *vocavit, se reciperent, ubi per aliquod tempus eos arcta obsidione pressit. Porro quia satis munitus, & in media Insula positus locus erat,* Moses *multum temporis ibidem insumpsit, ac certe plus insumpsisset, nisi* Tharbis, *Æthiopiae Regis filia ejus amore capta esset, quem e moenibus admodum apte ac strenue pugnantem viderat. Eum ergo clam certiorem factum voluit, fore, ut Urbe penitus potiretur, siquidem ipsam sibi conjugem haud respueret. Optionem accepit Moses, locique potitus, & filiae principis, victor cum Exercitu in Ægyptum rediit, ubi tantum abfuit, ut insignium laborum, rerumque gestarum fructum perciperet, ut admodum ingrati Ægyptii eum apud Regem homicidii accusarent, qui bellicam ejus virtutem, & existimationem jam aegre ferens, sibique timendam ratus ei vitam adimere statuit. Moses, cum id ei suboluisset, occultae se fugae dedit, veritusque, siquidem communem teneret viam, ne a Regiis excubiis deprehenderetur, vasta deserta praetergressus, in terram Madian pervenit. Hactenus* Josephus; *ex cujus allata narratione facile inferri potest, fuisse causas omnino tres, quamobrem Pharao, ejusque populus de Mose per-*

ferviendo se maxime sollicitos exhiberent, invidiam scilicet, qua ejus egregia facinora, summamque, quam in memorata expeditione præstitulit, prudentiam inique ferebant; præterea sollicitum metum, ne quam seditionem, qua jam ille auctoritate, & gratia pollebat, in Ægypto excitaret; denique vaticinia, quæ ei sane regioni, Hebræi hominis opera, calamitates, & perniciem minitabantur. Quartam Philo *causam addit in Mosis vita; singularem scilicet amicitiam, qua Moses devinctus Hebræis erat, quos eo quidem tempore* Pharao *capitalium hostium loco habebat.*

Alii profani Scriptores Josepho subdunt, Mosem, cum ob nuptias, quas cum Regis Æthiopum filia celebraverat, potentissimus evasisset, militiam perdidicisset, ac demum calliditate polleret, se a Deo missum finxisse, ut ei fidem haberet Hebræus populus, eidemque se omnino dederet; ut autem principatum sibi magis magisque firmaret, novos Ritus iis omnino contrarios instituisse, qui apud cæteras Nationes vigebant. Ita quidem Tacitus *Historiarum lib.* v. *cui concinit* Diodorus Siculus *lib.* 30. *ubi de Mose verba faciens*: odium, *inquit*, adversus homines traditione propagavit. *Idem in Geographia scribit* Strabo; *ut proinde* Tacitus, Diodorus Siculus, *&* Strabo *Mosem, tamquam impostorem describant.* Joannes Tolandus, *qui omnes impietate superavit, allatis testimoniis utitur, ut Mosem sinceritatis, & veritatis characteribus omnibus spoliet, omniumque hominum ambitiosissimum, & vaferrimum exhibeat, in Dissertatione, quam inscripsit*: Adeisidæmon, seu Titus Livius a superstitione vindicatus, cum, Livio *teste, fictam a* Numa Pompilio *Religionem retulisset, ut populo timorem incuteret, eumque ita sibi dicto audientem redderet, jactans eamdem se Religionem a Deo Egeria, quam noctu consuleret, accepisse. Subdit e vestigio:* Eadem omnino de multis aliis Legislatoribus, præsertim vero cum Religiones, aut sacra instituissent, referunt probatissimi Scriptores, & simplex credidit vetustas. Ita Delphis Lycurgus ab Apolline, & Minos a Jove in antro Dictæo sua omnia didicisse comminiscebantur; ut homines nempe, divina auctoritate devincti, legibus ab ipsis prolatis libentius obedirent. His, atque similibus Moysem Hebræorum Nomotheten assimilare non addubitat Diodorus Siculus. Sed in hac Moysis cum aliis Prophetis, & Legislatoribus comparatione multo adhuc copiosior est Strabo Geographus. *Idem Atheus* Tolandus *Mosem in Panteistarum numero posuit, & garrire non est veritus, eum nomine* Jehova *nihil aliud, quam* Mundum *incorruptibilem, æternum, & interminabilem intellexisse, in qua impietate* Spinosa *in quadam ad Odelburgium Epistola* Tolando *facem, seu potius tenebras prætulit.*

At quis ejusmodi Scriptorum adeo apertam impietatem, crassumque mendacium non videt? Qui utpote nullius Religionis homines id sibi licere voluerunt, ut in meridiana luce penitus cæcutirent. Primum enim cum Hebraicæ Nationis Scriptores, rerum suarum peritissimi præsto sint, turpiter sane desiperet, quisquis exteris Scriptoribus mallet fidem addere, qui in Judaicis potissimum rebus crassissimam inscitiam prefeserunt. Legatur Relandus *lib.* I. rerum Mahometanarum *cap.* I. *Præterea nemo sane* Tolando *imprudentior animo fingi potest, qui Mosem imposturæ insimulasse non contentus, eum etiam Panteistam sui similem facere voluit; cum Moses ipse luculentissime doceat, Mundum a Deo creatum, Deumque solum æternum esse. Denique* Moses *suam tot miraculis missionem, auctoritatemque firmavit, ut de ejus fide dubitari omnino non possit; ejusmodi quippe miracula fuerunt, ut nec sensuum deceptioni, nec fraudi subessent; cujusmodi fuere decem Ægypti plagæ, transitus Maris rubri, aqua e silice educta, Mons Sinai majestate, & gloria cumulatus, Columna nubis, & ignis, quæ Hebræos præcedebat, & id genus alia, quæ probe omnipotentem Dei manum indigitabant; ut sane* Tolandus, *dum stilum in* Mosem *acuit, nihil demum aliud egerit, quam suam ipsius ignorantiam, & impietatem ostenderit.*

** P. Berruyer *in Historia Populi Dei probabile admodum putat rixantes Hebræos duos fuisse* Jannen, *&* Jambren, *quos Apostolus Epist.* II. *ad Timoth.* cap. III. *Mosi refragatos refert, quem suæ contentionis judicem agnoscere noluerunt, etsi supremum*

mum universi populi judicium ei Deus contulisset. Id autem Auctorem hunc impulit, ut ita crederet, quod nomina duo, de quibus Apostolus, Hebraica omnino sunt, ac proinde memoratis Hebræis rixantibus accommodata; eademque de causa ne Magos quidem, quos Mosi opposuit Pharao, Ægyptios fuisse arbitratur. At tota errat via; ut enim vere Hebraica ea duo nomina redderentur, efferenda essent in hunc modum, Jochanan, *&* Mambri, *seu* Jonah, *&* Jambri, *quod nimirum Judæorum nonnulli faciunt. Legantur* Bustorfius *in* Lexico Talmudico, *&* Fabricius *de* Apocryph. Vet. Test. *Quare nomina duo, de quibus S. Paulus mentionem facit, Magorum erant, qui id assecuti sunt, ut nonnulla, non tamen omnia Mosis miracula simularent; non autem Hebræorum duorum nomina, qui inter se contendebant, & qui Mosis homicidium vulgarunt, qui proinde in terram Madian fugere necesse habuit.*

*** *Legi poterit Articulus,* Plagæ Ægypti.

**** *Legatur Articulus* Pascha.

***** *Scitu valde dignum est, utrum Hebræorum transitus per Mare Rubrum reapse prodigiosus fuerit, necne; scilicet, quæ-dumne supernaturalis vis mare diviserit, an vero* Moses, *ejusque Exercitus aliquam tantum maritimam oram obierint, adeoque opportuno, decrescentibus aquis, angustum aliquod spatium prætergressi fuerint, ut idem conatus* Pharao *submersus jaceret. Haud nova est controversia hæc; quandoquidem* Artapanus *vetus Scriptor apud* Eusebium *lib.* IV. *cap.* 27. *utramque opinionem ab Ægyptiis Sacerdotibus propugnatam fuisse testatur, ab* Heliopolitanis *primam, a* Memphiticis alteram; *& hanc etiam secutos esse non paucos tum inter Hebræos, tum inter Christianos, cujusmodi fuere* Maimonides, Abenezra, *aliique Rabbini apud* Fagium, Gregorius Turonensis *lib.* 1. *Histor.* S. Thomas Aquinas *in* 1. *ad Corinth.* Tostatus *Quæst. in Exod.* Lucas Burgensis, Vatablus, Clericus, *aliique, qui transitum quidem hunc maxima ex parte prodigiosum rati, censuere tamen Israelitas ita solummodo* Mare Rubrum *prætergressos esse, ut ejus oram obirent, circuirentve, ac semicirculum, prope dixerim, efformarent, aut ex-*

guum sinum transgrederentur, cum aquæ, Mari retrogrado, decrevissent. Quod hujus opinionis propugnatores confingere necesse erat, ut ita difficultates aliquas solverent, quæ iis prorsus insolubiles videbantur, a quibus afferendis abstinemus, ne hæc Adnotatio justo longior evadat. Ergo satis habebimus animadvertere, opinionem hanc propugnari non posse, quin aperte recedatur a textu. Quod sane evincitur I. *ex Mosis expressis verbis, aliisque sacræ Scripturæ textibus, in quibus hac de re sermo est;* II. *ex ratione, & experientia, quæ æstus maritimi, cui* Rubrum *quoque* Mare *subest, notitia nititur, præsertim cum haud vero simile sit, tantam hominum multitudinem, eo, quod ponitur, brevi spatio, illud obire, aut prætergredi potuisse;* III. *ex cognitione, quæ nobis suppetit, indolis Mosis, ingenui scilicet Historici, ex antiquis etiam, quæ hujus eventi præsto sunt, testimoniis, denique ex plerisque omnium seculorum, omnisque Religionis Auctoribus, qui omnino prodigiosum transitum asseruerunt, eorumque nonnulli etiam probarunt.*

Ad primum quod attinet, nihil vehementius cordatum quemque movere potest, ut ab opposita sententia recedat, quam universæ narrationis series, quam Moses exhibet. Satis fuerit hoc loco nonnulla tantum testimonia delibare, quæ Exod. cap. XIV. Numer. *&* Deuter. cap. XV. leguntur: eo scilicet virgam super aquas Dei jussu extendente, vehementissimum ventum prodiisse, qui aquas divisit; his in cumulos assurgentibus parietem veluti quemdam dextrorsum, ac sinistrorsum extitisse, maris fundum aridum evasisse, & Israelitas firmum quasi solum prementes sicco pede progressos esse, *atque id genus alia.* Deum divisisse Rubri Maris aquas in partes duas, atque effecisse, ut Israel per medium spatium transiret; Israelitas progressos esse Deo duce per Mosem, cui per divisas aquas iter aperuit, ut nomen æternum sibimetipsi conquireret, populum suum ducens in profundo Maris, instar Equi in Deserto; Deum per mare ambulasse, seu potius Israelitis mandasse, ut per mare ambularent, *quemadmodum Psalm.* 135. *Isaiæ cap.* 63. *& Habacuc cap.* 3. *legimus,*

ne quid de apocryphis libris dicamus , qui iisdem locutionibus referti sunt . Quod si quis opponat , postrema , quæ attulimus , Psalmorum , & Prophetarum testimonia nihil evincere , quippe quæ poeticas potius imagines , quam rem ipsam exhibeant , nec proinde litterali sensu accipi debeant ; responsio in promptu est , prodigiosum eventum a Davide , cæterisque Prophetis magnificentius proponi , quam a Mose , cujus stilus omnino simplex, naturæ consonus , & in medio positus est . Quamobrem absonum fuerit asserere , laudatis in locis nihil amplius , quam aliquid consuetis naturæ legibus , & viribus consentaneum , factuque facile significari , quemadmodum contrariæ opinionis fautores contendunt . Postremo cum id tamquam omnino prodigiosum in Sacris Litteris referatur , nemo certe , qui non omnino desipiat , earum auctoritatem negaverit , asserueritque , transitum , quo de loquimur , in eo tantummodo positum fuisse , ut Israelitæ non nisi maris oram attingerent , obirentque , vel ejus exiguum sinum , aquis fluxu tempore decrescentibus , transgrederentur .

Porro seu Josephus lib. II. cap. 16. *miraculum hoc imminuere , seu creditu facilius reddere , seu quidvis aliud in animo habuerit , cum scripsit ,* Mare Pamphylium Alexandro in Persas cum exercitu progredienti viam aperuisse , *parum refert ; quamvis enim contendere velimus , eum Josephi verborum verum sensum esse , vel id eventi in aliquibus descriptum libris , qui tum existerent , Josepho ipsi occurrisse , vel Q. Curtium ipsum simile quiddam innuere , dum ait , eum celebrem* Victorem *novam sibi viam per mare aperuisse ; certum tamen est , id ipsum distinctius a* Strabone *commemorari . Auctor nimirum hic* lib. XLV. *memoriæ prodit , ad Mare Pamphylium eminentem locum , qui* Climax *dicebatur , extitisse , per quem liber per oram transitus esse poterat ; quoniam ab hoc edito loco , cum Mare tranquillum erat , aquæ ita recedebant , ut solum omnino detectum remaneret , quod , iisdem aquis crescentibus , iterum tegebatur ; at per eam viam pergentem* Alexandrum *iter , ante aquarum reditum , aggressum esse ; at cum eo tempore hyems advenisset , aquas , antequam ipse transiisset , ita excrevisse , ut ille per integram eam diem aquis ad cingulum immersus progredi cogeretur . Certum igitur , exploratumque est , inter Israelitarum per mare transitum , &* Alexandri *ad maritimam oram iter nullam omnino comparationem institui posse , siquidem Judæus Historicus ea duo mutuo conferre in animo habuit .*

Jam vero , quod secundo loco propositum est , ostendamus , opinionem , quæ Israelitas a Mose per Maris oram ductos statuit , eosque breve tantum Maris spatium prætergressos esse , rationi , & experientiæ penitus adversari . Nos quidem in eam sententiam ultro descendimus , Rubri Maris æstum cæterorum Marium , quæ cum Oceano conjuncta sunt , æstui similem esse ; scilicet aquas spatio horarum sex ad ripam accedere , ac per horæ quadrantem in maxima altitudine commorari , deinceps horarum pariter sex spatio descendere , & a ripa recedere . Qui diligentissime id expenderunt , distantiam maximam , quam Mare recedens detectam relinquit , tercentorum circiter passuum esse testantur ; ut proinde hujus aquarum recessus tempore , per eam oram iter tuto fieri posset , quod multorum exemplo confirmat Thevenoth cap. XXV. *Verum hinc aperte constat , eos tercentos passus , quos ad fundum descendens Mare detectior relinquit , ut summum per horæ dimidium ita detectos , ac sine aqua manere posse ; Mare quippe prioribus horis sex , quibus ad centrum fluit , per gradus tantum recedit , & posterioribus horis sex , quibus ad ripam refluit , ante horæ dimidium ascendere incipit . Ergo ratione habita , seu de tempore , seu de soli spatio , quoad hunc per maritimam horam transitum , sermo sit , ducenti tantum passus horis sex , est centum quinquaginta horis octo concedi possunt . Jam vero perspicuum est , multitudinem , quæ ex viris , fœminis , pueris , servis saltem vicies & quinquies centena millia conficiebat , non sine magna pecorum vi , copiosa supellectile , pluribusque Ægyptiorum spoliis , quæ dubio procul cunctationi erant , id itineris tam brevi peragere non potuisse , tametsi duplo longius temporis spatium , ac duplo major soli latitudo ponantur . Porro hoc adeo evidens argumentum in eos quoque vim habet , qui Israelitas non nisi brevem sinum non longe ab Isthmo , qui vulgo* Sur , *seu*

Suez ,

Suez, pretergressos autumant; sex enim hora, vel octo, posita quantalibet latitudine soli, multitudini tantæ satis non fuissent; ac Pharaoni *multo minus, qui per eamdem viam cuniam verso Exercitu Mare subiit.*

Non abs re fuerit hoc loco animadverti, quam creditu difficile, atque absonum sit, hunc Maris Rubri recessum, statis horis, accessumque Ægyptiis omnibus ignotum fuisse, quemadmodum etiam eos pertinaciter haud destitisse Israelitas persequi, cum jam viderent se mari crescente paulatim obrui, ac misere tamen, ut fine contigit, perire voluisse. Præterea quis unquam crediderit, consulto factum esse, ut Israelitæ se mari committerent? Ac Mosem vel levitur suspicatum esse subsecuturos Ægyptios, qui cæteroquin iterum iterumque severe puniti, quod impedivissent, quominus Israelitæ discederent, tandem aliquando de eorumdem discessu se tantopere sollicitos exhiberent? Si quid enim Mosi subolaisset, temere dubio procul egisset, qui populum eo duceret, ubi utant hinc Mare, illinc Montes intercludebant; si enim eos Pharao, *statim ac* Phihairoth *pervenerant, aggressus esset, quod sane Mosi timendum erat; Israelitæ se in Mare conjicere necesse habuissent, vel multo antequam commode per aquæ recessum transire possent, vel ipso maximi fluxus tempore; atque ita quidem aut aquis submersi, aut ab Ægyptiis trucidati periissent.*

Quod eo nos ducit, ut, quod tertio loco animadvertimus, ostendamus, ejusmodi scilicet opinionem, vel si tamquam purus putusque Historicus Moses spectetur, perspectæ ejus indoli repugnare, nec defendi posse, quin ejus non modo summus pudor, & singularis integritas, sed prudentia quoque, rerum peritia, experientia in dubium revocentur. Ex una nimirum parte quis sibi persuadeat, ejus opinionis assertores ullam Mosi fidem addere, dum ait, Deum solum, quem Pharaonicæ aulæ consilia non latebant, perfecisse, ut Populus novum hoc iter ex improviso susciperet? Dum ob conspectum Ægyptiam Exercitum semetipsum admiratione captum, & Israelitas timore perculsos refert? Dum Deum hac in re prodigiosam suam potestatem interposuisse testatur? Uno verbo, dum narrat, Deum, diviso Mari, viam velati confecisse, qua tum Israelitæ ambulantes se in tuto ponerent, tam Ægyptii subsecuti, undis ingruentibus, submergerentur. Quid sentiendum de ejus fide, dum tradit, Israelitas hymnis, & canticis Deum prosecutos, quem suæ ipsorum liberationis Auctorem agnoverant; cum, ex opposita quidem sententia, nihil aliud ejus sagaci regimini, atque ingenio deberetur? Ex alia vero parte, quid judicii de ejus consilio ferendum est, quod profecto summa vituperatione dignum fuisset, siquidem populum ita duxisset, ut eum in adeo evidenti periculo constituere vellet? Addimus & illud nos, neminem Mose magis prudentiæ, & sensus expertem futurum fuisse, si se promemodum innumeræ, atque incredulæ multitudini persuasuram putasset, eam transitum, ut ipse quidem asserit, omnino prodigiosum fuisse, cum facile quivis e multis cognoscere cognoscere posset, e converso se rem habuisse. Multo vero minus in hujus transitus recordationem dierum septem solemne festum instituisset, atque adeo mandasset, ut etiam a posteris per omnia futura sæcula celebraretur, quandoquidem ipsius transitus experientia evidenter ostendisset, in eodem transitu nihil fuisse supra naturam positum, divinumque, utpote cum is aquarum accessus, recessusque in dies singulos statis horis, certaque lege contingeret. Hæ tam absonæ conjectiones, quæ necessaria connexione cum ea opinione conjunctæ sunt, adeo in omnium oculos incurrunt, at systema jam olim a Diodoro Tarsensi Chrysostomi *Magistro constitutum paucissimos asseclas habeat præter eos, quos supra diximus. Et eorum quidem plerique, ac animadvertimus, ac præsertim* Grotius, *&* Clericus *unanimi sententia statuunt, hac in re divinam potestatem interpositam fuisse, ut nempe subitum, vehementemque ventum excitaret, servaretque, at præter consuetudinem aquas repelleret, ut tandem easdem revocatas vehementius in Ægyptios impelleret.*

Innuimus præterea, opinionem hanc vetustissimis testimoniis compluribus adversari. Josephum *jam, &* Heliopolitas *nominavimus, qui eventum hoc inter miracula referebant; quorum auctoritati eo sane* Memphitis *anteponenda, quod eorum assertio non nisi veritatis invicto cuidam robori, reique ipsi omnibus nota ac perspecte adscribi potest, quocum-*

tumque tandem ratio Memphitas impulerit, ut id negarent. Præter hactenus dicta, unam tantum auctoritatem afferre contenti sumus. Diodorus Siculus lib. III. cap. 3. *asserit penes* Iebthyophagos, *qui ad Maris Rubri oras sub ejusdem fines degebant, constantem traditionem viguisse, Mare olim vehementiore vento divisum fuisse, sejunctisque duorum montium instar aquis, siccum, omninoque virentem fundum apparuisse. Traditio porro hæc ægre ad eventum aliud, quam ad præsens referri potest.*

Illud postremo loco silentio prætterire non possumus, inter eos ipsos, qui hoc celebri evento divinam potestatem agnoscunt, non defuisse, tum qui miraculum imminuere conarentur, tum qui justæ contentionis egressi limites illud præter modum amplificarent.

E prioribus ii sunt, qui Maris divisionem, & aquarum elationem acerrimo vento frigido tribuerunt, qui, quoad flavit, Mare in glaciem concretum detinuerit, quem deinde repellens vehementior alius novus ventus calidus glaciem solverit, & aquam in pristinum statum restituerit. In hac sententia fuere Septuaginta Interpretes, Paraphasis Chaldaica, *& Auctor libri* Judith, *qui verba Cantici Mosis* חהמות בלנ-ים קפאר. *ita vertunt;* Ἐπάγη καὶ τὰ κύματα, abyssi obduruerunt, *vel* aquæ gelu concretæ constiterunt in medio Mari. *Postremis temporibus inter recentiores multos* P. Martianeus *in quodam specimiae, quo nonnulla curiosa in sacro Textu inventa nobis exhibuit, inter alia id quoque detectum refert, Maris Rubri aquas alsisse concretas gelu.* Judæus *quidam* Rabbinus *opinatus est, Mare divisum quidem non fuisse, sed ita gelu concretum, ut illud Israelitæ prætergredientes tuto pede premerent, ac deinde sub insequentium Ægyptiorum pedibus repente solutum esse.*

E posterioribus est præsertim Origenes, qui ad hoc miraculum magis magisque illustrandum, vetustissimam Judæorum traditionem adducit, contendentium, Deum effecisse, ut Mare in distinctas columnas duodecim divideretur, ac per columnas singulas singula Tribus transirent; quam cæteroquin opinionem, veterum ac recentiorum Scriptorum multi secuti sunt. Traditio hæc niti videtur eo Psalmi CXXXV. *versiculo:* in partes, seu divisiones mare divisit Deus. *At nos ineptam hanc, ac pro libidine excogitatam opinionem ne confutatione quidem dignam ducimus; quod etiam de* Sedulii *placito asserimus, qui a veritate longissime aberrans, sibi in animum induxit credere, Deum scopulos solo æquasse, plantasque e fundo Maris eradicasse, ut faciliorem, promptioremque Israelitis transitum redderet.*

******. *Legatur Articulus* Vitulus Aureus.

*******. *Nonnulla* Septuaginta Interpretum, & Vulgatæ Versionis *exempla habent viginti tria, & alia triginti tria millia; at præterquam quod Textus autographus non nisi tria millia memorat, eæque Versiones, præstantissimorum Romanæ nostræ Ecclesiæ Virorum judicio, ad hanc rem quod attinet, corruptæ sunt; autographo textui tamquam vero similiori standum videtur.*

Multiplicatio. Prodigiosæ multiplicationis exempla non pauca occurrunt in sacris Litteris. Elias farinam, & oleum Viduæ Sareptæ multiplicavit. Elisæus in cujusdam Viduæ gratiam idem præstitit; viginti quoque panes hordeaceos multiplicavit, ut centum Prophetarum famem expleret. In Novo Testamento legimus, Christum Dominum hordeaceis panibus quinque, & piscibus duobus hominum quinque millia, præter fœminas, & pueros exsaturasse; iterumque panibus septem, nonnullisque pisciculis hominum quatuor millia. Deus multiplicationem hanc non minus mirandum in modum quotidie peragit, dum per pauca seminis grana producit, quidquid ad hominum, & animalium nutritionem necessarium est.

Mundus, Universum, quo Cælum, ac terra cum creatis rebus omnibus comprehenduntur. Sacra Scriptura nos docet, Deum, qui Mundum momento temporis, longe perfectiorem creare poterat, eum distincto temporis spatio creare voluisse, eoque in opere dies sex insumpsisse, ut ostenderet, se non necessitate, aut cæco quodam impetu agere; omnem autem Universi materiem uno temporis puncto, perque unum omnipotentis suæ voluntatis actum e nihilo eduxisse. At singulæ sensibus obviæ res non nisi sequentium sex dierum spatio perfectæ cumulateque productæ

fue-

fuere. Pattum plerique censent Mundum Vere creatum fuisse; quamquam alii, & quidem multi, aliorum sententiam gravibus difficultatibus obnoxiam videntes afferunt, id Autumnali tempore contigisse, ea tempestate plantæ fructus efferunt, & herbæ semina: *Protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum.* * Nos a Mundi Creatione ad Christi ortum quatuor annorum millia numeramus Mundus initium suum habuit, impiumque est, eum æternum statui, asserique semper extitisse, nunquamque desiturum; at non minor temeritas est, ejus durationi certos fines præscribi, quandoquidem, ut Christus ipse nos monuit, Mundi finis tam Hominibus, quam Angelis ignotus est.

* S. Cyrillus, S. Basilius, *Palæstinæ* Concilium *a Theophilo convocatum, referente* Beda, *Mundum Verno tempore creatum statuunt; quoniam, inquiunt, hac ipsa tempestate, non alia virentes campi, & florentes arbores conspiciuntur.*

At, si res sedulo perpendatur, id omne Autumno convenit; hac enim tempestate segetes in agris maturæ sunt, onustæque fructibus plantæ; Deus autem Mundum creans, res omnes perfectas creavit, secundum illud Deuteronomii cap. XXXII. v. 4. Nam Dei perfecta sunt opera. *Nec dubitari potest, quin arbores referte fructibus essent, quales nimirum Autumni tempore cernimus; cum vix creatus homo iis uti, vescique deberet. Sacra Scriptura expressis verbis pronuntiat, in Paradiso Terrestri nullum non pomorum genus fuisse; non ergo tam Verna, sed Autumnalis potius tempestas erat, siquidem de ea Mundi regione loquimur, in qua Homo creatus fuit. Quis enim dubitaverit, quin in aliis Mundi partibus, pro varia positione, aliæ tempestates existerent?*

Ut omnem ergo ambiguitatem adimam, ajo, cum Mundus creatus fuit, Solem in signo Libræ, aliove Autumnali fuisse. Id autem ostenditur ex ratione computandi annos communi apud Hebræos, Ægyptiosque ab immemorabili, ut dici solet. Etenim omnium primus Moses Dei jussu, quod Exodi cap. XII. *expressum legitur, annum Ecclesiasticum inchoavit a mense* Nisan, *qui Veris primus est; quandoquidem ante Mosem inchoabatur annus a mense* Tisri, *Autumni primo; quo quidem anni principio Patriarchæ jam inde a Mundi creatione utebantur. Quin etiam Moses ipse, cum Ecclesiastici anni initium in ipso ineunte Vere collocasset, in Civili tamen anno nihil mutavit. Quod in causa est, ut* Tabernaculorum *solemne festum, quod in Novo Testamento* Σκηνοπηγία *dicitur,* Exodi cap. 23. *mense septimo, ejusdemque* Exodi cap. 34. *sub anni finem indictum dicatur. Et sane* Josephus Hebræus, & S. Hieronymus *non aliud anni Civilis initium assignant, quam mensem* Tisri. *Præterea* Cicero lib. II. de Nat. Deor. & Lactantius lib. I. Divin. Instit. *testantur, Ægyptios a mense Septembri, qui Hebræorum* Tisri *respondet, annum inchoasse.*

Murmuratio, ob susceptam injuriam aliquam querimonia. S. Paulus murmurationem condemnat, quæ Israelitis adeo fatalis, & funesta fuit: *Neque murmuraveritis, sicut quidam illorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Sane Deus Hebræos murmuratores in Deserto severe puniit; nec semel, nisi Moses ejus indignationem flexisset, inibi fuit, ut eos omnes & singulos exterminaret. Sacra Scriptura de multis in Mosem, & Aaron murmurationibus loquitur. Murmuratio prima fuit in terra Gessen. Fratres nimirum duos tamquam malorum omnium Auctores insimularunt, quibus a Pharaonis Procuratoribus afficiebantur. *Deus* (ita illi ad Mosem, & Aaron) *Judex sit nos inter, & vos, quia vos ipsi nos abominationis argumentum apud Pharaonem, ejusque subditos reddidistis.* Oblocuti sunt etiam, obstrepueruntque, cum ex Ægypto egressi essent, antequam Mare Rubrum transirent, cum primum Pharaonem cum exercitu insequentem vidissent: *Et dixerunt ad Moysem, forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine?* Oblocutio tertia Maræ contigit, ob aquarum scilicet amaritiem: *Et murmuravit populus contra Moysen dicens: quid bibemus?* Murmuraverunt in Sin, ubi cibos suspirarunt, quibus in Ægypto vescebantur: *Quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Raphidim cum essent, sibi aquam deesse conquesti sunt: *Cur fecisti nos exire de*

ut de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, & jumenta siti? Murmurarunt ad Sepulcra Concupiscentiæ; cibique loco Deus coturnices ad eos misit; at cum ejusmodi cibum vix degustassent, Domini furor in eos exarsit, atque ita hominum millia viginti tria perierunt. Murmurarunt & post reditum Exploratorum terræ promissæ, eosque Deus puniit, quos scilicet omnes in eam ingrediendi felicitate privavit. Eosdem punierunt ob aliam oblocutionem alati Serpentes, quos Deus in eos immisit, quique magnum eorum numerum vita spoliarunt. Mariam Mosis sororem ob murmurationem lepra corripuit, quæ universum ejus corpus infecit; Core demum, Datan, & Abiron ob murmurationem graviore pœna affecti fuere.

Mus, animal, quod Mosis Lex immundum pronuntiat: *Inter polluta reputabuntur mustela, & mus, & crocodilus*. Isaias muribus vescendi consuetudinem Judæis exprobrat: *Qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem*. Cum Philistæi Arcam Domini in regionem suam intulissent, ut eorum temeritatem puniret Deus, innumeros mures in eorum agros immisit, qui eosdem vastarunt: *Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures*. Hi populi, ut arrogantiam suam expiarent, eaque divinæ vindictæ flagella procul averterent, confectas aureorum murium figuras quinque, & capsula inclusas imposuere currui, qui Arcam ad Hebræos retulit. Assyrii Bethuliam obsidentes, cum incolas ad pugnam compositos ex Urbe egredientes viderent, ita eos deriserunt: *Quoniam egressi mures de cavernis suis ausi sunt provocare nos ad prælium*.

Musice. Hebræi veteres Musices, instrumentorumque Musicæ inservientium admodum periti erant. Musice scilicet in Religionis Cæremoniis, in publicis, privatisque lætitiis, in conviviis, nec non in luctibus utebantur. Occurrunt in Sacris Litteris exultationis Cantica, ut Canticum Mosis post transitum Maris Rubri; gratiarum actionis, ut Cantica Debboræ, & Judith; occurrunt lugubria Cantica, ut quæ David in morte Saul, & Abner composuit; Epithalamia, seu nuptialia carmina, ut Canticum Canticorum, & Psalmus quadragesimus quartus, qui matrimonii Salomonis occasione editus creditur. Antiquissima in terrarum Orbe Musice est. Moses enim de *Jubal* loquitur, qui ante Diluvium vivebat, & qui pater, seu magister eorum fuit, qui *Kinnor*, & *Hugal* sonabant. Probabile autem est, *Kinnor*, *Lyram*, *Hugal* vetus *Organum* significare. Laban se a Jacob genero detestum queritur, ne vale quidem dicto, *ac ne oblata quidem voluptate cum prosequendi Canticorum cantu, & tympanorum, ac cythararum sono. Genes.* XXXI. 27. Moses argenteas tubas confi iendas curavit, quarum sonitu solemnia sacrificia, & Religionis festa celebrarentur. David, qui Musice magnopere delectabatur, complures Levitas statuit, qui in Templo canerent, & instrumenta pulsarent. Asoph, Heman, & Idithum Musicæ moderatores erant in Tabernaculo, Davidis tempore, & in Templo, Salomone regnante. Primo quidem erant filii quatuor, alteri quatuordecim, tertio sex. Hi Levitæ viginti quatuor præerant Musicorum choris pariter viginti quatuor, qui alternis deserviebant. Judæorum Musice non nisi conjecturæ ope percipi potest; obsolevit enim ex longo jam tempore; at si ex effectis, quæ edebat, de ea judicandum, perfectissimam fuisse necesse est. Constat enim, Davidem psalterii sono e Saulis animo tristitiam, malumque spiritum, quo agitabatur, expellere consuevisse. Cum idem Saul misisset, qui Davidem arcesserent, qui in media Prophetarum turba constiterat, ii, qui missi fuerant, instrumentorum sono, quæ iidem Prophetæ pulsabant, illecti, raptique jussa facere neglexerunt; accessit Saul ipse, eademque mentis alienatione, seu furore captus fuit. Nihil minus, quam musica Hebræorum instrumenta in Sacris Litteris notom est. Nihil dici probabilius potest, quam eorum omnino septem genera fuisse; alia nempe, quæ chordis, alia, quæ flatu sonum edebant, & plurium generum tympana. Priora sunt *Nablus*, *Psalterium*, *Kinnor*, *Symphonia* vetus, & Sambuca. Haud facile fuerit variarum tubarum figuram exprimi, quas inount Sacræ Litteræ.

teræ. Ejusmodi instrumentorum omnium notissimum est Organum vetus, Hebraice dictum *huggab*. Tympanorum erant genera plura: *Tuph*, *Zalzelim*, *Schaliſchrim*, & *Mezilothaim*, Latine reddita, *Tympana*, *Cymbala*, *Sistra*, & *Tintinnabula*.

Myra, Urbs Lyciæ, in qua S. Paulus Romam iturus Alexandrinam Navem conscendit. Apostolicorum Actorum Latinus textus *Lystram* habet, non *Myram*, ut in Græco est; qui sane error est, cum Lystris in Lycaonia sit, & quidem Urbs haud maritima.

Myrrha, gummi genus, seu gutta viscosa ex arboribus quibusdam, quibus abundat Arabia, per corticem diffluens. *Myrrha electa*, myrrha libertatis, quæ effluit ipsa per se quin incisione opus sit, cæterarum optima est. Simplex alia, & vulgatis myrrha est, cujus usus in condiendis mortuorum corporibus erat, ut a corruptione fervarentur. Myrrhatum vinum Christo, dum pateretur, oblatum somnifer liquor erat, quem Hebræi damnatis suppeditabant, ut iis acerrimum doloris sensum sopirent: *Date siceram pereunti, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*.

Mysia, *exsecranda*, minoris Asiæ Provincia, quæ hodie Anatoliæ partem constituit, & ad Turcicum Imperium pertinet. S. Paulus in hac regione Evangelium nuntiavit. *Actor.* XVI. 7.

Mysterium, Græca vox, quæ *rem abditam*, seu cognitu, intellectuque difficilem significat. Potissimum porro pro nonnullis Religionis veritatibus sumitur, quæ humanæ mentis vim, captumque superant, quæque non indiscriminatim cuique patefiunt. Sua Religionibus omnibus mysteria sunt. Quæ penes Ethnicos obtinebant, Festis continebantur, quæ Cæremoniæ iis omnibus ignotæ comitabantur, qui initiati non erant. Judæorum Religio mysteriis referta erat, quæ non nisi Christianæ Religionis symbola quædam erant. Nihil non apud eos figuram olebat, sacrificia, Sacerdotium, purificationes; transitus Maris Rubri Baptismi figura fuit; Serpens æneus mysterium erat, quod Crucem, & mortem Christi Domini designabat; Sara, & Agar innuebant fœdera duo; Tabernaculum, ejusque vasa Divinum in Christiana Ecclesia cultum significabant; Jacob, & Esau Judæorum reprobationem, & Gentium adoptionem; Sacerdotium Aaron Sacerdotium Christi; Manna Eucharistiam &c. Longum esset cætera persequi. Ad Christianæ Religionis mysteria refertur omnis Christianorum fides. Sunt hæ revelatæ veritates, quas humana ratio funditus assequi nequit, & quas quisque credere debet, ut salvus sit.

N

NA

Naalol, *gestiens*, Urbs Tribus Zabulon, quæ ad Levitas e familia Merari pertinebat. Ejus incolas extinxere filii Zabulon. *Josue* XIX. 15.

Naama, *pulcra*. I. Ammonita Salomonis uxor, & mater Roboam. Erat hæc, ut Ammonitæ, idololatriæ dedita, filiumque suis in impietatibus educavit. II. Nomen Urbis in Tribu Juda. III. Arabiæ Provincia, quæ ad Sophar spectabat, qui erat ex amicis Job. III. *Reg.* XIV. 21. *Josue*. XV. 41. *Job cap.* II. XI.

Naaman, *pulcher*, haud vulgaris inter Syros notæ vir, supremus Dux armorum Benadad, *vir magnus apud Dominum suum*, *vir fortis*, & *dives*. Lepra omnino tectus ctus erat Naaman, nullumque morbi, quo laborabat, remedium nactus, Judææ adolescentulæ monitum, quæ ejus uxori famulabatur, executus Samariam se contulit,

tulit, ut Elisæum Prophetam conveniret. Cum ad januam esset, Propheta, ut ejus viri principis fidem experiretur, eique significaret, Dei ministrum pati non debere se vel divitiarum splendore, vel humanæ amplitudinis fastu perstringi, ei per Jezi servum dictum voluit, ut Jordanem adiret, ejusque se aquis septies ablueret, atque ita fore, ut convalesceret. Prophetæ responsum, & inurbanam, qua exceptus ab eo fuerat, rationem ægre ferens Naaman redibat iratus; at monentibus servis, id, quod ab ipso postulabat Propheta, facillimum factu esse, tandem acquievit, & septies Jordanem ingressus, sospes & incolumis exiit. Tum vero ad Prophetam cum comitatu rediit, ut ei grati animi specimen exhiberet; cumque reddita corporis salus animum quoque pertingeret, Prophetæ Deo singulare obsequium professus est, tamquam ei, qui per universum terrarum Orbem colendus esset, promisitque, se in posterum sacrificia ei uni oblaturum. Itaque Prophetam obsecravit, ut sibi per eum liceret mulos duos Israelitica terra onustos educere, qua in patrio solo Altare erigeret, super quo holocausta Domino offerre posset *. Elisæus bona fide, animique præparatione, quam in extero hoc homine perspexerat, contentus, ab eo nihil amplius exegit, eumque nec circuncisioni, nec institutis legalibus subdidit. Ei Naaman quæstionem proposuit, sibine deinceps liceret, Principem suum ad Templum Remmon comitari, atque an Dominum læderet se flectens, se in ejus brachio flectente Rege; cui Elisæus id unum respondit: *vade in pace;* & Naaman ab eo discessit. Hoc Elisæi responsum ostendit, Sancto Prophetæ persuasum fuisse, posse Naaman sine peccato, ac sine scandalo id prosequi, quod non nisi civile servitium erat, quodque Domino ubique præstabat. Ne adstantes quidem genuflexionem hanc, tamquam Religionis actum spectare poterant, quoniam Syri mutationem Naaman suspicari non poterant, sed solum tamquam officium cum ejus munere necessario conjunctum, cujus vi in omnibus publicis cæremoniis manum Regi non præbere non poterat. Porro nonnulli Interpretes merito abusum veriti, in quem Elisæi responsum trahi posset, ut nonnulla id genus officia tamquam recta & honesta propugnarentur, quæ cæteroquin haud culpa vacarent, locum hunc ad præteritum tempus referunt, & Naaman veniam petentem inducunt, *qui adorasset in Templo Remmon, cum ejus brachio Rex niteretur* **. Hic advena Jordanis aqua a lepra purgatus eximia ethnici populi imago est, quem Deus electione prorsus gratuita ad Christi fidem, ac baptismum vocavit. Potens hic, & locuples populus, insignibus quidem naturæ dotibus exornatus, at idololatriæ lepra omnino infectus erat. Israelitica vulgaris & pauper fœmina monuit Naaman, in Israel Prophetam esse, ad quem, ut convalesceret, eum confugere necesse erat; ac salutis verbum Judæi Romano Imperio subditi, & ab omnibus aliis populis contempti ad Ethnicos attulerunt. Eos Christos non ipse quæsitum iit, sed, ut ad ipsum accederent, per servos accivit. Ii se quidem stiterunt, ut Prophetæ domum subirent, quæ Ecclesia est, in eam tamen non statim recepti sunt. Ad januam veint Catechumeni constiterunt, ubi necessitatem, & effecta baptismi admiratione dignissima perceperunt. Mundi sapientes, & proceres adduci non poterant, ut se ad hominum pedes abjicerent, qui nihil eorum, quæ vulgo habentur in pretio, eorumdem oculis exhibebant; habebant insaniæ loco mirabiles mutationes, quæ infirmorum elementorum, cujusmodi aqua est, usui tribuebantur; at simplices & rudes homines, qui primi crediderunt, tandem Ethnicorum sapientissimis persuaserunt, ut suam ipsorum salutem in baptismi salutaribus aquis quærerent, quarum ope renati, & a pristinis omnibus sordibus purgati prodierunt. IV. *Reg.* V. *Luc.* IV. 17.

* *Supremus hic Syriaci Exercitus Dux, cum potestatis Dei Israel magnitudinem perspexisset, suaque ipsius experientia edoctus esset, eum unum in universo terrarum Orbe colendum esse; grato admodum animo ad Elisæum rediit, ut ei se prorsus convictum significaret, nullum alium Deum esse, præter*

per eum, quem Propheta ipse colebat, ac testaretur, se non amplius in posterum extraneis Diis, sed uni Deo Israel sacrificia oblaturum,

Hoc insigne miraculum, quod Deus in Naaman patraverat, singularem mutationem edidit, eum scilicet momento temporis ex idololatra verum fidelem effecit: Hæc mutatio dexteræ Excelsi. *In initio statim erga veri Dei Majestatem, qui in Judæa colebatur, singularem observantiam percepit, quæ observantia, prout* Theodoretus *quæst.* XIX. *in* IV. *Regum animadvertit, eum impulit, ut ejus regionis terram ipsam veneratione prosequeretur. Idololatræ quidem ea benedicta terra ad omne genus impietatis abutebantur; id tamen impedire non potuit, quominus Naaman ex animo fidem amplexus veros Dei servos, qui sancti Prophetæ, eorumque dignissimum caput, Eliseus erant, imitaretur, inter quos vera Religio prorsus incorrupta, puraque subsistebat; perfectaque veneratione regionem prosecutus, in qua Dominus omnipotens, qui eum sanaverat, agnoscebatur, & colebatur, non superstitione quadam, sed vera pietate permotus petiit, ut sibi liceret Mulos duos ea terra onustos transferre, qua ad Altare in Syria erigendum uteretur, in quo vero Deo sacrificium offerre posset; quod ei Propheta concessit.*

Naaman postulatis Eliseus annuens, eos apertissime vituperatione dignos ostendit, qui eorum pietatem improbarunt, qui ex Judaica terra in varias Europæ partes transtulerunt, super qua Divinus humani generis Redemptor ambulaverat, cum per suam ipsius vitam, & perpessiones in id incumberet, ut nos a Dæmonis potestate, ac tyrannide abduceret; terram, inquam, in qua Christus Dominus conceptus, & natus est, quamque sudoribus suis aspersit, aquam, & sanguinem fundens, dum mortem occubuit; terram denique, quæ morientem, sepulcro traditum, resurgentem, & in Cœlos ascendentem vidit.

Doctus Æstius *in* libr. IV. Reg. cap. V. *minime credendum ait, Naaman ab Eliseo petiisse, ut se humum transferre, Altare Damasci erigere, extraque Hierosolymitanum Templum sacrificare pateretur. Hi sane, inquit magnus hic Vir, apertissime hallucinantur; Lex enim, quæ prohibebat, ne alibi, quam ubi Arca Domini esset, sacrificium offerretur, Judæos tantum, non Ethnicos obligabat, e quorum numero Naaman erat. In universa ejus historiæ serie eum circuncisum fuisse non legimus; ut proinde ibi, ubi erat, cum tota familia victimas immolare, & Sacrificia offerre poterit:* Dixitque Naaman: ut vis, sed obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra hac; non enim sacrificabit ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino. *Tyrinus addit:* per legitimum Sacerdotem.

** *Videntur hæc duo secum pugnare,* Naaman *promisisse Prophetæ, se non amplius in posterum Diis alienis, sed uni Hebræorum Deo holocausta, & victimas oblaturum, eumdemque in præsentia a Propheta ipse postulare, ut patiatur, cum Rex in Templum Remmon ingressus esset, ut Idolum adoraret, ejusque brachio niteretur, ante Idolum genu flectente Rege, se quoque genu flectere, atque exoret Deum, ut id sibi condonet:* Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo; quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon; adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo.

Videtur Naaman ab Eliseo petiisse, ut sibi ex indulgentia concederet, ut, cum Regem, quocunque pergeret, ac potissimum in Templum Remmon sequi, eique manum offerre deberet, cum idem Princeps ei falso Numini genu flecteret, ut divinum cultum eidem præstaret, posset & ipse idem facere, ut sibi Principis sui gratiam, & amicitiam servaret.

Animadversione dignum est, Aulicum hunc a Propheta non petere, ut suum Idoli adorationi consensum præbere, sed solum se una cum Rege flectere possit; hebraicum quippe verbum השתחוה *non id unum significat,* adorationes suas reddere, *sed &* illud, se inclinare, se flectere; *eaque de causa ei Propheta respondit:* לך לשלום vade in pace. *Ejus animus momento temporis ita religiosus, ita propositi tenax, ita purus evaserat, ut se graviter peccaturum cre-*

crederet, siquidem id officii Principi suo persolvisset, nisi prius a sancto magistro, ac moderatore suo veniam obtinuisset.

Eliseus porro per ea verba, In pace, *monitum Naaman vult, siquidem munere, quo fungebatur, adigeretur, ut manum Regi praeberet, & genu flectente Principe, ut Idolum suum adoraret, idem & ipse facere, genu scilicet una cum eo flectere cogeretur, non eo sane animo, ut Idolum coleret, sed solum ut Regem fulciret, monitum, inquam, vult, id omnino peccatum non fore; quia nempe id unum faceret, quod semper alias faciebat, quoties eidem Rex incumbebat; eique nullum scandali timorem esse debere, quippe qui vel ipse unus, vel cum familia Dei servus esset; ac ceterum suae vere Religionis argumenta praeberet per sacrificia, quae Deo Isræl offerebat, cum in eam rem ex Judæa terram, ut diximus, transtulisset, ut Altare conficeret, super quo sacrificare in posterum posset.*

Theodoretus *loco jam laudato ita Naaman petitionem explicat:* Necesse est mi hi, ut simul cum Rege eam ad Deum falso nominatum. Verum ego, cum ingressus fuero, verum Deum adorabo, supplex petens, ut veniam consequar; quoniam propter Regiam necessitatem cogor ingredi ad Deum falso nominatum. Hoc enim significavit, cum dixit: de verbo hoc propitius mihi erit Dominus servo tuo. *Non ergo de ingenua Naamani fide dubitari potest. Neque aliter explicanda sunt ea Christi Domini verba* Luc. cap. IV. 27. Multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. *At, quæso, quid tum postea? Petiitne Naaman peccati veniam, quod ante patraverat? An vero id sibi condonatum voluit, quod esset in posterum patraturus? An denique eam facultatem ab Elisæo postulavit, ut in Templum pedem inferret, suoque Principi mere civile officium persolveret?* Bocartus, & Calmet *primum tuentur, ajuntque ita hebraicum textum legendum esse;* Ut ignoscat mihi Dominus pro hac re, quando ingrediebatur Dominus meus Templum Remmon, ut adoraret, & illo innitente super manum meam, & si adoravi in Templo Remmon.

At huic sententiæ celebres omnes hebraici textus tam veteres, quam novæ Versiones repugnant, nempe Vulgata, Septuaginta, Chaldæa, Pagninus, Vatablus, Guarinus, Lovanienses, Robertus Stephanus, Joannes Benedictus, & Cajetanus; *quibus in Versionibus legitur*, & adoravero, *vel* si adoravero. *Quamobrem alii in eam potius sententiam descendunt*, Naaman *id innuere voluisse, contingere fortasse posse, ut vel ex humana imbecillitate, vel ob Principis metum, vel obsequii gratia, Remmon in Templo adoraret; eique proinde Elisæum respondisse:* vade in pace, *ut certum redderet, id nequaquam fore, quod ipse timebat. Verum hoc loco Sacra Scriptura nullum dubitationis, aut formidinis signum exprimit. Nimirum in Editione* Interpretum Septuaginta, & *in* Chaldaica Paraphrasi *legitur tamquam certum*, & adorabo, & incurvavero me, *ac particula* si, *quæ legitur in* Vulgata, *non semper* dubitationem *significat, quemadmodum Grammatici fuse demonstrant.*

Apte igitur, & scite Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Burgensis, Salianus, Serarius, Menochius, Natalis Alexander, *aliique complures sententiam tertiam amplectuntur, licuisse scilicet Naaman, muneris, officiique sui vi, ingredi in Templum Remmon, suo Regem brachio sustentare, eique genu flectenti se comitem addere, ea tantum mente, suo ut Domino obsequium, servitiumque exhiberet. Atque hanc ipsam sententiam Scriptura ipsa innuere videtur. Itaque omnium nitidissime* Tertullianus *de Idololatria cap.* XVI. & XVII. *rem totam explicat in hæc verba:* Quoniam ita malum circumdedit sæculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non Idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium, & Sacrificium vocatus non ibo; proprium enim Idoli officium est; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii .... sed si merum quis sacrificanti tradiderit, immo si verbo quoque alio sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ .... Credamus itaque, succedere alicui posse, ut in quoquo honore, in

in solo honoris nomine incedat, neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas Templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo, aut de publico, aut edendis præsit, &c.

Naara, *adolescentula*, uxor Assur. I. *Paralip.* IV. 5.

Naarai, *infans*, unus e strenuis viris in Davidis Exercitu, qui operam suam contulit, cum Hierosolyma capta est. I. *Paralip.* XI 37.

Naaratha, seu *Noam*, *qui expergiscitur*, Urbs Tribus Ephraim, prope Vallem arundinum, *Josue* XVI. 7.

Naaria, *filius Domini*, Secheniæ filius, qui quingentis tantum militibus e Tribu Simeon stipatus in montibus Seir Amalecitarum reliquias aggressus est, universisque profligatis, regionis potitus, ibidem sibi sedem posuit. I. *Paralip.* III. 22.

Naas, *anguis*. I. Pater Abigail, matris Amasæ, & sororis Sarviæ, matris Ioab. *Amasa erat filius* (II. *Reg. cap.* XVII.) *viri*, *qui ingressus est ad Abigail filiam* Naas, sororem Sarviæ; vel, nonnullorum quidem sententia, Naas idem est, atque Isai, pater Davidis, *Abigail*, & *Sarviæ*. II. Naas pater Sobi ex Urbe Rabath, qui suum Davidi servitium obtulit: *Cum venisset David in castra*, *Sobi filius Naas obtulit*. III. Urbs in Tribu Juda, cujus Dominus Tebinna erat. (I. *Paralip.* IV.) *Esthon genuit Tehinna*, *patrem Urbis Naas*. IV. Naas Ammonitarum Rex, qui mense post, quam Saul in Regem electus esset, ad aggrediendum Jabes Galaad se contulit. Hujus Urbis incolæ, cum Regio Exercitui obsistere non possent, egere de deditione, polliciti se vectigales fore. At crudelis Rex id unum respondit, se nihil aliud iis concessurum, quam ut singulis dexter oculus erueretur, ut ita Israel opprobrium evaderent. Tum vero Seniores Jabes septem dies ab eo petiere, quibus elapsis, nisi subsidium recepissent, deditionem promiserunt. Per id tempus cursores misere, quam late patebat Israel, ut, quam celerrime fieri posset, opem obtinerent. Ergo missi cursores, cum Gabaam pervenissent, ubi Saul morabatur, Principem hunc de periculo certiorem fecerunt, ad quod Incolæ Jabes redacti erant. Tum Dei Spiritus Saulem incessit; coactisque hominum 330000, citato gradu Ammonitas aggressus fudit, profligavitque, atque ita Urbem Jabes a gravi discrimine liberavit. Naas in ipso prælio occisus creditur. V. Naas filius, & successor ejus, quem diximus, magna semper amicitia Davidi devinctus fuit, eique longe maxima officia præstitit, cum se Saulis persecutioni subduceret. Probabile est, hunc ipsum Naas eumdem esse, ac Sobi filium Naas, de quo jam verba fecimus. Cum Princeps hic obiisset, David suum de ejus morte mœrorem Hanon filio significatum voluit.

Naasson, *contemptor*, loci nomen in Tribu Nephtali: *in superioribus Galilææ supra Naasson*.

Nabajoth, *prophetia*, Ismaelis primogenitus, qui genus in ea Arabiæ parte, quæ Nabatena dicitur, propagavit. *Genes.* XXV. 13.

Nabal, *stultus*, Israelita ex Tribu Juda, ditissimus, sed avarus, & ferus, qui degebat in Urbe Maon, cujusque armenta, quæ plurima erant, in Carmelo versabantur. Cum aliquando scisset David, occasione tonsuræ gregis, splendidum convivium ab eo celebrari, decem e suis eum suo nomine salutatum misit, rogatumque, ut annonam tribueret. Ille vero, qua erat immani feritate, nuntios non sine contemptu, atque adeo Davidis ipsius contumelia, qua exceperat, dimisit, ac potius repulit. Id audiens David, furore percitus, quadringentis e comitatu jussis arma sumere, domum Nabal petiit, ut eum cum tota familia perderet. Interea Abigail uxor Nabal a servo monita, quam inurbane Davidis legatos vir suscepisset, ac verita, ne David id ægre ferret, clam omnis generis annonam Asinis duobus imposui jussit, & ad Davidem properavit. Eum ergo in Valle vindictam anhelantem obvium habuit; at irati Principis animum & pulcritudine, & prudentia, & humili sermone flexit, & viro veniam obtinuit. Legatur Articulus *Abigail*. Nabal, cum ebrius esset, non nisi postridie malum perspexit, in quod ipse temere se conjecerat, atque adeo periculo, quod subie-

 rat,

rat, preculsus, terroris vi, decimo post die, mortem occubuit. Nabal, temere, ac frustra in conviviis prodigus, dureque, & contumeliose miseris opem negans, complurium divitum imago est, qui nihil non profundunt, cum id agitur, ut suas ipsi cupiditates expleant, aut sibi apud alios liberalitatis, & magnificentiæ laudem comparent, dum adeo crudeles, & inhumani sunt, ut fratribus rerum omnium inopia laborantibus vel levem eleemosynam denegent. I. *Reg. cap.* XXV.

Naballus, Arabiæ Urbs, qua Judæi Arabas spoliarunt.

Nabath, *spectans*, arcta Tobiæ cognatione conjunctus: *veneruntque Achior*, & *Nabath consobrini Tobiæ*, *gaudentes ad Tobiam*. Porro Nabath pater fuit Jeroboam primi Regis Israel; eumque nonnulli eumdem esse putant, ac Semei, qui Davidi male dixit. *Tob. cap.* XI. 20. III. *Reg.* XI. 26.

Nablus, musicum Hebræorum instrumentum ad lætitiam excitandam accommodatum: *in nablis arcana cantabant*. Tibiæ, seu fistulæ genus erat. I. *Paralip.* XXV. I. *Machab.* XIII.

Nabo, seu *Nebo*, *prophetia*, Urbs in Tribu Ruben ad Moabitarum fines (*Numer.* XXXII.). II. Urbs alia in Tribu Juda, dicta *Nebo altera*. III. Assyriorum Idolum: *confractus est Bel*, *contritus est* Nabo. (*Isaiæ cap.* 46.) Idola porro fracta, & asportata fuere, cum Cyrus Babylone potitus est. A voce *Nabo* derivantur Nabonassar, Nabuchodonosor, Nabuzardan, &c.

Naboth, *prophetia*, ex Urbe Jezrael, vineam regiis Achab ædibus proximam possidebat. Princeps hic, hortum condere volens, Naboth non semel extimulavit, ut vineam concederet, aut cum alia meliore commutaret; at Naboth, apprime de Lege servanda sollicitus, majorum suorum hæreditatem vendere recusavit. Vehementer proinde excandescens Achab, & lecto incubans nil cibi sumere statuit. Ei Jezabel, audita tristitiæ causa, imbecillitatem exprobravit, recepitque se perfecturam, ut ille optatam vineam obtineret. Ergo haud cunctata ad Urbis proceres, in qua Naboth degebat, litteras regio sigillo firmatas dedit, quibus mandabat, ut jejunium indiceretur, Naboth inter primos statueretur, falsique testes conquirerentur, qui assererent, eum blasphemias in Deum, & convicia in Regem evomuisse, atque ita capite damnaretur. Urbis primores jussa fecerunt; Naboth accusarunt testes duo, qui proinde ea ipse die lapidibus obrutus periit. Jezabel auditæ rei notitiam Regi festinans attulit, qui confestim ad ineundam vineæ possessionem perrexit; at Elias Propheta ad ejus lætitiam turbandam accessit; delictum exprobrans, ac prædicens fore, ut canes eo ipso in loco ejus sanguinem lamberent, in quo ipse innocentis hominis sanguinem fuderat: *Occidisti insuper* (III. Reg. XXI.), & *possedisti*.... *in loco hoc*, *in quo linxerunt canes sanguinem Naboth*, *lambent quoque sanguinem tuum*. Tametsi Naboth vineam Regi Achab vendere renuens prima fronte vituperatione dignus videri possit, longe tamen aliter ea de re fides judicat. Naboth, dum majorum suorum hæreditatem Regi vendere nollet, parebat Legi, qua Israelitæ sua in perpetuum prædia alienare prohibebantur: *Terra quoque non vendetur in perpetuum*, *quia mea est*, ita ad eos Dominus *Levitici cap.* XXV. Omnis hæreditas vendita ad pristinum Dominum, ejusve hæredes Jubilæi anno redibat. Jam vero id sibi arrogabat Achab, ut sine regressionis spe vineam Naboth acquireret; suo quippe vivario eam concludere in animo habebat. Eadem Lex vetabat, ne quis ullam bonorum suorum partem, nisi paupertate coactus venderet; quod in Naboth locum non habebat, quippe qui dives, & e civium primis esset. Ergo ille e Principis gratia maluit excidere, quam Dei jussa violans ei morem gerere: *Propitius mihi sit Dominus*, *ne dem hæreditatem patrum meorum*. Egregium sane, dignumque, quod Christiani imitentur, exemplum, ut Ecclesiæ doctrinam mordicus tueantur. Opulentum hoc patrimonium est, quod a majoribus acceperunt, ea lege, ut ad posteros integrum, incorruptumque transmittant, quin illud ulla prorsus de causa, ut Principi gratificentur, aut ejus indignationem avertant, vel leviter lædant.

Ne-

Nabuchodonosor, *planctus generationis*, seu Soasduchio, Assyriæ Rex, filius Assaradon, regnare cœpit in Urbe Ninive an. Mund. 3335. Hic Princeps victoria tumens, quam ex Arphaxad, & Dejoce Medorum Rege in Ragau planitie retulerat, universum terrarum orbem Imperio suo subdendum suscepit. Ergo a Nationibus, quæ ad Æthiopiæ fines usque protendebantur, missis Legatis, Rex renuntiari voluit; quæ eos non sine contemptu remiserunt, & Regis minas parvi fecerunt. Quamobrem ira incensus Nabuchodonosor, obstricta jurisjurandi fide, vindictam statuit; & cum formidandum Exercitum coegisset, ei Holofernem præfecit, mandans, ut eorum nulli parceret, qui ejus Oratores injuria affecerat, communique omnes & singulos clade obrueret. Supremus hic Dux, cum regionem longe lateque vastasset, tandem ad obsidendam Bethuliam se contulit, ubi victoriarum simul, & vitæ finem comperit. Nabuchodonosor, audito armorum suorum infausto successu, mærore confectus periit, cum prope viginti regnasset annos. *Judith cap.* 2. Legatur Articulus *Judith*.

Nabuchodonosor, aliter Nabonassar, seu Nabolassar, pater ejus Nabuchodonosor, qui adeo in Sacris Litteris clarus est, Assyrius erat, & Saraci Assyriorum Regis armis præerat. Assiagi se socium, & comitem addidit, ut hoc Imperium everteret. Ergo conjunctis viribus Sacrarum in ipsa Metropoli obsederunt; captaque Urbe, in Assyrii Regni excidio Imperia duo statuerunt; Medorum unum, quod ad Assiagen pertinuit, & Chaldæorum alterum, cui Nabolassar an. Mund. 3378. præfectus fuit.

Nabuchodonosor, filius Nabonassar, in Chaldæorum Imperii societatem receptus fuerat, vivente patre, qui varias eidem expeditiones demandaverat. Hic junior Princeps, cum Præfectos plures, qui insurrexerant, puniisset, in Pharaonem Nechao Ægypti Regem progressus est; hostilemque Exercitum, quem apud Euphratem obvium habuit, devicit, profligavitque in Regno Juda, cuius Rex Pharaonis vectigalis erat. Principem hunc in Urbe ipsa Hierosolyma obsedit, Urbem cepit, ac Regem ipsum, quem vinculis constrictum initio quidem Babylonem trahere statuerat; at mutato consilio, ei diadema, libertatemque restituit, ea conditione, ut annuum vectigal solveret; satisque habuit adolescentulos multos regio sanguine cretos transferre, quos inter erant Daniel, Ananias, Misael, & Azarias, quos Babylonem ductos voluit, ut in Regiis Ædibus edocarentur. Ab hoc eventu, qui an. Mund. 3398. contigit, Babylonicæ captivitatis anni septuaginta numerari cœperunt. Cum autem Nabonassar occubuisset, filius Babylonem properavit, ut paternum solium conscenderet; quo vix potitus, mancipia per Colonias distribuit, & in Veneris Fano Hierosolymitani Templi sacra Vasa, & opulenta spolia posuit, quæ ex hostibus reportaverat. Huic Prinpi, altero Regni anno, mysticum somnium contigit, quod eum quidem perterrefactum reliquit, sed ita tamen, ut nullum ejusdem vestigium in ipsius memoria superesset. Sui ergo Regni Sapientes in consilium adhibuit, e quibus perciperet, quid in somnio vidisset; at cum id nemo divinare potuisset, ira incensus Rex omnes ad unum morte damnavit. Daniel, quem ipsum fatale decretum spectabat, quippe qui e Sapientum numero esset, Regem adiit, rogavitque; ut aliquod sibi temporis spatium concederet, quo somnii explicationem quam optabat, investigaret. Cum tempus obtinuisset, illud omne cum sociis tribus ad divinam miserationem implorandam contulit; eique tandem mysterium in nocturna visionem detectum fuit. Tum vero ad Regem rediit, asseruitque, ei visam in somniis ingentis altitudinis statuam, cui ex auro caput, ex argento pectus, & brachia, ex ære venter, & femora, e ferro crura, e creta pedes. Dum autem animum in eam visionem intenderet, e monte ruens lapis statuam, percussis, fractisque pedibus, in pulverem redegerat; lapisque ipse, cum in magnum montem excrevisset, universam terram compleverat: *Tu es Rex Regum* (subdidit Daniel), *& Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi; & omnia, in quibus ha-*

habitant filii hominum, & bestiæ agri; volucres quoque Cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit. Tu ergo es caput aureum. Et post te consurget Regnum aliud minus te argenteum, & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et Regnum quartum erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc. In diebus autem Regnorum illorum, suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem, & comburet omnia Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.... & verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus.

Nabuchodonosor admiratione captus Deo gratias egit, & Danielem ad honores, quam potuit maximos extulit. Quatuor Imperia hæc, a quatuor diversis Statuæ metallis exhibita, nimirum erant Assyrium, Persicum, Græcum, Romanum; quæ quidem ipsa sibi invicem successerunt, aliisque alia invadentibus, in unum quasi corpus coaluerunt, quemadmodum metalla quatuor unam eamdemque statuam conficiebant. Eorum ergo primum Babylonicum fuit, cujus amplitudinem, ac splendorem aurum metallorum pretiosissimum exhibebat. Imperium alterum Cyrus instituit, cujus optima regiminis ratio argenteum sæculum attulit; excrevit Imperium hoc regnantibus iis, qui Cyro successerunt, & in Dario Codomano finem habuit. Græcorum Imperium, quod æneus venter, & ænea pariter femora significabant, Alexandro Macedone auctore, prodiit; & cruenta bella, quibus insigne fuit, quemadmodum etiam durities, quæ in plerisque ex hujus Principis successoribus locum habuit, æri satis apte respondent. Ferrea crura cretæ mixta Romanorum Imperii figura erant, qui non alia ratione, quam nunquam intermissis bellis ditionem sibi statuerunt, firmaruntque, ac Nationes omnes armorum suorum invicta vi subegerunt. Denique avulsus a monte lapis, qui nihil non redegit in pulverem, Christi Domini imago est, qui in Virginis sinum e Cælo descendit, ut Ecclesiam suam institueret, quæque maxime formidanda terrarum Orbis Imperia jugo subderet, Idololatriam everteret, subactisque per Crucem profanis Regnis omnibus, unum tantum Imperium conderet, cui æternitas promissa est. Interea Joakim, cum nollet tributum Chaldæis solvere, in eos insurrexit. Nabuchodonosor, quem Imperii negotia impediebant, quominus in perduellem progrederetur, eo validum exercitum misit, qui Judæam omnem vastavit. Joakim ipse Hierosolymis captus, ad mortem damnatus, & secundum Jeremiæ vaticinium, in cloacam projectus fuit. Cum autem Jechonias filius, qui patri successerat, in Babylonis Regem & ipse arma vertisset, ad eum obsidendum se contulit ira incensus Princeps, captivumque cum matre, conjuge, ac civium decem millibus ex Urbe Hierosolyma Babylonem duxit, quos inter fuere Mardochæus, & Ezechiel. Nabuchodonosor omnes Templi thesauros eripuit, aurea vasa fregit, quæ Salomon ibidem posuerat, & in Jechoniæ locum Patruum suffecit, cui Sedeciæ nomen imposuit. Is novus Rex Decessorum suorum vestigia pressit, fœdusque cum finitimis Principibus in eum iniit, cui ipse sceptrum debebat. Rursus ergo Babylonis Rex ipse formidandum Exercitum in Judæam duxit, ejusque regionis præcipuis subactis oppidis, Hierosolymam ipsam obsidione cinxit; a qua desistere coactus fuit, ut in Pharaonem Ephram, Ægypti Regem, qui Sedeciæ opem allaturus accedebat, progrederetur; at eo fugato Principe, coactoque in Ægyptum regredi, obsidionem instauravit. Sedecias, omni jam defendendæ Urbis abjecta spe, cum se fugæ dedisset, in itinere captus, & ad Regem Nabuchodonosor ductus fuit, qui Reblathæ in Syria tunc versabatur. Princeps hic cum ei perfidiam, ingratumque animum exprobrasset, ejus filios, spectante ipso, jugulatos voluit, tum eumdem, erutis oculis, catenis vinctum Babylonem transferri jussit. Hierosolymam ingressus Chaldæorum exercitus inaudita crudelitate furens sacra profana omnia susque deque vertit, eaque cæde miscuit, ut nullam ætatis, nullam sexus rationem haberet. Nabuzardan, qui regia mandata exequi jussus erat, Divinum Templum, Regias Ædes, præcipuas per Urbem domos, eas-

easque omnes, quas Proceres incolebant, pretiosissima quaque supellectile spoliatas flammis devovit, in cineresque redegit. Diruta mœnia, omnes, qui supererant, in vincula conjecti Urbis incolæ, cum antea sexaginta e primoribus coram Rege Nabuchonosor jugulati essent; ac Nabuzardan in Judæa pauperrimos tantum reliquit, ut vineis, & agris colendis vacarent. Ita primum sub Regis Nabuchonosor potestate Hierosolyma, ejusque Principes perierunt. Jeremias eos monere non desistebat, Deum ipsum velle, ut in hujus Regis manus inciderent, nullumque aliud perfugium esse, quam ut jugum tolerarent; at nullam Prophetæ dictis fidem miseri homines addiderunt; ac dum Princeps hic Urbem longe maximis angustiis undique premeret, se à falsis Prophetis decipi patiebantur. Ab his Impostoribus seductus Populus gravissimas quasque calamitates pertulit, & per extremam insaniam ad propriam perniciem audax in causa fuit, ut Urbs everteretur, Templum incenderetur, nihil non dirueretur, quin ulla reparationis spes affulgeret. Eadem seductio, temeritas, pertinacia se prodidit in postremo Hierosolymæ excidio, per Titum, quem Deus, ut Nabuchodonosor Regem misit, ut in hunc perduellem populum ejus vindictam exereret. Scilicet ad easdem prorsus angustias, ad eamdem perfidiam, ad eamdem rerum omnium inopiam redacti cives, eædem interclusæ salutis viæ, idem excidium; atque ut omnia congruerent, incensum Templum, & quidem ea ipsa die, qua illud ipsum Nabuchodonosor jam incenderat; qui Babylonem reversus, quas Deo gratias agere debebat ob victorias, quas per ejus opem retulerat, eas Idolis suis egit, & in planitie *Dura* statuam auream sexaginta cubitos altam erectam voluit in honorem falsi Numinis, quod sacra Scriptura non nominat. Magnifice peracta dedicatio, Provinciarumque Præfecti ad Cæremoniam acciti, jussique, indicta mortis pœna, se Idolo prosternere, illudque adorare. Ergo Danielis socios id facere recusantes indignatus Rex in ardentem fornacem conjici jussit, quos Angelus Domini mira sane vi a flammis illæsos servavit. * Quo prodigio permotus Nabuchodonosor eos extrahi jussit, editumque vulgavit, quo Judæorum Dei magnitudinem magnifice prædicabat, indictaque mortis pœna prohibuit, ne quis ejus nomen execraretur. Biennio post Judaicum bellum, Nabuchodonor, qui in Hierosolymam, Judæamque divinæ justitiæ flagellum fuerat, Ministris suis in mandatis dedit, ut Tyrios, Philistæos, Moabitas, multosque populos Judæis proximos, eorumdemque hostes punirent, quo & ipsi suis in regionibus divinorum judiciorum severitatem experirentur. Rex ipse ad obsidendam Tyrum, maritimam Urbem, commercio illustrem se contulit. Obsidionis tempore, quod annorum tredecim fuit, regiones, quas diximus omnes vastavit; ac tandem capta Tyrus ipsa vastationem subiit. Huic Principi Deus in malorum compensationem, quæ in hac obsidione pertulerat, Ægyptum dedit, e qua ille subacta immensam, prope dixerim, prædam retulit. Quod propterea contigit, quia eum Deus ipse vocaverat, quod innuunt ea Dei ad Ezechielem verba: *Fili hominis*, (ita Deus Prophetam alloquitur) *Nabuchodonosor Babyloniæ Rex exercitu suo magnam mihi servitium in Tyri obsidione præstitit. Ejus militum capita capillis spoliata; eorum humeris detracta pellis; nullam tamen mercedem acceperunt. Ideo Nabuchodonosor Regi Ægyptum dabo. Auferet populum, & spolia; magnam prædam edet. Et hæc militum merces.* Sua igitur ab expeditione reversus Nabuchodonosor ad Metropolim expoliendam, ædibusque magnificis exornandam studium & operam contulit; ac præsertim celebres hortos pensiles extructos voluit, qui inter Mundi prodigia recensentur. Legatur Articulus *Babylon*. Ejus animum interea somnium quoddam vehementer turbavit. Sibi visus est arborem videre, quæ Cœlum cacumine contingebat, quæ ramis terram tegebat, & ad cujus umbram animalia omnia confugiebant. Repente e cœlo descendens Angelus cæsam, stratamque arborem jussit per annos septem ad animalium conditionem redigi, ut herba vesceretur, & rori subesset. Cum autem Babylonis Sapientes nullam ejus somnii explicationem Regi afferre potuissent, ei Daniel dixit, eo mutatio-

tionem significati, quæ in ejus persona ipsa futura erat: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec sciat, quod dominetur Excelsus super Regnum hominum .... Regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem*. Prædictio anno post perfecta fuit **. Princeps hic Asiæ totius victor, se in Regiis Ædibus oblectans, vanitatis motibus deditus, quam ei victoriæ inspirabant, itemque Babylonis magnificentia, quam Ipse clarissimis quibusque terrarum Urbibus exæquabat, e Cœlo vocem audiit, quæ ei decretum indixit. Eo ipso momento temporis, sensibus destitutus, e folio dejectus, ab humana societate repulsus, & ad belluarum conditionem redactus fuit. Cum septennium in agro veluti fera transegisset, rationis usum recepit; quem eo primum contulit, ut Altissimo, quem diu contempserat, benediceret, & gloriam tribueret. In pristinam dignitatem restitutus eodem, quo antea, splendore regnare pergens, quæ Deus in ipso mira patraverat, quam late patebat ejus Imperium, edicta voluit, suum his verbis sermonem absolvens: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cœli; quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare*...

Sub ejusdem anni finem obiit Nabuchodonosor, cum quadraginta tres regnasset annos a Nabonassar patris morte, qui eum biennio ante in Imperii societatem receperat. Super metamorphosi Nabuchodonosor opiniones multæ sunt, e quibus ea videtur ad verum proxime accedere, Principem hunc, vehementer imaginantem se belluam evasisse, herbam comedisse, ictus veluti cornuum incussisse, crescentibusque capillis, & unguibus, quæcunque belluarum sunt, externa specie imitatum esse. Mutatio hæc, quæ, ut probabile est, non nisi in ejus turbata imaginatione locum habebat, ex melancholico humore derivabatur; cujus morbi ea vis est, ut, eo qui laborat, ipse sibi persuadeat, se in lupum, canem, aliudve animal mutatum esse. IV. *Reg.* xxv. *Jerem.* xxxix. ***

* *Dum insigne miraculum adolescentibus tribus in fornacem immissis contigit, Nabuchodonosor Rex, qui dubio procul ex edito loco spectabat, obstupuit videns, tribus tantum in eam conjectis, adesse quatuor, qui per flammas, quasi per hortum floribus conspersum incederent. Itaque magnopere perturbatus, atque utrum hallucinaretur, necne, haud satis intelligens, festinanter erectus, ut ad fornacem accederet, Satrapas, qui aderant, ita allocutus est*: Nonne tres viros misimus in ignem compeditos: *Magnatibusque ita esse respondentibus, subdidit Rex*: Ecce ego video quatuor viros solutos, & a flamma ignis prorsus illæsos, & species quarti similis filio Dei. *Scilicet quarti species augustior, ac præstantior erat, quam cæterorum hominum esse solet, ideoque spiritum aliquem, aut Angelum referebat. Quin in hac opinione Nabuchodonosor fuerit, dubitare non possumus, quandoquidem tum Chaldei, tum Platonici, aliique ethnici Philosophi spiritus, & Angelos admittebant, qui Deorum, seu Dæmonum nomine ad ipsos accederent*. S. Justinus Martyr, S. Irenæus, Tertullianus, *aliique eum ajunt ipsum Dei filium Christum fuisse, increatum nimirum Angelum, qui longe ante futuræ passionis suæ speciem exhibere voluit*.

Cum ergo ad fornacem Rex accessisset, adolescentes confessores tres egredi jussit, quos ille servos Dei excelsi *nuncupavit; quos egressos, & accurate perspectos tum quoad corpus, tum quoad vestes ne leviter quidem igne tactos Satrapæ cognoverunt; adeo nullum combustionis signum, ac ne ullus quidem combustæ rei signum iisdem inerat. Itaque dubitari non potest, quin hoc insigne prodigium fuerit. Quoad ejusdem tamen prodigii rationem, ignine comburendi facultas adempta fuerit, an vero Confessorum corpora ita se habuerint, ut ignis vim non sentirent, quemadmodum a nobis mortalibus cognosci non potest, ita inutile fuerit inquiri. Cum enim corpora comburendi, & in cinerem redigendi facultas, quam igni inesse perspicimus, certis quibusdam motus legibus a Deo statutis nitatur; eas proinde ipse Deus non earumdem modo, sed universæ naturæ supremus institutor, & opifex ad certum tempus suspendere facile potuit. Nabuchodonosor ea secum in animo reputans, & ingenti*

viri

veri Dei laudes effusus, eum unum omnium laude, cultuque dignum agnovit; ac proinde haud cunctatus edictum protulit, ut si quis e subditis in verum Israelitarum Deum blasphemias evomuisset, statim in frusta concideretur, & in sterquilinium projiceretur; alium quippe Deum non esse, qui eum tueri posset. Grotius *in hunc locum:* nondum, *inquit*, ausus Deos imperii sui exauctorare, interim; quod non parum est, vetat maledici Hebræorum Deo, quem tam potentem cognoverat. *At* Grotius *dubio procul hallucinatur; dum enim vetuit Nabuchodonosor, ne qua verus Israelitarum Deus injuria afficeretur, eumdem unum verum Deum, omniumque cultu dignum esse testatus est; quare falsorum Numinum contemptus, ac depositio non subsequi non poterat. Itaque Confessores tres non modo gravissimum periculum evaserunt, sed honoribus quoque, divitiis, dignitatibus cumulati, longe maximam captivorum Judæorum calamitatibus consulendi opportunitatem obtinuerunt.*

*** Daniel cum Regi Nabuchodonosor somnium explicuisset, ei prudens consilium dedit, quo monuit, quid eum facere necesse esset, ut tam gravem pœnam vitaret:* Quamobrem, *inquit*, Rex, consilium meum placeat tibi; & peccata tua justitia abrumpe, & iniquitates tuas misericordia erga pauperes; & ecce prorogatio tranquillitatis tuæ. *Vulgatus interpres ita vertit textus verba:* & peccata tua eleemosynis redime, *quod idem sonat. Hinc illud sequitur, eleemosynæ, aliorumque miserationis operum vi Deum ad peccatorum veniam tribuendam moveri. Inter catholicos cæteros Scriptores nostros dignissimus est, qui super hoc argumento legatur, doctissimus Cardinalis* Bellarminus lib. IV. de Pœnitentia cap. VIII.

An vero Danielis consilio Nabuchodonosor aures præbuerit, necne, Scriptura non dicit. Affirmantem partem nonnulli tuentur, & ex eo probant, quod annus excurrit, antequam id accideret, quod Daniel prædixerat. Autumant ergo, eum certe pœnitentiam egisse, & quidem pro Danielis ipsius consilio; at cum paulo post ad vomitum rediisset, Deum tandem id executum esse, quod ei per Prophetam minitatus fuerat. Ita quidem fere omnes Hebræi Rabbini, & nominatim Joseph Jacchiades, *ex Patribus* S. Hieronymus, *& ex recentioribus Interpretibus* Ugo Grotius. *At hæc sententia non est prorsus indubitata; dici enim & illud potest, Deum Regi Nabuchodonosor integri anni spatium concessisse, ut ex animo resipisceret, quemadmodum Antediluvianis annos centum viginti, & Ninivitis dies quadraginta concessit; at cum Nabuchodonosor, spreto Danielis consilio, in prava vitæ ratione pertinaciter perstitisset, tandem elapso anno, quem Deus statuerat, pœnam secutam esse. Atque hoc quidem sensu textum explicant* Theodoretus, S. Joannes Chrysostomus, S. Cyprianus, *aliique.*

**** Dubitationibus, quæ super Regis Nabuchodonosor metamorphosi excitari possunt, apte respondet* S. Hieronymus *in hunc locum:* Quærunt a nobis, quomodo in vinculis ferreis fuerit Nabuchodonosor, aut quis eum vinxerit, & compedibus alligaverit, cum perspicuum sit, omnes furiosos, ne se præcipitent, & alios ferro invadant, catenis alligari. *Cum ergo Nabuchodonosor ab humana societate relegatus esset, & inter mansuetas feras viveret, quæcunque de eo referuntur, contingere potuerunt, ut rore scilicet aspergeretur, aeris injuriis subesset, eique præter modum capilli, & ungues excrescerent. Cum ergo ita res habeat, ii dubio procul hallucinantur, qui Nabuchodonosor in feram reapse mutatum putant, ut proinde belluæ species in humanæ formæ locum successerit; quibus præivit* S. Gregorius Magnus lib. V. Moral. cap. VII. *quemadmodum etiam graviter errant, qui dicunt, Nabuchodonosor internam quidem hominis formam retinuisse, at quoad externam, in belluam conversum fuisse; e quibus fuere suppositus* Epiphanius, *&* Dorotheus *in libro* de Prophetis, *qui ex homine monstrum effecerunt, ajentes Nabuchodonosor ita mutatum, ut quoad partes anteriores, & caput Bovi, quoad posteriores, & pedes Leoni similis esset. Sed quemadmodum ejusmodi commenta adeo inepta, ac vana sunt, ut corruant ipsa per se; ita alii in aliud extremum temere protrubuntur, omnino recedentes ab expressis Scripturæ verbis, putantque, nullam prorsus mutationem in Nabuchodonosor accidisse, verum ejus tantum ima-*

imaginationem atra bile turbatam fuisse, nunquamque eorum quicquam, quæ Sacræ Litteræ referunt, evenisse, quamvis ita se rem habere ei falso persuasum esset. Ita Petrus Pomponatius de Incarnat. cap. XII. & Franciscus Valesius de Sacra Philosophia cap. LXXX. *At hos quidem, ut cæteros omnes, qui adeo præpostere cogitarunt, refellit, convincitque perspicua, & genuina Sacri Textus explicatio, quam supra in medium attulimus.*

Nabusesban, fructus redemptionis, unus e militaribus viris Regi Nabuchodonosor deservientibus, qui cum Nabuzardan se contulit, ut Jeremiam e carcere educeret, & Godoliæ commendaret. *Jerem.* XXXIX. 13.

Nabuthæi, qui loquuntur, Arabiæ populi a Nabajoth descendentes, quorum regio Nabatena nuncupata ab Euphrate ad Mare Rubrum protenditur. Insignes latrones erant inertiæ dediti, qui nulla alia in re se occupabant, quam ut gregem pascerent, & rapto viverent. Hi populi in sacris Litteris non ante Machabæorum tempora noti sunt. Ii tantum Hebræis opem tulerunt in bellis, quibus ab omnibus finitimis populis impetebantur, suamque per regionem liberum transitum Judæ Machabæo concesserunt, ut fratribus in regione Galaad auxilium afferret. At post hujus Ducis mortem, Nabuthæos, qui primi hostiliter egerant, Jonathas non uno prælio devicit, eorumque regionem vastavit. I. *Machab.* V. & IX. *Joseph. Antiquit. lib.* I. *cap.* XI I.

Nabuzardan, fructus judicii, supremus Dux Exercitus Nabuchodonosor, reique familiari Præfectus, qui Hierosolymam obsedit, cepit, vastavit, & in cineres Templum redegit, cum sacra Vasa omnia sustulisset. Tum coactos captivos omnes Babylonem transtulit, relicto Godolia, qui miseris Judæorum reliquiis præesset. Quadriennio post Hierosolymam captam, cum Nabuchodonosor in Tyri obsidione occupatus esset, Nabuzardan, ut Godoliæ mortem ulcisceretur, in Judæam rediit, qua ad extremum excidium redacta, quod hominum, rerumque supererat, Babylonem asportavit. IV. *Reg* XXV. *Jerem.* XXXIX. & LV.

Nachon, paratus, hominis nomen, in cujus agro, vel area vitæ jacturam subiit Oza, quod ausus esset Arcam tangere, cum Davidis jussu Hierosolymam deferretur: *Postquam venerunt ad Aream* Nachon, *extendit Oza manum ad Arcam Dei*. Nonnulli Græcum textum ita vertunt, ut innuat Aream Obededom, quæ ibi parata erat, ut Arca in ea poneretur. Locus hic Hierosolymæ proximus erat.

Nachor, suffocatus, filius Sarug, filium habuit Thare patrem Abrahæ, ætatisque anno 148. mortem occubuit. *Genes. cap.* XI. 14. Nachor alter fuit, filius Thare, & frater Abrahæ, qui e Melcha filia Aran, quam uxorem duxerat, filios multos suscepit. Sibi sedem statuit in Urbe Haran, quæ in sacris Litteris Urbs Nachor dicitur: *Profectusque perrexit in Mesopotamiam ad Urbem Nachor*. *Genes. cap.* XXIV. 10.

Nadab, princeps, primogenitus Aaron, & frater Abiu, quem cum fratre cælestis ignis absumpsit, quod alio igne usi essent, quam qui Divina virtute super holocaustorum Altari incensus fuerat. *Levit.* X. 8.

Nadab, filius Jeroboami primi Regis Israel, qui in Regno Tribuum decem patri suffectus non nisi biennium regnavit, trucidatusque per insidias fuit, cum in obsidione Gebbethon occupatus esset, a Baasa Ahiæ filio ex Tribu Issachar, qui Regnum usurpavit. Nadab haud patre melior fuit; ejus impietatem, & delicta imitatus fuit, atque adeo postremus extitit familiæ suæ, quæ solium occupaverat, prout Ahias Propheta prædixerat. Baasa omnem Jeroboami progeniem exterminavit, & misera extincta corpora in sterquilinium projecit. Fuit & tertius Nadab filius Semei. III. *Reg.* XV. I. *Paralip.* II. 25. *Josep* de Bello lib. VIII. cap. 5.

Nahab, meum amatum bonum, filius Napsi, e Tribu Nephtali, eorum unus, qui ad explorandam terram Chanaan se contulerunt. *Numer.* XIII. 15.

Nahaliel, meum flumen Dominus est, planitiem in Moabitarum Deserto, quæ stationis loco Israelitis fuit. *Numer. cap.* XXI. 19.

Naharai, in indignatione, ex Urbe Beroth, strenuus vir, quem Joab filius Sarviæ Armigerum sibi statuerat. II. *Reg.* XXIII. 37.

Na-

Nahamani, *consolator*, unus e Judæorum primoribus, qui una cum Zorobabel ab captivitate Babylonica redierunt. II. *Esdr. cap.* VII. 7.

Nahasson, *divinans*, filius Aminadab, caput Tribus Juda, cum ex Ægypto populus exiret, qui in Domini Tabernaculo suam primus oblationem edidit. *Numer.* VII.

Nahum, *pœnitens*, minorum duodecim Prophetarum septimus, Elcesæ, vel Elkesai natus, qui ex guus Galilææ vicus erat. De hujus Prophetæ vita nihil peculiare constat; ac ne id quidem, in comperto est, familiæne, an natalis loci proprium id cognominis fuerit. De tempore pariter, quo vixerit, disputatur. Vero similior opinio est, eum, Ezechia regnante, vixisse, post excidium Tribuum decem, quod Salmanasar attulerat. Ejus prophetia capitibus tribus constat, quæ non nisi sermonem unum conficiunt, in quo ille vivida, ac vehementi ratione alteram per Nabopolassar, & Assiagem Urbis Ninive eversionem producit. Huic nequam Urbi minas renovavit, quas annis ante nonaginta Jonas intenderat: *Væ Civitas sanguinum, universa mendaci dilaceratione plena. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis; & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ; nec est finis cadaverum, & corruent in corporibus suis &c.* Ninive *dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum, sicut nigredo ollæ &c.* Hujus Prophetæ stilus semper sibi constat; ejusque figurarum splendori, locutionum robori, sententiarum gravitati, scribendique energiæ omnia respondent.

Naim, Galilææ Urbs in Tribu Issachar apud montem Thabor, clara est in Evangelio ob miraculum, quod in ea Christus edidit, cum mortuum excitavit. Urbs hæc in præsentia funditus eversa est, nonnullis exceptis domibus, quibus utuntur Arabes perfugii loco. *Lucæ* VII. 11.

Najoth, *pulcritudo*, Urbs haud Ramatha procul in Tribu Ephraim, in quam David, & Samuel se receperunt: *abierunt ipse, & Samuel, & morati sunt in Najoth*. Eo missi a Saule Sagittarii, ut Davidem caperent, vaticinari cæperunt, quod Sauli ipsi contigit, cum eodem profectus esset. I. *Reg.* XVII. *Joseph. lib.* VI. *Antiquit. cap.* 14.

Namsi, *qui foris est*, pater Jehu Regis Israel: *Jehu filium Namsi unges Regem*, ita ad Eliam Deus. III. *Reg. cap.* XIX. 16.

Namuel, *Deo fidilis*, primus filiorum Eliab, frater Dathan, & Abiron. Namuel alter unus e primoribus Tribus Simeon, a quo Namuelitæ prodiere: *Filii Simeon per cognationis suas*, Namuel, *ab hoc familia Namuelitarum*. *Numer.* XXVI.

Nanea, *luna*, Deæ nomen a Persis cultæ, quam aliqui Veneram, alii Dianam faciunt. Antiochus Sidetes Demetrii Soteri filius, cum in Persidem profectus esset, ut opulentum hujus Deæ Templum vastaret, se cum ea matrimonium inire velle simulavit, ut divitias, quibus Templum refertum erat, obtineret, utpote quæ dotis loco futuræ essent. Eam ergo Templi partem subiit, in qua thesauri positi erant; at Sacerdotes, detecto ejus consilio, saxorum tempestatem ex hiatu verticis in Principem, ejusque comites demiserunt, qua obrutis, enectisque caput amputarunt, eorumque corpora in sterquilinium projecerunt: *cecidit in Templo Naneæ consilio deceptus Sacerdotum Naneæ*. Machabæicorum quoque librorum Auctor hujus Principis mortem memorat; tametsi profani Historici, celandæ veritatis causa, eum aliter mortuum tradant. II. *Machab. cap.* I. *Justinus lib.* XXXVIII. *cap.* X.

Nanenses. Ita nonnulli nuncupant iniquum divitem, de quo S. Lucas *cap.* XVI. 19. At cum eum Sacra Scriptura non nominet, cumque præterea probabile sit, quidquid de malo divite dictum occurrit, parabolam esse, opinio hæc parum solida censeri potest.

Naphis, *anima*, filius Israel: *Jetur*, Naphis, & *Cedma*, cujus posteri Agarenis opem tulerunt: *Ituræi vero*, & Naphis *præbuerunt eis auxilium*. *Genes. cap.* XXV. 15.

Naphta, bituminis genus, cui ea vis inest, ut, quidquid attigerit, comburat, quin non nisi ægre admodum extingui possit. Testatur Daniel fornacem, in quam

ejus socii tres immittendi erant, naphta, pice, aliisque id genus, quæ facile, ac vehementer ignescunt, accensam fuisse: *Et non cessabant, qui miserant eos ... succendere fornacem Naphta, stuppa, & malleolis. Daniel.* III. 46.

Narcissus, ex improviso captus, hominis nomen, e cujus domesticis S. Paulus nonnullos ad fidem converterat: *salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo*. Credidere nonnulli, at nullo fundamento nixi, Narcissum hunc eumdem ac celebrem Claudii Libertum fuisse, qui Agrippinæ jussu vitæ jacturam subiit. *Ad Roman. cap.* XVI.

Nardus, aromatica planta, odore grato, e qua excellens suffimentum conficitur: *Nardus mea ardit odorem suum. Cantic. Cantic. cap.* I. & IV. *S. Marc. cap.* 14. *S. Joan. cap.* XIII. In Oriente, ac potissimum in Judæa Fœminæ odoramenta parabant, quibus eos honorarent, qui haud vulgari loco erant, quod scilicet allato Canticorum loco Sponsa præstat. Sponsa porro hæc Ecclesia est, cujus virtutes bonus Christi odor sunt.

Natatoria Siloe, Piscina, seu cella aquaria, ad basim mœnium Jerusalem, Ortum versus. Aquis fontis Siloe Piscina hæc referta erat. Ad eam Christus eum misit, qui cæcus natus erat, ut se lavaret. *Joan. cap.* IX. 7.

Nathan, dator, Davidis filius, qui Mathatæ pater fuit. II. *Reg.* V. *Luc.* III. 31. I. *Paralip.* 3. Nathan alter Propheta, qui in Israel se prodidit Davidis tempore, cui futurum prædixit, ut non ipse Templum Domino, sed ejus filius Salomon ædificaret. Hic idem Propheta jussus a Deo fuit post Uriæ occisionem adire Davidem, cui delictum hoc, & adulterium, quod eidem occasionem dederat, exprobraret. Ei Nathan delictum, proposita similitudine, in animum revocavit, ei fictam divitis historiam referens, qui ovibus multis affluens, pauperis hominis ovem, quæ una eidem erat, per vim rapuerat. Id audiens David Prophetæ respondit hominem, qui ejusmodi facinus perpetraverat, morte dignum esse, atque oportere, ut ovem quadruplo reddat; tum vero Nathan reposuit: *tu es ille vir. Tu Uriæ Ethæi uxorem rapuisti, tuamque fecisti. Tu perfecisti, ut Urias gladio filiorum Ammon periret*. Calamitates deinde Propheta subdidit, quas Deus familiæ Davidis in ejus delicti pœnam inflicturus erat; portenditque fore, ut Deus ipse ei spectanti conjuges adimeret, & alteri traderet, qui in ipsa meridiana luce, omnique Israel vidente iisdem abuteretur. Id nimirum executus est Absalon Davidis filius, quo tamquam instrumento usus est Deus, ut Davidis peccata puniret. Nathan ad reprimendam Adoniæ ambitionem, qui sibi Regis titulum arrogabat, & ad Regem renuntiandum Salomonem non parum contulit. Quandonam, aut quomodo Propheta hic occubuerit, Scriptura omnino non dicit. Priores libros duos historiæ Regum cum Gad, & Samuele concinnasse creditur. Id etiam contenditur, peculiarem Davidis, & Salomonis historiam ab eo scriptam fuisse. Fuere & alii hujus nominis viri minus noti. Propheta hic eximium exemplar Domini Ministris exhibet, ex quo percipiant, quam potissimum rationem inire debeant, ut veritatem viris principibus ob oculos ponant. Eorum nimirum est dicere, quod res est; sancta quadam libertate, quæ prudens consilium non amovet, quod veritatem quidem non infirmat, sed id tamen ei detrahit, quod auribus percipiendæ veritati parum assuetis eamdem duriorem reddere posset. Nathan ergo, ut delicatum Regis animum sibi conciliet, cavet, ne prima fronte vitium exhibeat; similitudine potius utitur, quæ nec opinantem Davidem adducit, ut suum ipse decretum pronuntiet; at cum vix David se ipse damnasset, tum vero Propheta sermone usus, qui Domini Ministrum decet, ei scelerum gravitatem detegit, & pœnas nuntiat, quas divina justitia eidem parat. II. *Reg. cap.* XI. III. *Reg. cap.* I.

Nathanael, donum Dei, filius Suar, caput Tribus Issachar, quadringentos armis idoneos viros supra quinquaginta millia ex Ægypto eduxit, suasque secundo die oblationes Tabernaculo exhibuit (*Numer.* VII. 18. II. *Esdr. cap.* I.). II. Quartus filiorum Isai, & Davidis frater: *quartum Nathanael* (I. *Paralip. cap.* 2.) III. Filius Obededom e Sacerdotum stirpe, qui

tuba

tuba canebat, cum Arca, Davide jubente, e domo Obededom Hierosolymam transferretur (1. *Paralip.* xv.). IV. Legis Doctor, quem Josaphat in Regni sui plures Urbes misit, ut populum erudiret (11. *Paralip.* xvii.). V. Nonnulli alii Sacerdotes, seu Levitæ. VI. Christi Discipulus e parva Urbe Cana in Galilæa; quem Philippus, cum obvium habuisset, de invento Messia monuit, & ad Christum duxit. Eum divinus Servator conspicatus, verum Israelitam maculæ prorsus, & fraudis expertem dixit. Cum autem Nathanael ex eo quæreret, ubinam agnitus ab ipso fuisset, sub ficu, respondit, aurequam a Philippo vocaretur. Eum ex his verbis Nathanael Magistrum, Dei Filium, verumque Regem Israel agnovit. Interpretes aliqui opinati sunt, Nathanaelem non alium, quam Bartholomæum fuisse; at eorum opinio nullo prorsus fundamento nititur; Nathanael enim erat Legis Doctor; & Bartholomæus, ante quam vocaretur, rudis, scientiæque expers homo erat. Nec desunt, qui Nathanaelem Nuptiarum Canæ sponsum fuisse contendant. *Joan.* 1. 45.

Nathanias, donum Dei, Judæus e Regia stirpe, Ismaelis pater, qui strenuum Godoliam occidit (iv. *Reg.* xxv.). Nathanias alter e majoribus Judith, aliique nonnulli.

Nathan Melech, donum Regis, unus e primis Josiæ Regis Ministris, cui demandata erat Equorum, & Curruum cura, quos ex Persarum consuetudine Reges Juda Soli dicaverant. iv. *Reg.* xxiii. 2.

Nathinæi, destinati, inferiores ministri, qui Levitis in Templo deserviebant, gravioribusque, ac minoribus, ut ligna, & aquam afferendi, officiis addicti erant; ad quæ quidem omnium primi Gabaonitæ damnati fuere, qui Josue deceperant, cui se e remotissima regione venisse persuaserant; tubictorum deinde Chananæorum reliquiæ se iis adjiderunt, Davidis tempore, qui Nathinæorum nomen iisdem imposuit ab Hebraico vocabulo *Nathan*, *dati*, *traditi*, *destinati*; quippe qui proprie Templi servitio, cui David certum modum statuit, addicti essent.

Nazaræi, segregati, a verbo *Nazar*. Vocabulum hoc, *Nazarenus*, eum significat, qui ob suam ipsius sanctitatem ab hominum vulgo sejunctus est, Deoque per peculiare votum dicatus, sive ipse se Deo in omne vitæ suæ tempus devovisset, cujusmodi Sampson fuit: *Erit Nazarenus Dei ab infantia sua, & ex matris utero*; sive ipse se per votum dicasset, quod non nisi ad certum tempus edebat, ut S. Paulus, Judæorumque alii nonnulli. Utriusque generis Nazaræi nec vinum, nec quidquid ebrietatem afferre poterat, sumendi, comam servandi, omnemque legalem impuritatem vitandi, per omne Nazareatus tempus, votum emittebant. Si quis forte fortuna coram iis occubuisset, omnem Nazareatus, & consecrationis cæremoniam repetere tenebantur. Elapso segregationis tempore, Nazarenum ad januam Templi Sacerdos ducebat, qui Domino arietem in holocaustum, ovem ob expiationis sacrificium, & hædum ob hostiam pacificam offerebat. Cum hæc omnia Domino oblata essent, Sacerdos, aut quispiam alius Nazaræi caput ad Tabernaculi fores radebat, ejusque capillos Altaris igni absumendos tradebat; ac tum quidem Nazareatus suis omnibus numeris absolutus erat. Ad Nazaræos perpetuos quod attinet, cujusmodi fuere Samson, & S. Joannes Baptista, hi quidem omnem suæ vitæ cursum transegerunt, quin unquam vinum biberent, aut sibi comam tonderent. Qui porro Nazareatus voto extra Palæstinam se se obstringebant; satis habebant ab iis abstinere, quæ Lex vetabat, sibique capillos, ubicunque tandem versarentur, præcidere, obstricta fide, se, cum primum possent, Templo præceptas victimas oblaturos. Itaque S. Paulus, cum votum Corinthi emisisset, sibi capillos Cenchris amputatos voluit, cætera peracturus, cum Hierosolymam pervenisset. Sacra Scriptura nobis in Nazaræis Christi Domini imaginem exhibet, quippe qui ob perfectam, æternamque sanctitatem verus Dei Nazaræus, a peccatoribus segregatus, suoque Patri dicatus fuerit. Fideles, utpote Christi membra, ejusdem consecrationis participes sunt, omnesque, & singuli Nazaræi sunt per Baptisma, quod eos a mundo segregat, a terrenis cupidi-

tati-

tatibus removet, atque ita sanctos, Deoque devotos efficit, ut iis nihil insit, quod eidem Deo in sacrificium offerri non debeat. SS. Patres in veteris Legis Nazaræis sanctorum Ascetarum, & Regularium figuram perspexere, qui a sæcularis vitæ commercio sejuncti se omnino Deo devoverunt, ut ferventissimæ Charitatis, asperrimæque pœnitentiæ nunquam intermissa exercitatione sanctitatem ob ejus oculos consequerentur. *Actor. cap.* xix.

Nazarenus, nomen, quod Christo tribuebatur, utpote qui in Galilææ Urbe Nazareth altus, educatusque fuisset; vel ab Hebraica voce נצה *niza*, quæ *florem* significat; atque hoc ei nomen Prophetæ tribuunt; *Flos de radice ejus ascendet*, inquit Isaias; nascetur flos de stirpe Jesse; & flos hic dubio procul Christus est. S. Matthæus ait, S. Joseph ad incolendam Urbem, cui nomen Nazareth, se contulisse, ut Prophetarum de Christo vaticinium perficeretur: *Quoniam Nazarenus vocabitur*. Prophetæ futurum prædixerant, ut per contemptum id nominis ei tribueretur, quippe qui in obscura, nulliusque nominis Urbe educatus fuisset: *A Nazareth potest aliquid boni esse?*

Nazareni, nomen omnibus generatim Christianis inditum, Christi causa, qui ex Urbe Nazareth esse censebatur: *Invenimus hunc hominem pestiferum auctorem seditionis sectæ Nazarenorum*. Tertullus S. Paulum Christianorum, quos ad contumeliam *Nazarenos* dicit, seditiosæ sectæ caput vocat. Hoc quoque nomine a Christianæ Religionis hostibus iidem Christiani designabantur. Nomen hoc ipsum deinde peculiaris Christianorum sectæ fuit, qui nempe judaizabant, & veteri Legis cæremonias cum circuncisione retinuerant. Secta hæc cæpisse creditur, cum Christiani ex Urbe Jerusalem, antequam obsideretur, Pekam se receperunt.

Nazareth, *fletus*, Urbs parva Galilææ in Tribu Zabulon, prope torrentem Cisson, & montem Thabor. Urbs hæc in Sacris Litteris clara est Christi domicilio. Urbs hæc, utpote quæ Sanctissimæ Virginis patria erat, & in qua Divinum Verbum caro factum est, susceptaque humana natura Divinus Filius ad receptum usque baptismum versatus est, ei proinde Nazareni nomen dedit. Dum ergo suo ministerio fungeretur Christus, nonnunquam in Urbe Nazareth sermonem habuit; at incolæ non sine scandalo humilia ejus natalia reputantes nullum ex ejus verbis emolumentum perciperunt. Eum quoque aliquando præcipitem agere volebant, quod ipse sibi prophetæ Isaiæ oraculum quoddam aptasset, eumque proinde in Montis jugum duxerunt, super quo Urbs ædificata erat; at Christus, cujus hora nondum venerat, per eos transiit, recessitque. Nazareth, quæ ante Christum parvi erat, obscura post ejus mortem evasit; testaturque S. Hieronymus, eam ipsius ætate non nisi vicum fuisse. Non parum deinceps succrevit, & in Episcopatum erecta fuit *. Verum ita deinde recidit, ut aliquot tantum specus remanserint, in quos Arabes se recipiunt.

* *Primis Ecclesiæ temporibus Nazareth Episcopatus titulo insignita fuit; at non sine horrore legi potest (quod Historici oblivionis tenebris tegere non potuerunt) ex ejus Episcopis unum adeo miserum fuisse, ut Alcorani deliramenta secutus a Christo deficeret, ac per execrandam impietatem, Sacram infulam, sacrumqui baculum in Turcicum cibarium commutaret. Ex eo tempore ie Episcopalis titulus in Barlettæ Ecclesiam in Apulia Neapolitani Regni Provincia translatus fuit; Summusque Pontifex Urbanus VIII. ejus Episcopus erat, cum in Galliam Nuntius se contulit*, Henrico *Magno regnante an.* 1601.

Hoc loco gravis me scrupulus angeret, si missa facerem, quæ legi de Domo, in qua æterni Verbi, Filii Dei Incarnationem nunciavit Angelus, & quid eidem Domui contigerit, silentio præterirem. Refertur nimirum, mense circiter post captam ab Infidelibus Ptolemaidem, Sancta Domus ab Angelis ex Urbe Nazareth in Dalmatiam translata, ubi trium, aut quatuor annorum spatio morata est. Deinde in Recinetensem Diœcesim delata in Marca Antonitana, & quidem in agro piæ cujusdam fœminæ, cui Laurettæ *nomen, a qua Sancta Domus nomen sumpsit; at cum in nemore sita esset, quod utpote latronibus expositum peregrini libere adire ad pietatis officia præstanda, & vo-*

& vota solvenda non audebant, post menses octo, translata est mille quingentis passibus longius in collem, ubi in præsentia consistit.

Non *defuere tamen, qui Sanctæ Domus ex Urbe* Nazareth *in Dalmatiam primum, tum in Picenum translationem negarent, & ad fabulas amandarent. Inter alios in hac sententia fuerunt Apostata* Vergerius *in* Idolo Mariano, Thomas Bernegerus, Basnagius, *aliique. At eos confutarunt.* Hieronymus Angelita, *in Historia de* Virgine Lauretana, Christianus Andriconius, Canisius *in Lib.* v. *de* Virgine Deipara, Raynaudus *Tom.* VIII. Tursellinus *lib.*1. Hist. Lauretanæ, Franciscus Turrianus *contra* Libellum Vergerii, Honeratus a S. Maria in Animadversionibus Criticis *lib.* III. Dissertat. I. *denique* Petrus Valerius Martorellius *in* Historia Lauretana.

Atque ut ad rationes accedamus, quas contra Sanctæ Domus Nazareth. existentiam, ac translationem Novatores adducunt; prima, qua ad an. 3. Basnagius *utitur, ea est, memoratam Domum an. 1291. non extitisse, ob Romanum Exercitum scilicet, qui, occupata Syria, eas regiones vastavit; neque vero credibile est, eam Domum dirutam, eversamque non fuisse, & communi excidio se subduxisse; præsertim cum* S. Hieronymus *Epistola* 86. *novæ Editionis, olim* 44. *languide loquatur de* Nazareth, *quam alibi* Nazaram *vocat, exiguum Galileæ vicum.* II. Venerabilis Beda *memoriæ prodit, in Urbe* Nazareth *Ecclesiam esse, ubi Domus erat, in qua Angelus Mariam salutavit, vel ut ipse loquitur,* in qua Angelus ad Mariam venit; *quibus verbis evertitur hujus translationis miraculum, quippe cum ex iis deducatur, antiquam Virginis Domum Bedæ tempore non extitisse. Subdit Basnagius, domum, qua Virgo utebatur,* ex earum numero *fuisse, quæ locationi suberant; sanctumque proinde locum, discedente Virgine, ab hospitibus profanatum; id autem ex Virginis paupertate Basnagius conjicit. Addit & illud, eamdem domum per annos quadringentos latuisse, propterea quod* Eusebius Helenam Imperatricem *nec in Urbem* Nazareth, *nec in Virginis domum profectam dicit. Querit præterea Barnagius, quidni potius Capharnaica domus, in qua Christus ipse commoratus est, ab Angelis translata fuerit? Denique coævorum, aut supparum Scriptorum silentium opponit. Cur enim, inquit,* Nicephorus, *qui sub ea tempora floruit, tam insigne miraculum non commemorat? Cur* Antoninus, *qui* 51. *post translationem an. scribebat, nullam prorsus ejusdem mentionem facit?*

At quam infirma ejusmodi argumenta sint, ex solutionibus, quas statim afferam, facile quivis intelliget. Et ad primum quod attinet, ex eodem S. Hieronymo *deduci potest, eo tempore domum* Nazareth *extitisse, quandoquidem viculus ex vetere Urbe supererat, Deo nequaquam patiente, a Romanis militibus sanctum illud Tugurium violari; eoque magis, quod militaris licentia non in pauperes domos, in quibus nulla prædæ spes, sed in splendidas, & opulentas ædes desæviit. Quid ergo S. Paulus ipse, ut ait loco laudato* S. Hieronymus, percucurrit Nazareth nutriculam Domini? *Cur idem* S. Hieronymus *ad sanctam domum invisendam* Eusebium *invitat?* Ibimus, *inquit,* ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ; *siquidem in* Nazara, *parvo tum vico nihil omnino veneratione dignum reliquum fuisset.*

Venerabilis *autem* Bedæ *verba ita sane accipienda sunt, ut eadem domus profana simul, & sacra fuerit, Divino scilicet cultus a Fidelium veneratione dicata, seu in Templum conversa. Quæ quidem domus, etsi fuisset ex earum numero, quæ locationi suberant, quia tamen Incarnationis mysterium in ea ipsa peractum fuerat, longe maxima veneratione dignissima evasit. At* Basnagius *insulse garrit, eam domum locationi obnoxiam fuisse; cum potius eam incolente Virgine, cum ab Angelo salutata fuit, in eamdemque cum* Josepho *reversa, cum ex Ægypto redirssent, (tametsi* S. Josephi *patria Urbs Bethleem esset) plane compertum fiat, eam sane paternam, & quidem sanctissimorum ejusdem Virginis parentum habitatione conspicuam Domum fuisse.*

Ad Helenam *quod spectat, nos contra dicimus, ac* Basnagius *obtrudere nititur; & cum eo quidem discrimine, quod ille infeliciter paucorum silentio pugnat, nos publica traditione, multorumque testimoniis innitimur.*

Quam-

Quamvis autem caetera Terrae Sanctae monumenta, Redemptoris nostri sanguine sanctificata ad nos translata non fuerint, quemadmodum Sancta Domus Lauretana *translata fuit; id tamen permovere non debet, quod potius altissimo Dei judicio tribuendum est, cui aliorum complurium mysteriorum rationes reservatae sunt. Sane per erat* Basnagium *scire notissimum illud:* Judicia Dei sunt abyssus multa.

Pueriliter ineptit in postremo argumento Basnagius. *Nimirum* S. Antoninus *Archiepiscopus Florentinus medio saeculo* xv. *floruit, & an.* 1459. *e vivis excessit, quo sane tempore sacra Domus Lauretana per Italiam universam celebratissima erat, ut scribit* Blondus Flavius, *qui* Eugenio IV. *a secretis fuit, &* Antonini *coaevus; ac per idem fere tempus (aequisne id auribus excepturus sit* Basnagius, *haud satis scio)* Erasmus Roterodamus *Lauretanam Virginem panegyri, liturgiis, precibusque laudavit; quemadmodum ex Canisio lib.* v. de Maria Deipara Vergine *licet intelligi. Paulo post* Mantuanus *floruit, qui ita cecinit.*

Et quia transvectam Mulier Laureta recepit,
Virginis Ædiculam, praebens, ubi sisteret, agrum,
Lauretae delubra vocant.

A probilitate non abest, Porcam Dantem *de sancta Domo Lauretana mentionem fecisse. Natus est an.* 1260. *& cum eadem sancta Domus translata est, in vivis erat. Cum ergo de Petro Damiano caneret Cantico* III. *Cantu* XXI. *ita loquitur, ut legitur in Editione Veneta an.* 1529. *pag.* 270.

In quel loco fu' io Pier Damiano,
Et Pietro Pescator fu nella Casa
Di nostra Donna in sul lito Adriano.

Sed ut ut de Dantis *Cantico res habeat, Catholici omnes Sanctam Domum Lauretanam tanquam eam venerantur, in qua Divina Incarnationis salutare mysterium Angelus Mariae nuntiavit. Ita scripsit laudatus* Mantuanus, *qui nostrae huic Adnotationi finem imponet:*

Huc Itali, Siculique ferunt solemnia vota;
Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni,
Accola Danubii; venit usque a littore Narbo,
Galliae, & Isthmiacae Spartanus ab aequore terrae.

Nazir, Hebraicum vocabulum, quod *Coronam* significat, eumve, qui coronatus est. Utitur hoc vocabulo Jacob in postrema benedictione, quam Joseph filio contulit: *Benedictiones patris vestri descendant in caput Joseph, in caput ejus; qui veluti* Nazir *fratrum suorum est. Genes.* XLIX.

Neaman, seu Neaman. Nomen hoc generatim insignem Principis Aulicum significat; litterali sensu, *fidelem*. In sacris Litteris Moses servus *fidelis*, *Neaman* domus Dei dicitur; itemque David Saulis *Neaman*, & gener erat. *Numer.* XII. I. *Reg.* XXII.

Neapolis, Urbs Palaestinae, eadem ac vetus Urbs Sichem, dicta deinde *Neapolis*, & *Flavia Neapolis*. Eam Vespasianus, & Titus Romanam Coloniam fecerunt. Episcopalis olim erat; in praesentia Metropolis est exiguae ditionis, quae ejus nomen gerit. *Actor. Apost. cap.* XVI.

Neapolis, Urbs nova, in Macedonia, ad quam S. Paulus pervenit, cum e Samothracia reverteretur: *Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim.* Hodie *Christopolis* dicitur. *Actor.* XVI. *Joseph de Bello lib.* II. *cap.* 28.

Nebahas, qui loquitur, Hevaeorum Idolum: *Porro Hevaei fecerunt Nebahat, & Tharthac.* Rabbini putant, huic Deo Canis figuram fuisse, cujusmodi Ægyptiorum *Annubis* erat. IV. *Reg.* XVII. 31.

Nebai, qui fructificat, Israelita e Tribu Levi, qui post reditum a Babylonica captivitate, fuit eorum unus, qui foedus, quod iniit Neemias cum Domino, subscripserunt. II. *Esdr.* X.

Beballath, qui clam prophetizat, Palaestinae Urbs, in qua Beniamitae, cum a Babylonica captivitate reversi essent, sibi sedem posuerunt. II. *Esdr. cap.* XI. 34.

Nebo, excelsam cacumen, mons in regionis Moabitarum finibus in Tribu Ruben, cujus verticem Deus conscendere Mosem jussit, ut regionem Chanaan inde prospiceret: *Ascende in montem Nebo.* Ibi Dux hic Populi Dei mortem occubuit. Montis Abarim partem mons hic constituebat. *Deuter.* XXXIV.

Ne-

Nebsan, *qui abit*, Urbs Tribus Juda mari mortuo proxima. *Jos*. xv.

Neceb, *qui maledicit*, Urbs Tribus Nephtali: *Adami*, *quæ est Neceb*. *Jos. cap.* xix. 33.

Nechao, *Claudus*, Ægypti Rex, dictus in sacris Litteris Pharao Nechao, filius erat Psammatici, cui in Ægypti solio successit. Princeps hic in ipso sui Regni initio aquam a Nilo per incile ad Arabicum sinum deducere aggressus est: sed eum ab incepto desistere coegit ingens hominum numerus, quos opus extinxerat. Multas instruxit classes, ut Mare Rubrum, & Mediterraneum excurrerent. Ejus Naves per Australe Mare vela dederunt; cumque ad fretum Gaditanum, seu Herculeum, vulgo *Gibaltar*, pervenissent, Mediterraneum subiere, per quod triennio post quam e portu solverant, in Ægyptum reversæ sunt. Nechao ægre ferens Assyriorum gloriam, qui Babylonicum Imperium invaserant, eos impugnaturus iter ad Euphratem cum exercitu instituit. Cum ergo per regionem Juda gradum faceret, pius Josias, qui Babylonici Regis vectigalis erat, suis eductis copiis occurrit, ut ei transitum impediret. Nechao, cui cum Rege Juda nulla contentionis causa erat, eum per legatos monuit, sibi quidem id esse consilii, ut Euphratem peteret, rogans, ne se ad pugnam cum eo committendam adactum vellet. At Josias, monitis, precibusque neglectis, eum Mageddo ad Manasse fines aggressus, haud e voto cedente prælio, vitæ jacturam subiit. Iter ergo prosecutus Ægyptius Rex susceptam in Assyrios expeditionem feliciter absolvit, rediensque, cum Rabathæ in Syria esset, accitum Joachax, Josiæ successorem, vinculisque constrictum in Ægyptum misit. Tum Hierosolymam profectus, Joakim Regem instituit, ea lege, & ingentem pecuniæ vim solveret: *Joakim cepit tam aurum*, *quam argentum de populo terræ*, *ut daret Pharaoni Nechao*. Haud diu victoriæ, quam ex Assyriis retulerat, fructu Nechao frui licuit; siquidem Nabuchodonosor omnem, quam ille subegerat, regionem recepit, Ægyptios profligavit, & Nechaum in veteres fines redegit. Obiit Princeps hic sexto Regni sui anno Mund. 3435. IV. *Reg*. xxiii. 11. *Paralip*. xxxv. *Jerem*. xlvi.

Nechiloth. Vox hæc, quæ *choreas* significat, in Psalmi quinti initio occurrit, Psalmus hic in Magistri, qui choreis præerat, quæ in aliquibus Religionis cæremoniis agebantur, vel in Musicorum chori, qui tibiis sonabant, gratiam editus est.

Neerda, Urbs Provinciæ Babylonis ad Euphratem, in qua Judæi, qui Mesopotamiam incolebant, pecuniam deponebant, quam Deo consecrabant, quamque deinde Hierosolymam non sine idoneo præsidio mittebant, ne diriperetur a Parthis, qui tunc Babylone regnabant. Ibi celebre Judæorum gymnasium erat.

Neginoth. Vocabulum hoc, quod in quorumdam Psalmorum exordio reperitur, musica instrumenta chordis constantia, quæ digitis pulsabantur, vel Musicos eadem pulsantes significat.

Negromantia; nomen artis seu veræ, seu jactatæ Defunctorum animas opera Dæmonum Invocandi: *Non invenietur in te*, *qui quærat a mortuis veritatem*. Israelitæ, tametsi Religionis suæ vi, Dei cultui addicti essent, a quo, indicta mortis pœna, ad Magiam incumbere, & Magos consulere vetabantur, eo tamen vehementer pendebant, ut hac in re finitimos Idololatras imitarentur. Magorum, Divinorumque magnus inter eos numerus erat; & quamvis Saul, ut Legi obsequeretur, e suis eos finibus in exilium egisset, ibidem tamen eorum complures adfuere. Princeps hic ipse id egit, quod adeo severe damnaverat; ac per deplorandam cæcitatem, veritate ipsa neglecta, quæ responsum dare nolebat, ausus est mendacii patrem interrogare, ut, quod ei Deus occultum volebat, ipsius ingratiis detegeret. Ad Magam confugit, cui nomen *Balaathob*, ut Samuelis animam invocaret: & quamvis sacra Scriptura omnino non exprimat, cujusmodi fuerit invocatio hæc, nempe speciene ac fraude tenus, an re ipsa contigerit; ex ejus tamen narratione, quæ hoc loco occurrit, ubi de Saule sermo est, itemque ex aperto Ecclesiastici textu compertum fit, Samuelem, postquam sepultus fuerat, Regi vere apparuisse, & cum eo reapse locu-

locutum esse. Quod porro non veneficiorum magiæ vi, sed peculiari Dei providentia contigit, ut Samuel appareret; quemadmodum Moses, & Elias in Dominica transfiguratione apparuerunt. Vera igitur posita Samuelis apparitione, nihil inde tamen inferri potest, quo certa statuatur ars, quam probabile est in eorum credulitate tantum existere, qui adeo animo hebetes, infirmique sunt, ut ad eam confugiant, quæ non nisi eorum vafritie nititur, & viget, qui eam profitentur. Negromantes adhibent mortuorum ossa, ut veneficia sua peragant; calvamque potissimum, cui thus, & sacrificia offerunt. *Levit.* xx. *Deuter.* xviii. 1. *Reg.* xxviii.

Nebel, seu *Nebelan*, *somnium*, Urbs Tribus Juda, pseudo-prophetæ patria, qui Semejas dicebatur: *Vigilabo super Semejam Nebelamitam, & super semen ejus*. *Jerem.* xxix. 24.

Nebelescol, *torrens uvæ*, locus in agro Hebron, ubi Exploratores ad expendendam terram promissam missi collegerunt uvæ racemum, quem homines duo, perticæ ope, in stationem Cades attulerunt: *Appellatus est Nebelescol, id est, torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israel*. *Numer.* xiii. 25.

Nehemias, *consolatio Domini*, filius Helciæ, Sacerdotum stirpe, Babylone natus est Captivitatis tempore, rectaque agendi ratione se dignum præstitit, qui ad id muneris eveheretur, ut Artaxerxi Longimano a cyathis esset. Inter honores, divitiasque, Nehemias patriæ, majorumque suorum oblitus non fuerat; & quamvis eam nunquam vidisset, ejusdem tamen notitias quærebat; & cum aliquando Anani, quicum cognatione junctus erat, ei Hierosolymæ vastationem, miseramque Judæorum conditionem ob oculos posuisset, quibus obérant finitimi populi, quominus mœnia construerent, acerbo dolore percitus Deum obsecravit, ut sibi præsto esset, qui in animo habebat ædificandæ Hierosolymæ facultatem a Rege petere. Cum ergo quadam die Principi deserviret, Artaxerses, qui eum amore prosequebatur, mœstum, & consternatum videns, tristitiæ causam sciscitatus est; Nehemias ingenue, quod res erat, confessus rogavit, ut per eum sibi liceret Hierosolymam petgere, ut ejus mœnia, & portas ædificaret. Annuit Rex, jussitque, ut qui ultra Euphratem Præfecti erant, operam darent, ut ille sospes & incolumis ad Judæam perveniret, eidemque, quidquid ad propositum consilium perficiendum requireretur, suppeditarent. Nehemias igitur Equitum præsidio stipatus, quod ei Rex tribuit, ex Aula discessit; & cum Hierosolymam pervenisset, præcipuos e populo congregavit, eosque, significata, qua pollebat, auctoritase, vehementer hortatus est, ut Urbis restaurationem aggrederentur. Cum porro nihil non promptum, expeditumque Nehemias comperisset, Judæi statim operi manum admoverunt. Nihil intentatum reliquere Judæorum hostes, ut obsisterent. Armati accessere, ut opifices impedirent; at Nehemias non paucos e suis armatos clanculum post murum distribuit, ut opifices tuerentur, & qui ipsi armis instructi erant, si qua forte hostilis incursio fieret. Hostes ergo sua detecta consilia videntes ad fraudem confugerunt, ut Nehemiam ad collationem pertraherent, atque ita occiderent. At id iis e voto cessit, eorumque molimina magnanimi Ducis fervorem remittere non potuerunt. Denique post dies ab inchoato opere duos & quinquaginta, superatis obstaculis omnibus, quæ Judæorum hostes longe maxima excogitaverant, mœnia Jerusalem perfecta fuere, Judæique ad solemnem eorum dedicationem celebrandam se compararunt. Sacerdotes, Levitas, & populi Principes divisit Nehemias in ordines duos, qui, cum mœnia conscendissent, unus ad meridiem, ad septentrionem alter progredientes, ad Templum convenerunt, in quo, nemine non lætitia gestiente plurimæ mactatæ victimæ. Ita deinde Urbi consuluit, ut vellet e Natione præcipuos, ac decimam populi partem in ea sibi sedem statuere. Tum vero ad eradicandos abusus incubuit, qui in regimen ipsum irrepserant, idque imprimis affectus est, ut matrimonia cum ethnicis fœminis inita solveret, abrogaretque, quod Esdras frustra obtinere conatus fuerat. Ut vero rectum ordinem, quem instituerat, sartum tectum-

que

que servaret, adegit Nationis Proceres, ut solemni ratione fœdus cum Domino renovarent. Cæremonia in Templo peracta est, ejusque conscriptus actus, quem populi Principes, & Sacerdotes subscripserunt, cæteris, obstricta jurisjurandi fide, recipientibus, se initum fœdus fideliter servaturos. Nehemias tandem ad Artaxersis Aulam rediit, in qua per annos aliquot commoratus, per enixas preces, Hierosolymam redeundi facultatem obtinuit. Reversus ergo perspexit, abusus non paucos, dum abfuerat, irrepsisse, quos ut tolleret, vehementer adlaboravit; & cum Judaicum populum per annos triginta rexisset, pace, ac tranquillitate fruens, e vivis excessit. Nehemiæ tempore sacer ignis inventus est, quem Sacerdotes ante Babylonicam captivitatem in sicci putei fundo condiderant. Ii porro, quos sanctus Vir ad eum ignem querendum miserat, non nisi aquam crassam retulerunt, qua ille Altare conspersum voluit. Lignum, quod eadem aqua aspersum fuerat, cum primum sol ortus est, in ignem abiit; quod omnes, qui aderant, longe maxima admiratione perfudit. Porro Persarum Rex, cum ad ejus aures hoc miraculum pervenisset, muro cinctum locum voluit, io quo cinctum locum voluit, in quo ignis abditus fuerat, & Sacerdotibus haud vulgaria privilegia concessit. Nehemias auctor fertur alterius libri Esdræ, cujus initium est: *Hæc sunt verba Nehemiæ*. Auctor in eo fere semper in prima persona loquitur; ac siquidem attentius legatur, occurrunt multa, quæ Nehemias scripto exarare non potuit. Sacra Scriptura in hoc Sancto Viro nobis exhibet Aulicum, cui religio, ac pietas maxime cordi est; Laicum hominem de iis, quæ ad Deum spectabant, apprime sollicitum; Civem vehementer in id incumbentem, ut patriæ bonum procuret, qui inter divitias, deliciasque vitam agens, & apud Dominum gratia pollens, nunquam non de Hierosolyma cogitat, nullaque alia curiositate ducitur, quam ut ejus notitiis imbuatur. Quam egregium improbis Christianis exemplum, qui, cum magnopere bonis, malisque publicis moveantur, quippe qui Cives & ipsi, ac reipublicæ membra sint, non tanguntur omnino prosperis, aut adversis Ecclesiæ rebus, perinde ac si extranei prorsus essent!

Nembrod, *rebellis*, filius Chus, nepos Cham, supremam in cæteros homines potestatem primus usurpare cæpit. Eum Sacra Scriptura strenuum coram Domino Venatorem fuisse ait: *Ipse cæpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino*; ut nempe omnes homines audacia, dexteritate, tolerantia in hac periculosa exercitatione superaverit. Se is quidem primum in belluarum venatione, quibus natura maximam feritatem indidit, audacium adolescentum turba stipatus exercuit; atque ita labori obduruit, armisque solerter tractandis assuevit. Turba hæc ipsa, cum paulatim excrevisset, magnamque sibi existimationem ob insigne robur animi comparasset, auctoritatem ei sponte concessit, ea spe ducta fore, ut se a cæterorum hominum injuriis ob ejus armorum formidinem in tuto poneret. At Nembrod cum semel suavitatem, jucunditatemque regiminis degustasset, suæ jam ambitioni habenas solvit, ejusque cohortis ope, quam ipse instruxerat, eo studium, & operam contulit, ut homines ipsos iis armis subigeret, quibus hactenus in belluarum tantum perniciem usus fuerat. Turris Babel, e cujus Architectis ipse dubio procul extiterat, arcis ei loco fuit; quam muro cinxit, & Urbem effecit, quæ Babylon nuncupata, quæque ejus Imperii sedes. Tum vero, prout ditionem suam propagabat, alias Urbes condidit, quarum præcipua Ninive ad Tigrim fuit. Eam ita appellavit a filio Nino, qui ejus non modo potestati, verum etiam ambitioni successit, ex eorum quidem sententia, qui Mosis textum ita vertunt: *De terra illa egressus est Assur*. Hinc nimirum exiit, ut Assyriam se conferret, ubi Ninivem ædificavit, &c. Quamquam alii sumont *Assur* pro hominis nomine, quem distinguunt a Nembrod, suumque nomen Assyriæ dedisse contendunt. *Genes.* x. 8.

Nemra, seu Nimra, *amarities*, Urbs Tribus Gad ad Ortum Maris mortui. Jeremias, & Isaias de pulcris aquis *Nemrim* loquuntur; quæ quominus eadem Urbs, ac *Nemra* fuerit, nihil prohibet. Ejus nomen ab aquarum amaritie derivatur, quam contraxere post hujus Urbis excidium

quod uterque Propheta prædixerat. *Numer.* xxi. *Jerem.* xlviii. *Isaiæ* xv.

Neophytus, *recens satus*, nomen, quod iis tribuitur, qui nuper ad fidem conversi sunt, in eademque nondum firmati. S. Paulus Episcopum creari Neophytum vetat: *Oportet ergo Episcopum esse, non Neophytum, ne* (inquit ad Timoth. I. cap. iii. v. 6.) *in superbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*.

Noemenia, Græca vox, quæ *novam Lunam*, diem apud Judæos solemnem significat: *buccinate in Noemenia tuba*, tubis canite prima mensis die. Hebræi mensis diem primam, quæ lunæ pariter prima erat, peculiari veneratione prosequebantur. Itaque sacrificiis eam diem Nationis nomine celebrabant. Synedrii erat novæ Lunæ diem statuere; illud enim eo jure gaudebat, ut festorum dies definiret. Tribunalis hujus Judices fere mittebant homines duos, qui egredientem lunam conspicerent; quibus referentibus, edicebant, ab eo die mensem incipere. Enuntiatio hæc tubarum sonitu peragebatur, eamque solemnia sacrificia consequebantur. Festum hoc haud Lege præceptum erat; nec proinde ea die labori, ac negotiis vacare Hebræi prohibebantur, excepta Neomenia mensis *Tisri*, seu anni Civilis initii. Dies hic sacer, omniumque maxime solemnis erat; eoque nullum servile opus agi licebat. *Levit.* xxiii. 24.

Nephat-Dor, *radius more*, Palæstinæ ager in finibus Urbis Dor ad Mediterraneum, cui agro Benebinadab, Salomonis gener, præfectus erat. *Jos.* xi. 2. III. *Reg.* iv.

Nephi, *purificatio*, locus, in quo ignis sacer ante captivitatem abditus fuerat: *Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephtar, quod interpretatur, purificatio; vocatur autem apud plures Nephi*. Locus hic probaticæ Piscinæ proximus erat.

Nephtali, *lucta*, sextus filiorum Jacob ex Bala, Rachelis ancilla; quem ita quidem Rachel nuncupavit, ut innueret, se cum sorore Lia contendisse, Deumque ejus votis annuisse, quam quoad filiorum numerum ei parem reddiderat: *Et dixit Rachel: luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea .... & vocavit nomen ejus Nephtali*. De vita Nephtali peculiare nihil innotescit. Ei filii fuere quatuor, *Jaziel*, *Guni*, *Jezer*, & *Sallem*; ejus mors in Ægypto contigit, cum ætatis annum 132. ageret. Eum Jacob, cum benediceret, angui exterrito comparavit; quod Interpretes aliqui de Barac explicant, qui erat e Tribu Nephtali, & cum initio quidem cervi timiditatem præsetulisset, renuens in Chananæos progredi, nisi eum Debora secuta esset, hujus deinde animalis celeritate hostem persecutus esset. Geneseos textum aliter explicant Septuaginta: *Nephtali est velut arbor, quæ novos ramos spargit, cujusque surculi pulcri sunt*; quod ad magnam Nephtali fæcunditatem, ejusque stirpis pulcritudinem referebatur. In ejus Tribu, cum ex Ægypto egrederetur, hominum tractandis armis idoneorum millia quinquaginta tria, aliique præterea quadringenti numerabantur. In inferiore, ac superiore Galilæa ei pars obtigit, in solo scilicet, quod frumento, & oleo uberrimum erat. Tribus hæc indigenas de medio non sustulit, eosque sibi vectigales esse maluit. Christi præsentia, & sermone non aliis diutius, quam posteris Nephtali frui licuit, prout Isaias prædixerat, fore scilicet, *ut ii quidem Messiæ lumen viderent, ipsisque omnium primis Evangelium affulgeret*. *Genes.* xlix. *Deuter.* xxxiii. *Numer.* ii. *Machab.* iv. 13.

Nephtoa, *hiatus*, fons in Tribu Beniamin, prope Zachariæ domum, qui S. Joannis Baptistæ pater fuit. Peregrini fontem hunc peculiari veneratione prosequuntur, quo scilicet hanc sanctam familiam usam esse contendunt. *Jos.* xv. 9.

Nephtuim, *hiatus*, quartus filiorum Mezraim, qui Ægyptum incoluit, eamque Æthiopiæ partem incolis locupletavit, quæ *Syenen* inter & *Meroen* sita est, cujusque *Nepata* Metropolis erat. *Genes.* x. 13.

Ner, *fulgur*, filius Abiel, pater Abner, & Saulis patruus: *Nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul*. Pater Cis, cujus Saul filius erat, hoc & ipse nomen habebat. I. *Reg.* xxv. 50.

Nereus, *lumen*; S. Paulus in Epist. ad Roman. (*cap.* xvi. 15.) Nereo, ejusque sorori salutem dicit. Hunc nonnulli Nereum fuisse putant, qui, Trajano imperante, cum S. Achille martyrium subiit; sed

sed horum Martyrum actis nihil auctoritatis inest.

Neregel, *seu Nergel*, *lumen*, Samaritanorum Idolum, quod galli figura, quod erat Solis symbolum, exhibebatur. Idololatriam hanc in Samariam Cutæi, idololatræ populi e Perside ortum trahentes, ubi ignis, & Sol colebantur, invexerant. Duci cuidam Exercitus Nabuchodonosor hoc idem nomen inerat. IV. *Reg.* XVII. *Jerem.* 39.

Neri, *meum lumen*, pater Baruch; alter Neri pater Salathiel: *qui fuit Salathiel*, *qui fuit Neri*. Nihil vetat, quin hic idem fuerit, ac Joachim, seu Jechonias, cui populus in captivitate hoc nomen imposuit, cum ab Evilmedorach honorifice excipi cœpit. Babylonii mutabant eorum nomina, quos captivos traxerant, cum eos natalibus, vel officio, quo in Regis Aula fungerentur, insignitos videbant. *Jerem.* XXXII. *Luc.* III. 27.

Nero, *fortis*, Romanorum Imperatorum sextus, quem aliquibus in locis sacra Scriptura rum Imperatoris titulo, rum Cæsaris cognomine designat. Ad Neronem appellavit S. Paulus, cum Festo a Felice traditus sensit, id Festo consilii esse, ut eum Judæis traderet. Hujus Principis jussu, Apostolus, cum Romæ Christi fidem non paucis, atque adeo in ipsis Imperatoris Ædibus, inspirasset, damnatus, & morti addictus fuit. Idem Nero S. Petrum e vivis sustulit, primamque in Christianos persecutionem an. Christi 64. excitavit, occasione Romanæ Urbis incendii, cujus ipse auctor fuerat, cujusque Christianos insimulavit. Primus quoque Princeps hic Hierosolymitanum bellum inchoavit, suarumque copiarum Ducem Vespasianum in Judæos misit; at cum se ipse occidisset an. Regni sui decimo quarto Christi 68. Urbs non nisi post ejus mortem obsidionem passa est. *Ad Philipp.* IV. 22.

Nesib, *statua*, Urbs in Tribu Juda. *Josue* XV. 43.

Nesroch, *vexillum*, Assyriorum Deus, cui magnificum in Urbe Ninive Templum erat, in quo Sennacherib patrem filii duo trucidarunt: *Cum adoraret in Templo Nesroch Deum suum*, *Adramelech*, *& Sarazar filii ejus percusserunt eum gladio*. IV. *Reg.* XIX. 37.

Netupha, seu *Netupha*, *guttula*, planities Hierosolymæ proxima, in qua Urbs erat ejusdem nominis. Ibi orti non pauci, de quibus sacra Scriptura commemorat. I. *Esdr. cap.* II. *Nehem. cap.* VII.

Nicanor, *victor*, filius Patroclis, armorum Regis Syriæ supremus Dux, acerrimusque Judæorum hostis, primum quidem in Judæam venit jussu Lysiæ, qui Regnum, absente Antiocho, administrabat, ut Judæ Machabæi progressus sisteret. Ei Ptolemæus, & Gorgias comites, & imperii socii. Duces hi tres id in mandatis habebant, ut regionem omnem vastarent, Judaicæque Nationi extremam perniciem afferrent. Nicanor adeo se victoriæ certum putabat, ut statueret, vectigal, quod Antiochus Romanis debebat, pecunia solvere, quam ex captivorum venditione perciperet. In hac insana cogitatione defixus e maritimis Urbibus Mercatores accivit, ut Judæos emerent, quos captivos facturus erat, eorum nonaginta se daturum talentis centum polllicitus. Horum apparatuum notitia per Judæam disseminata terrorem incussit; at Judas Machabæus Deo fidens militum circiter millia septem, quibus præerat, coegit, & Maspham duxit, cum eo sane tempore Jerusalem exterorum Principum dominio subesset. Hic ergo peracto jejunio, sumptoque cilicio, cum eos Judas hortatus esset, ut hostium multitudinem haud veriti strenue pugnarent, sibi in animum ea revocantes, quæ alias Deus in Majorum suorum gratiam egerat, omnes & singuli ad summam alacritatem erecti se nihil vehementius optare significarunt, quam ut pro legibus, & patria mortem subirent. Tum vero exiguum Exercitum in legiones quatuor divisit, quarum unaquæque militibus mille quingentis constabat; cumque legionibus tribus fratres tres, Simonem, Joseph, & Jonatham præfecisset, copias eduxit, quibus apud oppidum, cui nomen *Emmaus*, castra posuit; jussitque, ut omnes ad pugnam postridie ineundam se compararent. Interea Gorgias id se assequi posse ratus, ut, nocte favente, Judam nec opinantem opprime-

tet,

ret, cohortem eduxit, ut ex improviso Judæos invaderet, obrueretque, quin iis vel arma sumere per tempus liceret. At Judas, detecto Gorgiæ consilio, cujus absentiam sibi utilem esse voluit, ut Exercitum ipsum aggregeretur, eductis tribus hominum millibus, datoque prælii signo, *subsidium Dei*, in Nicanorem irruit, universumque ejus Exercitum, interfectis hominum novem millibus, perturbavit. Dux hic ipse fuga salutem quærere coactus, dignitatis insignia, ne caperetur, abjecit, & regionem prætergressus, veluti captivus profugus, nemine comitante, Antiochiam pervenit, magnifice prædicans, Deum Judæis præsidio esse, & ob singularem in lege servanda fidem invictos effici. Quarto post hanc cladem anno, Demetrius Soter Syriæ Rex, ab iis rogatus, qui Judam oderant, Nicanorem formidando Exercitu instructum in Judæam remisit, eique in mandatis dedit, ut Judam seu vivum, seu mortuum caperet. Dux hic, qui Judæorum bellicam virtutem agnosceret, cruenti prælii discrimen veritus, ad negotiationem confugit, & pacem proposuit, quam Judas accepit. Ergo dimissa Exercitus parte, Hierosolymæ cum Juda familiariter versabatur, quicum sinceram amicitiam inierat; at id ægre ferens Alcimus, & Judæ auctoritati invidens, apud Demetrium conquestus est, conatus Nicanorem suspectum reddere, quem tamquam publici boni proditorem insimulabat. His improbi hominis calumniis fidem adhibens Rex Nicanori per litteras significavit; fœdus, quod cum Machabæo inierat, haud sibi probari, mandans, ut vivum caperet, vinctisque manibus, & pedibus, Antiochiam mitteret. Id audiens Nicanor admiratione, ac mærore correptus, cum tamen Regis voluntati repugnare non posset, occasionem quærere cœpit, ut Judam perderet; qui de pravis ejus consiliis suspicatus, cum haud ita magna militum manu recessit, qua Nicanorem reppulit, qui eum insecutus fuerat. Tum vero Nicanor in desperationem actus, quippe qui sibi prædam e manibus elapsam videret, Templum ingressus, elataque in sanctum locum manu, se Templum funditus eversurum, aliudque in Bacchi honorem extructurum juravit, nisi Judas sibi traderetur. Cum vero eum in agro Samaritano esse audivisset, ipsum suis omnibus viribus aggredi statuit, & quidem Sabbati die. Egressus ergo tamquam ad certam victoriam non sine tubarum sonitu properabat; at Judas, qui suam in Deo spem omnem ponebat, cum eamdem fiduciam suis inspirasset, inito prælio, Nicanorem fudit, triginta quinque hominum millibus interfectis. Nicanor ipse in eo certamine vitam amisit, cujus agnito corpori Judas caput, ac dexteram manum amputata voluit, & Hierosolymam delata; quo cum pervenisset, Sacerdotibus, & populo, quos in Templi atrium acciverat, Nicanoris caput, & execrandam manum ostendit, quam in omnipotentis Dei domum arroganter extulerat. Tum impii hominis linguam, quam in frusta recidi jusserat, avibus comedendam dedit. Ejus manus e regione Templi, caputque publice exposita, ut divini auxilii insigne monumentum omnium oculis obversaretur; captumque, ut in hujus magni eventus recordationem peculiare festum quotannis celebraretur. I. *Machab.* III. II. *Machab.* VIII.

Nicanor, unus e primis Diaconis septem, quos Apostoli ad distribuendas eleemosynas elegerant: *Elegerunt Stephanum* . . . . *& Nicanorem*. In Insula Cypro martyrium passus creditur. *Act.* VI. 5.

Nicodemus, *victor populi*, Christi Discipulus e Pharisæorum secta, atque e præcipuis Mosaicæ Legis Doctoribus: *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum; hic venit ad Jesum nocte*. Nicodemus prodigia vehementer admiratus, quæ Christus edebat, minime dubitavit, quin ipse Messias esset, eumque noctu convenit, ne agnosceretur. Cum eo Christus super renascendi necessitate sermonem habuit; cumque Nicodemus id de corpore acciperet, quasi corpus ipsum renasci oporteret, sua Christus verba ei clarius explicuit, atque se de spiritu verba facere, quem scilicet per baptismum a peccatorum maculis expurgari, ac veluti renasci necesse erat. Ex eo tempore Nicodemus Christo se dedidit, ejus.

ejusque Discipulus addictissimus, si quis alius, sed occultus, evasit. Tum demum aperte se prodidit, cum una cum Joseph ab Arimathæa venit Christo crucifixo postrema officia præstiturus. Ejus quippe corpus Nicodemus, & Joseph opobalsamo condierunt, & sepulturæ dederunt. Ac de Nicodemo quidem in Evangelio nihil præterea. Traditio porro subdit, eum, cum baptismum, seu ante, seu post Christi mortem, suscepisset, a Judæis Senatoria dignitate spoliatum, anathemate perculsum, & Hierosolymis ejectum fuisse; Judæosque ipsos, cum eum morte damnare statuissent, in Gamalielis ejusdem consanguinei gratiam, mutato consilio, satis babuisse, eum fuste mulctatum, bonisque spoliatum dimittere; eumque deinceps apud Gamalielem ad mortem usque vixisse, ab eoque apud S. Stephanum sepultum fuisse; demum eorum corpora an. 415. cum Gamalielis ipsius corpore inventa. Extat Evangelium Nicodemi nomine inscriptum, erroribus, & mendaciis infartum, quod Manichæi ediderunt. *Joan.* III. & VII.

Nicolaus, *victoria populi*, Proselytus Antiochenus, qui ex Ethnico Judæus Christianam religionem amplexus est, electusque fuit, ut e primis septem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Diaconis esset. Diaconi hujus ignominiosa memoria est, ob accusationem seu vere, seu falso in eum intentaram, quasi Nicolaitarum sectæ Auctor fuerit, sive occasionem præbuerit. Qui reum faciunt, ab Apostolis vituperatum contendunt, quod conjugem recepisset, a qua recesserat, ut continentiam servaret, ipsumque proinde placita veritati, ac puritati contraria sibi statuisse, extremisque se fœditatibus dedidisse. Qui vero eumdem purgare, tuerique conantur, nihil unquam turpitudinis in eo fuisse afferunt, at nonnullos licentiori vitæ rationi deditos, ambiguis nonnullis Nicolai locutionibus abusos Hæresim invexisse, eamque, ut facilius incautorum animis inspirarent, ab ejus nomine nuncupasse; ac maxima sane præsumptio est, Nicolaum occasionem potius, quam auctorem earum turpitudinum fuisse, quibus ii nequam homines addicti erant, qui ejus nomen sibi arrogarunt. Nicolaus Samariæ Episcopus creatus dicitur. *Actor.* VI. 5.

Nicolaitæ, Hæretici, qui in Ecclesia ipso Apostolorum tempore prodiere, quorum hæresis initio quidem non Dogmatum falsitate, sed morum pravitate, turpi scilicet, infamique vitæ ratione continebatur; at deinde in præposteras etiam super Divinitate, & Mundi creatione sententias abiit. Ergo Nicolaitæ promiscuum conjugum usum admittebant, omnemque ethnicæ superstitionis impietatem sine scrupulo profitebantur. S. Joannes in Apocalypsi Ephesiorum Episcopum laude dignum prædicat, quod Nicolaitas aversaretur: *sed & hoc habes*, inquit, *quod odisti facta Nicolaitarum*. Pergami autem Episcopum increpat, quod ejus Ecclesiæ nonnulli eorumdem Hæreticorum deliramenta sectarentur. Horum Hæreticorum nomen haud diu viguit. Cum enim se despicatui duci, omniumque horrori, & execrationi subesse viderent, Gnosticorum hæreses adoptarunt, eorumque nomen sumpserunt. In alias deinceps Sectas abierunt, ac non semel ab inferis excitati, semper tamen cum horore rejecti, summaque animorum contentione a strenuis Evangelicorum Dogmatum propugnatoribus impetiti, in contemptum adducti, eversique sunt.

Nicopolis, *Urbs victoriæ*, Urbs Epiri ad sinum Ambracium, ita dicta a victoria, quam Augustus ad Actium de Antonio, & Cleopatra reportavit. S. Paulus hac in Urbe hibernom an. 64. tempus transegit, eoque per Epistolam Titum in Creta versantem accivit: *Festina*, inquit, *ad me venire Nicopolim*. *Ad Tit.* III. 12.

Niger, cognomento *Simon*, Propheta erat, & Antiochenæ Ecclesiæ Doctor. Fuit eorum unus, qui Saulo, & Barnabæ manus imposuerunt ob officium, ad quod eos Spiritus Sanctus assumpserat. Eum cum Simone Cyrenæo nonnulli confundunt, non alia ratione ducti, quam nominum similitudine. *Actor. cap.* XIII. v. 1.

Nilus, *niger*, Africæ celebre flumen, quod in superiore Æthiopia e duobus ad radi-

radices montium Lunæ fontibus oritur, magnamque regionis amplitudinem prætergressum, tandem in Ægyptium Mare septem ostiis se exonerat, cum antea e cataractis non sine horrendo rumore delapsum, superiorem Ægyptum efformaverit, ubi Delta supra Memphim est. Nilum multi Gehon esse opinati sunt, unum scilicet e quatuor terrestris Paradisi fluminibus, de quibus Moses; at opinio hæc propugnari omnino non potest, quoniam Euphrates, & Tigris, qui dubio procul ex horum quatuor fluviorum numero sunt, longissime a Nilo absunt, nec unquam originem cum eo communem habuerunt. Sacra Scriptura sæpenumero de hoc flumine loquitur, nomine torrentis Ægypti, ad septentrionales nempe Terræ promissæ limites designandos: *Ab ingressu Emath usque ad torrentem Ægypti*. Nilus *superioris Ægypti servator* dicitur, ob ejus statas inundationes, quæ nempe bis in anno, certisque diebus, præsertim circa solstitium æstivum contingunt; dicitur etiam *imi pater*, ob limum, quem ejus aquæ secum trahunt, quique longe lateque sparsus agros feraces reddit; itaque unica spes Ægyptiis in Nilo posita est, quia fertilis, aut sterilis annus est, prout ille magnus, aut parcior influxit. Erat olim incerta harum inundationum causa; verum in præsentia non dubitatur, quin e copiosissimis pluviis deriventur, quæ in Æthiopia mensibus tribus, Junio, Julio, & Augusto contingunt. Nimirum ejus regionis humus maxime arida, & Spongiæ similis diu pluviam bibit; cum autem ad ebrietatem devenit, effundit aquas undique, eamque copiam Nilo suppeditat, quam ad Ægyptum defert, ut eam abluat, atque fæcundet.

Ninivo, *pulcra*, una ex antiquissimis, amplissimis, & potentissimis Terrarum Orbis Urbibus, Assyriæ Metropolis, ad orientalem Tigridis oram sita. Eam nonnullorum sententia condidit Assur filius Sem: *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Ninivem*; aliorum autem judicio, Nimbrod, filius Chus, explicato nomine *Assur* pro Assyriæ regione: *de terra illa* (nempe regione Sennaar) *egressus est Asser* (scilicet in Assyriam), *& ædificavit Ninivem*. Quo potissimum tempore condita fuerit, haud facile statui potest; at non multo post Turrim Babel ædificatam condita dici potest. Ninus Beli filius, unus e successoribus Nembrod, qui Deboræ ætate vivebat, cum magnam terrarum Orbis partem sibi subegisset, Ninivem amplificavit, & muniit, ut ea proinde nulla in universo Terrarum Orbe clarior esset. Eam magnifice describit Diodorus Siculus, & circuitu quidem stadiis 480. longitudine 150. latitudine 90. patuisse testatur. Quo tempore missus Jonas, de ejus amplitudine ita Sacra Scriptura loquitur: *Ninive erat Civitas magna, itinere dierum trium*; quod sane de Urbis ambitu accipi debet. Is erat incolarum numerus, ut centum viginti & amplius hominum millia numerarentur, qui *suam ipsorum dexteram a sinistra manu distinguere nesciebant*; quod communi sententia de pueris explicatur, qui nondum ad rationis usum pervenerant. Hæc Idololatriæ mordicus addicta Urbs in maxima depravatione jacebat; ejusque delictorum horror cælestem vindictam provocabat, cum Deus extremum excidium per Prophetam eidem nuntiatum voluit. Tunc ibidem regnabat Phul, qui Jonæ nuntiis, monitisque permotus e solio descendit, in cinere sedit, veræque pœnitentiæ nulla non edidit argumenta. Regis exemplum imitati Ninivitæ se ad singularem humilitatem composuerunt, ac belluæ ipsæ in publicæ pœnitentiæ partem venerunt. Populi ad Deum reditus eo quidem tempore ipsius indignationem suspendit, & vindictam cohibuit; at, cum ea pœnitentia non esset vera, constansque resipiscentia, vetera statim flagitia repullularunt. Diu tamen Deus decreti, quod in pravam hanc Urbem tulerat, executionem distulit. In Urbe Ninive contra seditio sexaginta post annis, quam Jonas excidium nuntiaturus advenerat, Sardanapalo regnante. Arbactus Medis Præpositus, cum adeo infamem Principem solio insidentem ferre non posset, eum, facta conjuratione, illatoque bello, impulit, ut in Regiam se recipiens, extructa, incensaque pyra, & se, & divitias suas in incendium mitteret, conditque Assyriæ novum Imperium,

rium, cujus Ninive Metropolis esse non destitit, quoad Nabopolassar Babylonis Rex, & Astiages Medorum Rex eam conjunctis viribus aggressi ceperunt, & funditus everterunt, pro ut Prophetæ Nahum, & Sophonias prædixerant: *Et extendet* Dominus (inquit Sophonias) *manum suam super aquilonem, & perdet Assur* (Assyriæ populum); *& ponet speciosam* (Ninivem) *in solitudinem, & in invium, & quasi desertum.... Hæc est* (inquient) *civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: ego sum, & extra me non est alia amplius; quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis, qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.* Ninive (inquit Nahum) *dissipata est, & scissa, & dilacerata, & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio cunctis renibus.... Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit Leo, ut ingrederetur illuc catulus leonis, & non est, qui exterreat?.... Væ, Civitas sanguinum, universa mendaci dilaceratione plena; non recedet a te rapina.... Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam usque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius; & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.... Ulciscens Dominus, & habens furorem.... Ante faciem indignationis ejus quis stabit? Et quis resistet in ira furoris ejus?* Post hoc excidium Ninive non amplius pristinum splendorem recuperavit. Eam quidem repararunt Persarum Reges; at Saraceni rursus septimo circiter sæculo solo æquarunt. Feruntur adhuc existere ejus reliquiæ ad orientalem Tigridis ripam e regione Urbis Mosul, quæ ad oppositam ripam est. *Genes.* x.

Nisan, vexillum, Hebræorum mensis, qui Martii apud nos, & Aprilis mensium parti respondet. Eum Hebræi, cùm ex Ægypto egrederentur, primum anni sancti mensem statuerunt: *Mensis iste principium mensium*. Civilis anni septimus erat, & *Abib* quoque nuncupabatur. Hujus mensis die 14. Pascha celebrabatur; ejusdem mensis die decima sexta spicarum hordei manipulum offerebatur; vicesima sexta die preces inchoabantur, quibus verni temporis pluviæ petebantur; die denique vicesima nona memoria lapsus mænium Jericho recolebatur. *Exod. cap.* XII. *Levit. cap.* XIII. *Josue cap.* XXIV.

Nitocris. Creditur hoc esse Reginæ, matris Balthassar nomen, quæ sollicitum Regis animum tranquillavit, cum eum visio turbasset, quæ eidem contigit in impio convivio, in quo Hierosolymitani Templi sacra vasa polluit, quamque ei Daniel explicuit, quippe qui inter Chaldææ Magos excelleret, quique suæ hac in arte peritiæ, ac scientiæ complura specimina exhibuerat. *Daniel.* V.

Nitrum, sellis in Palæstina communis genus, quo alias utebantur Hebræi, ut se lavarent, polirentque. *Si laveris te nitro*, apud Jeremiam, nempe si nitro vos ipsi laveritis, iniquitatis vestræ sordibus inquinati remanebitis. Quæ Jeremiæ verba, quis nitri usus penes Hebræos esset, perspicue significant, ut nempe ab externis maculis se purgarent. In eum autem finem aceto permiscebatur: *sicut acetum in nitro*; quemadmodum nempe nitrum aceto mixtum oris maculas tergit, deletque, ita musica tristitiæ dissipandæ deservit: *sic qui cantat carmina corde pessimo*. *Proverb.* XV. 20. *Jerem.* II. 22.

Noa, excussa. I. Urbs in Tribu Zabulon. II. Noa filia Salphaad. *Jos.* XIX. *Numer.* XXVI.

Noadias, testimonium, pseudo-Propheta, qui se a Nehemiæ hostibus corrumpi passus in id incubuit, ut eum timore percelleret, impediretque, ne Templum, & mænia Jerusalem repararet: *Memento Noadiæ Prophetæ, & cæterorum Prophetarum, qui terrebant me*. At Nehemias haud ejus consiliis, & monitis fidens, inchoatum opus alacriter prosequi non destitit. II. *Esdr. cap.* VI.

Noammon, commoratio Ammon, Ægypti Urbs, quam nonnulli *Diospolim* in Delta vertunt. *Nahum* III. *Jerem.* XLVI.

Noachides, nomen. Noe posteris inditum; ac Noachida quidem præcepta ea sunt, quæ Judæi Noe, ejusque posteris data afferunt, quæque naturale tantum jus continent, & neminem non obligant. Præcepta hæc sunt numero septem, quo-

rum primum idololatriam prohibet, alterum jubet Dei nomini benedici, tertium vetat homicidium, quartum damnat adulterium, & incestum, quintum prohibet furtum, sextum præcipit, ut quisque justitiam edat, eique pareat, septimum carnem comedi vetat, quæ a viventis animalis corpore recisa fuerit. *Gemar. Babyl. tit. Sanhedr. cap.* 1.

Noara, Urbs Tribus Ephraim, quinque passuum millibus Jericho distans.

Nob, seu *Nobe*, *sermo*, Sacerdotalis Urbs in Tribu Beniamin, seu Ephraim, propterea celebris, quod Sacerdotum Urbs fuerit. In ea Tabernaculum diu constitit, in eademque Achimelech Pontifex residebat. Cum autem idem Pontifex Davidi, ejusque militibus propositionis panes tribuisset, eum Saul occidi jussit una cum cæteris omnibus e Sacerdotali stirpe, qui octuaginta quinque numero perierunt; Urbem vastavit, ejusque omnes incolas, ne fœminis quidem, aut pueris exceptis, morte damnavit. 1. *Reg. cap.* XXII.

Nobe, nomen hominis a Manasse descendentis, qui potitus Urbe Chanath, suum ei nomen dedit: *Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis, vocavitque eam ex nomine suo Nobe*. *Numer.* XXXII. *Judic.* VIII.

Nod, terra *Nod*, in quam Cain post fratricidium se recepit: *habitavit in terra Nod*. Ubinam potissimum hæc regio fuerit, haud plane constat. Aliqui putant, hanc esse Nisæ regionem, Hyrcaniam versus; alii vero vocabulum Nod generali significatione accipiendum contendunt, ut profugum innuat, atque ita legunt: *habitavit in terra profugus*. *Genes.* XV. 16.

Nodab, *dicata*, Urbs inter Arabiam, & Tribum Ruben, quam Tribus Manasse, & Gad everterunt, quod Moabitis contra Tribum Ruben opem tulisset. 1. *Paralip.* V. 19.

Noe, *requies*, filius Lamech: *Lamech genuit filium, vocavitque nomen ejus* Noe, *dicens: iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum*. An. Mund. 1056. & 2944. ante Christum Dominum natus est. Is omni vitæ suæ tempore justus, perfectusque fuit, & apud Dominum gratiam invenit, qui in extremam improbitatem prolapsos homines, omnesque eorum semitas corruptas videns, statuit, immisso diluvio, morti tradere, quidquid super terram vivebat. Præcepit ergo Noe, ut Arcam ædificaret, in qua ipse se cum omni familia, omnisque generis bestiis, avibusque, tum maribus, tum fœminis a diluvio tueretur. Deus ipse formam, mensuras, proportiones designavit ingentis ejus Navis, quæ capsæ similis esse debebat, longa cubitos 300. lata 50 & alta 30. bitumine uncta, & in ordines tres distributa, quorum unicuique plura cubicula, seu sedes inessent. Dei verbo credidit Noe, & quidquid ei mandaverat, accurate executus est. Ea nimirum credidit, quæ nullam veritatis speciem præseferebant; fideique suæ fundamento nixus, aggressus est opus, quod exemplo carebat, susceptumque opus sæculi spatio prosecutus est, neque hominum irrisiones, ac dicteria efficere potuerunt, ne adeo laboriosum opus ad finem perduceret. Per id tempus homines de iis monere non destitit, quæ futura erant; qui tamen consuetis in negotiis, ac voluptatibus occupati tamquam somnia, ac deliria spectabant, quæ Noe de imminente Divina vindicta prædicabat: *Ex quo*, ajebant, *Patre nostri mortui sunt, omnia sunt, pro ut erant ab initio*. Interea cum Noe omnia in Arcam inferri curasset, ad hominum, & animalium vitam necessaria, quæ in eam ingredi debebant, septimo ante Diluvium die, ei Deus præcepit, ut ipse cum conjuge, filiis tribus, & eorum uxoribus, omnisque generis animalibus ingrederetur, quæ bina ex omni genere, mas, & fœmina, confluxerunt, eique se se stiterunt, peculiari instinctu ducta, quem iis Deus indidit. Agebat tum Noe 600. etatis annum. Ergo ingressis in Arcam omnibus, Deus Arcam foris clausit; cumque vindictæ dies advenisset, erupit, effluxitque mare undique, ceciditque horrenda pluvia quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Universa terra aquis obruta, mortuique viventes omnes, iis exceptis, qui in Arca erant, quæ aquis innatabat. Cum porro aquæ per dies 150. terræ superficiem texissent, recordatus Deus Noe, vehementem ventum immisit, quo flante, aquæ

imminui cæptæ sunt; elapsisque post diluvium mensibus septem, supra montes Armeniæ, aut supra montem Ararat, prope Urbem Erivan Arca requievit. Mensis decimi die pariter decima, montium juga se prodiderunt; cumque dies quadraginta præteriissent, ex quo id Noe perceperat, Arcæ fenestram aperuit, & Corvum emisit, qui semel egressus non amplius reversus est, sed huc illuc errabat, quoad aquæ penitus exsiccarentur. Emisit deinde Columbam Noe, quæ non inveniens, ubi pedem poneret, in Arcam rediit. Post dies septem, eam rursus emisit; ac tum quidem reversa, olivæ ramum attulit, cujus frondes omnino virides erant. Intellexit ergo Noe, aquas super terram exsiccatas jam esse; cumque septem prætere dies expectasset, abire tertio columbam passus est, quæ non amplius rediit. Tum vero in Arcæ tecto hiatum effecit, & inde prospectans, terram omnino detectam vidit; fere tamen duobus præterea mensibus in Arca constitit; quibus elapsis, egressus est, anno nimirum expleto, quo ingressus erat. Id autem omnium primum curavit Noe, ut Altare Domino erigeret, eique unum ex omnibus animalibus mundis, quæ in Arca erant, in holocaustum offerret. Ejus sacrificium Deus gratum, acceptumque habuit; eique, ac filiis bene dixit, cum iisdem fœdus iniit, voluitque, Arcum in Cœlo, seu Iridem velut ejusdem fœderis signum esse, ut, quoties apparuisset, pacti recordaretur, quo se cum iis obstringebat, ac se non amplius terram ejusmodi diluvio inundaturum promisit. Tum Noe terram colere cæpit, & vineam sevit; quæ antea quidem nota erat, at eam certo primus ordine sevit Noe, quique uvæ fieri poterat, usum detexit, expresso liquore. Cum ergo vinum effecisset, bibit, cumque nondum ejus vim expertus esset, ebrius evasit, suoque in tabernaculo obdormiit. Ejus filius Cham, cum forte patrem, haud pro ut decebat, derectum vidisset, irrisit, eaque de re fratres monuit, qui inversis pedibus ambulantes, accedentesque patris nuditatem pallio texerunt. Expergefactus Noe, sciensque, quod acciderat, maledixit Chanaan filio Cham, cujus posteri deinde ab Israelitis deleti fuere, benedixitque Sem, & Japhet. Sanctus hic Vir annos præterea 350. post diluvium vixit, obiitque ætatis an. 950. fidei potissimum magnitudine, ac soliditate commendandus. Hac nimirum fide ductus, ut monet S. Paulus, accepto cælesti monito, id sibi persuadens, quod eo sane tempore nullam veri speciem præseferebat, Arcam ædificavit, suam ut familiam in tuto poneret. Is unus humani generis conciliator, fœderis Deum inter, & homines icti Mediator, Religionis, & pietatis custos, pœnitentiæ nuntius, veræ justitiæ propugnator, & hæres, denique prorsus novi Mundi pater extitit. Omnes hi tituli ei quidem congruunt, sed ita tamen, ut non in eo consistamus, sed ad verum Liberatorem animum erigamus, cujus ille figura erat, quique unus augustis iis, quam late patent, quos diximus, titulis cumulatissime insignitus est. *Genes.* VIII. X. XI. &c.

Contenditur porro, tametsi nihil ejusmodi e Sacris Litteris certo constet, Noe terrarum Orbem suos inter filios partitum esse, atque ita quidem, ut Semo Orientalem Asiam a Tauro monte ad Indicum mare, Japheto Occidentalem Asiam, & Europam universam, Chamo Africam omnem, magnamque Syriæ, & Arabiæ partem tribuerit. Ergo e Semo Hebræi, Arabes, Persæ, Syri, Lydii, e Japheto Scythæ, Mogolli, Geræ, Tartari, Sinenses, Turcæ, e Chamo Indi, Africani, omnesque meridionales populi prodiere.

Noema, *pulcra*, filia Lamech, & Sella, soror Tubalcain. Ea quidem lanam nendi, telam, pannumque texendi rationem invenisse, eademque, ac Minerva Græcorum fuisse creditur. *Genes.* IV. 22.

Noeman, *pulcher*, filius Bela, & nepos Beniamin. Is Noemanorum familiæ caput fuit: *Filii Bela hæredes Noeman*. *Numer.* XXVI. 40.

Noemi, *pulcra*, conjux Elimelech e Tribu Beniamin, quæ coacta in Moabitarum regionem virum sequi ibidem occubuit, duobus, quos ex eo genuerat, filiis, Chelion, & Mahalon conjuges dedit, quarum una Orpha, Ruth altera, e Moabitis utraque. Adolescentibus iis duobus sine prole fato functis, Noemi in Judæam redire sta-

ſtatuit; quo cum perveniſſet una cum nuribus, quæ eam ſecutæ fuerant, eas obſecravit, ut in patriam pedem referrent; ſe quippe non poſſe ſuo in ſolo iis ſedem ſtatuere. Ejus dictis acquievit Orpha, & ad matrem rediit, at eam Ruth deſerere noluit; & cum hordei metendi tempus adeſſet, Bethlem ambæ ſe contulerunt. Petiit Ruth, ut ſibi per ſocrum liceret ad ſpicas legendas pergere, quo ſibi ad aliquod tempus alimenta congereret; ac ſe contulit in agrum hominis, Booz nomine, prædivitis, arctaque cum defuncto Elimelech cognatione conjuncti, qui eam invitavit, ut ipſius Meſſores ſubſequeretur, unaque cum iis pranderet, qui ei a famulatu erant. Domum reverſam Ruth, quod acciderat, narrantem monuit Socrus, Booz arcto ſibi cognationis vinculo junctum eſſe, eique conſilium dedit, quod ſecuta eum ſibi conjugem obtineret. Obſecuta Ruth eo demum pervenit, ut cum Booz nuptias iniret, e quo filium ſuſcepit, cui nomen Obed, qui e Chriſti Domini ſecundum carnem Patribus fuit. Quamobrem gratulantes mulieres ita ad Noemi: *Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Iſrael; & habeas, qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem*. Infantis educandi curam ipſa ſibi Noemi ſumpſit, eique nutricis loco fuit. *Legatur liber Ruth*.

Noga, ſeu *Nege*, *claritas*, unus e Davidis filiis: *Noga quoque, & Naphag*. I. *Paralip.* III. & XIV.

Nobaa, *qui quieſcit*, quartus filiorum Beniamin. I. *Paralip.* VIII.

Nobeſta, *coluber*, filia Elnathan, & mater Regis Joakim: *Nomen matris ejus Nobeſta, filia Elnathan de Jeruſalem*. IV. *Reg.* XXIV. 8.

Nobeſtan, Hebraicum vocabulum, quod æs parvum ſignificat. Ita Ezechias æneum, quem fregit, ſerpentem per contemptum nuncupavit, quia eum Iſraelitæ colebant: *Confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes; ſiquidem ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum; vocavitque nomen ejus Nobeſtan*: perinde ac ſi dixiſſet: parvum hoc æs, ſeu parvus hic ſerpens, quid rei ſit, neſcio. IV. *Reg.* XVIII.

Nomen. Vox hæc abſolute ſumpta ineffabile Dei nomen nunnunquam ſignificat: *Cumque blaſphemaſſet nomen*, ſanctum ſcilicet Dei nomen. Poteſtatem etiam, & majeſtatem deſignat: *Vocabor in nomine Domini*; rurſuſque: *& eſt nomen meum cum eo*. Eminentem quoque dignitatem innuit: *Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; præterea: *Oleum effuſum nomen tuum*; quod bonum Chriſti Domini odorem innuit, qui ubique diffuſus eſt, univerſique terrarum Orbis cultum ſibi conciliavit. Dei nomen in vanum ſumere, nihil eſt aliud, quam falſo jurare. Nomen imponere, auctoritatis nota eſt: *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus*; verum, & proprium animalis cujuſque nomen illud eſt, quod ei Adam indidit. *Novi te ex nomine*, quempiam per nomen cognoſcere, obſervantiam, amicitiam, familiaritatem peculiarem ſignificat. *Suſcitare defuncti nomen*, de ejus fratre dicitur, qui prolis expers occubuit, cum nempe defuncti frater viduam ducit, ex eaque filios gignit, per quos ejus nomen in Iſrael reviviſcit. Contra vero *delere alicujus nomen*, eſt, ejus memoriam penitus abolere, ejuſque filios, & quidquid ipſius nomen in terris ſervare poſſet, de medio tollere: *Nomen eorum deleſti in æternum*; itemque; *Fornicata eſt in nomine meo*, Deus, apud Ezechielem, ſuum ſacrum nomen ab Hebræis, veluti a ſponſis pollutum queritur. Pro perſonis denique nomen ſumitur: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*.

Nophe, *timida*, Moabitarum Urbs, quæ deinde ad Amorræos, denique ad Iſraelitas tranſiit: *Laſſi pervenerunt in Nophe*. *Numer.* XXI. 30.

Nophet, *favus mellis*, regio in finibus Urbis Dor ad Mediterraneum. Ejus partem Tribus duæ, Zabulon, & Manaſſe poſſidebant: *Fuitque hæreditas Manaſſe in Iſſachar, & Aſer, & tertia pars Nophet*. *Joſue* XVIII.

Noram, *adoleſcentula*, Urbs in Tribu Ephraim prope Jordanem. I. *Paralip.* VII. 8.

Novum, id ſignificat, quod præter ordinem, uſumque eſt, inſolitum, inuſitatum:

tum: *Nova bella elegit Dominus*. Significat etiam aliud: *Mandatum novum do vobis*; quoniam nullo non tempore Charitatis præceptum obligat; at Christus illud rursus impressit in hominum animis, & amorem instituit, cujus is regula fuit, quo ejus Discipuli se mutuo prosequi debent. *Cum illud bibam novum vobiscum*; vinum hoc novum est cæleste, ac spirituale vinum, quod Sanctorum felicitatem cum spiritalibus deliciis conjunctam constituit. Eadem ratione Cœlum novum, terra nova, nova Jerusalem Beatorum Cæium significant. Pro pulcro etiam accipitur: *Deus, canticum novum cantabo tibi*. Christus ait, vinum novum in veteribus utribus ponendum non esse, videlicet haud fuisse rationi consonum, ut Apostolis facta difficilia præciperentur, ante quam Spiritus Sancti adventu firmati essent. *Tempore mensis novorum*, nempe novorum fructuum mense, qui Nisan erat.

Nox. Hebræi Veteres in partes quatuor noctem tribuebant, quas Vigilias vocabant, quarum unaquæque horarum trium spatio durabat; prima scilicet a Solis occasu ad vespertinas horas novem (ut Galli, aliique numerant), altera ad mediam noctem tertia ad horas tres, quarta denique ad solis ortum. Hæ quatuor noctis partes nonnunquam in Sacris Litteris nuncupantur, *vespera, dimidium media noctis, gallicantus, mane*. Sumitur nox pro mæroris, & calamitatum tempore: *Probasti cor meum, & visitasti nocte*; pro mortis quoque tempore: *Venit nox, quando nemo potest operari*, inquit Christus, ut innueret, se suæ missionis officia, dum viveret, exequi debuisse. Filii *diei*, & filii *noctis* morali, & figurato sensu, sunt boni & mali, Ethnici, & Christiani. Filii diei ad Evangelicarum veritatum lumen incedunt; fulgent Astrorum instar vitæ splendore; contra filii noctis in ignorantiæ, & infidelitatis tenebris ambulant, nec nisi tenebrosa opera edunt: *Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei; non sumus noctis, neque tenebrarum*. I. *ad Thessal*. v. 5.

Nubes. Israelitis, cum ex Ægypto egrederentur, nubis columnam dedit Deus, quæ eos in itinere duceret. *Et recubuit nubes in solitudine Pharan*. Columna hæc Israeliticum Exercitum fere præibat; at cum ad Rubri Maris oras ventum esset, columna se mediam stitit Israelitarum inter, & Ægyptiorum exercitum, qui eos insequebantur; ut hi proinde per totam noctem accedere non possent. Nubes populum in Deserto comitari nunquam deinceps destitit; clara erat, & rutilans noctis tempore, ut iis lumen afferret, obscura, crassaque diei tempore, ut eosdem ab immodico Arabiæ æstu defenderet. Nubis hujus motus moderabatur Angelus Domini; eaque signi loco erat, ut castra ponerentur, ac tollerentur; itaque populus, ea morante, morabatur, eademque pergente, pergebat. Nubes hæc baptismi figura erat; nimirum Israelitas illuminabat, dum nox erat, quemadmodum nos baptismus illuminat, & luminis filios efficit; iis nubes patrocinabatur, & divini patrocinii constans, perpetuumque pignus erat, cujusmodi nempe quoad nos baptismus est. *Nubes* sæpenumero Dei præsentiam, & potestatem innuit. Cum enim in monte Sinai apparuit Deus, nube circumdatus erat; cum Tabernaculum erectum, & consecratum fuit, Atrium nubes implevit; idemque contigit in Hierosolymitani Templi dedicatione. Cum nubes supra tentorium apparebat, ante quod populi comitia in Deserto habebantur, tamquam præsens Dominus censebatur. Quoties sacra Scriptura de Dei apparitionibus loquitur, eum semper nubibus circumdatum exhibet, quæ scilicet ei currus loco sunt, ejusque formidandam Majestatem obtegunt, obnubuntque. *Ascendit Dominus super nubem levem*; ut nempe celeriter Ægyptios puniret. *Et nubes pluant justum*; Dominum Isaias obsecrat, ut justi, Messiæ scilicet, adventum acceleret, mandet nubibus, ut eum in terram effundant. *Nubes* magnum quoque numerum significat: *Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium*, ita Apostolus ad Hebræos scribens. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Isaiæ verba sunt. Admiratur Propheta magnam populorum multitudinem, qui turmatim in Ecclesiæ sinum conveniunt. *Nubes* quoque pro obstaculo sumitur: *Opposuit nubem tibi, ne transeat oratio*; quod justam Dei indignationem innuit, qui preces audi-

re:

re recusat. Fragor, qui subito terrore percellit, exhibetur nubium impetu, quæ in aquam solvuntur: *Cœli, ac nubes distillaverunt aquis;* omnes nimirum populi terrore correpti sunt, perinde ac si Cœli, & nubes se in aquam solvissent. In libro Job pro obscuritate, ac tenebris *nubes accipitur: Cum mari ponerem nubem vestimentum ejus;* cum scilicet nube, veluti veste mare tegerem. Obscuritas hæc tenebras indicat, quæ in Mundi exordio abyssi faciem operuerunt.

Nudus, *Nuditas*. Vocabula hæc, præter litteralem significationem, multis aliis sensibus accipiuntur. Ac primo quidem pro ea corporis parte, quam quisque, sollicite tegere debet; hinc illud: *ostendere nuditatem alicujus*, indigne aliquem habere. Hinc & illud apud Prophetam Habacuc: *inebrians, ut aspiciat nuditatem;* væ ei, qui amicum inebriat, ut ejus nuditatem videat; quod dictum de Rege Nabuchodonosor, qui Reges, quos in suam potestatem redegerat, arroganter excipiebat, & contumeliis afficiebat, denique per turpem proditionem subdolo sibi fœdere junctos ditione spoliabat. *Prohibe pedem tuum a nuditate*, recede ab idololatria, cui hactenus adhæsisti. Adam, & Heva ante peccatum nudi erant: *erat uterque nudus .... & non erubescebant;* quia scilicet carnis in spiritum insurrectio, quæ una pudoris causa est non nisi post peccatum irrepsit, a quo originem traxit, cujusque justa pœna est. Quare *nudum esse* significat, in opprobrio, atque ignominia versari. *Eras nuda, & confusione plena*, ita Ezechiel. De Israelitis Propheta loquitur, cum in Ægypto essent, & contumeliose, atque indigne haberentur. Se passurum minitatur Deus, ut iisdem contumeliis subsint, meretricis, instar, hostilibus insultibus nudæ prorsus expositæ. Nudus etiam is dicitur, qui inopia pressus, & mendice vestitus est: *Cum videris nudum, operi eum.* Saul inter Prophetas *cecinit nudus tota die illa, & nocte;* haud satis nempe vestitus una tunica, quæ subuculæ loco erat, sine veste, & sine penula, quæ consueta indumenta erant. Atque ita quidem nonnulli quod Isaias facere jussus fuerat, ut nempe nudus incederet: *ibat nudus;* siccum quippe deposuerat, quæ consueta Prophetarum vestis erat. Quamquam Patrum multi id de vera ac proprie dicta nuditate accipi volunt, ut Isaias id unum intuentium oculis subduxerit, quod obtegi jubet pudor. *Gladius meus devorabit carnes de cruore occisorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis:* explebor mortuorum sanguine, meisque libertatem hostibus adimam, qui nudis capitibus deferentur, ita in Deuteronomio legimus. Captivi scilicet nudo, exutoque capite ducebantur; quod his loquendi formulis occasionem præbuit: *nudare caput*, nempe detegere, quod luctus signum erat: *nudare ignominiam*, insigni se infamiæ prorsus nudum exponere. *Nudabo ignominiam tuam*, ita apud Ezechielem Deus; ignominiam vestram iis detegam, quorum Deos vox ipsi colitis, tradito iisdem Templo, in quo id impio Idolorum cultui deservire voluistis, quod in mei nominis gloriam institutum erat; dignos quippe vos reddidistis, qui perinde habeamini, ac fœmina, quæ turpitudinis, & ignominiæ plena est. Quibus verbis ignominiosa Judæorum servitus portenditur, quæ Hierosolymitanæ Urbis, Templique excidium consecuta est.

Numeri, titulus unius e Pentateuchi libris, ita dicti, quod ejus priora capita tria Hebræorum, & Levitarum enumerationem continent. Reliqua triginta tria complectuntur eorum historiam, quæ triginta novem annorum spatio, quo Israelitæ per Desertum iter fecere, contigerunt; bella, quæ Moses cum Regibus Sehon, & Og gessit; bellum item, quod idem Moses Madianitis intulit, qui in Hebræorum castra fœminas suas immiserant, ut populum ad fornicationem. & idololatriam pertraherent. In eodem libro leguntur insignia beneficia, quibus Deus Israelitas cumulavit, ejusdem perfidi populi ingratus, & pervicax animus, divina in eumdem ultio, murmurationes, quas funesta semper eventa comitata sunt. Denique ibidem leguntur & Leges multæ, quas eo, quod memoravimus, triginta novem annorum spatio Moses instituit.

Numerus. Hoc vocabulo modo exiguus numerus significatur, ut iis verbis Jacob: *Ego autem vir numeri;* modo magnus, ut his

bis aliis: *Quo facto opus est sub sole, numero dierum vitæ suæ*. Bestiæ numerus in Apocalypsi numericum litterarum valorem innuit, e quibus ejus nomen conflatum est: *computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*; qui intellectu pollet, bestiæ numerum reputet, quoniam ejus numerus est hominis numerus, ipsiusque nomen 666. Numerus hic, qui bestiæ nomen conficit, continetur Græcis, & Latinis Litteris, quibus respondent sexcenti sexaginta sex. Eruditissimus Benignus *Bossuet* Meldensis Episcopus id invenit in hoc nomine, Diocles, quod Diocletiani, acerrimi Ecclesiæ persecutoris nomen fuit, antequam Romanorum Imperator renuntiaretur. *Et sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallii tui*; ita apud Ezechielem. Porro parvus is numerus significare potest tum pauperrimos, quos Nabuzardan in Judæa reliquerat, ut agros excolerent; tum eos paucos Judæos, quos Deus e captivis omnibus selecturus erat, ut aliquando Hierosolymam reverterentur. Ii scilicet ejus veluti pallio vincti perstitere; divina nimirum ope servati sunt, & intuto positi, ne eorum stirps penitus deleretur. *Tolli de numero*, nihil est aliud, quam extingui, vita spoliari, eradicari: *tolletur de numero anima ejus*.

Numisma Census, monetæ cusæ, sculptæque forma; *Ostendit mihi numismata census*, ita Christus ad Herodianos, & Pharisæos, qui eum sermone capturi venerant, interrogantes, an iis liceret nec ne tributum Cæsari solvere. Porro argenti fragmentum illud Cæsaris effigiem, & nomen gerebat: *Cujus est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris*. Jam vero tributum *census* nomine designatum taxa erat, quam Augustus Judæis imposuerat, cum Judæam in Romanam Provinciam redegisset. Impositum vectigal hoc Judæam vehementer turbavit. Herodes, qui regium Romanis diadema debebat, illud asserebat solvi oportere, ejusque asseclæ Herodiani nuncupabantur. Contra Pharisæi contendebant, non alium Principem agnoscendum esse, quam Deum, eique uni decimas, & primitias solvendas esse; atque ita quidem populum, cui vectigalis solutio gravis erat, facile in sententiam traxerunt. Sperabant ergo fore, ut Christus in insidias incideret, cum una cum Herodianis interrogaturi accesserunt, liceret, necne, Cæsari tributum solvi? Si enim Christus populo morem gessisset, Imperatoris indignationem subiisset; quod si respondisset, tributum Cæsari solvi licere, populi animum exacerbasset, qui se a Deo tantum pendere, nullique exteræ potestati, nisi ejus ingratiis, subesse contendebat. At Christus, qui eorum nequitiam perspexit, petiit numisma census, cumque ab iis ipsis sibi dictum voluisset, in eo Cæsaris imaginem impressam esse, ex hoc ipso responso conclusit, Cæsari dandum esse, quod Cæsaris erat, Deoque, quod Dei; nempe quemadmodum imago Principis argento insculpta, quod temporalium rerum omnium pretium est, auctoritatem innuit, & jus, quo Princeps in ejusmodi res obtinet; ita imaginem Dei in omnium animis impressam supremæ auctoritatis invictum argumentum esse, quæ in animos ipsos, & in omnia spiritalia ei uni congruit. Jam vero quemadmodum omnes subditi accurate Principibus obsequi debent in iis omnibus, quæ ad eorum jurisdictionem spectant; ita, & quidem potiore jure Deo fideliter, exacteque in iis omnibus eos parere necesse est, quæ ad eum pertinent, quæque ad salutis negotium referuntur.

Nummus. Quis nummi primus inventor fuerit, non constat, quoniam de eo sacra Scriptura ante Diluvium omnino non loquitur. Eum nonnulli *Cainum* fuisse contendunt, qui ponderum, & mensurarum inventor traditur. *Tubalcainum* alii, qui primus æs, & ferrum ad opus redegit, concinnavitque. Haud sane probabile est, per annos mille sexcentos quinquaginta nummum iis ignotum fuisse, qui artes callebant. Ejus usum Noe post Diluvium restituit; ac de eo sacra Scriptura non ante verba facit, quam dum Abimelech argenteos nummos mille Saræ dedisse refert. De quadringentis etiam justi ponderis siclis, quos Abraham dedit Ephron pro Saræ sepulcro, commemorat. Hi sicli præcipuus Judæorum nummus erant. Finitimorum quoque populorum nummi apud

eos

eos in usu erant, e quacunque tandem materia constarent; atque adeo non desunt, qui contendant, hos tantum proprie dictos nummos fuisse, quibus Judæi uterentur; & siclum apud eos non nisi pondus extitisse, quod ad commercium adhibebant. Nulla saltem apud eos ullius nummi formæ, seu notæ occurrit in sacris Litteris mentio ad usque Simonis Machabæi tempus, cui Antiochus Sidetes Syriæ Rex cudendi nummi facultatem concessit: *Permittimus tibi facere percussuram proprii numismatis in Regno tuo*. 1. *Machab.* xv.

Nun, *posteritas*, filius Elisamæ, & pater Josue, e Tribu Ephraim: *Elisama, de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue*. *Exod.* xxxiii. 11.

Nuptiæ, a Latino verbo *nubere*, nempe *velare*, *velo tegere*, quia nimirum novi sponsi, modestiæ, ac pudoris ergo, sibi caput tegebant. Primo *nuptiarum* nomen pro cæremoniis, ritibusque solemnibus sumitur, quibus initi conjugii dies ipse celebrabatur: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. II. Pro nuptiarum festo: *Nuptiæ quidem paratæ sunt*. Porro festum hoc gratias significat, quas ii suscipiunt, qui in Ecclesiam ingressi sunt, & gloriam, qua Sancti in Cœlis cum Christo regnantes fruuntur; quod etiam innuit Virginum parabola, quæ Sponsi adventum expectabant: *Intraverunt cum eo ad nuptias*. III. Pro loco, in quo Nuptiæ peragebantur: *Impletæ sunt nuptiæ discumbentium*. IV. Pro conjugio, & unione Sponsi, & Sponsæ: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias*. *Venerunt Nuptiæ agni*. Jam vero Agni nuptiæ sunt perfecta Christi cum Ecclesia in Cœlis unio v. Pro jure per matrimonium acquisito: *Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias*, quorum verborum is sensus est: si quis Servam filio conjugem dederit, & hic filius ipse aliam præterea duxerit, primam quidem ut veram & proprie dictam uxorem habebit.

Hebræi conjugium maturius inibant, licebatque ætatis an. 13. conjugem ducere. Vix unquam ad an. 18. innupti perveniebant; secus se contra præceptum peccaturos rati, quod primis hominibus Deus imposuit: *crescite, & multiplicamini*. Hinc facile intellectu est, quamobrem cælibatus, & sterilitas Israeli opprobrium fuerint, idque Hebræi curaverint, ut, si quis uxorem prolis expertem reliquisset, defuncti frater viduam duceret. Puellæ statim post pubertatem nubebant, nempe post annos duodecim; verum ante matrimonium fere publice non prodibant. Nuncupabantur autem עלם *halma*, *abdita*. Rationis porro, qua puella peti consueverat, perspicua nobis exempla suppeditant Sichem, qui Dinam periit, Eliezer, qui Rebeccam, & junior Tobias, qui Saram. Vir sponsæ dotem dabat, & personam, quam sibi conjugem addere volebat, emere videbatur: *Auge dotem, quam datam vis*, ita Hemor ad Jacob, *pete, quæ tibi placuerint, dona, libenter dabo, modo puellam ei sponsam tradere velis*. Quatuordecim servitii annis Liam, & Racheiem emit Jacob; & David Philistæorum præputia centum pro Michol dedit, & Oseas pro conjuge argenteos nummos quindecim. Sponsalia fiebant aut scripto, aut argento, quod sponsæ dabatur: *accipe argentum hoc, in pignus, te mihi sponsam fore*, ita Sponsus Sponsam alloquebatur. Iis ex eo tempore se mutuo conspiciendi libertas erat, ac si quid interea puella contra obstrictam fidem peccasset, habebatur ut adultera. Ita Sanctissima Virgo Sancto Joseph desponsa, cum Jesum Christum concepit, pœnam hanc, somma legum vi, subire poterat, nisi eumdem Joseph Angelus de mysterio monuisset, quod in ea contigerat: Cum porro matrimonii tempus advenisset, statuebatur ejus contractus, statàque die Sponsus, & Sponsa in paratum atrium ducebantur; supponebantur umbellæ, sibique Sponsi caput quadrato velo, quod *Teled* Hebræi nuncupant, obtegebant. Tum Synagogæ Cantor, seu qui viro cognatione proximus erat, craterem vino replebat, & cum benedictionem hanc protulisset: *Sis benedictus, Domine, qui creasti marem, & fœminam, & matrimonium præcepisti*, iis bibendum præbebat. Deinde Sponsus annulum in Sponsæ digitum coram duobus testibus mittebat, dicebatque: *Per hunc annulum, pro Mosis, & Israel consuetudine, tu mihi sponsa es*. Ante Hieroso-

rosolymitani Templi excidium Sponsus, & Sponsa in nuptiarum Cæremonia coronas gerere solitos ferunt; & sacra quidem Scriptura de Sponsi corona meminit: *Lætabor ut sponsus ornatus corona Domini*, apud Isaiam. Et in Cantico: *Filiæ Jerusalem venite, & videte Regem Salomonem ornatum corona, quam ei nuptiarum die Mater imposuit*. Iterum deinceps vinum in fragili vase afferebatur, & post benedictiones multas, Sponsis bibendum præbebatur, atque in lætitiæ signum, quod supererat, in terram projiciebatur. Tum vero adstantes omnes novis Sponsis omnia prospera ominabantur, quemadmodum in Isaac, & Rebeccæ matrimonio factum legimus: *Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: soror nostra es, crescas in mille millia*. Nuptiarum prandium admodum decentet peragebatur; atque ad mensam laudes, & Cantica in honorem Dei canebantur; id nimirum imitandi gratia, quod in convivio factum est, quod Raguel instruxit, cum filiam Saram juniori Tobiæ conjugem dedit. Ex Evangelio compertum fit, Sponso *paranymphum* dari consuevisse, quem Christus *Sponsi amicum* vocat. Ejus erat nuptiarum decus, & dignitatem curare, Sponsique mandata exequi: *at amicus Sponsi*, inquit S. Joannes Baptista, *qui stat, & obedit voci Sponsi, se quidem ejus voci parere lætatur*. Sponso semper aderant adolescentes multi, puellæque multæ Sponsæ, qui eos, honoris ergo, nuptiarum diebus omnibus comitabantur. Id in matrimonii Simpsonis historia animadverti licet. His adolescentibus id oblectationis erat, ut ænigmata proponerent, sponsusque distribuebat in eos præmia, qui ea explicabant. Nuptiarum Cæremonia fere dies septem, si puella, diesque tres, si vidua nuberet, perdurabat: *Imple hebdomadam hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi*, ita Laban ad Jacob. Legimus etiam Samsonis, & juniotis Tobiæ nuptias per integros septem dies perdurasse. Elapsis lætitiæ diebus septem, qui fere apud puellæ patrem peragebantur, Sponsa viri domum solemniter ducebatur; & fere quidem noctu, quemadmodum in parabola Virginum decem, quæ Sponsum, Sponsamque anteibant, videre est. Id autem solemne erat, & splendide peragebatur. Hujus pompæ exemplum in Machabæorum libris occurrit, in quibus legimus, cum filius Jambri nuptias Medabæ celebrasset, & Sponsa Sponsi domum solemni apparatu duceretur, ejusdemque viri amici non sine musicis instrumentis Sponsam præcederent, Machabæos in eos irruisse, omnesque in fugam egisse. *Seldenus Uxor. Hebr. lib.* II. *cap.* X. *Leo Modena de Rit. Hebr.*

Nycticorax, græcum nomen, quod *Corvum nocturnum*, bubonem significat: *factus sum, sicut Nycticorax in domicilio*; evasi scilicet buboni similis, qui in obscura domorum loca se recipit. Avis hæc in Mosis lege inter immunda animalia referebatur. *Deuter. cap.* XIX.

Nymphas, *sponsa*, Colossensis Urbis incola, singulari pietate vir, qui suam domum Ecclesiam effecerat, Christianam nempe familiam. *Salutate Nympham, &, quæ in domo ejus est, Ecclesiam*. *Coloss.* IV. 15.

O

OB

O, Interjectio, quæ vocationi inservit: *O homo Dei, hæc fuge*. Ad exprimendam quoque admirationem adhibetur: *O altitudo divitiarum sapientiæ; & scientiæ!* Ad vehemens etiam desiderium significandum: *O si quis daret mihi aquam!* Denique ut quempiam ad aliquid cohortemur: *O, o fugite de terra aquilonis*.

Obadia, *servus Dei*, secundus filio-

rum

rum Ozi e Tribu Issacchar. I. *Paralip.* VII. 3.

Obdias, filius Arnon, cui Zorobabel originem dedit. II. Filius Asel, e Saulis stirpe. III. Levita quidam, filius Semejas. IV. Unus e strenuis Viris Tribus Gad, qui Davidem secuti sunt, eique in Deserto se socios addiderunt. V. Unus e primis, qui Regi Josaphat militabant, quosque idem Princeps in Judaici Regni, cui praerat, Urbes misit, ut populum erudirent. VI. Unus e Judaeorum primoribus, qui foedus firmarunt, quod Nehemias cum Domino renovavit.

Obed, *servus*. I. Pater Gaal. *Judic.* IX. 11. II. Filius Booz, & Ruth, pater Isai, & Davidis Avus. *Ruth.* IV. III. III. Homo quidam e Tribu Juda, filius Ophlai, & pater Jehu. I. *Paralip.* 2. IV. Eorum unus, qui in Davidis Exercitu bellica virtute praestabant. V. Levita quidam, frater, Semejas, nepos Obededom. VI. Pater Azariae Prophetae, qui & ipse dicitur Obed. II. *Paralip. cap.* XXVIII.

Obededom, *servus hominis*, filius Levitae Idithum, in cujus domo Arca deposita: David horrenda Ozae morte perterritus, nec se dignum ratus, qui sacrum illud depositum apud se reciperet, in hujus Levitae domum illatum voluit: *Divertit eam in domum Obededom*; ubi quidem trium mensium spatio morata est: *& habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethaei tribus mensibus*. Gethaeus autem Obededom nuncupatur, seu quod Philistaeus esset ex Urbe Geth, sed proselytus; seu quod in eadem Urbe, Judaeus licet, & Levita dictus, moratus esset. Suam Deus benedictionem in hujus Levitae domum ob Arcam effudit; ejus familiam mirum in modum auxit, Armenta propagavit, agros ita foecundos reddidit, ut copiose quodvis grani genus ederent, idque adeo insigni ac peculiari ratione, ut nemo non luculenter perspiceret, singularia ea dona ex Arcae praesentia derivari. His auditis, David consilium recepit operam dandi, ut Arca apud se transferretur, quo reapse a Levitis, prout Deus praeceperat, delata fuit. Obededom pater fuit Semejas, Jozabed, Joaha, Sachar, Nathanael, Ammiel, Issachar, Phollati, eique cum filiis custodiendae Templi portae traditae fuerunt. II. *Reg. cap.* VI. I. *Paralip. cap.* XV. * Hujus nominis alii nonnulli Levitae fuerunt; fuit & custos thesauri Templi, cum Joas regnaret: *Universa vasa, quae reperetat in Domo Dei, & apud Obededom.*

* *Hebraei*, & S. Hieronymus *in Quaestionibus, seu Traditionibus Hebraicis in* II. *lib. Reg. ajunt, benedictionem, quam Obededom obtinuit, in eo positam fuisse, ut omnes ejus conjuges, concubinae, ancillae, omnesque ipsius filiorum conjuges puerum parerent; atque ita etiam omnes ejus gregis foeminae geminos foetus ederent*: Benedixisse Domum ejus Hebraei dicunt, eo quod omnes uxores ejus, & concubinae, & ancillae, & nurus masculos pepererunt filios, nec non & foeminae quadrupedes geminos ei ediderunt foetus.

Obedientia, *praecepti alicujus executio*. *Occurrit saepe tum in Veteri, tum in Novo Testamento obedientia, quam nos sane Deo, praesertim ejus Legi, jussisque debemus, & merces, ac praemium, quod obedientiam, seu poena, quae inobedientiam manet.*

Oblatio. Penes Hebraeos erant oblationum genera tria; primum earum, quae communes, earum alterum, quae praecepto, tertium earum, quae pietate nitebantur. Consuetae oblationes Thymiamate, quod quotidie super Altare aureum incendebatur, & propositionis panibus, qui Domino offerebantur, peragebantur. Oblationes liberae, quaeque ex pura putaque pietate ortum trahebant, erant sacrificia pacifica, vota, oblationes vini, olei, panis, salis, aliarumque rerum, quae Templo, Templique Ministris offerebantur. Oblationes praescriptae, praeceptaeque primitias, decimas, & hostias pro peccatis complectebantur. Rerum omnium primitiae Deo offerendae erant; ei personae per consecrationem, terrae fructus per oblationem, liquores per libationem, aromata per suffimenta, animalia per sacrificia offerebantur. Vetita messis erat, ante quam Deo novus manipulus offerretur ea die, quae azymorum primam consequebatur; iremque vetita erat panis ex nova messe concoctio, nisi prius die Pentecostes novi panes oblati essent. Ante harum primi-

tia-

starum oblationem immunda omnia, post hanc oblationem omnia munda erant, & sancta. Oblationis nomen significat etiam sacrificium, quod in Eucharistia super Altaribus nostris offertur: *In omnibus locis sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, ita Malachias. Hoc Sacrificii Novæ Legie apertissimum vaticinium est, in quo Ecclesia ubique diffusa hostiam infinite puram semper & ubique terrarum Deo offert, quoniam Deus est, qui ipse se offert, ut idem sanguis, quem ad animarum redemptionem effudit, eas nutriat, sanet, divinaque prorsus vita donet. Denique Oblatio pro Sacrificio quoque sumitur, quod Christus in Crucis Altari ad peccatorum nostrorum expiationem obtulit: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo*. Apostoli verba sunt in *Epist. ad Hebraes*.

Oblatio, præsentatio, munus, donum... *Nonnulli hominum Deo offerebantur, & præsentabantur; alii quidem in omne vitæ tempus, quin redimi possent, cujusmodi erant Sacerdotes, & Levitæ, iique omnes, qui ab hac sacra familia descendebant, quippe qui omnino Deo dicati, ejusque Altaris servitio addicti essent; cæteri vero non nisi ad certum tempus, & pretio siclorum quinque redimebantur. Offerebantur animalia, nempe boves, agni, capræ, offerebantur aves, ut columbi, turtures, passeres; & ejusmodi quidem omnia adeo pura esse oportebat, ut haberentur indigna, quæ Deo offerrentur, si quid in iis vitii detectum esset. Offerebantur etiam liquores, hoc est, opobalsamum, vinum, oleum, atque itidem aqua. Triticum quoque, hordeum, farina, sal, lapilli pretiosi, gemmæ, fructus, metalla, linum, lana, & innumera alia offerebantur. E quarum rerum omnium generibus singulis optima, & pulcherrima seligebatur; secus rejiciebatur, quoniam Deus, utpote omnium rerum Dominus ea sane prærogativa dignus erat. En ipsa Legis verba:* Ut acceptabile sit (munue), omnis macula non erit. Si cæcum fuerit (Animal), si fractum, si cicatricem babens, si papulas, aut scabiem, aut impetigioem, non offeretie ea Domino, nec adolebitis ex eie super Altare Domini. *Levit. cap.* XXII. 22.

In falsa Ethnicorum Religione nihil erat antiquius, quam ejusmodi oblatio. Ovidius lib. II. Fast. *ita canit*:

> Farta tamen Veteres jaciebant, farra metebant,
> Primitias Cereri farra resecta dabant.

Numa Pompilius, *qui Leges, & Religionem Romanorum instituit, inter alia jussisse traditur*: fruge Deos colere, & mola salsa supplicare, atque ut auctor est Emina, far torrere. *Ante cruenta sacrificia, oblationes tritico peragebantur*. Ovidius Fast. lib. I.

> Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
> Far erat, & puri lucida mica salis.

Obolus, vicesima sicli pars. *Exodi cap.* XXX. 13. Siclus viginti obolos habet. Tirino teste, obolus valebat solidos duos; ejus quippe sententia, siclus quadraginta solidos continebat. Duorum generum erant oboli, Atticus unus, Hebraicus alter; Atticus autem quinta parte minor, quam Hebraicus erat. Est porro vicesima quarta sicli pars, & unciæ quadragesima octava, siquidem obolus Hebraicus argenteæ unciæ quadragesima pars est.

Oboth, vires, tricesima septima Hebræorum statio, ad quam e Funon pervenerunt. Ibi Deus ignitos serpentes in Israelitas immisit, & Moses æneum serpentem erectum voluit. Illinc in Jebarim se contulerunt. *Numer. cap.* XXXIII. 43.

Obrizum, vel *Obryzum*, vel *Obrussum*. Vocabulum hoc in Sacris Litteris pro auro igne excocto, purgatoque sumitur, derivaturque ab *Ophir*, quæ regio erat, e qua Salomon illud ad se trahebat, vel ab Hebraica voce *Phaz*, quæ significat flumen *Phison* in Colchide, quod aurum purissimum afferebat, vel denique a verbo, quod de iie rebus dicitur, quæ ebullientes spumam emittunt: *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Isaiæ cap.* XIII. 12.

Obscurum, obscuritas, obscurare: Si obscurior fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est; ita in Levitico. Obscuritas hæc se in pelle prodebat, quippe quæ coiret, & compingeretur. *Obscurentur oculi eorum, ne videant*;

 Zacha-

Zacharias. Judæorum cæcitatis vaticinium est, qui Christum Dominum non cognoverunt. *Collocavit me in obscuris;* in Psalmis. Ita scilicet David: me filius Absalon in horrendas cavernas recedere coegit; alii tamen id de misera conditione, in qua versabatur, intelligunt. *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.* Obscuri terræ, Israelitæ nimirum eo calamitatis redacti sunt, ut in Assyriorum domibus captivi jaceant. Cordis, spiritus obscuritas voluntariam ignorantiam, & pertinaciam designat.

Observare significat *explorare*, *spectare aliquid*: *Oculus adulteri observat caliginem:* adulter, qui metuit, ne detegatur, inter tenebras progredi studet. *Alicujus os observare* idem est ac loquentis verba expendere, ut e suo ipsius ore judicetur. Assyrii Danielem, & Pharisæi Christum Dominum observabant. Salomon Regis os observari vult: *os Regis observate;* jubet nempe ejus jussa servari. *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?* Si culpas nostras ad acrius examen revocas, quis judicium tuum sustinere poterit?

Obsessio Dæmonis. Eo porro *obsessio* a *possessione* distinguitur, quod possessio de eo dicitur, in cujus corpore Dæmon reapse habitat, obsessio autem de eo, qui molestia afficitur, & torquetur a Dæmone. Jam duæ præcipuæ obsessionis causæ sunt; prima est eorum impietas, qui Deo renuntiant, & Dæmonis potestati se tradunt; altera est Dei permissio, ut ita nempe nonnunquam homines ob gravissima quædam ipsorum peccata puniantur. Obsessionem etiam permittit Deus, suos ut servos probet, ac Diaboli malitiam confundat. Obsessionis signa sunt: in aerem extolli, vehementique deinde impetu in terram rejici, nullo illato vulnere, peregrinis sermonibus loqui, a sanctis rebus abhorrere, nec de iis loquentem audire posse &c. De ea quoque judicari potest e corporis habitu, cum scilicet obsessus terrificis, quasique igneis oculis est, cum inusitatæ convulsiones ei membra distorquent, cum motus, gestusque violentos, edit, cum nulla decori, nulla pudoris ratione habita loquitur. In Sacris Litteris & in Historia nobis plurima obsessionis exempla occurrunt. Saulem identidem malignus Spiritus invadebat, eique David citharam pulsans solatio erat. Adolescentulam Saram dubio procul obsidebat Dæmon, qui malitiam suam in eos exerebat, quibus illa nubere voluit. Haud latet, quemadmodum eam Tobias junior ab obsidione liberaverit. Contra malum hoc non aliud remedium, quam preces, bona opera, exorcismos Ecclesia præscribit; quæ omnia non impediunt, quominus naturalia nonnulla remedia adhibeantur, quibus corporis affectiones in ordinem redigantur, pravæque habitudines imminuantur, atra bilis, sanguinis crassior impuritas, quibus utitur Dæmon, ut vexet miserum genus hominum, quos invadit, quin semper agat ipse per se. Tum vero Deus utitur vi, quam in ipsa creatione remediis indidit, ut hæc effecta ederent; quod exemplo Tobiæ junioris ostenditur, qui Saram combusto piscis jecore liberavit; & Saulis exemplo, a quo Davidicæ citharæ sonus Dæmonem removebat. *

* *Ad humana corpora quod attinet, quæ Dæmonum obsessioni, seu possessioni subesse possunt, quod item ad eorumdem Dæmonum potestatem spectat, qua domibus, & id genus aliis molestiam afferunt, & infesti sunt, distingui possunt omnino duo, jus, &* factum. *Quoad jus, eo redigitur quæstio, an existentes puri putique spiritus ab omni materiæ concretione secreti invadere possint hominum corpora; quoad* factum, *id in quæstionem venit, veraene sint, an falsa, quæ de obsessis, possessisque, ac de domorum, aliarumque ejusmodi rerum infestationibus vulgo narrantur. Qui verum cultum, seu veram Religionem possederunt, & possident, ut Hebræi ante Christum natum, ac deinde Christiani, de jure non dubitarunt, quamvis e Christianis multi facta ipsa in dubium revocaverint. Jactantes fortem animum homines audacter facta negarunt, ut radicitus jus ipsum evellerent, everterentque. Dilucidata profecto facta Religioni ab Incredulorum aggressionibus in tuto ponendæ magnopere inservire possunt; at negari non potest, scopulos duos, nimiam scilicet, & nullam fidem vitari oportere. Arrogans homo*

homo nihil credit, infirmus omnia. Fatalis ergo necessitas fuerit in aliquod extremum prolabi? An vero justæ discretionis ope verum a falso discerni non poterit? Id nimirum in hac proposita Adnotatione contendam; unum quidem, a Dæmonibus obsideri corpora, domosque infestari posse; alterum vero, non deesse facta, quæ obsessionem hanc, & infestationem evincant; ac non præteritis solum, sed nostris etiam temporibus. Primum incredulos, alterum, ac tertium Christianos nonnullos convincet.

Ad primum quod attinet; tres mere spirituales naturæ sunt, Deus, Angelus, rationalis Anima; Deus, qui purus putusque spiritus est, increatus, & infinite perfectus; Angelus purus quidem spiritus, sed creatus, & finitus; Anima quoque purus creatus, finitusque spiritus, ut Angelus est, sed humani corporis forma; quamobrem ab Angelo differt. Atque Angelos quidem existere non modo Sacra Scriptura innumeris in locis, sed ipsum naturale lumen nobis persuadet. Ad Dei quippe sapientiam pertinet, naturas existere, quæ, quantum creatæ rei ratio patitur, Divinam perfectionem exhibeant; quod esse non potest, nisi substantiæ sint mere spirituales, informandis corporibus non addictæ, cujusmodi Angeli sunt, cum Deus purus putusque spiritus sit. Præterea ad Universi ordinem, ac pulcritudinem pertinet, ut substantias mere corporales, ut saxa, substantias partim corporales, & partim spirituales, ut homines, substantias etiam mere spirituales, ut Angelos, complectatur. S. Thomas lib. 2. contra Gentes cap. 46. hoc argumento nititur; atque hoc in capite Ethnica Theologia cum Christiana consentit; Epicureis enim exceptis, & si qui fuere id genus alii, Philosophi cęteri Angelos, intelligentes nempe substantias, homine pręstantiores suscipiunt. Id nimirum Platonis, Socratis, Trismegisti, ac Poetarum auctoritate S. Cyprianus in libro de Idolor. vanitate demonstrat. Duo tamen sunt Angelorum genera; boni alii sunt, qui in Dei obedientia perstiterunt; nequam alii, qui in Deum ipsum insurrexerunt, & ab eo proinde statu in quo creati fuerant, exciderunt. Posteriores hi Diaboli, Dæmonia, Inferorum, & aeris potestates, Mundi Principes, malitię, ac tenebrarum Principes appellantur. Hi mali Angeli omnes ad unum ęternis pœnis addicti sunt; nondum tamen omnes in Inferos relegati. Multi per aerem, ac supra terram dispersi sunt; ac proinde facillime fieri potest, ut hi quidem corpora invadant, possideantque, aut domos, vel ejusmodi alia loca infestent. Prima quidem fronte ratio adversari videtur. Dęmon enim purus spiritus est, & ab omni materię contagione secretus; ut propterea non videatur posse immediate ac physice in materiam agere, quacum ei nulla proportio est. An igitur fieri omnino non potest, ut mere intellectualis substantia in substantiam mere corpoream physica quadam ratione agat? Minime vero; atque hujus quidem rei nos ipsi nobis locupletissimi testes sumus. Animus noster spiritalis est, intellectu, voluntate, ac libertate preditus; cogitat, suasque ipsius cogitationes extendit; ratiocinatur, & ratiocinationes suas digerit; eas voce, aut calamo exprimit; examinat, judicat, eligit, verum a falso, bonum a malo secernit; producit, invenit, & inventa perficit; universas, & mere spiritales res, veritatem, virtutem cognoscit, & amore prosequitur; miratur effecta naturę, earumque rationem reddit; demonstrationes conficit, neque ea solum, quę sunt, & esse possunt, sed privationes etiam, & negationes percipit. Jam vero hæc omnia, quæ spiritalia sunt, nec nisi a spiritali principio derivari possunt, spiritalem animum probant; qui tamen, etsi spiritalis sit, agit in corpora, & in omnia eorum organa, in sanguinem, in humores, in animales spiritus, quęcunque tandem appareat inter eum, & hæc omnia quæ diximus, discrepantia. Nihil igitur impedit, quin boni, malique spiritus in corpora, aliasque res sensibus subjectas agant; quoniam æque prorsus, atque animi nostri, spiritales sunt. Fateor equidem, perspicue cognosci non posse, qua id demum ratione fiat; verum propterea aliquid existere, aut existere posse negari poterit, quia ejus natura, vis, & multiplex agendi ratio comprehendi non potest? Haud omnino Dei naturam mente complectimur; ideone eum esse negare possumus? Maritimi æstus causam, magnetis, aliarumque complurium naturalium re-

re-

rerum proprietates ignoramus, quæ nobis ob oculos quotidie versantur; an proinde inficias ire possumus, hæc esse, aut esse posse? Spiritalis est animus noster, & hac de re dubitare non possumus; idem animus, licet spiritalis, nostra agit in corpora, eamque nos actionem singulis momentis sentimus, de qua sane magis, quam de re quavis extra nos posita certi sumus. Spiritalis ergo substantiæ in corpoream actio non repugnat. Quid? Quod quicumque spiritales substantias in corporales agere posse negaverit, neget etiam, necesse est, Deum ipsum posse in easdem agere, ut proinde nec Mundum creaverit, nec regat, conservetque, nec motus, quicumque conspiciuntur, eidem imprimat. Ratio in promptu est. Deus nimirum purus putusque spiritus est infinite perfectus, & materiæ prorsus expers, multo sane magis, quam Angelus, & humanus Animus. Sed id tamen non impedit, quin Deus in materiam agat, eam contingat, & intime penetret, ei suos erunt motus imprimat, eam operationibus suis applicet, eidemque existentiam, vitam, & cetera tribuat; ut enim loquitur S. Paulus (Actor. cap. XVII. v. 28.) in ipso vivimus, & movemur, & sumus. Per suam ubique potentiam, præsentiam, essentiam Deus est. Ejus immensitas nihil aliud, quam ipsius ubique diffusa natura est; atque ipse quidem non instar corporum locum occupat, sed spirituum more sine locali extensione, sine divisibilibus partibus, ubique totus.

Intimam hanc in rebus omnibus natura constantibus Dei præsentiam, actionemque professa est Ethnica Philosophia, dum nempe tamquam constans, firmumque principium statuit, causarum, quæ secundæ dicuntur, actionem nullam fore, nisi a prima Causa moverentur. Cum ergo Deus mere spiritalis in materiam agat, nihil etiam impedit, quin ceteræ spiritales substantiæ in eamdem agant. Frustra quippe diceretur Deus id omnipotentia sua posse, quod aliæ minore vi præditæ rei minime possunt. Equidem sentio, cum de rei spiritalis in corpoream actione agitur, non agentis facultatem, aut imbecillitatem, sed spiritalem ipsam naturam spectari; & quia non minus spiritalis, quam Angelus, Deus est, si semel pugnet, Angelum utpote spiritalem in materiam agere, pugnare etiam, in eamdem Deum agere. In hanc nimirum abyssum incidit, qui cernere acutius vult; ut sua Deo attributa adimantur, & quod inde consequitur, ipsa Divinitas; aut enim Deus omnino non est, aut siquidem est, quemadmodum dubitari non potest, ita demum est, suis ut perfectionibus omnibus præditus sit. Est ergo Deus, & quidem mere spiritalis est; ac licet mere spiritalis, in materiam agit; adeoque universim substantiæ mere spiritales in corpora agere possunt. Quamobrem Dæmones, qui puri putique spiritus sunt, corpora possidere, domosque infestare possunt; quod erat ostendendum.

Agedum videamus, an facta, quæ a Dæmonibus obsessa corpora, molestiisque affectas domos probant, vera, necne sint. Mihi quidem non ea mens est, ut hoc loco peculiaria omnia facta commemorem; nullum enim finem dicendi facerem; nonnullis tantum, iis nempe contentus ero, quæ extra omnem dubitationem posita sit. Quisquis Evangelia cursim evolvit, sane convincitur, Christi tempore a Dæmonibus obsessos, possessosque complures fuisse. Nimirum S. Matthæi caput VII. S. Marci cap. V. & VII. S. Lucæ cap. IX. legenti occurrit, Christum Dominum apud Gerasenos a Dæmone, atque adeo Dæmonum legione possessos homines duos, mutum dæmoniacum, cæcum alium & mutum, rebinicæ, ac Syrophœniciæ fœminæ filiam, multasque alias dæmoniacas liberasse, elata voce clamantibus earum Dæmonibus: Tu es filius Dei: Denique Christus ipse Discipulis Dæmones ejiciendi facultatem concessit. Hæc nimirum prorsus indubitata sunt, ad Christi tempora quod spectat. Ad ea porro quod attinet, quæ ad subsecuta secula referuntur, innumeris in hanc rem factis Ecclesiastica Historia, & Sanctorum Virorum vitæ refertæ sunt. Satis mihi superque fuerint facta duo, quæ mea quidem sententia sunt haud dubiæ fidei, ne Lectori tædio sim. Primum, quod innumera tamen alia complectitur, Patrum in Deserto Vitæ nobis suppeditant. Passim in his Vitis leguntur exempla possessorum hominum, obsessionum, & infestationum Dæmonum, qui sanctos eos Solitarios in Desertis, in montibus, in imis vallibus, in summis rupibus, in cellulis, in profundis antris vexabant. Iis se Dæmones horrendis imaginibus in conspectum dabant,

inu-

inusitatisque emissis clamoribus, & ululatibus, qui ab aliis, quoque eo convenientibus percipiebantur, terrorem incutere studebant. Complura ejusmodi facta ex unius S. Antonii vita nobis suppetunt; quae sane in dubium vocari non possunt, cum a Sanctis Patribus, aliisque sinceris, & fidelibus Historicis referantur, qui ea se partim vidisse, partim ex iis, quibus contigere, vel ex eorum Discipulis se audisse testantur. S. Pauli primi Eremitae vitam descripsit S. Hieronymus, S. Antonii *vitam* S. Athanasius, *Alexandrinus Patriarcha, qui ejus aetate vivebat, & junior eo magistro, ac duce usus erat, qui deinde non semel eum viderat, qui denique, quod de eo refert, ex ipso perceperat. Ceteras vitas* S. Ephrem, Ruffinus, Palladius, Sulpicius Severus, Cassianus, Theodoretus, *aliique classici Auctores posterorum memoriae commendatant. Has vitas suscepere cordati quique, qui post eorum Auctores vixerunt; & quominus haud aegre probarent nostri recentiores Historici, ut* Tillemont, Fleury, Baillet, *non impediit acerrima* Critice, *qua sibi semper ab iis cavendum putarunt, quae inusitata, ac singularia viderentur. Eas doctissimus* Arnaldus *voluminibus duobus complexus est, quorum titulus:* Vitae Sanctorum Patrum, qui Deserta incoluerunt. *Facta haec igitur certa sunt; de quibus si quis dubitet, alterutrum statuat, necesse est, Sanctos Patres, Historicosque, qui ea retulerunt, aut levitate quadam animi, aut vafritie peccasse, levitate, si temere inconsultoque crediderint, vafritie, si invenerint, posterisque tradiderint, quae ipsi minime crederent. Quod idem de posteriorum omnium saeculorum Scriptoribus sentiendum est, qui Veterum narrationes pari seu simplicitate, seu calliditate susceperunt. Denique pronuntiandum, nostrorum temporum homines acute cernere, recteque sentire, ceteros omnes, ab ipsis Ecclesiae incunabulis caecutiisse, ac desipuisse, At quis ita loquentes, aut cogitantes non jure derideat, & inter amentes rejiciat?*

Quod si obsessorum facta negari non possunt, ne domorum quidem infestationes a Daemonibus illatae negari poterunt. Nobis hujus rei exemplum suppeditat D. Augustinus *lib.* XXII. *de Civit. Dei cap.* VIII. Est, *inquit*, apud nos Tribunus dictus Esperius. Ei praedium, seu ager est, cui nomen Zubedi, ubi domum, servos, pecus a Daemonibus vexari percipiens, Sacerdotes nostros, me absente, rogavit, ut eorum aliquis eo se conferret, oblatis Deo precibus, Daemones ejecturus. Accurrit Sacerdos quidam, oblatoque tremendo incruento Sacrificio, fusisque ferventibus precibus, statim Divinae miserationis ope vexario cessavit. *Factum hoc S. Augustinus tamquam indubitatam credit, & posteritati persuadere vult. Clarissimi quique inter Ethnicos Viri haud minore, quam Christifideles simplicitate erant, quippe qui Daemones esse censerent, quos malos Genios vocabant, & tamquam hominum hostes, & quidem in eorum vexationem semper incumbentes spectabant. Denique Ecclesia persuasum semper habuit, & adhuc habet, ejusmodi obsessos, & infestationes existere, preces enim praescripsit, & adhuc praescribit, ad Daemones e corporibus, domibusque pellendos; praeterea documenta, ac regulas in haec eventa tradidit, & adhuc tradit. Quis porro dixerit, Ecclesiam pro vero falsum habere, inanes preces edere, fatilia documenta praebere, falli ipsam, & nos fallere? Jam vero Episcopi tuta conscientia esse non possent, nisi ex Ritualibus Exorcismos in obsessiones, ac domorum infestationes praescriptos expungerent. Quam porro absonae ac praepostere sint ejusmodi consecutiones, quis non videt?*

Non eo tamen inficias, multa, quae Daemonibus temere tribuuntur, plerumque ex humore melancholico, turbataque phantasia derivari. Quae demum phantasiae, & melancholiae vis insit in nobis ipsis, nemo nescit. Legantur in hanc rem Flenius *in opusculo* de viribus Imaginationis, *& doctas* Muratorius *in opusculo* de Phantasiae viribus. *At rationes suppetunt, quibus detegatur, quandonam accensae phantasiae, ac melancholici hum vis, & quandonam malorum spirituum effecta sint. Si quando peregrinis linguis loquentes audieris, ac de rebus, quae in remotissimis regionibus peraguntur, & id genus alia perspexeris, quae naturalium causarum vim longe multumque superant, minime dubitaveris, quin causa supra naturam quaerenda sit. Ac mihi quidem persuasum est, non eos omnes, qui se ipsi obsessos putant,*

tant, *aut suspicantur*, *vel obsessi ab aliis habentur*, *reapse tales esse*. *Hinc in Pastorali Meclinensi apud* Van-Espen in Jure Eccl. part. 3. cap. 3. de sortileg. *ad calcem*, *non aliter atque in Rituali Romano*, *leguntur hæc:* Exorcista non facile, inconsultoque credat, quempiam obsessum esse, nec temere Exorcismis utatur, nisi prius e signis, quæ ipse mature, & caute perpenderit, & ex Medicorum, aliorumque Doctorum prudenti judicio moraliter certus sit, eum energumenum esse &c. *Equidem vidi plurimos*, *ab imperito vulgo*, *minusque cautis Ministris obsessos habitos*, *qui deinde haud obsessi*, *sed potius se obsessos simulantes detecti sunt*; *quod in fœminis plerunque contigit*, *quæ Sanctuaria lustrandi prurigine*, *& curiositate ductæ se Dæmoniacas finxerunt*, *obsessorum motus imitatæ*; *vel phantasiæ quodam æstu*, *quæ in fœminis*, *quam in viris mollior*, *infirmiorque est*, *ac vehementioribus perturbationibus obnoxia est*, *vel denique melancholiæ vi*, *quæ id exhibet*, *quod non existit*, *se revera a Dæmone obsessas opinatæ sunt*. *Eccellentissimus noster Poeta* Tassus, *melancholico humore vir*, *ex improviso*, *& amicis spectantibus*, *ita a sensibus abstrahebatur*, *ut sibi videretur bonum*, *& beneficum Genium alloqui*, *cum eo per proposita*, *& responsa sermonem conferens*. *Non ergo mirum videri debet*, *in fœminarum imaginatione*, *quæ delicatior est*, *effecta conspici*, *quæ majorem admirationem afferant*, *easdemque fœminas ea facere*, *e quibus appareant Dæmoniacæ*. *Id ergo ut prorsus indubitatum manet*, *quemadmodum fuerunt*, *ita etiamnum veros energumenos*, *spiritus esse*, *qui familiares dicuntur*; *tametsi difficillimum sit de peculiaribus factis judicium ferri*. *Quæ tamen primum quidem in Evangelio*, *deinde vero in Sanctorum Vitis narrantur*, *in dubium revocanda non sunt*; *utpote quæ veritatis*, *ac certitudinis notas omnes ipsa secum afferant*.

Itaque non leve solum, *ineptumque est*, *sed etiam impium*, *quod* Beckerus lib. 2. Mund. Fascin cap. 28. *asserere non est veritus*, *scilicet ex falsa*, *& erronea Judæorum opinione ab Evangelistis ea facta narrari*; *id enim qui dixerit*, *universam sacram Scripturam ad ludibrium*, *quumque vetterit*.

Ochozath, *possessio*, amicus Abimelech, Geraræ Regis, quicum venit, ut cum Isaac fœdus iniret: *Abimelech*, *& Ochozath amicus illius*. Interpretes multi vocabulum hoc appellativa significatione sumunt, pro amicorum manu scilicet, qui Regem Abimelech comitabantur: *Genes. cap.* XXVI. 26.

Ochozias, *possessio Domini*, filius, & successor Achab Regis Israel: *Dormivit Achab cum patribus suis*, *& regnavit Ochozias filius ejus pro eo*. Princeps hic patris impietatem imitatus est, falsosque Deos coluit, quos ejus mater Jezrael in Israel invexerat. Cum Rex pietate insignis Josaphat se adduci passus esset, ut cum hoc impio Principe fœdus iniret, communibusque impensis classem instrueret, quæ, datis velis, Ophir regionem, quærendi auri causa peteret, eo fœdere exacerbatus Deus consilia disjecit, quæ sine eo inita fuerant, passusque est, in *Asion Gabar* tempestate classem obrui, ut proinde propositum iter prosequi omnino non posset. Non destitit Ochozias malum facere coram Domino; quamobrem maledictio, prolata in Domum Achab, in Ochozia ipso perfici cœpit. Altero Regni anno cum in Regiis Ædibus Samariæ versaretur, ex editi cubiculi fenestra prolapsus est, ejusque totum corpus obtritum jacuit. Cum ita se haberet, tantum absuit, ut ad calamitatum suarum originem mentem referret, & ad Dei, quem læserat, misericordiam per pœnitentiam confugeret, ut potius id unum inquirendum putaret, isne casus lethalis futurus esset, necne; novumque delictum delictis addens, Aulicorum nonnullos Beelzebud Deum Accaron consultum mitteret, ut certo sciret, futurumne esset, ut convalesceret. Iis, jubente Domino, Elias occurrit, Regisque ab iisdem dictum voluit, quandoquidem Deum Accaron, quam Deum Israel consultum maluerat, futurum proinde, ut e lecto non amplius surgeret, sed certo moreretur. Reversi, qui missi fuerant, Ochoziæ narrarunt, quod contigerat. Ille vero percipiens, hominem, qui eos allocutus fuerat, Eliam esse, Ducem misit, qui quinquaginta militibus stipatus ei manus injiceret. At cum Domini

sui

sui impietatem æmulatus, arrogantius, & minitantis in modum cum Propheta locutus esset, Sanctus Vir, cui Divini Numinis honor maxime cordi erat, Deum, quem contemni dolebat, rogavit, ut nequam hominum temeritatem palam ulcisceretur; statimque delapsus e Cœlo ignis, Deo votis annuente, Ducem, & asseclas absumpsit; idemque Ducis alterius fatum fuit, quem primi calamitas cautum non fecerat; ac milites ipsi cum Ducibus periere, tametsi in Eliam haud male animati essent; ut nimirum edoceremur, injustitiæ nunquam siquam sine periculo ministerium suppeditari posse. Missus tertius se ad Eliæ pedes abjecit, vitam rogans. Tum vero per Angelum Domini Propheta cognovit, se tuto cum eo Duce pergere posse. Ergo se Ochoziæ sistit, cui proximam mortem in impietatis pœnam nuntiavit; & sane Rex obiit an. Mund. 3108. prout Deus per Prophetam portenderat. Ignem autem e Cœlo Elias evocavit, non ut suam privatam injuriam ulcisceretur, de qua tum quidem non agebatur, sed ut veri Dei gloriam tueretur, cujus cultum evertere impius hic Princeps nitebatur, extincto Propheta, qui ejusdem cultus unus, & unicus assertor, & vindex esse videbatur; ac Deus quidem servum suum, non nisi se inspirante, locutum ostendit, qui eventum petitioni statim respondere voluit, neque inutilem esse militum ipsorum mortem; ut nempe Religionis veritatem, falsitatem cultus Baal, prorsusque divinam Eliæ missionem ostenderet, qui nihil, nisi Deo jubente, faciebat, nec lædi poterat, quin Deus ipse læderetur. III. *Reg.* XXII. IV. *Reg.* I. & VIII. II. *Paralip.* XX.

Ochozias, filius Joram, & Athaliæ, patri successit in Regno Juda: *Anno duodecimo* (IV. Reg. VIII. II. Paralip. XXII.) *Joram, filii Achab Regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram Regis Judæ*. Princeps hic 22. ætatis annum agebat, cum regnare cœpit. Ei quidem Reg. lib. IV. ætatem hanc tribuit, cum Paralip. lib. II. 42. eidem tribuat, quod Amanuensium errorem evincit. Is porro familiæ Regis Achab vestigiis institit, a quo originem per Matrem, ejus impii Regis filiam trahebat; quæ sane ejus exitii causa fuit. Perrexit in Urbem Ramoth Galaad una cum Joram Rege Israel, ut cum Hazrael Syriæ Rege pugnaret; & Joram, vulnere affectus in prælio, Jezrael rediit, remedium quærens. Ochozias ab Exercitu recessit, ut eum inviseret, Deo ita volente, ut eum in insignem vindictam traheret, quam Achab, & Jezabel posteritati parabat. Et sane Jehu, supremus Dux Exercitus Joram, in suum ipsum Principem insurgens, accurrit, ut in Urbe Jezrael nec opinantem, & imparatum aggrederetur. Joram, & Ochozias, quos ejus consilium latebat, se advenienti stiterunt, at cum Joram telo occisus esset, Ochozias se fugæ dedit, quem tamen insecuti milites, & Gavar prope Jebblaan ascendentem aggressi lethaliter vulnerarunt. Porro satis adhuc ei virium fuit, ut se in Urbem Mageddo reciperet, ubi detectus, & ad Jehu ductus, ejus jussu, mortem subiit. Ita ergo impietatis pœnas dedit, pravorumque sceleste Athaliæ consiliorum fructum percepit, quibus faciliores aures præbuit, cum avi Josaphat exemplum sequi deberet. IV. *Reg.* VIII. & IX. II. *Paralip.* XXI. & XXII.

Ochran, tumultus, pater Phegiel e Tribu Aser. *Numer.* I. 13.

Oculus. Ea loquendi ratione, qua Sacri Scriptores utuntur, *oculus nequam* invidiam, & avaritiam significat: *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. cap.* VI. *Oculus malus ad mala*. *Eccles. cap.* XIV. Priora verba invidum hominem, posteriora avarum designant. Contra simplex oculus, bonus oculus liberalitatem, & ad bonum propensionem indicat: *vir boni oculi*. *Proverb.* XXII. Oculos in quempiam intendere nonnunquam iram, & indignationem innuit: *ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum*. *Amos cap.* IX. sæpe beneficia, & providentiam exprimit: *oculi ejus super gentes respiciunt*. *Psalm.* XVII. Joseph fratrem natus minimum Beniamin fratribus ad se ductum voluit, ut oculos in eum intenderet. Oculus etiam feritatem, & arrogantiam significat: *oculos superborum humiliabis*. *Job cap.* XX. *Oculum esse cæco*, proloquium est de

lis generatim dictum, qui miserorum curam suscipiunt, eorumque inopiæ prospiciunt. *Eruere oculos alieni*, metaphorice de iis dicitur, quibuscum tamquam cæcis, & mentis expertibus agitur. *Joseph ponet manus suas super oculos tuos*: Joseph scilicet morienti patri oculos claudet; qua cæremonia Veteres utebantur. *Ad oculum servire*. *Ad Ephes.* VI. *Coloss.* III. Nempe tum solum domino diligenter obsequi, cum adest, quod captivorum proprium est, qui non nisi timore ducuntur, Oculorum elatiosuperbiam, fastumque significat: *extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi*. *Ecclef.* XXIII. *Oculi pleni adulterii*, *oculi fornicantes*, & id genus aliæ loquendi rationes ex eo petuntur, quod oculi cupiditatum organa sunt.

Odaja, *laus Domini*. I. Hominis nomen, qui a Juda originem trahebat. II. Levita coævus Esdræ; aliique duo parum noti. II. *Esdr. cap.* IX.

Odaren, *canticum laudis*, Bacchidis fœderatus, Judæorum hostis, quem cum aliis nonnullis, qui, ut ille, Syris addicti erant, Jonathas Machabæus interfecit: *& percussit Odaren*, *& fratres ejus*. I. *Machab. cap.* IX. 66.

Oded, *fulcrum*, Propheta Domini, qui cum forte Samariæ versaretur, quo tempore Phacee Rex Israel in eam Urbem redibat, ducens captivorum 200000, ducenta millia, quæ Israelitæ in Regno Juda sibi subdiderant, victoribus occurrit, iisque inhumanitatem, & furorem in fratres exprobravit, quos ipsis Deus tradiderat, subdiditque: *audite consilium meum*, *& reducite captivos*, *quos adduxistis de fratribus vestris*, *quia magnus furor Domini imminet vobis*. II. *Paralip.* XXVI. Furentes licet, ac prædæ cupidi milites Prophetæ verbis permoti, crudelitatis, & avaritiæ loco, humanitate, ac miseratione eorum animos subeunte, captivos pristinæ libertati reddiderunt, & opulenta, quæ traxerant, spolia deferuerunt. Fuit & Obed Azariæ Prophetæ pater.

Odoja, *laus Domini*, Princeps Tribus Manasse, militari virtute insignis. I. *Paralip.* V. 24.

Odollam, *eorum præda*, Urbs in Tribu Juda, prope quam caverna, in quam David se recepit: *Usque ad Odollam veniet gloria Israel*. Subversio gloriæ Israel ad Odollam Urbem usque perveniet; scilicet futurum portenditur, ut Assyrii, qui Regnum Israel depopulaturi erant, suis usque ad Tribum Juda excursionibus, & cædibus omnia miscerent. I. *Reg.* XXII.

Odor. Id nominis non semper fragrantiam, sed nonnunquam etiam fœtorem significat: *Ecce odor filii mei*, *sicut odor agri pleni*, *cui benedixit Dominus*; apud Isaiam. Sacrificium quoque Deo oblatum innuit: *Non capiam odorem cætuum vestrorum*: Haud gratas habebo victimas, quas mihi vos vestris in cætibus offeretis; apud Amos. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*; sacrificium Noe gratum Deo fuit; *Genes.* VIII. Bonum etiam nomen indicat: *Fœtere fecisti odorem nostrum*; ita Israelitæ ad Mosem, & Aaron. *Exod.* V. Jacob cum filiis questus est, quod ab iis patrata Sichimitarum cædes ejus nomini malum odorem apud Chananæos attulisset: *Odor ignis* aliquando pro flamma ipsa sumitur: *Quoniam odor ignis non transisset per eos*, ignis scilicet ipsa vis; *Daniel* III. Significat etiam odor spiritale donum, excellentem gratiam per bonos odores exhibitam: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi*. Bonus hic odor doctrina est, quam per Legis præcepta inter Hebræos Sapientia diffuderat.

Og, *panis sub cinere coctus*, erat Rex Basan, in ea Terræ promissæ parte, quæ ultra Jordanem erat, hoc inter flumen, & montes Galaad. Cum Israelitæ promissam Terram ingredi vellent, Og, obstendi animo, suis omnibus subditis stipatus occurrit ad usque Edrai: *Occurrit eis Og*, *Rex Basan*, *cum omni potentia sua*. Eum Dei jussu aggressus Moses vicit, occiditque, communi strage involutis omnibus ejus filiis, universoque populo, quin vel unus superstes esset. Israelitæ ejus regionis potiti, sexaginta munitas Urbes everterunt, earumque omnes incolas trucidarunt. Og unus e Rephaim stirpe remanserat. Gigantis hujus proceritas conjici potest ex lecti magnitudine, qui diu in Urbe Rabbath, Ammonitarum Metropoli servatus est. Longus nempe cubitos novem, & quatuor latus erat. * *Num.c.*XXI.*Deut.*III.

* *Rab-*

* *Rabbini, & Talmudistæ adeo ridicula, & absurda de Regis hujus statura, ac viribus tradunt, ut satius duxerim ad Scriptores ipsos Lectorem mittere, quam ea hoc loco referre. Legi in hanc rem poterunt* Cornelius a Lapide *in Numer. cap.* XXI. Lyranus, *&* Abulensis. *Porro* Gerardus Vossius de Idololatria Gentilium *lib.* II. *cap.* XXVI. *putat Græcorum Typhonem, seu Typhæum eumdem esse, atque Og, de quo in Sacris Litteris mentio fit, at quæcunque argumenta profert, in conjecturas admodum incertas abeunt.*

Obam, *væ illis*, Rex Hebron, unus e quinque, qui Gabaon obsederunt. Prælio victus, captus, morte damnatus, suspensusque est, Josue jussu. *Jos.* X.

Obol, *tabernaculum*, filius Zorobabel, & Josiæ nepos. I. *Paralip.* III. 30.

Olea, *arbor*, cujus genera duo distinguuntur, sincerum unum, cultumque, sylvestre alterum; quod oleæ genus oleaster dicitur. Duo hæc genera secernit S. Paulus in sua ad Romanos Epistola: *Tu ex naturali excisus oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oleam.* Olivæ similitudine Sacra Scriptura sæpenumero utitur. *Pueri tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ. Psalm.* 127. Jeremias electum Dei populum cum bona oliva, fæcunda, & fructibus gravi comparat: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Hinc Propheta singularia beneficia reputat, quibus Deus hunc populum cumulavit. Nomen hoc eos quoque designat, quos Deus spiritalibus gratiæ donis auxit, ac veluti saginavit: *Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram ejus?* Oleæ porro hæ, quæ semper virebant, & fructibus graves erant, quæque ad lampades sustentandas necessarium oleum suppeditabant, insignes Dei servos duos, Zorobabel, & Josue significabant, quibus omnis cura futura erat ea parandi, quibus ad Templi constructionem opus esset, cujus candelabrum figura erat. *Hi sunt duæ olivæ*, in Apocalypsi testes duo sunt, quos aliquando Deus excitabit, Enoch scilicet, & Elias.

Olivetum, olearum mons, ad Ortum Jerusalem, a qua eum torrens Cedron, & Vallis Josaphat dividebant. *Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter.* Mons hic uberrimus est, satis excultus, & oleis omnino tectus, a quibus ei nomen. Tribuitur in colles tres, quorum medius altitudine cæteros antecellit. Hoc nimirum ex colle Christus Dominus post resurrectionem in Cælum ascendit. Trium collium pulcherrimus, qui meridiem spectat, falsorum Deorum Templis pollutus fuit, quæ Salomon ibidem ædificanda curavit, suis ut concubinis morem gereret, ac proinde *scandali* mons appellatus est. IV. *Reg. cap.* XXIII. Quæ ad Septentrionem maxime vergit, summitas dicta, *Viri Galilæi*; quæ fuere Angelorum ad Apostolos verba, dum Christus in Cælum ascenderet. Mons hic post ejusmodi prodigium sibi Christianorum venerationem maxime conciliavit; & adhuc magnificæ Ecclesiæ rudera conspiciuntur, quam Helena Imperatrix *Ascensionis* titulo ibidem ædificavit.

Olla, *elevatio*, proprium hominis nomen e Tribu Aser, cui fuere filii tres, Aree, Aniel, & Resia. I. *Paralip. cap.* VIII. 39.

Olla, Latinum nomen, quod significat vas testeum. *Mors in olla, vir Dei*; in vase testeo lethale venenum est. *Moab olla spei meæ*; Moab est veluti vas testeum, quod spem meam alit. Per figuram sumitur ad hostes furore abreptos significandos: *Ollam succensam ego video*; ebulliens testeum vas video. Olla hæc Nabuchodonosor erat, cujus nulla non Judæis crudelitas imminebat. *Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eam aquam.* Ita Ezechiel. Testeum hoc vas Hierosolymam innuit, quemadmodum Cives carnem exhibebant, quæ in eodem vase coquenda erat.

Olon, fenestra, Sacerdotalis Urbs in Tribu Juda. *Josue* XV. 5.

Olympias, *cælestis*, fidelis, insigni pietate fœmina, quam in sua ad Romano Epistola S. Paulus *salutat salutate .... & Olympiadem.* Ad ejus vitam quod attinet, nihil peculiare constat; eique Græci caput abscissum ajunt in Urbe Roma, qua die S. Petrus cruci ibidem affixus fuit.

Olympius, cognomen Jovis, cui celebre Templum Olympiæ, quæ Græciæ Urbs,

erectum fuit, ubi ludi *Olympici* dicti in ejus honorem celebrabantur. Antiochus Epiphanes, cum Hierosolymitanum Templum profanasset, Dei Altari execrandum Jovis Olympii Idolum imposuit, augustumque Templum, quod veri Dei Majestati sacrum erat, ejus falsi Numinis nomine deinceps appellari jussit: *Misit Rex senem quemdam Antiochenum .... contaminare etiam, quod in Hierosolymis erat Templum, & cognominare Jovis Olympii*. Atque hoc nimirum Idolum est, quod Daniel vocat *abominationem desolationis stantem in loco sancto*. II. *Machab.* VI. *Daniel.* X.

Omar, *qui loquitur*, secundus filiorum Eliphaz, & nepos Esau. *Genes.* XXXVI.

Omega, Alphabeti Græci postrema littera, & proverbii loco sumitur pro re ultima in aliquo numero, seu pro fine, quemadmodum Alpha primam in eodem numero rem, seu principium significat: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*. Christus Dominus his verbis id sibi voluit, se rerum omnium principium, & finem esse. *Apocal.* I. 8.

Onan, *dolor*, filius Judæ, & nepos Jacob. Judas cum Thamar conjugem Her primogenito suo dedisset, & hic quidem prolis expers mortuus esset, viduam Thamar Onan secundogenito tradidit, ut ita nomen Her revivisceret, eique successores suscitarentur. At Onan per execrandum facinus impediit, quominus Thamar mater evaderet. Eum Dominus in improbitatis penam de medio sustulit: *quod rem detestabilem fecerat*. *Genes.* XXXVIII. *

* *Animadversione dignum hoc loco est, fratris Her punitionem haud Onan profuisse. In idem & ipse delictum prolapsus est, & quidem ob aliam causam multo gravius, enormiusque. Ita Judas in testamento, quod edidit morti proximus, de eo loquitur:* In diebus thalami dedi ei (*Thamar*) virum Onan, & iste in malitia non cognovit eam, vivens cum ea annum, & quando minatus sum ei, coivit quidem cum ea, semen vero corruit in terram secundum mandatum matris suæ, & hic in malitia mortuus est. *Neque omittendum, Deum; quamvis in Sacra Scriptura eum ipse occidisse dicatur, usum tamen esse Angeli opera, ut fratrum duorum delictum puniret, ea nempe ratione, qua Judæi satellitibus eos tradunt, qui ad mortem damnati sunt. Cum duobus his scelestis hominibus ita se gessit Deus, ac multo post cum septem viris Saræ filiæ Raguel, quæ tandem junioris Tobiæ conjux fuit; quos scilicet omnes Dæmoni Asmodeo tradidit. Porro non constat, quodnam mortis genus iidem obierint; utrum scilicet turpi aliquo, & insanabili morbo perierint, quemadmodum ejusmodi succidis, & effeminatis hominibus in intemperantiæ, & flagitiorum pœnam fere accidit, an vero subita morte correpti fuerint.*

Onesimus, *utilis*, natione Phrygius, Philemonis servus, qui Hero furatus, domo fugit, & facti pœnitens Romam se contulit ad S. Paulum, quem Philemonis amicum noverat. Onesimum Apostolus, cui delictum fassus erat, Christianæ fidei rudimentis imbuit, baptismatis undis abluit, singularique ut filium, quem inter vincula genuerat, amore complexus est. Eum per aliquod tempus apud se detinuit, ut in pietate firmatum ad herum remitteret, cui commendatum voluit per epistolam, quæ Philemonis nomen præfert, & sub annum Christi 62. scripta fuit: *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo*. S. Paulus in hac epistola, quæ prorsus divinam, & summo charitatis igne flagrantem eloquentiam præsefert, ea omnia argumenta profert, quæ amicitiam, religionem, pietatem, humanitatem, miserationem inspirare possunt, quo Philemonem inducat, ut servum, qui ejus frater evaserat, humaniter habeat, eique peccatum condonet. Epistola hæc Apostolo prorsus e voto cessit; eum quippe Philemon non sine magna amoris significatione susceptum libertate donavit, & paulo post ad S. Paulum remisit, cui tunc in carcere versanti deserviret; ei porro Apostolus Epistolarum suarum nonnullas ferendas dedit, eamque nominatim, quam ad Colossenses misit. Onesimus deinde adeo virtute, ac scientia insignis evasit, ut post Timotheum Ephesiorum Episcopus crearetur. Eum summopere commendat S. Ignatius Martyr in sua ad Ephesios Epistola. Denique cum eam Ecclesiam sancte

ĉte rexiſſet, non ſine martyrii gloria ſub Trajano mortuus creditur.

Oneſiphorus, *qui utilis eſt*, Aſianus, de quo S. Paulus in ſecunda ad Timotheum Epiſtola. Romam venit, quo tempore S. Paulus in carcere detinebatur, eique non levis momenti ſarvitia exhibuit; cui proinde Apoſtolus omnia a Deo bona exoptat: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui*, *quia ſæpe me refrigeravit*; ſuam Deus miſerationem in Oneſiphori familiam effundat, quia mihi ſæpe ſolatio fuit. De ejus vita nihil peculiare conſtat. In Martyrologio legitur, eum, cum fidei nuntiandæ cauſa in Helleſpontum ſe contuliſſet, in quodam Idolorum Templo comprehenſum, ut Idolis ipſis thus adoleret, ſed alacriter id facere recuſantem, crudeliter virgis cæſum, ac deinde ad Equi caudam alligatum fuiſſe, a quo dum traheretur, ſpiritum reddidiſſe.

Onias, *vis Dei*. In Sacris Litteris occurrunt hujus nominis multi Summi Pontifices. I. Onias primus e filiis Jaddo an. Mund. 3682. in Summo Pontificatu Patri ſucceſſit, & per viginti circiter annos Hebræorum Rempublicam adminiſtravit. Ei fuere filii duo, Simon cognomento *Juſtus*, & Eleazar. II. Onias ſecundus e Simonis filiis, qui junior cum eſſet, quam ut Pontificatus munus obire poſſet, cum ejus pater occubuit, Eleazar Simonis frater ea dignitate inſignitus fuit, quo ipſo vita ante functo, quam ei nepos ſuccedere præ ætate poſſet, ea proinde Manaſſi filio Jaddo, Simonis juſti patruo collata fuit; denique cum & Manaſſes obiiſſet, Onias Pontificiam dignitatem ſuſcepit. Erat is haud ſatis experrecto animo, itaque ad avaritiam factus, ut argenteorum viginti talentorum tributum, veteri Majorum ſuorum more firmatum Ægypti Regibus ſolvere nollet. Ptolemæus Evergetes, qui tunc regnabat, miſſo Hieroſolymam Aulico, Hebræos accitos voluit ad annua jam elapſa ſolvenda, quæ ad ingentem ſummam excreverant, minitatus, ſi renuiſſent, ſe Judæam militum ſuorum licentiæ traditurum, miſſurumque, qui Judæorum loco regionem incolerent. Regiæ minæ Hieroſolymam omnem terrore affecerunt. Unus Summus Pontifex nihil expavit; ac Judæi quidem extrema paſſi eſſent, niſi Joſeph, Summi Sacerdotis nepos, qua erat prudentia, imminentem turbinem avertiſſet. Cum enim obtinuiſſet, ut ad Ægyptii Regis Aulam publice mitteretur, Regis, Reginæque animum ea ſibi dexteritate devinxit, ut vectigalibus præfectus, quæ Provinciæ duæ, Cæleſyria, & Palæſtina Regi ſolvebant, ipſe tandem debitis, quæ Patruus contraxerat, ſolvendis eſſet. Onias Simonem ſecundum, filium ſuum ſucceſſorem habuit. Onias III. Simonis filius, & Oniæ ſecundi nepos, In Pontificatu Succeſſor poſt patris mortem ſub annum Mundi 3805. Singulari pietate, ac juſtitia ſe dignum præſtitit, quem Spiritus Sanctus maximis laudibus exornaret. Ejus morum probitas, ac religio ad divinas Leges ſervandas cæteros Hieroſolymis permovebant, magnamque erga Domini Templum obſervantiam Regibus ipſis, & Principibus idololatris inſpirabant. Ejus ætate, Heliodori hiſtoria contigit. Judæus quidam nomine Simon ægre ferens, Oniam iniquis ejus auſis obſiſtere, Seleucum Syriæ Regem monitum voluit, magnam in Templo eſſe argenti vim, quam ipſe ſibi addere poſſet; quod audiens Rex Heliodorum Miniſtrorum ſuorum principem Hieroſolymam miſit, qui pretioſa quæque transferret. Cum ergo Heliodorus, quem Summi Sacerdotis preces flectere non poterant, ad recludendas Theſauri fores ſe compararet, in audacem hominem ea vis extitit divini Spiritus, ut ei jacenti jam mortuo ſimili vita ſervaretur in unius Oniæ gratiam, qui pro eo ſalutarem hoſtiam obtulit. Creditur etiam ad hunc Pontificem Arius Lacedæmonum Rex epiſtolam eam dediſſe, quæ lib. 1. Machabæorum cap. XII. legitur: *Arius*, *Rex Spartiatarum*, *Oniæ Sacerdoti magno ſalutem*. *Inventum eſt in ſcriptura de Spartiatis*, *& Judæis*, *quoniam ſunt fratres*, *& quod ſunt de genere Abraham*. *Et nunc ex quo hæc cognovimus*, *bene facitis ſcribentes nobis de pace veſtra*. Interea perfidus Simon Oniæ, quem vehementius in dies odetat, nomen deterere, eumque tamquam publicum hoſtem, turbarumque, quas ipſe excitabat, auctorem proponere non deſiſtebat;

fiebat; cujus calumnias veritus Onias, quibus Apollonius Cælesyriæ Præses suffragabatur, Antiochiam proficisci statuit, ut se apud Seleuchum Regem purgaret; at cum is Princeps interim obiisset, eique Antiochus Epiphanes successisset, Jason Oniæ frater, qui ad Pontificiam dignitatem extolli vehementer optabat, eam numerata pecunia a Rege emit, spoliato fratre, qui sibi in Daphnidis nemore asylum quæsivit. Sancto Viro haud ibi tuto consistere licuit; Menelaus enim, qui, deposito Jasone, Pontificiam dignitatem sibi usurpaverat, ac Templi vasa sustulerat, Oniæ exprobrationibus irritatus, eum per insidias ab Andronico regionis Præfecto occidendum curavit. Proditio hæc omnem circum regionem turbavit, eamque Judæi æque atque Ethnici execrati sunt. Rex ipse iniqua tanti Viri morte permotus lacrymas cohibere non potuit, ejusque pœnam ex Auctore sumpsit, quam ibi occisum voluit, ubi tam impium facinus perpetraverat. Oniæ superstes filius fuit, qui se tum Jasonis, & Menelai, patruorum suorum ambitione *, tum Syriæ Regum injustitia a patris dignitate exclusum videns, apud Ptolemæum Philometorem Ægypti Regem secessit, a quo Templi in Heliopolis Præfectura vero Deo ædificandi facultatem obtinuit. Templum hoc *Onion* nuncupavit, & ad Hierosolymitani formam construxit; in eoque Sacerdotes, & Levitas instituit, qui ibidem eadem, atque in Hierosolymitano Templo, munia obibant, easdemque Cæremonias servabant. Ei Rex ingentia prædia, magnosque redditus tribuit, quibus ad ea uteretur, quibus Templo, ac Sacerdotibus opus esset. Post Hierosolymæ excidium Vespasianus veritus, ne Judæi in Ægyptum recederent, ibique suæ Religionis officia in Heliopolitano Templo prosequerentur, illud ornamentis spoliatum, ejusque portas occlusas voluit. *Joseph. de Bello Jud. cap.* xxx.

* *Menelaus Pontifex creatus fuit; at Jason, Antiochum in Ægyptiaco bello extinctum audiens, ex improviso Hierosolymam sociis mille stipatus invasit, omniq strage, ac rapinis ita permiscens, ut Menelaus ipse se in arcem recipere cogeretur. Itaque turbata Urbe, derelictum Templum, intermissa sacrificia, profugi Sacerdotes, & unice de quærendo asylo solliciti. Tandem non sine ignominia expulsus Jason ad Ammonitas confugit, a quibus ad Arabas transiit; at in perduellionis suspicionem lapsus, in carcerem conjectus fuit; e quo evadens in Ægyptum abiit; & ubique timens, ne caperetur, tum demum se tutum credidit, si in Lacedæmoniam se contulisset, cognationis ratione habita, quæ Lacedæmonas inter, & Judæos intererat; sed ibi tamen misere interiit, ejus extincto corpore ne sepulturam quidem nacto.*

Interea Antiochus, Romanis Legatis operam dantibus, Ægyptum reliquit, sparsique de ejus morte rumoris auctores Hebræos suspicatus, qui fortasse novi aliquid molirentur, vehementer excanduit, summoque furore percitus Hierosolymam factione sua fretus invasit, omnibusque indiscriminatim Civibus trucidatis, ea cædes extitit, ut triumtantum dierum spatio quadraginta hominum millia interficerentur, totidemque in carcerem truderentur, ac venderentur. At ejus crudelitatis vi, ac furore longius progrediente, Templum, & Sanctuarium, Menelao duce, ingressus, omniaque ibidem singillatim explorans, suis ipse manibus sacra vasa arripuit, fregitque, ac sibi sumptis talentis mille octingentis, Antiochiam rediit, quemadmodum Machab. II. *cap.* V. *legitur.*

Hoc loco non omittendum, quod Apion Hebræorum capitalis hostis confinxit, Antiochum scilicet, cum Templum spoliaturus ingressus esset, nactum ibidem Asini caput, ex auro confectum, quod Hebræi colerent, referente Josepho *lib.* II. *contra Apionem*: Diodorus Siculus *apud* Photium *cod.* 244. *testatur, hominem Asino insidentem ab Antiocho inventum. En ejus verba*: Antiochus dictus Epiphanes, devictis Judæis, intravit Sancta Sanctorum, solis Sacerdotibus adeunda, & invenit ibi lapideam statuam viri, barba promissa, tenentis manibus librum, insidentisque Asino, quam putabat Mosis esse, qui & Urbem condiderit, & gentem fundarit, & odiosas illas omnibus gentibus leges tulerit. *Fabula hæc inter Ethnicos disseminata ex Asinini capitis ab Hebræis culti calumnia derivatur; de quo Hebræorum vulgato cultu*

tu commemorant Cornelius Tacitus *lib.* v. *Hist. cap.* III. Plutarchus *in Symposiac. lib.* IV. *aliique. Quamquam ejusmodi Auctores, qui impium Asini cultum Hebræis exprobrare voluerunt, ejus calumniæ originem alii aliter explicuerunt.* Cornelius Tacitus *loco laudato se hujusmodi cultus originem nactum putat, inquiens, Israelitas ex Ægypto egressos gravissima quidem incommoda in suscepto per Desertum itinere subiisse;* sed nihil æque (*ejus verba sunt*), quam inopia aquæ fatigabat. Jamque procul exitio totis campis procubuerant, cum grex Asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit; secutus Moses, conjectura herbidi soli, longas venas aquarum aperit. *Quamobrem ejusdem libri cap.* IV. *subdit:* Effigiem animalis, quo monstrante, errorem, sitimque depulerant, penetrali sacravere. *Idem refert* Plutarchus*; quibus concinit* Petronius Arbiter *in Fragmentis sub finem; cui rei sequentes versiculi fidem faciunt:*

Judæus licet & porcinum Numen adoret,
Et Cœli summas advocet auriculas.

Quo tamen loco nonnulli pro Cœli *legunt* Cilli, *hoc est* Asini; *quia* κίλλος *idem est, atque* ὄνος Democritus *historicus veterem calumniam auxit, cui scilicet novam addidit, apud* Suidam *scribens verbo* Ἰούδας, *Judæos non aureum modo caput Asini coluisse, verum & Sacrificia ei obtulisse. Nonnulli contumeliosæ hujus, turpisque calumniæ originem repetunt ex cap.* XXXVI. *Geneseos, ubi dicitur Ana invenisse* הימים את, *nempe ut nonnulli explicant*, aquas calidas, *& ut alii*, mulos, *cum Zibeonis patris Asinos pasceret. Probavit sententiam hanc* Gerardus Joannes Vossius de Orig. Idolol. lib. III. cap. LXXV. *Eamdem tamen ridiculam duxit* Tanaquillus Faber *part.* 1. *epist.* VI. *ubi aliam proponit ipse, quam probabiliorem putat, Heliopolis scilicet in Ægypto regionem, ubi Onias Templum Judæis erexit, ea ipsa de causa* Onianam *dictam fuisse,* ἀπὸ Ὀνίου, τὸ ὁ Ὀνιείων*; hinc Alexandrinos, aliosque Græcos in vocum ambiguitate jocari solitos, ex similitudine vocis* ὄνος *in vulgus sparsisse, peculiarem Asino cultum Judæos exhibere. Alii ad alias conjecturas confugerunt, ut hujus calumniæ originem detegerent, quas singulas referre, & expendere longum esset.* Seldenus *fortasse lib.* II. *cap.* I. de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Hebræor. *cæterorum proxime ad veritatem accessit, dum contendit, Hebræis Ethnicos id exprobrasse, propterea quod legem, & consuetudinem redimendi primogenitum Asini præpostere, praveque intelligerent. Forsan etiam fama Asinæ Balaam, quæ per prodigium locuta est, & traditio Asinæ Messiæ, siquidem Ethnicis nota erat, hujus apud profanos Scriptores erroris causa fuit, aut saltem calumniæ vulgandæ, firmandæque occasionem præbuit. At neminem latet, quas demum, quamque graves calumnias Ethnici Hebræis, ac deinceps Christianis tribuerint; ut proinde nihil sit, quamobrem nos in hujus calumniæ ostendenda vanitate diutius immoremur.*

Ono, suus dolor, Urbs Tribus Beniamin, quam, ut etiam Lod, quæ haud procul aberat, Elphaal, qui ex eadem Tribu erat, ædificavit*: Hic ædificavit Ono, & Lod.* II. *Paralip.* VIII. Sacra Scriptura loquitur de hujus nominis homine, secundo filiorum Lod. I. *Esdr. cap.* II.

Onocentaurus, monstrum ex hominis vultu, e fœminæ sinu, & ex asini femore constans: *Isa. Et occurrent Dæmonia Onocentauris.* *Isa.* XXXIV. 14. Porro nomen hoc in Isaiæ textu S. Hieronymus posuit. Hebraicum vocabulum significat cujusvis generis spectrum, quod terrorem incutit.

Onocrotalus, genus avis Cycno valde similis, qua vesci non licebat. Septuaginta *Pellicanum* verterunt. Avis hæc in deserta loca, & in subversarum Urbium reliquias se recipit; ei rostrum, & collum longum est, & jugulum, quod infra pendet, in quo ostreas servat, quas deglutit, tum eas evomit, ut earumdem fructum comedat, cum stomachi calor conchas aperuit. Refert Augustinus *Calmet*, juguli magnitudinem, & amplitudinem eam esse, ut in eo nonnunquam puer integer inventus fuerit.

Onus significat afflictionem, injucundum, & minax vaticinium: *Onus Babylonis, onus Ninive, onus Ægypti &c. Onus Babylo-*

bylonis, quod vidit Isaias. Vaticinium in Babylonem, quod Isaiæ revelatum fuit. Judæi Jeremiam arroganter interrogant: *Quid est onus Domini?* Et Propheta respondet: *Vos estis onus*; vos estis onus Domino intolerandum; ille vos abjiciet, & franget; tum vero populorum opprobrium eritis. Quoniam vero nondum Deus Jeremiæ vaticinia perfecerat, putabat proinde populus, mala, quæ Propheta portenderat, omnino non fore; quamobrem ad jocum traductis Prophetæ verbis, ei subridens dicebat: *Quid est onus Domini?*

Onus manus Dei vim innuit, qua Deus puniit: *In singulis Urbibus gravissima valde manus Dei*. *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis*. Jugum grave servitutem, & captivitatem sub duro Domino significat. *Alligant onera gravia*; onera hæc præcepta Legis, & Pharisæorum traditiones erant. *Populus gravis*, magna populi multitudo; *in populo gravi laudabo te*. *Musca gravissima*, magna muscarum molestissimarum copia. *Væ populo gravi*, scilicet peccatis onusto. *Dormiebat sopore gravi*; Jonas somno sepultus erat.

Onyx, *unguis*, lapillus pretiosus ita dictus, quia hominis unguem colore refert. Lapis hic in Summi Sacerdotis pectorali undecimus erat. Hebraica vox aliter reddita est per Onyx, Sardonyx, & Smaragdus. Est etiam Onyx ex Aromatum genere: *Sume tibi aromata stacten, & Onycha*. Suffimentum hoc est ostreæ concha, quæ gratissimum odorem emittit, dum comburitur; quoniam ejusmodi ostreæ nardo vescuntur, quæ in Indico Mari nascitur.

Ooliba, & *Oolla*, nomina, quæ Ezechiel adhibuit ad significanda Regna duo, Judæ scilicet, & Samariæ: *Nomina autem earum Oolla major, & Ooliba soror ejus minor*. Major *Samaria* vocabatur *Oolla*, *tentorium meum*; & minor *Jerusalem* dicebatur *Ooliba*, *tentorium meum in ea est*. Regna hæc duo hoc loco exhibentur tamquam sorores duæ, quæ derelicto Dei cultu, Ægyptiis, & Assyriis se prostituerunt, eorum idololatriam imitatæ: *Oolla insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes*. At proinde Dominus suis eas præposteris cupiditatibus tradidit, quarum vi male habitæ, & ad miserrimam servitutem redactæ sunt.

Oolibama, *tentorium meum elevatum est*, filia Anæ Chananææ, & uxor Esau: *Esau accepit uxores de filiabus Chanaan... Oolibama filiam Anæ, filiæ Sebeon Hevæi*. *Genes.* xxxvi. 3. Fuit mater Jebus, Helon, & Core. Hujus quoque nominis Princeps Idumææ fuit, qui originem ab Esau ducebat.

Ooza, *eorum visio*, filius Naara e Tribu Juda. I. *Paralip.* iv.

Ophel, *aurum*, regio, e qua purissimum aurum afferebatur: *Argentum involutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz*. *Cantic.* v. 11. *Jerem.* x. 9. Probabile est, aurum Phaz, Ophaz, & Ophir unum & idem esse.

Ophel, *turris*; erant Hierosolymis murus, & turris, quibus id nominis erat. Joachim Rex Juda *in muro Ophel multa* (ædificia) *construxit*; & Nathinæi in reditu a captivitate morati sunt in Ophel; quod conjecturæ locum præbet, eum murum, eamque turrim prope Templum fuisse, quia Nathinæi ibi degere debebant, unde nunquam non suam idem Templo operam præstare possent. II. *Paralip.* xxxvi. II. *Esdr.* iii.

Opher, *pulvis*, secundus filiorum Madian, & nepos Abrahæ, & Cethuræ. Ad ejus domicilii locum quod attinet, nil certo constat. Ajunt aliqui ab eo dictos incolas Insulæ *Orphi* in Mari Rubro, Urbique Ophæ in Diarbeka; alii eum ferunt Lybiæ potitum, eique Africæ nomen imposuisse. Erat & hujus nominis Urbs in Judæa, quæ, ut vero simile fit, eadem erat atque *Ophera* in Tribu Beniamin. *Genes.* xxv. *Jos.* xviii.

Ophi, *lassus*, proprium nomen hominis ex Urbe Netophat, de quo Jeremias cap. xl. 8.

Ophim, *lectus*, vel *Upham* filius Beniamin, e quo prodiit insignis Beniamitarum familia. *Genes.* xlvi. 5.

Ophiomachus, locustæ genus, ita dictæ, quia cum serpentibus pugnat. Iis vesci Judæis licebat. *Levit.* xi. 22.

Ophir, *tener*, filius Jectan, & nepos Eber. Referunt Sacræ Litteræ, sedem filiorum Jectan *a Messan usque ad Sephar*,

Orien-

Orientis montem patuisse. Creditur *Messa*, seu *Messan* esse mons *Massius* in Mesopotamia; & Mons Sephar innuere regionem Sepharvaimorum, quæ Mediam a Colchide dividebat. Eædem Sacræ Litteræ nihil dicunt de Provincia, quam Ophir incolis locupletavit Messan inter, & Sephar; & dubitari non poteſt, quin ipse regioni Ophir nomen dederit. *Genes.* x. 29.

Ophir, in Sacris Litteris celebris regio, cui ab Ophir filio Jectan datos incolas fuisse rationi consonum eſt; at ubinam potissimum terrarum fuerit, haud satis convenit. Constat e sacro textu, eos, qui Ophir petebant, naves conscendisse in Maris Rubri portu, cui nomen Asion Gaber, confectoque itinere annorum trium, aurum, argentum, Elephantum dentes, Simias, Pavones, Psittacos, omnisque generis gemmas, & ligna odorifera, atque ebenum retulisse *. Terram igitur Ophir nihil horum non edere necesse erat. At qui sua nobis itineraria tradiderunt, cum eam regionem inquisissent, varias iniere vias, & in varias sententias abiere. Nonnulli Ophir in Africa quærentes, volunt, regionem hanc Malindam, seu sophalam esse ad oram Zanguebariæ; atque hæc Danielis Huetii sententia eſt, contendentis, Salominis classem e littore Asion Gaber solvisse, relictoque Mari Rubro, Mediterraneum ingressam per canalem, quo hæc duo maria conjunguntur, Caputque Bonæ Spei prætergressam pervenisse Sophalam, ubi copiose comperit, quo oneraretur. Alii vero, qui Ophir in America collocant, hanc Insulam, quæ Hispanica, seu S. Dominici dicitur, esse contendunt in ipso Messicani Sinus editu; quæ quidem Christofori Columbi opinio fuit, qui cum primus omnium hanc Insulam detexisset, dicere solebat, se Salomonis Ophir nactum esse. Qui porro sententiam hanc propugnant, ita classem ex Asion-Gaber educunt, ut Indicum Mare subierit, attigerit prope Insulam citra Bagenlæ sinum, Malaciam, & Sumatram obvias habuerit, tum Madagascariam insulam, & Caput Bonæ Spei prætergressa, Brasiliam transierit, atque ita ad S. Dominici Insulam tandem appulerit. Qui denique Ophir in Asia collocant, nomen hoc *Chersoneso aureæ* tribuunt, quæ hodie nota eſt Malaciæ nomine, vulgo *Malaca*, in veteri Taprobana, quæ nunc Ceilanum Insula, & in Siamensi, Peguano, & Bengalæ Regnis. Postremæ hujus opinionis Auctores historia nituntur, e qua constat, Æthiopes nullo non tempore commercii plurimum cum Indis egisse; & in ea quidem regione nihil eorum desiderari, quibus Salomonis Naves onustæ redibant, atque iter annorum trium esse potuisse, quia scilicet Naves e Mari Rubro solventes Arabiæ, Persidis, & Magni Mogolis Imperii oras obibant; tum vero peninsulam ultra Bengalæ sinum circuibant, Golcondæ adamantes sumebant, ad Peguanum Regnum profectæ se auro, & carbunculis locupletabant, inde Sumatram se conferebant, unde per auream Chersonesum ad Siamense Regnum perveniebant, quod iis Elephantorum dentes suppeditabat. Nobis quidem satis fuerit, sententias has exposuisse, quippe quæ maxime receptæ sint, cum earum nulla sit, quæ suis non difficultatibus subsit, tametsi postrema cæterarum maxime probabilis videri possit **.

* *De Salomonis navigatione leguntur imprimis hæc lib.* 1. *Reg. cap.* IX. Ædificavit etiam classem Rex Salomon Eziongeberi, quod eſt ad Elothas in littore Maris Rubri, in terra Idumæa, misitque Hiram in classe illa servos suos nauticos, & gnaros maris, cum servis Salomonis. Iverunt autem Ophiram, atque illinc sumpserunt quadringenta viginti talenta aurea, quæ ad Salomonem advexerunt. *Ac deinde cap.* X. *leguntur hæc*: Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna Almuggina ingenti copia, & lapillos pretiosos. Fecit Rex e lignis Almugginis fulcrum Ædi Jehovæ, & regiæ, & citharas, & nablia cantoribus. Talia ligna Almuggina non venerunt, neque conspecta sunt (*Hierosolymæ*) ad hunc usque diem. *In Hebraico textu verba, quæ hic leguntur* עצי אלמגים ligna Almuggina *in* I. *Paralipom. lib. inversis litteris, leguntur ita*, ligna Algumim, *quod fere idem eſt. At quæ demum* fue-

fuerint ejusmodi ligna, omnino non constat. Quamobrem satius fuerit, aut Sacrae Scripturae verbis acquiescere, quam inanes, ac futiles conjecturas, quemadmodum conantlis placuit, consectari. Septuaginta *legunt* ξύλα πελέκητα; Vulgata *legit* ligna thyinia; *quae versiones luculenter ostendunt, Interpretes Hebraici textus sensum assecutos non esse. Ac ne* Josephus *quidem rem acu tetigit, intellexitve, quae tandem ligna* Almugium *essent, tametsi Antiquitatum suarum libro octavo de ejusmodi retamquam lippis, ut ajunt, & tonsoribus nota sermonem habeat.*

Praeterea ejusdem cap. x. *lib.* I. *Reg. v.* 22. *legitur:* Classis enim Tharsis Regis erat in mari una cum classe Hiram, semelque singulis trienniis veniebat classis Tharsis, advehens aurum, & argentum, dentesque Elephantum, Simias, & Pavones. *Nonnulli quidem ita explicant verba, ut classis iter egerit quoque triennio, non autem ita, ut trienniam ipsum in itinere absumpserit. At errant via tota. Nulla enim ratio afferri potest, quamobrem triennio quoque semel tantum, non pluries iter perageretur, siquidem breviore, quam annorum trium spatio peragi potuisset. Quod spectat ad vocabulum* שנהבים, *convenit inter omnes, de ebore, seu de Elephantis dente accipiendum esse, quamvis super ejusdem vocis origine nil certi statui possit. Eruditi quoque Viri consentiunt nomine* קופים Simias *significari; idque rationibus multis confirmat* Samuel Bocartus *Hierozici sui part.* I. *lib.* III. *cap.* 31. *qui part.* II. *cap.* 20. voce חכיים Pavones innui probat; *cui tamen repugnat* Adrianus Relandus *in Differtat. Part.* I. *Differt.* de Ophir, *qui per eam vocem* Psittacos *significari contendit.*

** *Qui definite voluerit, de qua demum terrarum Orbis regione intelligi debeat Sacrarum Litterarum* Ophir, *cujus disquisitio Doctos Viros tantopere exagitavit, satis apte procedet, si antequam judiciam ferat, certas quasdam notas statuat, quarum ope proposita controversia facile solvi possit. Primo quidem dubitari non potest, quin per hoc vocabulum* Ophir, *intelligenda sit regio, auro, argento, ebore, Simiis, Pavonibus, Psittacisque referta. Praeterea id quoque certum, exploratumque est, regionem* Ophir *ibi demum quaerendam esse, quo facilior, breviorque ex Arabico Sinu, quam ex Mari Mediterraneo accessus erat; quandoquidem Asion Gaber, unde Salomonis classis vela dedit, Urbs erat in interno Arabiae sinu posita. Nec desunt, qui addant, nec immerito, Ophiram ibi esse debuisse, quo commodius iter institui poterat, qua erant ejus aetatis homines navigandi peritia; ut proinde collocari non possit in aliqua terrarum parte, quae longius abesset, quaeque proinde iis praesertim temporibus, quibus ars nautica non admodum perfecta erat, non sine gravi periculo aditi posset. Quibus accedit, Ophiram non in regione aliqua Chananaea proxima quaerendam esse, sed in ea nimirum distantia, ut in classis discessu, in mercium collectione, denique in ejusdem classis reditu trium circiter annorum spatium, pro nauticae, quae tunc obtinebat, artis ratione, insumi necesse fuerit. Quae si sedulo reputentur, dubio procul evincunt,* Ophir *regionem eam esse debuisse, in qua non aliqua, sed longe maxima esset auri, & argenti copia, quaeque praeter memoratas fodinas, Simiis, Pavonibus, & Psittacis abundaret. Vocabulo igitur* Ophir *Melinda, aut Sophala in Africa venire non possunt. Atque ii quoque graviter hallucinantur, qui per idem vocabulum Americam, seu Indiam Occidentalem intelligunt, in quorum numero sunt* Genebrardus, Arias Montanus, Schimidius, *aliique. Quamvis enim America auro, argento, Simiis, Pavonibus, & Psittacis affluat, in hoc tamen systemate ostendi non potest, Salomonis classem e sinus Arabici portu solvisse. Et sane si adeunde Americae consilium captum esset, satius fuisset ex aliquo Mediterranei Maris portu egredi; classis enim e Sinu Arabico Americam versus iter instituens, Africam universam non sine gravi incommodo, innumerisque maris periculis circum ire debuisset. Jam vero classem, nulla urgente necessitate, praesertim cum brevior, ac tutior pateret via, se tamen iisdem incommodis, & periculis exposuisse, non absonum modo, creditaque difficile, verum etiam a Salomonis sapientia magnopere alienum fuerit. Praeterea cum iis temporibus navigandi ars admodum rudis esset, & acu nautica destituta, fieri* pro-

profectò non poterat, ut longiores navigationes, & quidem in terras, quæ fortasse nondum hominibus Hemisphærium nostrum incolentibus innotuerant, susciperentur. Nec *propius ad veritatem accedunt, qui contendunt*, Ophir Sophoram *esse, quæ in Sinu Arabico sita est; ad id enim itineris conficiendum haud sane triennio opus erat. Quæ cum ita se habeant, eorum præferenda cæteris sententia est, qui* Ophir *in Orientali India collocant; quia scilicet in hanc Regionem omnes eæ notæ congruunt, quas supra statuimus. Primo quidem ex Arabico sinu discedere classem necesse erat, ut in Indiam Orientalem proficisceretur; & quamvis ea ætate* Ars Nautica *imperfecta esset, eo tamen classis sine nauticæ acus usu pervenire poterat. Præterea ad iter ejusmodi conficiendum tres circiter anni requirebantur. Denique affluit India auro, argento, Simiis, Pavonibus, Psittacis, & ea quidem copia, cui certissimam fidem faciunt antiqui Scriptores, & nominatim celeberrimus* Q. Curtius, *cujus lib.* VIII. *cap.* IX. *hæc verba sunt:* Aves (*de India Orientali loquitur*) ad imitandum humanæ vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata cæteris gentibus, nisi invecta. Eadem terra & Rhinoceratas alit, non generat. Elephantorum major est vis, quam quos in Africa domitant, & viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quæ levi, modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas, margaritasque mare littoribus infundit.

Atque hic quidem nonnulli consistunt, satis id esse putantes, ad litem omnem dirimendam; at ulterius progrediuntur alii, peculiarem Indiæ partem curiosius investigantes, in qua potissimum Ophir extiterit. Alii ergo eam Sumatram, Ceilanum alii, alii Comorin, Cochintapobranam alii fuisse ajunt, ubi memoratæ merces omnes copiose occurrunt.

In responso, quod D. Vincentius celebris in Provincia Medicus, diutissime in Indiis, & præsertim in Siamensi Regno versatus ad amicum dedit, qui ex eo quæsierat, ubinam gentium Ophir collocari deberet, legitur, id loci vel tamquam Insulam, vel tamquam peculiarem aliquam Regionem, vel tamquam terrarum tractum Regna multa complexum spectari posse. Si ergo sumatur ut Insula, Ophir fortasse Sumatra, *vel* Siamum *fuerit. Porro* Sumatra *tum auro, tum lignis, quæ Sacræ Litteræ vocant* Ligna thyina, *tum etiam venustissimis Psittacis affluit,* Siamense *itidem Regnum aromaticis lignis, Pavonibus, Psittacis, Simiis, Elephantumque ad ebur dentibus, quemadmodum etiam auri, argentique fodinis maxime abundat.* R. P. Jachard *e Societate Jesu in suo Regni Siamensis itinerario lib.* V. *de memorato Vincentio loquitur, aitque Siamensem Imperatorem ei annua scuta mille pensionis loco statuisse, ut ad inquirendas auri, lapillorumque pretiosorum fodinas excitaretur, & misisse Jesuitas tres, qui in Louvensem missionem incumbebant, ut ejusmodi fodinas explorarent. Legi in hanc rem poterit doctissimus* Calmet *in Dissertatione* de Ophir, *quam suis in Genesim Commentariis præmisit.*

Ophni, & Phinees, filii Summi Sacerdotis Heli, quos Sacra Scriptura vocat sceleftos, pravosque homines, filios Belial, qui non aliam regulam, quam præposteras cupiditates sectabantur, nullam proprii muneris rationem habebant, eoque ipso abutebantur, ut injustis desideriis, & inexplebili aviditati morem gererent. Si quis victimam immolaturus accesserat, ex ea ipsi sibi pro arbitratu sumebant, haud ea parte contenti, quam, pacificæ scilicet hostiæ pectus, & humerum, Lex Sacerdotibus concedebat. Sibi partem arrogabant, contra Legis præceptum, ante quam adeps super Altare combustus esset. Denique sibi carnem crudam sumebant, quam ita ipsi deinde excoquendam curarent, ut gustui gratior evaderet, cum cocta de more sumenda esset. Peccatum filiorum Heli coram Deo gravissimum erat, quoniam oblationes, quas sibi Deus in Templo offerendas præceperat, prout ipse Spiritus Sanctus loquitur, conculcabant, & Israelitas a sacrificiis Domino offerendis avertebant. Absona hæc omnia filiorum facinora probe noverat Heli, neque ignorabat, eos in pravo cum fœminis commercio versari, quæ ad Tabernaculi januam excubias agebant. Eos ille quidem increpuit, sed frustra. Patris monita spreverе filii, quoniam, ut in sacro textu est,

eos Dominus in perditionem præcipites dare volebat, patiebatur scilicet, ut ab uno in aliud flagitium prolaberentur, quoad eo nequitiæ, & improbitatis devenissent, ut eos Divina Justitia, quæ damnationis decretum pronuntiaverat, per omne tempus in cæcitate, ac duritie relinqueret, desereretque. Ergo indignorum ejusmodi Ministrorum sceleribus irritatus *Deus* ad Heli Prophetam misit, qui ei exprobata molliore, pravaque quoad filios indolentia, atque indulgentia, futurum prædixit, ut ejus filii una eademque die ambo perirent; ejus familia summo Pontificatu, quo insignita fuerat, spoliaretur; Deusque fidelem sibi Sacerdotem eligeret, qui gratum eidem servitium præstaret. Primam comminationem consecutum est bellum, quod Israelitis Philistæi indixerunt. Fusi enim primo ipso conflictu, profligatique Arcam ex Urbe Silo allatam voluerunt, sibi in animum inducentes, fore, ut Deus, qui in ea residebat, in eorum beneficium prodigia renovaret, quæ alias in majorum gratiam ediderat. At in eos Divina manus gravior evasit. Victi jacuere, quantumvis adesset Arca, quæ capta fuit, Ophnique, & Phinees, qui eam comitati eraat, occubuerunt. Cum porro calamitatis hujus notitia in Urbem Silo pervenisset; Phinees uxor, quæ ventrem gerebat, dolore extincta periit, & Heli, cum Arcæ captivitati superesse non posset, retro e sede prolapsus, fracto capite, mortuus jacuit. Ita ergo Divinæ in hujus Pontificis familiam comminationis prima perfecta pars fuit. Eventum sortiri suum cepit altera in ipso Salomonici Regni exordio, cum Abiathar, qui originem ex Heli trahebat, depositus fuit, & Pontificia dignitas collata Sadoc, qui ex Eleazari familia erat. Is nimirum Sadoc est, in quem primus Divini promisi sensus congruit, fore scilicet, ut fidelem Sacerdotem sibi Deus suscitaret, cui firmam, & constantem domum tribueret. Ejus sane posteri ad illud usque tempus Pontificatum retinuerunt, quo Romani Templum funditus everterunt. At primus hic obviusque sensus nihil aliud, quam velum est, quo scilicet sensus alter longe sublimior tegitur, qui ad Christum refertur, qui per excellentiam Sacerdos est, vereque unus fidelis, ac Deo gratus, cujusque Sacerdotii nullus unquam finis futurus est. I. *Reg.*

Opprobrium tum pro ignominia, qua quispiam afficitur, tum pro eo sumitur, qui ejusdem causa est: *abstulit Deus opprobrium meum;* me Deus ab ignominia liberavit, in qua jacebam. *Genes. cap.* xxx. Apud Israelitas in Veteri Lege fæminis turpe erat prole carere. *Hodie abstulit opprobrium Ægypti a vobis.* Ægyptiorum ignominia erat in eo posita, ut incircuncisi, utpote Idololatriæ addicti, essent; quam ignominiam Deus ab Israelitis per circuncisionem amovit. Regius Psaltes se finitimarum gentium contumeliis a Deo expositum sæpe queritur: *Facti sumus opprobrium vicinis nostris.* Deus non semel in sacris Litteris, usurpato *opprobrii* vocabulo, se Nationibus deridendos, injuriisque afficiendos Judæos traditurum minatur, quod iis sane sæpenumero contigit per mala, quæ pertulerunt, & per captivitates, quibus obnoxii fuerunt.

Oraculum, a verbo *orare*, Propitiatorium significat, e quo Deus sua edebat oracula, responsa dabat, Hebræorum preces exaudiebat: *Fecit propitiatorium, id est, oraculum de auro mundissimo.* Propitiatorium autem aurea tabula erat, quæ Arcam tegebat, & supra quam Cherubim duo utrinque expansis alis thronum veluti quemdam efformabant, cui insidens Dominus significabatur; quo spectat illud: *Qui sedet super Cherubim.* Id nimirum est, quod Hebræi nuncupabant vivæ vocis oraculum רביר *dabir* ore prolatum, pronuntiatumque verbum. Id autem tum contingebat, cum Deus facie ad faciem, & ut amicus amicum, Mosem alloquabatur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Iis erant & prophetica somnia, cujusmodi fuere somnia Joseph, quæ futuram ejus prosperam fortunam significabant. III. Visiones supra naturam positæ. IV. Oraculum *Urim*, & *Thumim*; quæ nomina pretiosos Rationalis lapillos significabant; ad quorum aspectum Divina voluntas cognoscebatur. His Domini consulendi rationibus usus est Josue ad con-

conditum usque Templum. Crebrius eo tempore Prophetæ consulebantur, qui in utroque Regno Judaico scilicet, & Israelitico bene multi fuere. Post Prophetas id sibi a Deo datum Judæi contendunt, quod ipsi vocant *Bathkol*, peculiare scilicet, certumque signum, quo Divina voluntas patefieret. Signum hoc erat interna, vel externa vox, quæ in cætibus se prodebat, cujusmodi fuit, quæ audita est in Christi baptismate, atque in monte Thabor, cum Divini Servatoris Transfigurato ibidem contigit *.

* *Omnia prorsus Oracula referri possunt ad tempora duo, quemadmodum ait Apostolus in Epistola ad Hebræos cap.* 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. *Loquitur autem Apostolus tum de Oraculis, quæ variis occasionibus, variisque temporibus (hæc nimirum significatio est vocis* πολυμερῶς, *quâ Apostolus utitur) Patriarchis dedit Deus, Mosi, Prophetis ad Christi adventum usque, tum de iis, quæ per ejus Filium ipsum data fuere. Consulendum Vetus Testamentum est, ut intelligatur, quibus potissimum occasionibus Deus Prophetas allocutus fuerit, quibusque usus rationibus, ut iisdem voluntatem suam patefaceret.*

Porro revelationum, quæ in Veteri Testamento editæ sunt, quatuor universim tempora distingui possunt. I. *A Mundi creatione ad Abrahamum usque.* II. *Ab Abraham, ejusque posteris usque ad Mosem.* III. *Legis, quæ Mosi data est, tempus continet.* IV. *Denique excurrit a Mosis morte ad Christum usque. Quatuor etiam rationes distingui possunt, quibus ad aliquid hominibus revelandum Deus usus est. Sunt autem.* I. *Diurna locutio.* II. *Nocturnæ visiones.* III. *Vox.* IV. *Interna inspirationes. Denique nonnunquam Deus sensibili forma apparuit, & per se ipse locutus est; aliquando per Angelos, interdum per prophetas; alias demum ænigmata, somnia, visiones adhibuit, quorum ope voluntatem suam hominibus aperiret. Ergo his omnino rationibus usus est Deus, ut in Veteri Testamento loqueretur, quod earumdem exempla nobis suppeditat.*

In innocentiæ statu Deus cum homine familiariter versabatur, ejus auribus suam ipsius vocem inspirans: Cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso. *Genes.* 2. *Ita quidem eo tempore Deus homines alloqui consuevit; ac probabile fit, eum deinceps eadem loquendi ratione uti non destitisse. Quare vox hæc ipsa fuit, quæ Adæ, & Hevæ damnationem protulit, quæ delictum Cain exprobravit, quæque Noe rationem edocuit, qua Arcam extrueret, ut se a Diluvio tueretur. Eumdem ex Arca egressum, unumque cum familia superstitem Deus, eadem voce usus, allocutus est, ut ei præcepta daret, & cum eo fœdus iniret. Novum Deus, ampliusque fœdus iniit cum Abraham, cui non solum suam ipse vocem significavit, sed etiam apparuit in Valle Moreh, tametsi qua demum forma, non constet. Præterea initum fœdus per ignis speciem firmavit. Ad hæc eidem Abrahæ se per visionem cognoscendum exhibuit. Denique hominis specie, comitantibus Angelis duobus, eidem apparuit. Apparuit in somnis Jacob in Bethel, ubi Patriarcha hic scalam vidit, cujus summa pars Cœlum tangebat, vidit & Angelos, qui per eamdem scalam ascendebant, denique Dominum ejusdem summitati innixum vidit. Eidem redeunti apparuit Deus hominis specie, qui cum ipso luctatus est. Cum primum apparuit Mosi, ardentis rubi figuram exhibuit, egrediente voce, qua accitus Moses, missusque ad Israeliticum populum liberandum; deinde vero familiariter eum Deus allocutus est; nemo non ex Israelitico populo ejus vocem audiit e Monte Sinai per nubem tonitrua inter, & fulgura; qua quidem distinctis verbis Decalogi Legem edixit. Moses, Aaron, Nadab, Abiu, & septuaginta Seniores populi Israel, cum accessissent, Deum viderunt, ac sub ejus pedibus veluti ex sapphiro confectum opus, sereno Cœlo simile. Hi porro nullam imaginem conspexerunt, sed Dei tantum vocem ex igne medio perceperunt. Diu Moses in monte cum Deo ipso versatus est, Cum Tabernaculum extructum fuit, in illud descendit Deus specie columnæ nubis, & luminis, accedensque Moses vocem audiebat, quæ e Tabernaculo exibat, eumque Dei nomine alloquebatur.*

In hunc sane modum omnia Cæremonialia, Judiciaria, Moralia Judaicæ Religionis

nis præcepta Mosi Deus. revelavit. Porro post Mosem in Israel non apparuere Prophetæ, qui Deum, at ille facie ad faciem, quemadmodum amicus amicum alloquerentur: Cum iis. Deus per visiones, & somnia loquebatur: Si quis. fuerit (*inquit Dominus Numer.* XII.) inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fedelissimus est; ore enim ad os loquor ei, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.

Revelationum pleræque, quæ Prophetis contigere, qui in Israel post Mosem vixerunt, per inspirationem, visionem, aut in somniis editæ sunt. Per. inspirationes quidem, cum Spiritu Sancto afflati, perfusique futura vaticinabantur. Per visiones autem diurnas, cum experrectis, & vigilantibus. imaginatio quasdam res exhibebat, quæ futurarum figuræ erant. Denique in somniis, cum Prophetæ inter dormiendum. sibi videbantur Deum, aut Angelum. videre, qui ipsos alloquerentur, aut cum ipsis dormientibus id, quod futurum erat, per figuras, aut symbola exhibebatur. Tam vero, quas perceperant, veritates. nuntiabant, nonnullorumque vaticiniorum eventus cætera quoque firmabat. Suam quoque voluntatem Deus per Summi Sacerdotis Ephod, seu pectorale significabat, in quo erat Urim, *&* Thummim, *nempe* lumen, *&* veritas. *Quemadmodum autem id fieret, Scriptura non explicat. Omnium maxime recepta opinio est, id accidisse per inusitatam splendorem, quem ei ornamento affixi pretiosi lapilli emittebat. At mihi quidem probabilius videtur, Dominum a Summo Pontifice Ephod indutto consultum e Propitiatorio respondisse, ut in Numer. lib. cap.* XXVII. *legitur*: Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominus. Ad verbum ejus egrediatur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo. *Porro summum Sacerdotem, ut Dominum consuleret, ejusque responsum acciperet, Ephod indutum esse oportebat. Quamobrem David, cum scire vellet, eumne Saul quæsitum. Ceilum veniret, & an ipse in ejus manus incideret, Summum Sacerdotem Abiathar rogavit, ut Ephod indueret, Dominumque consuleret; qui respondit fore, ut in Saulis manus incideret, siquidem ibidem constitisset. Ob hanc ergo causam dictum est*, Urim, *&* Thummim, lumen, *&* veritatem, *Ephod inesse, quia scilicet hoc ornamento indutus Summus Sacerdos lumen, & veritatem a Deo accipiebat, quam ipse hominibus deinde nuntiabat.*

His omnino rationibus usus est Deus, ut in Veteri Testamento nonnullas Religionis veritates. hominibus revelaret. Tandem Divinum Verbum caro factum est, ipsumque per se Apostolos veritates omnes edocuit, quas hominibus revelare voluit; neque aliæ veritates sunt a Christo Domino revelatæ, præter eas, quas Apostoli nuntiarunt. Quamobrem omnes eæ doctrinæ falsæ sunt, quæ tamquam veræ, ac divinæ venditantur, & a Christo tamen, & ab Apostolis enuntiatæ non fuerunt; ut jure proinde, meritoque Catholica Ecclesia semper falsum censuerit, quidquid ut revelatum obtradi libuit, contra Sacrorum Codicum, ac Traditionis veritatem, cujus ipsa una fidelis, & sollicita Depositaria, & custos est.

Oraculum. sumitur etiam pro Sanctuario, seu loco, in quo Fœderis Arca erat. Nomen hoc ipsum ad falsorum quoque Numinum Oracula significanda adhibetur. Ezechiel Babylonis Regem ait, cum in Judæam iter faceret, & ad bipartitam viam pervenisset, Idola sua consuluisse, ut cognosceret, an in Jerusalem proficisceretur, ac proinde a Judæis irridentibus spectatum fuisse tamquam hominem, qui *Oraculum frustra consuleret*. Omnium in Palæstina celeberrimum erat Oraculum Beelzebud Dei Accaron, quod Judæi sæpe numero consuluerunt. Erant & Teraphim, ut Micha, Gedeonis Ephod, falsa Numina Regni Samariæ, falsique Prophetæ. Quamvis. autem fraus, & dolus in responsa. nonnunquam influerent, quæ hæc Oracula edebant; dubitari tamen non potest, quin Deus eam Dæmoni potestatem. aliquando contulerit, ut pseudo-Prophetas, & Ariolos afflaret, ac Deus ipse per eos sæpe locutus fuerit. Id sane incontroversum efficiunt apertissima, quæ in hanc rem Scriptura, & Historia suppeditant, argumenta. In Messiæ adventu Oracula omnia cessarunt, penitusque conticuerunt *. Fidei lumem illusionis præstigias.

gias disjecit, & miraculorum Christi, Apostolorumque evidentia falsis Sacerdotum Dæmonis prodigiis, fraudibus, illusionibus, thecnis fidem ademit.

* *Quam diligentiam Theologus quisque conferre debet, ne Christi nativitati ea demantur prodigia, quæ vere eam comitata sunt; tam eum accuratum esse, sollicitumque necesse est, ne eidem ficta, & falsa tribuantur. Quemadmodum enim vera miracula negari impium, ita falsa obtendi superstitiosum fuerit; atque in Catholica Ecclesia æque periculosum falsa suscipi, ac vera rejici. Inter falsa prodigia, quæ Christi Domini natalibus adscribuntur, est sane omnium, quæ apud Ethnicos celebrabantur, Oraculorum silentium. Quoniam vero eruditi Scriptores plurimi eo studium, & operam contulerant, ut pro hujus silentii veritate tamquam pro aris, & focis pugnarent; statui proinde in hac Adnotatione id fusius inquirere. Equidem recipio me non omnia, quæ in Messiæ adventu conticuisse dicuntur, Oracula ad examen revocaturam, quia nimirum eorum silentium loquendi, fusius & longius, quam instituti nostri ratio patitur, Adnotationem producendi occasionem præberet. Missis ergo cæteris unum Apollinis Delphici Oraculum expendendum suscipio, quod gravissimi Auctores* (Nicephorus *lib.* 1. *Hist. Eccl. cap.* XVII. Suidas *in Historia verbo* Augustinus, Cedrenus *in Compendio, &* Baronius *in Apparatu ad Annales Ecclesiæ*) *obmutuisse tradunt in Christi adventu, atque ita obmutuisse, ut deinceps consultum nullum amplius responsum dederit; immo vero* Augustum, *cum ex Apolline ipso prodigiosi silentii causam quæsiisset, id respondi obtinuisse*:

> Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
> Cedere loco jubet, tristemque redire sub orcum.
> Aris ergo dehinc taciti discidite nostris.

Id olim credidisse me fateor, clarissimorum, quos memoravi, Scriptorum auctoritate deceptum, qui id tamquam verum propugnant; at eam ipsam attentius perpendere aggressus, falsissimam comperi. Et sane sive in antiquis Oraculis, & in Apolline potissimum, mutatio, & obscuritas repentinæ, cujus paulatim a pristina existimatione apud Ethnicos exciderunt; sive extremus eorum defectus spectetur, cum scilicet omnino obmutuerunt; id quidem certe non a Christo nato, sed aliunde repeti debet. Mutatio profecto, & obscuritas multo ante Christum cæpit; extremus autem defectus quadringentis post ejus ortum annis contigit. Ad primum quod attinet, jam inde a Ciceronis tempore, ac multo ante advertentes Ethnici ipsi Delphica Oracula effectu carere, ea non ut antea, in pretio habere cæperunt. Constat id ex Quincto Ciceronis fratre, qui apud Ciceronem ipsum ita loquitur lib. 1. *de Divinat.* Nunquam illud Oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, nisi omnis ætas Oraculorum illorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus Oraculorum veritas excellit; sic tunc, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. *Cujus rei causam inquirens Quinctus affirmat ob loci antiquitatem eam terræ anhelitum evanuisse, quo agitata Pythiæ mens ad illud usque tempus incaluerat; ac Cicero ipse, tametsi hanc a Quincto allatam causam nequaquam rejiciat, aliam tamen adducit lib.* II. de Divinatione, *scilicet Oraculum in contemptum abiisse, quod soluta, non ligata numeris oratione responsa daret; cum Ethnicis persuasum esset, omnino oportere, ut Deorum sermo numericus esset*: Pyrrhi temporibus (*Ciceronis verba sunt*) jam Apollo versus facere desierat . . . Cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed jam diu, ut nihil possit esse contemptius? *Quamobrem longo ante Christum natum tempore Oracula obscura evaserant, & in contemptum abierant. Quod autem ad alterum spectat, eadem Oracula post Christum natum haud penitus obmutuisse, plurimis argumentis, ipsiusque* Plutarchi *testimonio luculenter evincitur, quo nonnulli peeperam abutuntur. Quamvis enim* Plutarchus *peculiare opus inscriptum* de Oraculorum *defectu, Trajano imperante, concinnaverit, tituloque decepti non pauci sibi in animum induxerint credere penitus Oracula defecisse; si quis tamen idem opus diligenter legerit, expenderitque, facile intelliget, Oracula partim eo quidem tempore, non*

omnia

omnia defiisse; ut proinde nonnulla perstiterint, ac praesertim Apollo Delphicus, qui etiam tum consulentibus respondebat, etsi non ea celebritate, populique frequentia, qua antea, quod satis ad rem nostram, superque est. Ita nimirum Plutarchus *loquitur:* Videamus, Oracula, quæ in his funt locis, obsoleviſſe; atque adeo duobus, aut tribus exceptis, omnia defeciſſe. *Inter ea porro, quæ remanserunt, Apollinis Delphici Oraculum referendum esse* Plutarchus *ipse testatur e vestigio subdens:* Postquam Dei voluntate Græcia Urbibus crevit, & locus Apollinis frequentari hominum copia cæpit, duabus usi funt Vatibus, quæ per vices ad cortinam ſederent; eratque etiam tertia designata, tamquam aſſidens iis. Nunc unica eſt Antiſtita; neque incuſamus, cum ejus opera conſultoribus ſufficiat. Non igitur incuſandus eſt Apollo; divinatio enim, quæ reliqua eſt, omnibus ſufficit, & unumquemque adeptum, quod vult, dimittit. *Atque in opere, quod sequitur, in quo peculiariter de Inscriptione loquitur, quæ Delphici Templi foribus insculpta erat:* Apollo noſter, *inquit*, cum difficultates vita incidentes ſublevet, atque diſſolvat, edendis Oraculorum reſponſis; eas tamen, quæ circa doctrinam ſunt, relinquit, proponit excutiendas ei animi facultati, quæ ſtudio ſapientiam ſectatur. *Ergo* Plutarchi *ætate, ac. Trajano rerum potiente Delphicum Oraculum suis adhuc consultoribus responsa dabat.*

Quæ cum ita se habeant, ea Juvenalis *verba Satyra* VI. Delphis Oracula ceſſant, *ea quoque* Lucani *lib.* v. Delphica jam ſedes ſiluit, *e* Plutarchi *sententia accipiantur, necesse est, qui nempe* Juvenali, *&* Lucano *superstes fuit, ad Oracula scilicet non eamdem, ac prius, populi multitudinem confluxisse, cumque vix Antistitæ, seu Vates tres ei obeundo muneri pares essent, unam tantummodo jam adfuisse, quæ propositas difficultates solveret, adfuisse tamen aliquam, ac proinde Oraculum haud prorsus obmutuisse. Nisi forte malimus,* Lucanum, *&* Juvenalem *eo sensu intelligendos, ut Oracula per aliquod temporis spatium desierint, quo nimirum tempore* Nero, Dione, *&* Pauſania *referentibus, Delphicum Templum statuis, redditibusque spoliavit, polluit, violavitque complurium cæde; sed ita tamen desierint, ut rursus emerserint, rebus haud multo post in integrum restitutis. Quod si quis urgeat, mordicusque contendat,* Lucanum & Juvenalem *cum* Plutarcho *conciliari non posse; nihil sane nos in hac sententiarum varietate impedire debet, quominus* Plutarchi *auctoritati acquiescamus, qui dedito studio super hoc historiæ capite scripsit, illudque, & Philosophum, & Historicum agens, sedulo pertractavit, nulla Poetarum ratione habita, qui per transennam, quod ajunt, atque hyperbolice pro poeticæ artis ingenio rem hanc attigerunt. Id autem nobis eo magis persuasum fit, quod apud posteriorum temporum Scriptores legimus, Apollinem Delphicum post Christum natum identidem responsa dedisse.* Suetonius *de Nerone verba faciens cap.* XL. *ita loquitur:* Eum, conſulto Delphis Apolline, audiviſſe, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi eſſe. Philoſtratus *in Apollonii Thianæi vita, qui Domitiano imperante vixit, ita scribit:* Apollonius inviſit omnia Græciæ Oracula, maxime vero Delphicum, Dodonæum, & Amphiaræum. *Hadrianus Imperator,* Dione Chryſoſtomo *referente, Delphicum Oraculum & ipse consuluit, ab eoque obscurum, anceps, involutumque responsum obtinuit.* Spartianus *rem haud inficetam refert, cum Antoninus obiisset, ac Septimius Severus, Pescennius Niger, & Clodius Albinus inter se de Imperio contenderent, ex Apolline Delphico quæsitum esse, quis e tribus felicior, utiliorque Reipublicæ futurus esset; Apollinem autem hoc uno versiculo respondisse:* Optimus eſt Niger, & bonus Afer, peſſimus Albus; *scilicet* Nigri *nomine Pescennio Nigro,* Afri *nomine Septimio Severo, qui ex Africa ortum ducebat, denique* Albi *nomine Clodio Albino designatis. Addit* Spartianus *eumdem Apollinem interrogatum, quis eorum in Imperatorem eligendus esset, respondisse:* Afer erit, Nigri ſanguis fundetur, & Albi. *Atque ita sane contigit; Septimius enim Severus Afer Imperium obtinuit, Pescennius Niger, & Clodius Albinus occisi fuere.*

Euſebius *lib.* II. *de Vita Constantini cap.* 49. *fatetur, sua quoque ætate Oraculum Delphicum viguisse, tametsi ejus successu care-*

carerent ; Eusebius *enim ipse diserte testatur :* Apollinem ex antro quodam, & tenebricoso recessu, non ex Sacerdotis ore Oraculum istud dedisse : Justos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quominus vera loqueretur ; & propterea falsa Oracula ex tripode edita esse. *Non proinde tamen, Oraculum, dum florebat, semper veritatem dixisse judico. Equidem satis habeo hactenus ostendisse, ad Constantini ætatem usque Apollinem respondisse, quæcunque tandem, seu vera, seu falsa ejusdem responsa fuerint.* Constantinus *deinde Apollinis Delphici Templum expoliari jussit, ut idem* Eusebius *memoriæ prodit lib.* III. *de ejus Vita cap.* 22. *Quod tamen non impedivit, quin Julianus Apostata bellum cum Persis initurus inter cætera Oracula Delphicum hoc ipsum consuleret, e quo gratissimum, tametsi falsum responsum retulit. Cui rei luculentissimam fidem facit* Theodoretus *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XVIII. *in hæc verba :* Antequam arma sumeret, misit nuntios ad Delphos, ad Delum, ad alia denique Oraculorum loca, sciscitarum Vates : utrum bellum ei gerendum sit ? Illi autem bellum suscipere jubent, pollicenturque victoriam, falso tamen ; confossus enim Julianus in prælio, paulo post male periit.

An vero post Juliani tempora Apollo Delphicus alia præterea Oracula ediderit, haud equidem prorsus scio ; id probe novi, penes tum sacros, tum profanos Scriptores hac de re altum omnino silentium esse. Quamobrem ii gravissime hallucinantur, qui Delphicum Oraculum, nascente Christo, penitus defecisse contendunt, ut Augusto Imperatori datum responsum extremum fuerit ; cum certissimis documentis probatum fuerit, postremum omnium, quæ ad nos quidem pervenere, responsum quadringentis post annis Juliano datum esse. Quanquam aliunde constat, puram, putamque fabulam Oraculum esse, quod Augusto ab Apolline datum fertur. Id nimirum pro certo ponitur, quo tempore Augustus Imperator Oraculum Delphis consuluit, & ab eo memoratum responsum obtinuit, Christum Dominum jam natum fuisse. Jam vero natus est Christus an. 41. *Imperii Augusti, qui Imperii sui an.* 21. *in Græciam se contulit ; eumque deinceps amplius eo profectum esse non legitur. Qui ergo fieri poterat, ut Augustus anno Imperii sui* 41. *Apollinem ipse per se Delphis consuleret ? Haud equidem puto, eos, qui contra sentiunt, vel si Ariadne aliqua filum dederit, se ex hoc labyrintho extricare posse.*

Quempiam tamen ita religiose opponentem audio : nonne gloriosior Christi nativitas extitisset, si repente Oracula obmutuissent, suisque falsis responsis Dæmon non amplius homines decepisset ? Ecquid magis rationi consonum, quam, in lucem edita, nataque inter homines veritate, statim mendacii patri silentium imponi ? Recte sane, & egregie. Sed mihi tamen liceat ex ejusmodi adversario quærere, sitne nostri juris, ac rationis inquirere, quid demum ad majorem, minoremve Dei gloriam vergat ? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? *Certe si rem ad infirmæ nostræ mentis captum velimus exigere, Dominica Nativitati gloriosius futurum fuisse videbitur, si confestim ubique terrarum collapsa essent falsorum Numinum simulacra, si Ethnicorum omnium profana Templa corruissent, si ad adoranda Christi incunabula barbararum omnium Nationum Reges, & Principes convenissent, si nullla interjecta mora Synagoga Christi fidem amplexa esset. Quid tum postea ? Ergone rem ita cessisse dicemus ? Minime vero. Nos enim contra sentire ipsa facti evidentia jubet. Novit Deus, quid ejus honori, & gloriæ congruat. Id unum ad nos spectat, ut factum investigemus, ejusque veritatem in aperto ponamus, pro temporis ratione, prætermissis piorum quorumdam religiosorumque Scriptorum commentis, & somniis, quæ in Theologicis Scholis locum habere omnino non debent. Fateor tamen & ipse, fidenterque pronuntio, Oraculorum silentii, excidiique gloriam uni Christo tribuendam esse ; quandoquidem nuntiatâ Evangelii vi factum est, ut homines pedetentim veritate perspecta, Diabolum mendacii patrem consulere desisterent, ethnicamque superstitionem omnino desererent.*

Quid ? Quod non defuere, qui adeo celebrata Ethnicorum Oracula puras putasque Idololatrarum Sacerdotum, populo imponentium delusiones, ac fraudes, non Dæmonum opera fuisse contenderent. Inter alios in hac sen-

sententia fuit eruditus Antonius Vandale *suis in Dissertationibus typis editis Amstelodami an.* 1700. De Oraculis Veterum Ethnicorum ; *quemadmodum etiam celebris* Fontanella *in Oraculorum Historia . Verum aperte veritati repugnaret, quicunque Dæmonum Oracula negaret, & ad fabulas amandaret. Haud equidem inficias ierim, callidorum hominum, & præsertim Sacerdotum dolum, & fraudem in Oracula irrepsisse (ita sane se rem habuisse luculenter evincunt tum responsa plerunque metrica, dubia, & obscura, ac proinde ad fallendum accommodata, tum specus, & antra tenebris involuta, ac praeterea loca, in quibus Oracula proferebantur, ad populo imponendum composita, & id genus alia) ; at in iisdem nullam prorsus partem Dæmoni fuisse, paradoxum fuerit cogitare, nedum asserere. Exempla quippe contrarium evincunt. Oracula nonnunquam clara, & aperta dabant quoad futuros eventus, hominibus prorsus ignotos, & ad quorum notitiam humanæ mentis acies, perspicacia, vafrities pervenire non poterat. Neque in dubium vocari potest, Dæmones nonnulla futura, quæ prorsus homines latent, cognoscere posse, utpote spiritus, qui causarum, quas secundas dicimus, vim, cursum, ordinem, connexionemque comprehendunt. Præterquamquod Sacra Scriptura, quod spectat ad caput hoc, perspicue nos docet, Ethnicorum Numina, quæ Oracula proferebant, nihil aliud fuisse, quam malignos spiritus, seu Dæmones, qui hac nimirum arte utebantur, ut maxime exeranda facinora hominibus persuaderent. Legi potest in hanc rem* Auctor responsionis ad Historiam Oraculorum. *part.* 1. *pag.* 88. *& seqq.*

Oratio, quam ad Deum mittimus, gratiarum veluti canalis est, quas ipse nobis concedit; eamque nobis omnibus etiam atque etiam Sacra Scriptura commendat: *Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes*; quibus verbis jubemus preces fundere, dum malis premimur, vehementer orare, ut gratias obtineamus, & constanter aliorum salutem petere. Græci proinde Interpretes eorum verborum significationem distinguunt; etsi multi putent, ea nihil aliud, quam orationis fervorem significare, ut hæc alia, *petite, quærite, pulsate* *. Non semel in Actis Apostolicis distinctas horas tres, publicæ orationi addictas legimus, Tertiam, Sextam, & Nonam ; atque Hebræi quidem, post indictam Legem, in Tabernaculo, ac Templo publice orabant. Publica hæc oratio continebatur oblatione sacrificiorum vespertini, & matutini temporis singulis anni diebus, perpetuaque Levitarum adoratione, qui in Templo custodiendo occupati, manus toto noctis spatio elevabant, seque mutuo ad adorandum Dominum excitabant: *In noctibus emollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum*. De tempore, ac ratione peculiarium apud Judæos precum ad Babylonicam usque Captivitatem nil certi legitur. Ante id temporis orabat quisque, prout ejus pietas, animique motus ferebat. Psalmorum Auctor interdiu quidem septies se orare solitum ait: *Septies in die laudem dixi tibi* ; & alio in loco se orasse vespere, mane, meridie: *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*. Addit, se noctu surrexisse, ut Deo benediceret; *media nocte surgebam, ad confitendum tibi*. At Captivitatis tempore, cum animadvertisset Esdra, Judæorum multos admiscere precibus extranea verba, quæ cum ejus exercitationis sanctitate non congruebant, benedictiones octodecim concinnavit ab Israelitis singulis perdiscendas, & quotidie recitandas. Rabbinus Gamaliel decimam nonam addidit paulo ante dirutum Templum; quæ quidem Apostatas, & Hæreticos impetit, ut ipse quidem Christianos vocat. Notantur universim in Judæorum precibus nimia prolixitas, & molestæ repetitiones, quas iis in Evangelio Christus exprobrat, suisque Discipulis prohibet: *Orantes autem nolite multum loqui*. Animadversione præterea digna est orantium Judæorum positio; nimirum orabant fere sedentes, & obstipo capite, extentis pedibus, & manibus, immanibusque emissis clamoribus. In hunc ipsum modum in Olivarum monte Christus oravit: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Neque omittendæ eorum crebræ benedictiones; tenentur enim centum in diem edere; super pane, ac vino benedictiones pronuntiant, cum mensæ assident, quod in-

nuit

nuit S. Paulus, dum ait : *five manducatis, five bibitis, in Dei honorem facite.*

Oratio præterea consuetum supplicationis locum in Actis significat : *Egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse.* Quo sane loco Orationis nomen pro ipso orationis loco sumitur. Locus hic Sacellum quoddam erat, *Proseucha* dictum, quo Judæi oraturi conveniebant, in iis quidem locis, in quibus nulla ipsis Synagoga præsto erat. Porro Philippenses eo sane tempore pene omnes Ethnicæ superstitioni addicti erant, & ex Romanis Legibus sub Imperatore vivebant, qui Judæos oderat, ibique exiguum tantum Sacellum extra Urbem iis erat, quod adibant, ut conjunctim orarent, ac de Sacra Scriptura conferrent.

* *Ad orationis vim quod attinet, legantur* M. Nicolaus, *&* P. Liguorius *in Opusculo, pietate, ac doctrina referto, cui titulus*: Del gran mezzo della preghiera.

Oratio pro Defuntis. In Machabæorum Lib. II. leguntur hæc : *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit* (Judas) *Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, & religiose de resurrectione cogitans.* Addit facer Auctor: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio orare pro mortuis, ut a peccatis solvantur.* Lex sane preces pro mortuis non præcipiebat, nec nisi pro viventibus sacrificia instituerat; at hæc consuetudo nitebatur fide immortalitatis animi, certaque spe meritorum Christi. Consuetudo hæc ipsa a Judaica ad Christianam Ecclesiam transiit, & ad nos usque per constantem, & generalem traditionem derivata est. Nullo non sæculo Christifideles pro defunctis orarunt, redemptionis nostræ sacrificium obtulerunt, eleemosynas erogarunt, & alia pietatis opera ediderunt. Moris hujus antiquitati, atque amplitudini fidem faciunt Ecclesiæ Patres; qui nempe mos eo demum spectat, ut mortuis aliquid levaminis obtineatur in pœnis, quas in peccatorum suorum expiationem perferunt. Sed hæc tamen consuetudo, ut S. Augustinus animadvertit, iis tantum utilis esse potest, qui ita vixerunt, ut subsidium e precibus percipere possint, quæ in eorum gratiam post obitum offeruntur; qui enim Dei gratiam non receperunt, vel recepta abusi sunt, non miserationis thesaurum, sed indignationis congesserunt; ut proinde qui lethali peccato irretiti moriuatur, nullo per viventium preces solatio affici possint. Quod quidem in Machabæorum textu, quem memoravimus, difficultatem movet; quia nempe milites, pro quibus sacrificia Judas oblata voluit, in prælio contra Gorgiam occisi fuerant, & singulorum vestibus abditæ res inventæ fuere, quas Jamniæ Urbis Idolis hostes dicaverant. An vero ejusmodi milites, qui Dei Legem in maximi momenti capite transgressi erant, in pietate mortui dici possunt, quemadmodum Sacra Scriptura loquitur : *qui cum pietate dormitionem acceperant?* Ac preces hæ iisne, siquidem hujus sacrilegii rei ponantur, prodesse poterent? Responderi potest, eos Judæos milites pro vera Religione pugnantes, & mori paratos dignos fuisse, quorum animum sua Deus miseratione permoveret, eriari pœnituisse, intensique doloris vi in salutis viam rediisse. Id porro de eorum nonnullis saltem asseri potest; quod sane satis est; ut Sacræ Scripturæ textus in tuto ponatur. Legatur Articulus *Purgatorius.*

Oreb, *Corvus*, Madianitarum Exercitus supremus Dux, qui una cum Zeeb, alio ejusdem populi Principe occisus fuit in victoria, quam Gedeon ex iis reportavit: *Apprehensosque duos viros Madian Oreb, & Zeeb, interfecit Oreb* (Judic. cap. VII.) Locus, in quo occisus fuit, ejus nomen retinuit, ac deinceps lapis Oreb dictus fuit: *Et suscitabit super eum Dominus Exercituum flagellum juxta plagam Madian in petra Oreb.*

Oriens. Ea Mundi pars, ubi sol oritur, quam Hebræi exprimebant per vocem *Kedem*, quæ anteriorem partem significat. Eam porro intelligebant seu quoad Judæam; *Magi ab Oriente venerunt*, ab Arabia scilicet, & Chaldæa, quæ Regiones, Judææ ratione habita, ad orientalem plagam sunt; seu quoad Urbem ipsam Jerusalem: *Qui mons est contra Jerusalem ad Oriente*; seu quoad Tabernaculum: *Asperget digito septies ad Orientem*; seu absolute; *sicut fulgur exit ab Oriente*. Oriens longinquam etiam regionem significat:

Q 2 *Qui*

Qui suscitavit ab Oriente justum. Orientis quoque nomen pro Messia ipso sumitur: *Adducam servum meum Orientem*, apud Zachariam *cap.* III. Hæc sane verba litteraliter de Zorobabel explicantur, quem Deus elegerat, ut dirutum Templum in pristinum restitueret, at Zorobabel Christi imago, typusque erat, qui Archnectus, & lapis angularis Ecclesiæ est: *Visitavit nos Oriens ex alto*, Christus scilicet; qui præterea justitiæ sol est, oriturque, ut nos illuminet, atque e mortis tenebris eruat.

Orion, Syderis nomen prope Taurum: *Qui facit Arcturum, & Orion, & Hyadas, & interiora Austri* (Job. IX.) Sydus hoc, Autumnali Æquinoctio ineunte se prodit, & frigus portendit.

Oman Jebusæus, qui Davidi Aream dedit in Monte Moria, in qua Altare erigeret, & in qua ipsa deinde Salomon Templum ædificavit. *Vide* Articulum *Areuna*.

Oronaim, *furores*, Moabitarum Urbs: *A Segor usque Oronaim*. Urbes hæ duæ ad Moabitarum regionis fines sitæ erant, una quidem ad Ortum prope Mare Rubrum, altera ad septentrionalem partem, quæ Assyrios, & Babylonios spectat.

Orpha, *caput*, uxor Chelion, Moabitis, & nurus Noemi. Viro mortuo, apud socrum constitit, quam in patriam redeuntem secuta est, quippe quæ eo adduci non posset, ut eam desereret. Eam Noemi monitam nullum ibi locum esse, in quo sedem poneret, hortata est, ut ad suos rediret, & amplexa dimisit. Orpha ad lacrymas usque permota edixit nunquam fore, ut a socro recederet; at Noemi vehementius urgente, jucundam socrum complexa abiit: *Orpha osculata est socrum, & reversa est*; eamque proinde levitas a populo Dei segregavit, cujus membrum esse magnopere gloriosum erat; ita requirentibus formidandis judiciis Dei, qui e perditionis massa, quos vult, educit. E duabus fœminis, quæ pares videntur, Orpha scilicet, & Ruth, una suscipitur, alia rejicitur. Unam Deus suapte imbecillitate pertractam ad populum suum, suamque idololatriam reverti patitur, quæ proinde æternæ salutis jacturam subit; alia, cujus animum ad omnia superanda obstacula comparat Deus, perseverat, uni se Deo devovet, & salutem consequitur. *Ruth.* I.

Orthosias, *recta*, maritima Phæniciæ Urbs, initio quidem dicta *Anturades*, Tripoli proxima. Tryphon, qui Syriæ Regiæ Regnum invaserat, se Orthosiadem recepit, Dora fugiens Palæstinæ Urbe, in qua obsidione premebatur: *Tryphon autem fugit Navi in Orthosiada*. I. *Machab.* XV.

Ortygometra, græca vox, quæ Coturnicum Ducem, seu Regem significat, qui nempe cæteras præit, dum alio convolant: *Ostendit illis de mari Ortygometra*, Sapientiæ verba sunt, quorum is sensus est: ingentem Coturnicum vim e maritimis locis accivit.

Oryx, sylvestris Capræ genus, quæ fronte media unicum cornu gestat. In Deuteronomio inter immunda animalia refertur.

Os: nec os illius confringetis. Vetabat Lex, ne Agni ossa Hebræi frangerent, quem in Paschate comedebant. Sanctio hæc eo spectat, ut id significaretur, quod in Christo futurum erat, cujus Agnus ille figura erat: *os non comminuetis ex eo*. Os quoque significat corporis vires: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis sit tibi? Dispersa sunt omnia ossa mea*, vires meæ scilicet evanuerunt. Sumitur etiam os pro corpore mortuo: *Asportate ossa mea vobiscum*. Jacob, & Joseph sua ipsorum corpora translata voluerunt in terram Chanaan, ut ibidem una cum Majorum corporibus sepelirentur. Denique ossis nomen consanguinitatem significat; *os meum es, & caro mea*.

Os aridum in Ezechielis visione Judaicum populum Babylone captivum significat: *Ossa hæc universa, Domus Israel est*. Ezechielem aliquando Spiritus Domini medium in agrum duxit, qui omnino aridis, siccisque ossibus refertus erat, jussitque, ut eadem ossa in hunc modum alloqueretur: *Ossa arida, audite verbum Domini*. Ea igitur ossa monuit Ezechiel fore, ut Deus in ea *spiritum* mitteret, eademque viverent; statimque vehemens inter ea motus extitit. Invicem accesserunt, suum sibi

sibi locum singula vindicarunt, & carne induta apparuerunt, quam pellis contexit. Tum vero Propheta, Dei jussu, spiritum a quatuor ventis vocavit, quo insufflante, ii mortui homines viram receperunt, surrexerunt, & ingentem exercitum confecerunt: *Et dixit ad me: vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, & dices ad spiritum. hæc dicit Dominus Deus: a quatuor ventis veni, spiritus, & insufla super interfectos istos, & reviviscant*. Per hanc porro tam ad vivum expressam imaginem Deus Judaici populi captivitatem, ejusdemque liberationem Prophetæ significare voluit. Ager ille Chaldæam, & loca omnia exhibebat, in quibus Judæi dispersi erant; aridorum autem ossium multitudo, quæ terram tegebant, Judæos innuebat, qui inter exteras nationes sejuncti non amplius unum populum constituebant, eoque malorum ab hostibus redacti erant, ut siccis ossibus similes essent: *aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus*. Facilitas porro, qua Deus ea ossa conjunxit, carne texit, viraque donavit, ejus Omnipotentiæ vim ostendit, qua scilicet usurus erat, ut eos a servitute liberatos, quasique e sepulcro erutos in patriam reduceret. Is quidem prodigiosæ hujus resurrectionis sensus litteralis est; sed in ea nobilior præterea resurrectio spectanda est, spiritalis scilicet Humani Generis, cujus omnia membra ubique dispersa, tanquam ossa arida, in mortis umbra, ante Christi adventum, sepulta jacebant. Verum Divinus Servator adveniens ossa conjunxit, suæ cælestis doctrinæ, ac miraculorum ope, hoc est, sibi magnum addidit Discipulorum numerum, quos vivos, & animatos reddidit, cum Spiritum Sanctum in eos immisit, cujus vi, cum mortui jacerent, ad vitam redierunt. Visio hæc ipsa nobis generalis, quæ aliquando futura est, mortuorum resurrectionis imaginem exhibet; quod sane miraculum assequi, sibique persuadere non potest arrogans, tumensque Philosophia, at humilis fides, Dei Omnipotentia, ejusque æternis promissis nixa facile credit.

Osajas, *salus Domini*, Jezoniæ pater, & Judaici populi Princeps Neemiæ tempore: *Et ivit post eos Osajas*. Lib. II. *Esdr. cap.* XII.

Osee, *Salvator*, filius Beeri, unus e duodecim Prophetis minoribus, qui eorum omnium vetustissimus creditur, qui sub Jeroboam altero, ejusque successoribus Regibus Israel, ac sub Ozia, Joachaz, Achaz, & Ezechia Regibus Juda scripserunt, & vaticinati sunt. *Verbum Domini quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ*. Eum elegit Deus, sua ut judicia decem Tribubus Israel nuntiaret, quod ille dictis, factisque propheticis præstitit. Cum hunc Prophetam Deus alloqui cæpit, eidem mandavit, ut prostitutam sibi conjugem sumeret, e qua filios susciperet: *fac tibi filios fornicationis*; quæ infidelium Israelitarum figura erat, qui verum Deum dereliquerunt, ut per execrandam prostitutionem Idolorum cultui se dederent. Gomer ergo filiam Belaim Osee duxit, e qua genuit filios tres, quibus nomina imposuit, quæ id significabant, quod in Regno Israel futurum erat. Jussum hoc adeo inusitatum nonnullis Interpretibus visum est, ut id non nisi parabolam, ac visionem fuisse crederent, quin id ipsum Propheta executioni mandaverit; at S. Augustinus id de vero matrimonio cum nobili fœmina inito explicat; quæ initio quidem præposteram, pravamque vitæ rationem inierat, at post initum matrimonium ab omni malo commercio recesserat. Ex ea nati filii legitimi fuere; prostitutionis tamen filii dicuntur, matris ratione habita, quæ antea prostituta fuerat. Osee Prophetia tribuitur in capita quatuordecim. In ea Synagogam repudiatam exhibet, ejus excidium, ac Gentium vocationem prædicit; acriter invehitur in populi omnino depravati flagitia, quæ jam ad extrema devenerant; Sacerdotes peculiariter inscitiæ, indignæque, ac sordidæ quoad peccata indulgentiæ accusat. Stilum etiam acuit in Judaici Regni crimina, nuntiatque adventum Sennacherib, populique captivitatem, fore scilicet, ut vinculis constrictus ultra Euphratem trahatur, ibique consistat, quoad, elapso certo annorum numero, eum Dominus in patriam revocet. Tandem Osee, falsæ, veræque resipiscentiæ notis

notis mirum in modum expressis, Prophetiæ suæ finem imponit. Hujus Prophetæ stilus vehemens est, brevibusque, ac splendidis sententiis refertus, passim eloquentissimus, & nonnunquam ob ejus temporis historiæ ignorationem obscurus.

..*Osee* quoque nomen est, quod inerat Josue: *Vocavitque Osee filium Nun Josue*.

Osee, filius Ela, conflata conjuratione, Phacee Regem Israel occidit, ejusque Regno potitus frui tamen non potuit, nisi nono post anno, quam eum Principem execranda proditione trucidaverat, seu quod aliorum obstiterit factio, qui & ipsi Regnum sibi arrogarent, seu quod a Senioribus suscepto regimine, Osee longo tempore opus habuerit, ut omnem sibi auctoritatem comparaset. Malum quidem egit Princeps hic coram Domino, non ita tamen, ut Reges Israel, qui eum præcesserant: *fecit malum coram Domino, sed non sicut Reges, qui ante eum fuerant*; nempe non impediit, quominus ejus subditi ad Deum adorandum, & Pascha celebrandum Hierosolymam se conferrent; quia tamen se minime sollicitum præstitit, ut superstitionem exterminaret, schisma extingueret, & Israeliticum populum Davidis familiæ redintegraret; omnium proinde scelerum complex evasit, quæ cæteri, quibus successerat, Reges patraverant. Hæc ergo prava agendi ratio in causa fuit, ut pœnam in omnes Reges Israel Divino jam judicio designatam ipse subiret, Salmanasar nimirum, Assyriæ Rex, cujus Osee vectigalis erat, certior factus, eum de seditione cogitare, atque ut a tributo se liberaret, cum Sua Ægypti Rege fœdus iniisse, torrentis instar in Israel irruit, universam regionem excussit, &. sanguine, desolatione, lacrymisque perfudit. Osee Samariam se recepit, quem statim insecutus Assyriæ Rex Urbem obsedit, quam triennio post, fame morbisque ad incitas redactam cepit, communique cæde involutis incolis, solo æquavit. Israelitæ in Assyriam delati, in Mediæ scilicet Urbes Hala, & Habor ad ripas fluminis Gozan, dispersique barbaras inter Nationes, & idololatras, nulla prorsus remanente redintegrationis spe. Ita Deus tandem aliquando perfecit, quod per Prophetas eidem populo minatus fuerat, in quem toties execranda perfidia, qua a supremo Liberatore defecerat, effrænis licentia, qua se Idolis dediderat, animadversionum æque ac singularium beneficiorum contemptus Divinam indignationem acerrime provocaverent. Ei nullum Deus vel minimum recordationis signum exhibuit. Id jam per Osee Prophetam edixerat: *vos non populus meus, & ego non ero vester*. Nec Propheta fuit, a quo populus edoceretur, nec Magistratus, a quo ex patriis legibus regeretur. Tribus decem, quæ per schisma veram Religionem deseruerent, solemnem in modum a Regia Davidis familia recesserant, & Messiæ spem omnem abjecerant, nullo unquam Edicto in patriam revocatæ sunt, earumque regionem semper occuparunt exteri populi, quos Salmanasar misit, ut eam incolerent. Cum porro per Cyri Edictum, ac per libertatem, quam Persarum Reges concesserant, Judæis liceret in patriam regredi; Israelitæ bene multi paulatim reversi se Tribui Juda addiderunt, neque amplius nisi Judæorum nomine innotuerunt.

Othei, *tempus meum*, filius Amiud, e Tribu Juda. I. *Paralip.* IX. 4.

Othir, *excellens*, filius Semejas, & vicesimæ primæ Levitarum familiæ caput: *Vigesima prima* (sors) *Othir filiis, & fratribus ejus duodecim*. I. *Paralip.* XXV.

Othni, filius Semejas, frater Raphael, Obed, Elzabad, qui omnes in Davidis Exercitu se strenue gesserint. I. *Paralip.* *cap.* XXVI.

Othoniel, *Templum Dei*, filius Cenes e Tribu Juda, & frater Caleb, at junior, uxorem duxit filiam fratris, Axem nomine. Atque hoc sane sensu intelligendus est is Sacræ Scripturæ textus: *cepitque eam Othoniel frater Caleb junior, deditque ei Axam filiam uxorem*. Vocabulum *frater*, pro Sacrorum Codicum consuetudine, non nisi consobrinum hoc loco significat. Caleb, cui sors obtigerat in montibus Juda, potitus est Urbis Hebron, progressusque Cariath-Sepher, ei filiam in matrimonium promisit, qui eam Urbem cepisset. Urbis ergo potitus Othoniel Axam uxorem obtinuit. Josue vita functo, cum Israe-

Israelitæ ob initam cum Chananæis finitimis fœminis cognationem se ad Idolorum cultum trahi passi essent, eos Deus in idololatriæ pœnam Mesopotamiæ Regi Chusan Rasathaim tradidit, qui per annos octo gravi eos captivitati subdidit. Ii vero in hac calamitate Dominum exorarunt, qui eorum ærumnis permotus *suscitavit eis Liberatorem . . . . . Othoniel filium Caleb fratrem Caleb minorem*. Strenuus hic Israelita, Divino spiritu imbutus Regem Chusan, commisso prælio, profligavit, Deique populum a gravi, quo pressus gemebat, jugo liberavit: *Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel*. *

* *Animadvertendum hoc loco est, in computo annorum quartæ Mundi Ætatis, quæ incipit ab Israelitarum exitu, & in Salomonis annum quartum desinit, quo jacta Templi fundamenta, pacis annos haud seorsum a servitutis annis numerandos esse, quo tempore penes Judices regimen fuit, ut constet annorum 480. summa, quos Liber* III. *Reg. cap.* VI. *a Babylonicæ captivitatis fine ad initium Templi conditi elapsos refert, quod in quartum Salomonis annum incidit. En Textus verba*: Et factum est quadringentesimo octuagesimo anno, in anno quarto, Mense Zio, ipse est mensis secundus Regni Salomonis super Israel, ut ædificare inciperet Domum Domino. *Itaque Judicum textus ea verba*: Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel, *ita omnino explicanda sunt, ut Othoniel Israelitis pacem attulerit annis quadraginta post, quam iisdem allata fuerat a Josue, cum Chananæos Reges quinque expugnasset*.

Et sane captivitatis annos annis Judicum includendos esse ex apertissimis Sacræ Scripturæ documentis compertum fit. Judicum quippe capite quarto legitur, populi judicium, ac regimen penes Deboram fuisse, quo tempore Jabin Rex Chanaan captivum eum detinebat; ejusdemque populi Judicem Samsonem extitisse, eum a Philistæis oppressus jaceret; ut proinde dubitari non possit, quin Judicum anni etiam servitutis annos, qui interea fluxerunt, complectantur.

Una subest difficultas, quæ contrarium videtur evincere, & est ejusmodi, Sacram nempe Scripturam, dum Judicum annos refert, non dicere, terram anno quadragesimo pace donatam fuisse, sed absolute dicere, terram per annos quadraginta quievisse. At proposita difficultas omnino evanuerit, si ad annos, qui terræ quieti tribuuntur, quietis initium, non ejusdem, ac Præfecturæ Judicum durationem referamus. Quamobrem verbum ותשקט quievit *idem est ac* quiescere cæpit, *quemadmodum ostendit* Franciscus Ribera *multis allatis rationibus* lib. I. de Templo cap. I.

Oza, *vis*, Levita, filius Aminadab, una cum fratre Ahir currum ducebat, cui imposita Arca ex Urbe Cariathiarim Davidis jussu, Hierosolymam deferebatur. Calcitrantibus per iter bobus, pendebat Arca; accurrens Oza casum veritus manum extendit, ut eam sustineret. Eo ipso momento temporis ejus temeritatem morte puniit Deus, qui nempe Arcam tangere ausus esset: *Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius, percussio Ozæ*. Statuunt Interpretes Ozam propterea peccasse, quod currui Arcam imponi passus esset, cum Lex præciperet, ut Sacerdotum, seu Levitarum e stirpe Caat humeris gestaretur. Dubio procul deceptus Oza Philistæorum exemplo, qui eam currui impositam alias remiserant, quod Deus, edito miraculo, probare visus fuerat, id mandari neglexit, pro suo ipsius arbitratu interpretatus. Evasit ergo sinistri cujusque eventi reus, quod eam Legis violationem consequi posset. Eventum hoc reapse antevertere voluit; cum enim Arca inibi esset, ut corrueret, ejus sustinendæ causa, manum extendit; violavitque aliud Legis caput, quo Levitæ, indicta mortis pœna, eam tangere prohibebantur: *Nemoriamini*, Legis in hanc rem verba sunt. Morte proinde merito punitus Oza, qoam, si Legi paruisset, tamquam justam negligentiæ, ac temeritatis pœnam non subiisset; suo nos exemplo docens, qua demum sanctitate præditi esse debeamus, ut ad Deum, qui devorans ignis est, accedamus. Occurrunt in Sacris Litteris alii duo, quibus Ozæ nomen erat. II. *Reg. cap.* VI.

Ozensara, Urbs, quam Sara, neptis Ephra-

Ephraim ædificavit : *Quæ ædificavit Bethoron inferiorem, & superiorem, & Ozensaram*. I. *Paralip*. VII.

Ozi, *vis mea*, filius Bocci, Pontifex ex Eleazari stirpe : *Bocci genuit Ozi, Ozi genuit Zarajam*. Successorem habuit Heli e stirpe Ithamar, in cujus familia perstitit Pontificia dignitas usque ad Abiathar, cui ademptam Salomon reddidit Sadoc ex Eleazari familia, quæ ad capivitatem usque Pontificatu potita est. Alios hujus nominis duos Sacra Scriptura nominat. *Joseph. lib.* v. *Antiquit. cap.* 12.

Ozias, *robur Domini*, Rex Juda, de quo locuti sumus *Azariæ* nomine in hujus Dictionarii Articulo *Azarias*. II. Levita quidam e stirpe Caath. III. Strenuus apud Davidem militaris vir; aliique minus noti, quam Ozias filius Michæ e Tribu Simeon, qui e Bethuliæ primoribus erat: *In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Michæ &c.* Ergo Ozias hic cum Bethuliam ab Holoferne gravissima obsidione pressam, per aliquod temporis spatium strenue propugnasset, jamque ad extremam aquæ penuriam redactam Urbem, populumque, omni prorsus abjecta spe, eo demum adductum videret, ut Assyriis se dederet, intra dies quinque deditionem promisit, ni Deus opem tulisset. Judith, hoc audito consilio, Oziam, populique proceres accitos, increpitosque, qui certum temporis spatium Deo præscripsissent, ad patientiam hortata est, edixitque, se ex Urbe nocte exituram, rogans, ut interim nihil aliud agerent, quam Deo preces offerrent. Adstitit igitur Ozias ad Urbis portam, quam aperuit, ut Judith egrederetur; expectausque, dum rediret, opem in tam gravi discrimine una cum populo a Deo petere nunquam destitit. Eorum preces exaudiit Deus; Judith enim Holofernem occidit, & Bethuliam ab Assyriorum exercitu liberavit. *Judith cap.* x.

Ozian, *vis Domini*, Levita e stirpe Merari. I. *Paralip.* XXIV.

Oziel, *vis Dei*, filius Caath, Levita, Ozielitarum familiæ caput : *Filii Caath Amram, Isaar, & Hebron, & Oziel*. Aliis multis parum notis id nominis fuit. *Numer.* III.

Ozni, filius Gad, Oznitarum familiæ caput, *Numer.* XXVI.

P

PA PA

PActum, *consensus*, *conversio*, *fœdus*. Vocabulum hoc fere sumitur in Sacris Litteris ad promissionem significandam, qua Deus Israelitas certos reddidit fore, ut ipse eorum Deus esset, ac peculiarem de iisdem sollicitudinem exhiberet, siquidem fideliter & accurate ejus Leges, & instituta servassent : *Ego statuam pactum meum vobiscum*. Sumitur etiam pro fœderis signo : *pactum est sempiternum;* nempe Sabbatum Dei nomine fœdus æternum est; per eam quippe figuram, quæ destitura erat, æternam populo quietem promittit. Significat præterea novum fœdus, quod æternum manebit : *Suscitabo tibi pactum sempiternum* ; pactum autem hoc fuere Legis tabulæ : *Posui in ea Arcam, in qua est pactum Domini*. Arca porro Legis tabulas duas continebat.

Pædagogus, *custos*, *& institutor pueri*, *Magister*, *Preceptor*: *Itaque Lex Pædagogus vester fuit in Christo;* S. Pauli verba sunt, qui metraphorice Legem ait ducis loco Judæis fuisse, ut se ad Christum conferrent : *At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo;* facem scilicet præferente fide, non amplius puerorum instar sub duce sumus. Idem Apostolus ita Corinthios alloquitur : *Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres;* quibus verbis id sibi vult, iis quidem Magistros plures esse posse, se

se tamen unum eorum patrem esse. Erat quippe S. Paulus Corinthiorum pater, non solum quia primus eos Evangelii doctrina imbuerat, sed etiam quia paterno eos amore prosequebatur, quod non alii deinceps Magistri praestiterunt.

Palaestina. Primo quidem id nominis stricta significatione pro Palaestinorum, seu Philistaeorum regione sumitur, qui eam Terrae promissae partem occupabant, quae ad Mare Mediterraneum a meridie ad septentrionem ab Urbe Gaza Liddam usque protenditur, & in quo occurrunt Urbes Gaza, Azoth, Accaron, Geth, & Ascalon: *Philistiim autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palaestinos*. Cum porro hi populi maritimas oras incolerent, innotuere primi, suumque reliquae regioni nomen tribuerunt. At hoc ipsum Palestinae nomen universam regionem Chanaan, seu Chananaeam, seu Terram Promissam significat tam citra, quam ultra Jordanem, & quidquid Judaeae nomine notum erat.

Palma. notissima arbor in Palaestina, quae praeter dactylos, quoddam mellis genus edit, e quo vinum exprimitur, in Oriente usitatissimum. Omnium pulcherrimae palmulae ad Urbes Jericho, & Engaddi conspiebantur, quod in causa fuit, ut Engaddi potissimum Palmarum Urbs diceretur. Cum palma comparantur ea, quae caeteris dignitate praestant, ut Sapientia: *quasi palma exaltata sum in Cades*; & Ecclesia: *statura tua assimilata est palmae*. Nimirum Ecclesia cum palma confertur, tum quod recta, & elevata est, tum quod ejus fructus dulces sunt, nec nisi ab iis obtineri possunt, qui a terrenis rebus abducti se cum ipsa ad Caelum extollunt. Jeremias de Ethnicorum Idolis loquens, palmarum instar effecta pronuntiat: *In similitudinem palmae fabricata sunt*, ad eorum scilicet pulcritudinem, & magnitudinem significandam. Diu palma perdurat; iique proinde, qui diuturna prosperitate fruuntur, cum palma comparantur: *Sicut palma, multiplicabo dies*; *Justus ut palma florebit*. Palma denique victoriae symbolum erat: *& palmae in manibus eorum*. Martyres, Beatique palmas manibus tenentes exhibentur, ut nimirum significetur, eos victoriam ex Christiani nominis hostibus retulisse.

Palmyra, Hebraice חמר *Thamar*, *palma*, Urbs a Salomone in quodam Syriae Deserto ad Arabiae Desertae fines, unius diei itinere ab Euphrate procul aedificata: *Et aedificavit Palmyram in Deserto, & alias Civitates munitissimas aedificavit in Emath*. Retinuit Urbs haec nomen hamar ad usque Alexandri Magni victorias; tum vero sumpsit Palmyrae nomen, ac deinde regionis caput evasit, quod Palmyrorum Regnum dictum fuit, Odenati potestate, ejusque conjugis Zenobiae fortitudine celebratum. Aurelianus Imperator eo Regno potitus Urbem auxit, auctaeque suum ipse nomen dedit; at Saraceni, cum Orientem occuparunt, Palmyrae Urbi vetus nomen Thamar reddiderunt, quod deinceps semper retinuit. In praesentia non nisi immensa supersunt Palmyrae rudera, e quibus, ut ex ungue leo, quod dicitur, ejus magnificentia conjici licet. Detectae sunt e ruderibus non uno quidem tempore Inscriptiones multae, quarum pleraeque Graecae sunt, caeterae Palmyrianis caracteribus impressae.

Palmus, Hebraeorum mensura, quae generum duorum est. Επιθάμη graecum nomen, quod spatium inter pollicem, & auricularem digitum expansos interjectum significat, idem est ac palmus noster: *Mensuram palmi habebis tam in longitudine, quam in latitudine*; *Exod. cap.* XXV. Nempe Rationale judicii, tum quoad longitudinem, tum quoad latitudinem, palmi magnitudinem aequare debebat. Est praeterea Tophac Hebraicum, quod palmum significat, qui communes tres palmos continet.

Pamphylia, *omnis Natio*, Asiae Provincia maritima Ciliciam inter, & Lyciam, ubi SS. Paulus, & Barnabas Evangelium nunciarunt: *Venerunt Pergen Pamphyliae*. *Actor.* XIII. & XIV.

Panis. Nomen hoc in Sacris Litteris pro quovis alimenti genere sumitur. *In sudore vultus tui vesceris pane*. *Ecce ego pluam vobis panes de caelo*, ubi de Manna sermo est. Significat etiam triticum, quod seritur: *Mitte panem tuum super transeuntes*

euntes aquas; Ecclesiasticus; *fere triticum ad aquas, quæ transeunt*; quod morali significatione de eleemosyna accipitur: *Indigentia panum in omnibus locis vestris*; Amos; omnes agros vestros sterilitate puniam. *Baculum panis confringere* apud Ezechielem significat, pani nutriendi vim, qua pollet, adimere. Panis & aqua pro quovis alimento ponuntur: *panem meum, & aquam meam sumam*, inquit Nabal, *& hominibus dabo, quos minime novi*. *Cibare pane lacrymarum* nihil est aliud, quam in afflictione quempiam relinquere. Panis impietatis, & panis mendacii panem contra ju fasque acquisitum significant: *comedens panem impietatis*, bono scilicet fruens, quod male acquisivit. *Panis Angelorum*, manna videlicet, qui ab Angelis paratus seu missus cibus erat. Sumitur etiam id nominis pro sacrificiis, quæ veluti Dei alimentum sunt: *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro*. Voluptatem quoque significat: *Homini fornicatio omnis panis dulcis*; voluptas omnis fornicatori dulcis est. At & pro spirituali animi nutrimento accipitur: *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus*; eum scilicet enutriit vitæ & intelligentiæ pane, quod Dei verbum est. Pro Ecclesia sumitur, quod Christi mysticum corpus est: *Unus panis, unum corpus multi sumus*.

Quemadmodum enim e pluribus granulis panis, ita e Fidelibus multis sacer, vivensque panis, quod est Christi mysticum corpus, conficitur. Denique sumitur pro Christo ipso: *Panis Dei est, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo*. Nostrum quippe spiritale, ac vivificans nutrimentum Christus est qui cum in Cruce mortem subierit, ut a morte nos liberaret, suæque Resurrectionis ope nobis vitam dederit, se quoque ipsum in Eucharistia dat, ut, quam nobis dedit, vitam servet.

Panes Propositionum, seu panes facierum *coram facie Dei apponendi*, panes quidam erant, qui quoque Sabbato in aurea mensa, in eo loco posita, qui *Sancta* nuncupabatur, Deo offerebantur: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*. Panes hi duodecim numero erant in memoriam Tribuum duodecim quarum nomine offerebantur. Panes hi fermento carebant, & recentes, novique singulis Sabbatis offerebantur, sublatis veteribus, quos Sacerdotes comedere jubebantur, exclusis Laicis, quibus iis vesci vetitum erat; atque ob hanc causam panis hic *panis sanctus* vocabatur.

Panem sub cinere coquebant Hebræi veteres. *Abraham panes sub cinere coctos Angelis dedit*. Rogavit Elias Sareptæ Viduam, ut sibi non nihil panis sub cinere cocti conficeret. Nonnunquam panes hi accenso vaccæ stercore coquebantur; qui mos ad explicandum facit Ezechielis locum, in quo Deus Prophetæ mandat, ut panem sub cinere coctum conficiat, humanisque excrementis tegat, universo spectante populo. At magnam obluctationem testanti Prophetæ eam veniam dedit Deus, ut bovis excrementis panem tegeret: *itaque*, subdit Dominus, *filii Israel panem suum interenteras Nationes pollutum comedent*. Haud Prophetæ mandavit Deus, ut ea excrementa comederet, sed ut solum ad panem coquendum iis uteretur, quo significaretur fore, ut Hierosolymæ Urbis incolæ extrema penuria premerentur, dispersusque reliquus populus durissimæ captivitati subesset.

Paphos, Urbs Insulæ Cypri, in qua S. Paulus Proconsulem Sergium Paulum ad Christianam Religionem convertit, falsumque Prophetam Barjesu, seu Elymam Magum cæcitate puniit. *Actor*. XI·I.

Pavo, seu Pavus genus avis pulcherrimis pennis notissimæ. Superba est avis hæc, & malevola, quippe quæ emissum fimum statim resorbet, ne quid utilitatis ex eo percipiant, qui ei alimenta suppeditant. Excellens ejus caro est, sed admodum digestu difficilis. Filios haud dignoscit, quoad eorum caput pennas emiserit. Salomon pavones ex Indiis ad se perferendos curabat: Quia Classis Regis per mare cum Classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias, & Pavos. III. *Reg. cap.* X.

Parabola, vocabulum e Græco sermone ductum, quod multiplici significatione sumitur in sacris Litteris. I. Pro compara-

ratione, quæ mutuam rerum duarum rationem ostendit: *Sicut in diebus Noe, sic erit adventus Filii hominis*. II. Pro quovis obscuro, & figurato verbo: *Edissere nobis parabolam istam*; ita Apostoli ad Christum. III. Pro parabola proprie dicta, seu collatione, quæ inter duas alterius generis res instituitur: *Locutus est ei multa in parabolis*. Christus Dominus ad populum verba faciens, fere semper parabolis, figuratisque sermonibus utebatur, tum ut se ad Orientalium captum accommodaret, qui ea loquendi ratione uti solebant, tum ut vere ab Isaia prædictum ostenderet, fore scilicet, ut Judaicus populus videret, quin cognosceret, audiret, quin intelligeret, atque inter documenta, quibus imbuendus erat, in veteri tamen pertinacia persisteret. Prophetæ quoque ejusmodi parabolis utebantur, ut minas, aut promissa, quæ proponebant, Principum animis altius infererent, quasique ob oculos ponerent. Nathan, ut Davidi delictum exprobret, hominis parabola utitur, qui pauperis ovem rapuit. Prophetæ sæpenumero per adulteræ fœminæ parabolam Hierosolymæ perfidiam arguunt; ferocisque alicujus animalis imagine exteros populos in Judæos desævientes describunt. IV. Hoc idem vocabulum pro allegoria sumitur: *Dicebat autem ad invitatos parabolam*; hæc autem parabola nihil est aliud, quam exemplum ex eo ductum, quod inter homines accidit. V. Pro sententia: *Locutus est tria millia parabolarum*. VI. Pro vaticinio, seu prophetia: *assumpta parabola sua*, cum scilicet Balaam vaticinari cæpisset. Ita etiam quandoque sumitur, ut contemptum significet; Judæis minitatur Deus, eos se populorum fabulam redditurum: *tradam vos in parabolam*. Denique ineptum, obscurum, ac sensus expertem sermonem significat: *Numquid non per parabolas loquitur iste? Ezech.* Quo loco parabolæ nomen pro nugis, gerris, ac somniis accipitur.

Paracletus, nomen, quod *Consolatorem*, *Advocatum* significat, & peculiariter Spiritui Sancto tribuitur. Illud sibi quoque tribuit Christus Dominus: *alium Paracletum dabit vobis*. *

** Paracletus, non autem Paraclytus, ut vulgo pronuntiari solet. Gratum enim nomen est, & derivatur a verbo* παρακαλέω, *quod significat* rogare, hortari, intercedere. *S. Joannes* Epist. I. cap. 2. *ita loquitur*: Advocatum habemus apud Patrem. *Eum quoque significat, qui ad aliquid faciendum hortatur, & excitat. Præterea pro eo sumitur, qui miserum solatur. Hæ notæ tres admodum apte in Spiritum Sanctum congruunt, qui apud Patrem, & Filium Advocatus, atque intercessor noster est. Christus Apostolis futurum promittit, ut Consolatorem Spiritum ad eos mittat, aitque, nisi ipse abierit, Paracletum Spiritum haud venturum*. Ego rogabo Patrem (*Christi verba sunt Joan.* XIV.) & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. . . . Paracletus (*Consolator*) Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.... Cum autem venerit (*cap.* XV.) Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me..... Expedit vobis, ut ego vadam (*Joan. cap.* XVI.); si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. *Animadversione dignum est, cum scribitur* Paraclytus *per ipsilon, infamem hominem, qui nempe bonæ famæ omnino expers est, significari; est enim græcum nomen conflatum ex* παρὰ sine, præter, & κλυτὸς inclytus, celebris, gloriosus, *perinde ac si diceretur* præter gloriam, *seu* sine nomine, & sine bona fama.

Spiritus Sanctus tertia SS. Trinitatis Persona est. Fides in Spiritum Sanctum octavi articuli Symboli Apostolici argumentum est: Credo in Spiritum Sanctum. *Ejusdemque atque aliarum Personarum, Patris scilicet, & Filii, necessitatis est. Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio non nisi unus, idemque Deus est. Id evincitur e Sacris Litteris. S. Petrus cum Ananiam increpuisset, quod Spiritui Sancto mentitus esset, edixit, eum Deo mentitum esse*: Non es mentitus hominibus (*Actor.* V.), sed Deo. *S. Paulum cum Corinthiis dixisset, eos Dei Templum esse*: An nescitis, *inquit*, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti? I. *Corinth.* VI. *Præterea notæ, tituli, caracteres, qui Dei proprii sunt, Spiritui*

Sancto tribuuntur ; I. *processio* : Spiritum veritatis, qui a Patre procedit ; *Joan.* xv. II. *Invocatio in Baptismate cum duabus aliis Personis :* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ; *Matth.* xxvii. III. *Animarum sanctificatio*, *ut nempe Spiritus Sanctus charitatis*, *& gratiæ sanctificantis Auctor sit*. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, *ad Roman.* v. IV. *Peccatorum remissio*, *ea prorsus ratione*, *qua Divinis aliis Personis tribuitur* : Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; *Joan.* xx. V. *Ministrorum Ecclesiæ vocatio*, *& missio :* Attendite vobis, & universo gregi ; in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei ; *Actor.* xx. *Denique generatim omnia Divini erga homines amoris effecta eidem tribuuntur*.

Paradisus, Græca vox, quæ ex Persica lingua originem suam trahit, & jucundissimum locum, hortum, viridarium significat. Pro amæno horto sumitur in sacris Litteris : *Missiones tuæ paradisus malorum punicorum*. Præterea nomen idem ad Hortum significandum adhibetur, in quo Deus hominem posuit, quem formaverat, qui per excellentiam Paradisus terrestris dicitur : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio*. Diligenter quæsitum est, in qua demum terrarum Orbis parte Paradisus hic situs esset ; at frustra laboratum est ad præsens usque tempus ; ac sane judicandum est nunquam fore, ut super hac re quidquam certi detegatur. In maxima opinionum varietate nos eam unam referendam hoc loco ducimus, quam doctissimus Abrincanus Episcopus *Daniel Huetius* proponit, propugnatque. Contendit ergo prudens Scriptor, Paradisum Terrestrem ad canalem fuisse, quem Tigris, & Euphrates efformant, postquam conjuncti sunt, inter id spatii scilicet, ubi conjunguntur, idque, ubi rursus dividuntur, antequam in Sinum Persicum influant. Secundum Sacræ Scripturæ textum, exibat ex hoc voluptatis loco flumen, quod in quatuor, quos efficiunt duo memorata flumina, duos nempe, antequam coeant, videlicet *Euphrates*, & *Tigris*, & duos cum mutuo recedunt, nimirum *Phison*, *qui circuit omnem terram Hevilath*, qui canalis est ad occidentalem fluminis ripam, cum e Paradiso Terrestri effluit, effectus, quique regionem alluit, quam Chevilath filius Chus incolebat ; & Gehon, qui universam Æthiopiæ regionem percurrit, quod orientale fluminis brachium est, quod se in Persicum sinum exonerat *. In Novi Testamenti Libris *Paradisi* nomen pro deliciarum loco sumitur, in quo Beatorum Animæ æterna felicitate fruuntur. Christus in Apocalypsi ita loquens inducitur : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, *quod est in Paradiso Dei mei ; cap.* II. v. 7. Porro verbis his ad Paradisum Terrestrem alluditur, qui deliciis omnibus, & gustui, ac visui jucundorum fructuum omni omnino genere refertus erat.

* *Sibi tamen haud ita cavere* Huetius *poterit*, *quin opinionem communi sensu destitutam invexisse videatur*. *Quamvis enim qui in Geographicis Tabulis horum fluminum situm expendunt*, *sibi videantur animadvertere capita quatuor*, *quæ ex uno quasi fonte exeunt*, Huetius *tamen duo tantum flumina*, *non plura reapse nobis exhibet ; nisi forte fingere velimus*, *flumina duo post sejunctionem contra aliorum duorum naturam currere*, *ut veritati consonum sit*, *flumina quatuor ex eodem fonte egredi ; quod a vero maxime alienum est*, *quia flumina duo*, *quæ mutuo junguntur*, *ea ipsa rursus secedunt*, *cursui nimirum eidem insistunt*.

Hæc faciunt, *ut præferenda sit Augustini* Calmet *sententia*, *qui Paradisum Terrestrem in Armenia collocat*, *in eoque potissimum loco*, *qui inter flumina quatuor*, Tigrin, Euphratem, Phasim, *&* Araxem *situs est*, *quæ quidem flumina ea esse credimus*, *quæ Moses descripsit*. *Sane* Tigris, *&* Euphrates *expressis verbis a Mose nominantur*. *Præterea* Phasim Phisonem *esse nomen ipsum indicio est*. *Hoc autem posito*, *quid aliud superest*, *quam ut* Gehon *sit demum* Araxes fluvius, *qui haud illinc procul oritur*. *Eodem accedit*, *per opinionem hanc notas omnes feliciter explicari*, *quibus Moses Regionem* Eden, *hoc est*, *Paradisi Terrestris describit ; immo vero nos in hac sententia confirmat eorum populorum traditio ; quibus semper*, *constanterque persuasum fuit*, *non alibi Paradisum Terrestrem*, *quam apud eos extitisse*.

Jam vero non defuere, qui Paradisum, quo de loquimur, in tertio Cœlo, qui in quarto, qui in Lunæ Cœlo, qui in Luna ipsa, qui in Aeris media extra Tellurem regione, qui denique sub terris in abdito nescio quo, & hominibus ignoto loco ponerent; ut in controversiæ caput hoc admodum apte cadat tritum illud: Quot capita, tot sententiæ.

Paralipomenon nomen Græcum est, quod *rerum quæ omissæ fuerunt, historiam* significat. Ita nuncupantur sacrorum Codicum historici libri duo, qui Regum libris, ac cæteris supplementi veluti loco sunt. In iis sane occurrunt peculiaria non pauca, quæ alibi non leguntur; ut hoc universæ Historiæ sacræ ab ipsius exordio ad primum usque Judæorum reditum compendium sit. Paralipomenon libri duo sunt, quorum primus XXIX. capitibus constat, continetque eorum catalogum, qui ab Adam fuere, cum Abrahæ, Isaac, Jacob, ejusque filiorum genealogiis; Saulis, & Philistæorum bella, nonnullasque Davidis res gestas, quarum in primo, & secundo Regum libris nulla mentio: Paralipomenon liber alter capitibus XXXVI. Salomonis, ejusque successorum Regna, Reges Juda, Reges Israel complectitur ad usque Cyri Persarum Regis tempora, qui Judæis libertatem, & Hierosolymitani Templi reparandi facultatem concessit. De Paralipomenon Auctore non constat. Judæi, qui librum hunc diei verba nuncupant, eum Esdræ tribuunt, a quo, inquiunt, concinnatus fuit, cum a captivitate rediret, non sine Zachariæ, & Aggæi opera, qui ea ætate vivebant. At cum Auctor non paucos commemoret, qui 300. & amplius post Esdram annis floruere; siquidem is Paralipomenon libros scripsit; iis additiones multas subsecutis temporibus factas esse fateamor, oportet *.

* S. Hieronymus *in Præfatione ad Paralipomenôn libros, ad Domnionem scribens pronuntiat ex eorum intelligentia universæ sacræ Scripturæ notitiam pendere*: Omnis intelligentia Scripturarum, *inquit S. Pater*, in hoc continetur, & historiæ, quæ vel prætermissæ fuur in suis locis, vel perstrictæ leviter, hic per quædam verborum compendia explicantur; *ut proinde, qui sacros Codices legunt, si qua in reliquis libris occurat antilogia, Paralipomenon sensum potissimum sequi debeant; quia scilicet Paralipomenon Auctor vel addit, vel in bono lumine collocat, quod in aliis libris vel omnino prætermissum fuerat, vel obscurum, caputque difficile videbatur.*

Denique doctissimus Georgius Eder *in argumento super Paralipomenon libro ita loquitur:* Paralipomenon liber, Instrumenti Veteris Epitome, tantus, ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, semetipsum irrideat; per singula quippe nomina, juncturasque verborum & prætermissæ in Libris Regum tanguntur historiæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones. *Hieronymus ad Paulinum cap.* VII.

Paralyticus, qui sui corporis membrorum usum amisit, morbi vi, qui Paralysis dicitur, quæ nihil aliud, quam dissolutio, seu resolutio nervorum est. Paralyticos multos Christus verbo sanavit. Infirmus, qui ex annis triginta octo in lecto jacebat, Paralyticus erat. Cum ei Christus dixisset, *surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, statim surrexit, & ambulare cæpit. In eumdem modum alii duo Paralytici sanati fuere; ac Centurionis Servus eodem morbo laborans eo ipso momento temporis pristinam valetudinem recoperavit, quo eam Christus ad heri preces eidem concessit. Paralyticum etiam Æneam dictum sanavit Petrus Apostolus Christi nomine: *Et ait illi, Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus, surge; & continuo surrexit.*

Paranymphus, græcum nomen, quod eum significat, qui dat operam, curatve, ut fœdus aliquod, seu matrionium transigatur, qui verba utrinque defert. Hoc nomine veniunt Missi, Internuntii, Apostoli. *Porro Apostoli sunt ejus fœderis Paranymphi, quod cum Ecclesia Christus iniit. Apostolos nimirum duodecim, Discipulosque septuaginta duos elegit, quos per universum terrarum Orbem misit, ut sanctam hanc Sponsam eidem quærerent, ejusque spiritalis, & mystici matrimonii conciliatores, & Paranymphi essent. Inter Hebræos matrimonia contrahebantur in Ædibus, seu cubiculo Sponsi sub umbella, quam sustinebant adolescentes quatuor, qui*

om-

omnium maxime cognatione, aut necessitudine Sponso conjuncti erant, & hi quidem Paranymphi nuncupabantur. Sacerdotes, aut Levitæ, tametsi contractus initus esset, non nisi propinquitatis titulo arcessebantur. Sponsus non statim sponsam domum ducebat; ea nempe per aliquod tempus apud Patrem remanebat; ut ita periculum fieret, an ea, quæ nuptura erat, virgo esset, nec ne. Cum vero nuptiarum tempus advenisset, Paranymphi, proximis sponsæ consanguineis, aliisque bene multis comitantibus, quos sacra scriptura amicos Sponsi, & Paranymphos vocat, Sponsam ad Sponsi domum ducebant. S. Joannis cap. III. v. 19. leguntur hæc: Qui habet Sponsam, Sponsus est; Amicus autem Sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.

Parasceve, græca vox, quæ *præparationem* significat. Id nominis Judæi feriæ sextæ tribuebant, quia scilicet ea die cibum parabant, quod Sabbato facere non licebat. S. Joannes de feria sexta verba faciens, qua Christus ad mortem damnatus fuit, *erat*, inquit, *Parasceve Paschæ*, feria sexta Paschatis, nempe dies, qua se quisque ad Sabbatum parare debebat, quod in Festum Paschatis incidebat.

Pardus, Leopardus, animal ferum, variis per totum corpus coloribus maculatum: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas*. Jer. cap. XIII. Tam fieri potest, ut qui malis operibus assueverunt, ad bonum ferantur, quam ut Leopardus sibi maculas adimat, quibus ejus pellis contecta est. Id nominis pro crudeli adversario sumitur, qui occasionem quærit eos aggrediendi, quos spectat: *Et ego ero eis, sicut Pardus in via Assyriorum*. Deus, qui severitatem suam in sceleftos hominis exerere vult, se cum iis comparat, qui ad viam stant. *Pardus vigilans super Civitatem eorum*; Jerem. cap. V. Jeremias Nabuchodonosor Regem ob oculos ponit, qui oculos in Judæos intendebat, ne e suis Urbibus egrederentur. *Pardus* hominem quoque suapte natura ferum, sed Christi gratia mollitum significat: *Pardus cum hædo accubabit*. Isaias his verbis id sibi vult, Messia regnante, fore, ut hominum sævissimi velut mites Agni sint, & tranquillam in Ecclesia vitam agant. *Ecce alia bestia quasi Pardus*. Daniel Macedoniæ Regnum cum Leopardo comparat, ob celeritatem scilicet, qua Alexander victor evadebat, quod & per alas quatuor quæ Leopardo inerant, significatur. Leopardi capita quatuor innuebant Principes quatuor, qui Alexandri, cum obiisset, Imperium inter se partiti sunt. *Bestia, quam vidi, similis erat Pardo*. S. Joannes in Apocalypsi per hanc imaginem Romanum Imperium exhibet, in quo Idololatria grassabatur.

Parens. Vocabulum hoc primo loco patrem, & matrem significat: *utrumque parentem amiserat*, Esther patrem, & matrem amiserat. Ad eos quoque omnes extenditur, quos nobis natura sociavit: *sicut Beato Job insultabant Reges, ita isti: parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus*. Hoc loco de Tobia sermo est, cujus vitæ rationem consanguinei deridebant. Denique majores significat: *Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*; veterum Patrum gloriosa nomina insculpta erant gemmarum ordinibus quatuor, quas Aaron gestabat.

Parium marmor, quo Paros Insula referta erat. Quamobrem Septuaginta verterunt Hebraicum vocabulum *Sacj*, quod petram significat, quam David ad Templi constructionem paraverat: *marmor Parium abundantissime*; ob eam sane causam, quod et petræ prorsus inerat ejus marmoris splendor, & pulcritudo, quod Insula Paros edit. I. *Paralip. cap.* XXIX. 2. *

* *Diu Veneti hujus Insulæ potiti sunt; sed eam una cum Eubæa, vulgo* Negroponte *an. Æræ Vulgaris* 1470. *Turcæ occuparunt. Huic Insulæ Episcopus erat Rhodiensis suffraganeus. Esther cap.* I. *ita describitur Assueri jussu ornatus Regii horti aditus*: Lectuli quoque aurei, & argentei super pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide dispositi erant. *

Parmenas, qui commoratur, unus e primis Diaconis septem, qui cum S. Stephano electi fuerunt. *Electi fuere*, ut ex Actor. Apostolic. cap. VI. constat, *e primorum Discipulorum numero Viri septem perspectæ probitatis, pleni Spiritu Sancto, & sapientia*.

ria. Porro de hujus Diaconi seu vita, seu morte nil certi occurrit.

Parthi, *Equites*, majoris Asiæ populi, iidem, qui veteres Persæ. Nomen hoc semel tantum reperitur in sacris Litteris: *Quomodo nos audivimus linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi, & Medi &c.*

Pascha, ex Chaldaico nomine, quod *transitum* significat. Festum hoc institutum fuit in memoriam transitus Maris Rubri, & exterminatoris Angeli, qui Ægyptiorum primogenitos omnes occidit, & Israelitarum domibus Agni sanguine obsignatis pepercit: *Est enim phase, id est, transitus Domini*. * Hæ porro Cæremoniæ sunt, quas Deus ad hujus Festi celebrationem Judæis præscripsit. Decima die mensis primi, qui Nisan dicebatur, Agnum masculum, vitiique omnis expertem eligere, & usque ad diem decimam quartam, vespere immolandum custodire debebant. ** Eum, cum Sol occidisset, ad ignem torrere, noctuque cum pane sine fermento, & lactucis sylvestribus comedere jubebantur. Eos autem pane sine fermento uti necesse erat, tum quia non satis temporis præsto erat, ut massa per fermentum excresceret, tum vero, & quidem potissimum, ut insipidus is panis calamitates iis in mentem revocaret, quas in Ægypto pertulerant. Lactucas quoque admiscebant, ut præteritæ servitutis amaritudinis, & angustiarum recordarentur. Deus Agnum totum in una eademque domo comedi jussit, cinctis renibus, ocreatis pedibus, strictoque baculo, Viatorum instar, qui abire parati essent. At postrema hæc Cæremonia præcepta non fuit nisi ea nocte, qua Israelitæ ex Ægypto exierunt. Tinctæ fuere Agni immaculati sanguine fores, & limina cujusque domus, ut Angelus exterminator eum sanguinem conspicatus prætergrederetur, & Hebræorum primogenitis parceret. Denique jussi fuerunt Agnum mysticum quotannis immolare, ejusque carnem comedere, ut ne ex eorum animo Dei beneficium excideret, & salus, quam per aspersionem sanguinis ejusdem victimæ percipiebant. Iis Deus prohibuit, ne pane fermentato per hujus Festi octavam integram uterentur; ejusdemque Festi celebrandi obligatio ejusmodi erat, ut quicumque illud agere neglexisset, morte damnaretur: *Exterminabitur anima illius de populis suis*.

Paschatis nomine plura veniunt in sacris *Litteris*. I. Solemne Paschatis Festum, quod septem dies perdurabat. II. Dies ipse, quo Agnus immolabatur, nempe Luna decima quarta: *Appropinquavit dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha*. III. Sabbatum, quod in Paschæ, & Azymorum hebdomadam incidebat: *Erat Parasceve Paschæ*; erat hæc dies præparationis Sabbati, quæ Paschæ die septima contingebat. IV. Paschalis Agnus, qui die decima quarta Lunæ primi mensis immolabatur: *Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*. V. Christus ipse, qui Pascha nostrum dicitur: *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Vere ipse Agnus est ad homines a peccati, & Inferorum servitute redimendos Æterno Patri immolatus. Nimirum Paschalis Agnus adeo perfecta Christi imago erat, ut eum ad vivum exhibeat. Christus, teste S. Petro, Agnus est sine macula, & sine vitio. Christus Hierosolymam ingressus est die decima primi mensis, quæ dies erat, qua Agnum ad Pascha parari oportebat, immolatusque fuit die decima quarta, ea ipsa hora, qua immolabatur Agnus, qui eum significabat. Ejus sanguis effusus fuit, at nullum ex ejus ossibus fractum est, ut in Christo verum ostenderetur, quod de Agno Paschali sacra Scriptura dixerat: *Os non comminuetis ex eo*. Aspersio sanguinis Agni Israelitas ab exterminatoris Angeli furore sospites, incolumesque servavit; aspersio sanguinis Christi nos ab omni peccato mundavit, & a Dæmonis servitute liberavit. Agnus in una eademque domo comedendus erat; Christi caro non comeditur nisi in Ecclesia Catholica, quæ Cælestis Patris vera familia est. Et comedenda quidem est *cum azymis panibus veritatis, & puritatis, & cum lactucis amaris pœnitentiæ, non sine viatoris veste*, ita scilicet, ut a terrenis rebus animus abducatur, & ad cælestia bona erigatur.

Christianorum Pascha Festum est, quod ipsi celebrant Dominico die, qui Lunam decimam quartam post Equinoctium vernum proxime sequitur, in memoriam Resur-

ſurrectionis Salvatoris Mundi. Dicitur Paſcha, quia nempe ad Judæorum Paſcha referrur. Hoc enim in memoriam tranſitus Angeli, egreſſusque ex Ægypto inſtitutum erat; Chriſtiani autem ſuum Paſcha celebrant in memoriam Reſurrectionis Chriſti Domini, ejus nempe a morte ad vitam tranſitus, rurſus coeuntibus anima, & corpore, quæ mors ſeparaverat. Jam vero primis Eccleſiæ temporibus extitere graviſſimæ controverſiæ ſuper die, quo Paſcha celebrandum eſſet. Aſiæ Eccleſiæ S. Polycarpi tempore illud Luna decima quarta Martii ſtatuebant, in quamcumque diem incideret, Judæorum more; at Romani, prout in præſentia, illud celebrabant Dominico die, qui Lunam decimam quartam conſequebatur; adeoque exarſit diſputatio, ut S. Victor Pontifex Maximus Aſiaticis anathema intulerit, aut ſaltem minatus fuerit; at cæteræ Eccleſiæ ſeveritatem hanc, quæ modum excedere viſa eſt *, nequaquam probantes, Aſianis conjunctæ perſtiterunt, ad Nicæoum uſque Concilium, quod definiit, ut omnes deinceps Eccleſiæ ex veteri conſuetudina Paſchatis Feſtum Die Dominico, qui Lunam decimam quarram poſt Æquinoctium Vernum proxime ſequitur, celebrarent.

Magna animorum corentione poſtremis hiſce temporibus ſuper Chriſti Paſchate diſputatum eſt, an ſcilicet eadem cum Judæis die Paſchale Agnum comederit. Nos, hac miſſa diſcuſſione, ſatis habebimus humilem noo minus, quam prudeotem Criticum Virum ſecuti pronuntiare, omnibus tum Patribus, tum Auctoribus Eccleſiaſticis perſuaſum fuiſſe, Chriſtum ea ipſa die comediſſe Paſchalem Agnum, qua Judæi comedere conſueverant, anre quam Euchariſtiam inſtitueret, quod Chriſtianorum Paſcha eſt.. Id aperte deciſum animadvertitur priorum trium Evangeliſtarum Textibus, quibuſcum facile S. Joannis textus conciliari poteſt, qui ſpecie tenus contrarius videtur; at qui tamen probe intellectus cum cæteris ad eamdem veritatem ſtatuendam congruit. ***

* *Paſchatis Feſtum in autographo textu dicitur* פסח peſach *a verbo* פסח paſach, *quod ſignificat* tranſire *ſeu* tranſilire, *non autem a vrrbo* πάσχω *quod ſignificat* pati, *accepto verbo hoc prophetica quadam ſignificatione, perinde ac ſi futura hac ipſa die Chriſti paſſio prædicta eſſet, e nonnullorum Veterum Patrum ſententia, qui Hebraici ſermonis haud ſatis periti erant. Et jam* S. Hieronymus *in Hebraica lingua apprime verſatus in Commentario ad S. Matthæi caput* XXVI. *de etymologia verbi* Paſcha *verba faciens, hæc habet*: Paſcha, quod Hebraice dicitur *peſach*, non a paſſione, ut plerique arbitrantur, ſed a tranſitu nominatur; eo quod Exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum, pertranſierit, nec percuſſerit eos. *Præterquam quod Divinum deinde juſſum hujus nominis etymologiam perſpicuam reddidit, cum nempe voluit Deus, ſuis eos filiis teſtari, hoc eſſe ſacrificium Paſchæ Domini* פסח אשר aſer paſach, *qui tranſire voluit, & Iſraelitarum domos ſartas, tectaſque tranſiliendo ſervare. Myſterio tamen non caret, id nominis in Græcum ſermonem relatum paſſionis ſignificationem ſumere; Agnus enim victima erat, & immolatio* (Exodi XII. 6.) *Sacrificii. Præterea Chriſti figura erat, qui tamquam Agnus Patri immolandus erat, ut a Dæmonis ſervitute novum populum liberaret, quemadmodum prædixit Iſaias cap.* 11. *& S. Joannes Baptiſta Evangelii S. Joannis cap.* 1. *enunciavitque S. Paulus* I. *Corinth.* v. *ubi diſerta hæc verba leguntur*: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; *quæ verba exponens S. Thomas Lectione* II. *utramque derivationem ita tuetur*: Ita Paſcha noſtrum, id eſt novi populi, eſt Chriſtus immolatus, cujus etiam immolationi convenit nomen Paſchæ; tum ſignificatione linguæ Hebrææ, quod ſignificat tranſitum, Exodi XII; eſt enim *Phaſach*, primo tranſitus; tum ſignificatione linguæ Græcæ, prout nomen Paſchæ ſignificat paſſionem; Chriſtus enim per paſſionem, qua fuit immolatus, tranſivit ex hoc Mundo ad Patrem, ut dicitur Joannis XIII.

** *Qua potiſſimum hora immolandus, & comedendus eſſet Paſchalis Agnus, magna inter doctos Viros controverſia eſt. Moſes hac loquendi ratione utitur,* הערב יסבין inter duas Veſperas, *quæ variis opinionibus locum præbuit. Caræi contendunt, Paſcha immolari debuiſſe a ſolis occaſu, ante conſpectas ſtellas, ad ſubmerſam uſque Lunam*

nam, quod tenebrarum principium est, quam tertiam Vesperam nuncupant. Ita tempus, ad quod Agni immolationem referebant, eorum sententia, Vespera secunda est, quæ duas inter Vesperas posita est; nempe inter primam, quę a solis occasu incipit, & hanc tertiam. Verum huic opinioni refragantur Rabbini ceteri, tametsi ne inter eos quidem conveniat. Voluut aliqui, tempus inter duas Vesperas interjectum incipere a diei hora sexta, scilicet a meridie, cum Sol ad occasum vergere incipit; ita Salomon Jarchi, David Kinchi; & ex Christianis Samuel Bochartus *in suo Hierozoico l. 1. p. 11. c. 1.* At repugnat ratio, nulloque sacrę Scripturę testimonio ostendi potest, eam diei partem, quę a meridie ad solis occasum excurrit, Vesperę nomine venire. Preterea Aben-Ezra ita Vesperas duas accipit, ut unam solis occasus, alteram lucis in aere defectus constituant. At brevius videtur ejusmodi tempus, quam ut ad Paschalem Agnum immolandum, torrendum, comedendum satis fuerit. Quamobrem dubio procul preferenda est eorum sententia, qui per Vesperas duas illud temporis spatium intelligunt, quod tum incipit, cum sol ad occasum vergit, & in ipsum solis occasum desinit, hoc est, a Judaica hora nona ad undecimam usque circiter. Atque hac sane ratione. Vesperę denominatio in tuto ponitur, satisque temporis suppetit ad ea perficienda, quę Paschalis Agni comestio requirebat. Opinionem hanc confirmant Hebręorum Doctorum non pauci, & imprimis Josephus Hebræus *Lib.* VIII. de Bello Judaico *cap.* 17. *ubi de Paschę Festo ita* scribit; καθ' ἣν (ἑορτὴν) θύουσι μὲν ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρις ἑνδεκάτης: quando a Nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt.

*** *De Paschate a Christo Domino ante passionem celebrato controversia gravissima est, & tam Grecam, quam Latinam Ecclesiam afficit. Difficultas omnis ex antilogia oritur, quę inter Evangelistas occurrit, quęque in causa fuit, ut Interpretes in alias alii opiniones abirent. Quatuor sane super hac re celeberrimas sententias legimus. Prima Græcorum Patrum est, contendentium, Christum non celebrasse ultimam Paschalem Cœnam die a Lege præscripto, scilicet in Luna* XIV. *secundis Vesperis, sed eam per diem integrum antevertisse, videlicet Luna* XIII. *& Paschalem Agnum comedisse, & Eucharistiam instituisse, qua die Hebræis fermentato pane vesci licebat. Atque hinc Græci deducunt, Christum non pane azymo, sed fermentato ad Eucharistiæ celebrationem usum esse; quia scilicet azymorum usus incipiebat solum a Paschate, quæ dies ob eamdem causam* prima dies Azymorum *nuncupabatur.*

Altera sententia P. Bernardi Lamy *est in Harmonia Evangelica, qui contendit, Christum eo sane anno, quo passus, Crucique affixus est, Paschalem Agnum non comedisse, sed tantum Eucharistiam secundis Lunæ* XIII. *Vesperis instituisse, Luna vero* XIV. *qua Paschalis Agnus immolandus, & comedendus erat, in Crucem actum fuisse. Eamdem sententiam propugnarunt doctissimi Viri duo, & in Sacris Litteris apprime versati,* Nicolaus Toinardus *in Harmonia Evangelica, &* P. Augustinus Calmet *in Commentario in Evangelium S. Matthæi.*

Tertia complurium recentiorum Scriptorum sententia est, quos inter eminent Paulus Burgensis, Jansenius, Maldonatus, Scaliger, Sethus Calvisius, & P. Manduit, *qui etsi Christum Luna* XIV. *secundis Vesperis, prout Lege præceptum erat, Paschalem Agnum comedisse fateantur, putant tamen, Judæos eo quidem anno Pascha cum Christo non celebrasse, sed in feriam sextam distulisse, quæ licet ob solis cum Luna conjunctionem dies* XV. *esset, ob Neomeniæ tamen translationem, in sequentem diem post eamdem conjunctionem Synedrii Decreto indictam dies* XIV. *primi mensis penes Judæos erat.*

Quarta demum omnium post. S. Thomam III. *Part. Quæst.* 49. *art.* 9. *Theologorum sententia est, asserentium, Christum, cum e terris abiturus esset, celebrasse Pascha secundis Vesperis Lunæ* XIV. *quemadmodum etiam Judæi celebrarunt ex Legis expresso jussu, quod nos ipsi propugnamus.*

Non est instituti nostri, licitusne sit, an illicitus, seu fermentati, seu azymi panis usus, inquirere. Id tamen obiter dicimus, etsi Græcis ultro demus, quod incredibili diligentia statuere conantur, id tamen iis utile omnino non fore. Si enim Christus suæ mortis conscius celebrationem Paschatis antevertisset, ob eamdem causam etiam azymorum comestionem anti-

anticipasset ; hęc enim Paschalis ritus maxima pars erat , quippe cum Paschalis Agnus non nisi cum azymis comedi posset . Id sane apertissimo exemplo patefit . Si enim forte fortuna contigisset , ut quispiam in alterum mensem Paschatis celebrationem transferre deberet , azymorum quoque comestionem in eumdem mensem differebat . Ita nimirum legitur Numer. cap. IX. Homo, qui fuerit immundus super anima , sive in via procul in gente vestra , faciet Phase Domino in mense secundo quarta decima die mensis ad Vesperam ; cum azymis , & lactucis agrestibus comedent illud . *Si ergo Christus e converso Paschatis celebrationem anteverrisset , azymorum quoque comestionem anticipasset ; & quod inde consequitur , utcunque tandem res habeat , Pascha cum azymis a Christo celebratum deducitur .*

Extra omnem ergo dubitationis aleam positum est , Christum celebrasse postremum Pascha una cum Judęis ex Legis pręcepto secundis Vesperis Lunę XIV. *mensis Nisan , quę Lunę* XV. *Vespera prima est . In id conveniunt Evangelistę tres , qui Discipulos ferunt azymorum prima die Pascha Christo parasse , nec diem antevertisse , quemadmodum S. Joannes unus innuere videtur his verbis :* Ante diem festum Paschæ . *S. Matthęus cap.* XXVI. Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes : ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? *S. Marcus cap.* XIV. Primo die Azymorum, quando Pascha immolabatur , dicunt ei Discipuli : quo vis eamus , & paremus tibi , ut manduces Pascha ? *S. Lucas cap.* XXII. Venit autem dies Azymorum , in qua necesse erat occidi Pascha , ut misit Petrum , & Joannem dicens : euntes parate Pascha , ut manducemus . *Quid ergo est , cur hęc apertissima S. Matthęi , S. Marci , & S. Lucę testimonia posthabeantur , anticipatumque a Christo Pascha propugnetur ob nonnihil obscura S. Joannis verba , quę cęteroquin facile ad eumdem sensum referri possunt ? Eoque magis , quod Christo nil causę suberat , quamobrem Pascha anteverteret . Facta enim hypothesi , Christum suę mortis conscium probe novisse se Judaicum Pascha ea , qua Lex pręcipiebat , die celebrare non posse ; nihil tamen erat , quod illud antevertere juberetur ; cum nullum in hanc rem nisi quoad diem Lege statutam pręceptum esset . Et quamvis Numer. cap.* IX. *pręscribatur , ut si quis legali immunditie , magnave distantia impeditus Pascha mense primo celebrare non possit , illud in sequentem mensem transferat ; nullum tamen in sacris Litteris quoad eos pręceptum occurrit , qui se Paschatis die morituros crederent , ut illud proinde anteverterent . Quam (bone Deus !) ejusmodi pręceptum , siquidem extitisset , Judęos ancipites , ac sollicitos habuisset ! Atqui ex ipso Evangelico textu constat , ultro Apostolos Paschatis die , ubinam illud comedere deberent , a Christo quęsiisse : Prima die Azymorum , accesserunt Discipuli ad Jesum , dicentes : ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? Atque eum quidem interrogarunt , antequam eum ea die moriturum scirent ; Christus enim de sua Discipulos morte tum solum monuit , cum una cum iis cęnaret . Quamobrem imminentis mortis occasio haud sane Christum ad Pascha in antecessum celebrandum adegit . Et quoniam Christus Pascha una cum Discipulis celebravit , si Christus , illud etiam Discipuli anticipassent . Quid autem causę subesse poterat , cur Pascha Discipuli prævenirent ? Haud ii sane se noverant ea die morituros , quemadmodum reapse mortui non sunt ; at proinde etiamsi Christus ob aliquod sublime consilium ita sibi faciendum duxisset , dubio procul Discipuli idem facere non deberent ; alioquin id iis Judæi exprobassent . Quid ? Nonne de Discipulis conquesti sunt , quos accusabant , quasi Majorum traditiones violarent , qui haud lotis manibus manducarent ? Jam vero qui fieri potuisset , ut capitalis præcepti Legis adeo solemnem transgressionem silentio præterirent ? Qua etiam ratione Pater familias (ad quem Christus Apostolos misit , ut Paschalem Cęnam pararent) adduci poterat , ut die non a Lege statuto iis Cænaculum suppeditaret ? Quomodo ipse preterea ejusmodi transgressionem apud Judæorum Principes excusasset ?*

Preterquam quod cum Paschalis Agnus im Templo immolari deberet , nec ante comedi posset , quam Altare a Sacerdotibus ejus sanguine aspersum , & adeps combustus esset , ut Deuteronomii cap. XVI. *legitur :* Non poteris immolare Phase in qualibet Urbium tuarum , sed in loco , quem elegerit

Do-

Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi; *si Christus Pascha prævenisset, profecto vel Agnum non immolatum comedisset, atque ita Mosaicæ Legis summam violasset, atque adeo ne Pascha quidem manducasset, vel Sacerdotes Agni Paschalis immolationem in Christi gratiam anticipassent; quod sane quis sibi persuadeat? En summum, publicumque flagitium, stato tempore, ac loco Paschalem Agnum non immolari. An porro vero simile fuerit, Sacerdotes in Christi gratiam, quem cane pejus & angue oderant, se adeo gravis transgressionis reos facere voluisse?*

Addi potest hactenus dictis unanimis Græcorum, Latinorumque Patrum consensus, qui Judaicum Pascha, die a Mose præscripta, a Christo celebratum fatentur. Et sane in gravissima super celebrandi Christiani Paschatis die controversia, quæ trium sæculorum spatio universam Ecclesiam exagitavit, contendentibus Asianis, celebrandum esse Luna XIV. *Martii una cum Judæis, quemadmodum illud Christus Dominus celebravit, e SS. Patribus, Romanisque Pontificibus nullus occurrit, qui a Christo Pascha cum Judæis Luna* XIV. *celebratum negaverit, illudque Asianorum fundamentum falsitatis convicerit; immo vero omnes ad unum aliis argumentis Quartadecimanos impugnarunt; ut proinde dubitari non possit, quin universæ Ecclesiæ persuasum fuerit, secundis Vesperis Lunæ* XIV. *Pascha cum Judæis a Christo celebratum fuisse. Alioquin argumentum haud neglexissent, quo tam facile Quartadecimanorum præcipuum fundamentum evertere potuissent.*

Jam vero his in hunc modum constitutis, explicandus est S. Joannis textus, quem supra retulimus, quo scilicet potissimum novum systema nititur, ut a SS. Mattheo, Marco, & Luca *discrepet; ac ne Christus Pascha prævenisse putetur. Quod ut commode fiat, animadversione dignum est, olim apud Judæos, quemadmodum hodie apud nos ipsos Christianos, alios sacros dies, Festorum celebrationi dicatos, naturales alios naturæ lege distinctos, alios denique artificiales quotidianæ operæ addictos extitisse. Sacri dies incipiebant a Vespere, & in alterum Vesperum desinebant, ex Levit. cap.* XXIII. 32. A Vespera ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra. *Naturalibus diebus media nox, denique diebus artificialibus aurora initium, & finem dabant. Jam accedamus ad rem. Celebravit Christus Paschalem Cœnam, S. Joanne teste, ante Paschæ naturalem diem, quæ a media nocte incipiebat, itemque ante ejusdem Paschæ artificialem diem, quæ ab Aurora initium sumebat; non autem ante diem sacrum, qui a Vesperi inchoabatur; ut proinde hoc ipso die, jamque inchoatis Azymis, Christus Pascha celebraverit, ut cæteri tres Evangelistæ testantur. En ergo solutum ænigma, quin opus sit novo systemate, quod nulla prorsus ratione cum SS.* Matthæi, Marci, Lucæ *narrationibus conciliari potest.*

Insurgunt tamen Adversarii alio nixi S. Joannis ipsius testimonio, perspicue docentis; Christum morte damnatum esse die dicto Parasceve Paschæ; *suspensorumque corpora ante Solis occasum e crucibus sublata fuisse, ne die Sabbati in patibulis remanerent;* erat enim magnus dies ille Sabbati: *quia scilicet eo anno Azymorum solemnitas in Sabbatum incidebat. Denique Judæi, cum Christus ad Pilati Tribunal ductus est, nondum Pascha comederant, quippe qui in Pratorium ingredi noluerunt, ne polluerentur; quod evidenti argumento est, Christum cum Judæis Pascha non celebrasse, sed per diem integrum anteverti sse.*

At quam inepta sint, nulliusque momenti, quæ contra allata sunt, facile intelliget, quicunque Interpretes cæterorum doctissimos legerit, qui verba Parasceve Paschatis *apud S. Joannem de Parasceves die explicant, qui intra Paschalem hebdomadam incidebat. Id moris erat penes Judæos, quemadmodum etiam* Bochartus *animadvertit, ut dies in hunc modum distinguerentur:* Prima Sabbatorum, Secunda Sabbatorum, Tertia, Quarta, Quinta, & Parasceve. *Quamobrem Feria sexta Paschalis hebdomadæ dicitur* Parasceve Paschæ. *Hinc S. Marcus cap.* XV. Erat, *inquit*, Parasceve, quod est ante Sabbatum, *non autem*, quod est ante Pascha. *Curarunt autem Judæi, ne damnatorum corpora in cruce Sabbato remanerent, non jam quod eo anno Pascha in Sabbatum incideret, sed quod Sabbatum, quod in Paschalem hebdomadam incidebat, solem-*

solemnius esset, cui scilicet secundus Paschalis festus dies addebatur; ac proinde dies ille Sabbati Magnus *dictus est.*

Denique Judaei religiosum duxerunt in Praetorium ingredi, non alia sane de causa, quam quia Pascha celebrare consueverant, pacificis victimis immolatis, quibus purificati cum essent, iis vesci licebat. Ne igitur consuetae Caeremoniae negligerentur, Hebraei Romano Praesidi universam judicii rationem demandandam putarunt, ne quid incommodi Sacris Ritibus afferretur, quos adeo religiose servabant.

Jam illud expendendum superest, an Christus Judaica Caena omnino praetermissa, Eucharistiam tantum instituerit, & in discipulos distribuerit. At id asserere nonne portento simile est? De quo tandem Paschate locutus est Christus, cum Caenaculi Dominum moneri jussit, nisi de Legali Paschate? Apud te facio Pascha cum Discipulis meis (*Matth.* XXVI.). Ubi est refectio mea (Mar. XIV.), ut Pascha cum Discipulis meis manducem? *Et sane si Christus de Eucharistia instituenda locutus esset, certe Dominus domus non ita animo comparatus fuisset, ut eum intelligeret. Contra Christus dum Eucharistiam instituit, eam ipse non sumpsit, sed discipulis sumendam dedit; Pascha vero cum aliis & ipse comedit. Addendum & illud, Christum cum Discipulis eam Caenam comedisse, quam ejus jussu iidem paraverant, ut S. Lucas cap.* XXII. *refert:* Fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha, *profecto comedendum. Ergo certo certius est, Discipulos Judaicam Caenam parasse, Agnum scilicet per* antonomasiam *Pascha dictum, quia de Eucharistia penitus ignorabant, ut eam parare possent; neque vero ab ipsis paranda erat. Quare Christus una cum Discipulis Judaicum Pascha comedit; nec nisi post Legale Pascha Eucharistiam instituit.*

Quamquam quid opus est pluribus, cum corruat ipsum per se frivolum, ineptumque systema, hactenus omnino confutatis rationibus, quibus ab Adversariis fulcitur? Non alia scilicet de causa Judaicum Pascha eo anno a Christo omissum putant, quam quod in Vigilia non ipsa die Paschatis eum crucifixum, & mortuum volunt; ut proinde, cum ea die nihil esset, cur Judaicum Pascha perageret, illud reapse non peregerit, sed suum tantum Pascha, Eucharistiam nempe instituerit. Quod cum a vero alienum ostenderimus, plura quoque Evangelii loca e sententia nostra feliciter, nisi maxime fallimur, interpretati; non est necesse novis aggressionibus everti systema, quod e suis penitus fundamentis evanuit. Nonnullas tamen animadversiones subdam, ut inconsultae sententiae discrimen appareat, nec novitatis studiosi homines ad illud temere suscipiendum se abripi sinant.

Primo quidem memoratum systema Graecorum Disciplinae robur, & fidem addit, qui Eucharistiam fermentato, non azymo pane celebrant. Si enim Christus suam tantum Caenam celebravit, in panis, & vini consecratione, seu eorumdem in ejus Corpus, & Sanguinem conversione positam; eamdemque Caenam ea die celebravit, qua Azymorum usus nondum apud Judaeos erat; necessaria rerum consecutione fit, ut dubio procul in fermentato, non in Azymo Eucharistiam instituerit.

Praeterea memoratum systema cum publica Ecclesiae professione pugnat, quae Caenas agnoscit duas ea Nocte a Christo celebratas, Judaicam primum, deinde Christianam; seu potius ejusdem Dominicae Caenae partes duas, ciborum varietate, ac pedum ablutione, quam interposuit, omnino distinctas. In prima quidem parte Mosaicam legem implevit, Agnum, & Azyma cum Discipulis comedens, in altera vero parte suum ipse Corpus comedendum dedit, novumque Testamentum instituit. Ita sane in Tridentinae Synodi Sess. XXIII. *cap.* I. *Catholica Ecclesia loquitur:* Christus in Caena novissima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto, multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha. *Atque in Divini Officii sacris Hymnis ita canit:*

In supremae noctae Caenae,
Recumbens cum Fratribus,
Observata Lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Postremo loco animadvertendum venit, hoc ipsum systema universae Patrum traditioni repugnare; e quibus ne unus quidem inventus

tus est, qui iret inficias, Christum in ultima Cœna Legale Pascha celebrasse. In hanc autem rem legi possunt Origenes Tract. 35. *in S.* Joannem, S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 82. *in Matth.* S. Hieronymus *in S. Matth. cap.* XXVI. Epiphanius *Hær.* 30. *aliique*.

Passer. Hebraicum vocabulum pro quovis avium mundarum genere ponitur, quarum scilicet usum Lex non vetabat; at Septuaginta Interpretes peculiari nomine passeris usi sunt: *Præcipies ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se*. Leprosus, qui pristinæ valetudini restitutus erat, vivos passeres duos cum frondium cedri, & hyssopi fasciculo purpurea fasciola vincto Sacerdoti offerebat in ipso Tabernaculi aditu. Sacerdos ei fasciculo avium alteram appendebat, & Leprosus avem alteram immolans, in vas aquæ plenum ejus sanguinem effundebat; tum Sacerdos fasciculum, & avem hac aqua sanguine mixta abluens Leprosum aspergebat, & avem ejus sanguine tinctam, quæ immolata fuerat, libertate donabat. Sacrificium hoc, quemadmodum Mosaicæ Legis cætera omnia, sacrificii Christi Domini figura erat. Passeres hi duo naturas Christi duas exhibebant. Immolatus passer sanctam ejus humanitatem designat, quam suo Ipse patri tamquam propitiatoriam pro Mundi peccatis omnibus victimam immolavit. Vivus passer, qui libertate donabatur, Servatoris Divinitatem significabat, qui vivus, & immortalis, ut Deus, remansit. *Passer* etiam pro quovis avis genere sumitur. *Transmigra in montem, sicut passer. Cedri Libani; illic passeres nidificabunt*.

Passio a verbo *patior*. Vocabulum hoc multos in sacris Litteris significatus habet. I. Tolerantiam significat: *Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*. II. Pro supplicio sumitur, quod Christus in Cruce pertulit: *Præbuit se ipsum vivum post passionem suam. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*. III. Pro præposteris cupiditatibus, quibus addicti sunt, quos concupiscentiæ tradit Deus: *tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*. Eventum quoque significat, cujus causa immundus erat, qui eidem suberat: *Si sanatus fuerit, qui hujusmodi sustinet passionem*.

Passus. Nomen hoc primo loco spatium significat, quod inter ambulantis utrumque pedem interest: *Cumque transcendissent, qui portabant Arcam Domini, tres passus, immolabat bovem; & arietem*. Secundo loco mensuræ genus quoddam: *Summittentes bolidem invenerunt passus viginti*.

Pastophoria. Græcum hoc vocabulum derivatur a πασος, quod ingens velum significat, quod Templorum foribus, in Ægypto potissimum, apponebatur. Sacerdotes, quibus id officii demandatum erat, ut, ostendendi Numinis ergo, vela hæc amoverent, *pastophori*, & loca, in quibus degebant, prope Templum, *pastophoria* nuncupabantur. In Sacris Litteris ita vocantur Sacerdotum ædes, quæ Hierosolymitani Templi porticus circum erant. *Pastophoria* quoque turris dicebatur, e cujus culmine hebdomadarius Sacerdos tuba sonabat, Sabbatumque, & festos dies populo nuntiabat. Vox hæc deinde ad Christianos transiit, qui eas ædium partes, quæ magnificas Ecclesias jungebant, *pastophoria* appellabant.

Pastor. I. Armentorum Custos: *Fuit Abel pastor ovium*. II. Is, qui præest, regit, moderatur; qua notione Deus sibi sumpsit nomen *pastoris Israel*; ac de se Christus dixit: *Ego sum pastor bonus*. Ecclesiæ quoque Ministri, Divinique verbi Præcones eodem nomine designantur: *Dabo vobis Pastores juxta cor meum*, & pascent vos scientia, & doctrina. Se perfecisse ait Dominus, ut electus populus cum Pastoribus Moyse, & Aaron, cæterisque Proceribus e Mari Rubro sospes & incolumis egrederetur. Id demum nominis Regibus, Principibusque tribuitur, qui populos moderantur: *Dormitaverunt Pastores tui. Affligentur, quia non est eis Pastor*. Israeliticus populus in Idololatriam lapsus erat, quin a Pastoribus de gravi discrimine moneretur, in quod se ultro conjecerat: *Super Pastores iratus est furor meus*; in Principes scilicet, ac Sacerdotes excanduit, qui primi impietatis, ac depravationis exemplum populo præbuerunt. *Adhuc sume vasa Pastoris stulti*. Ita Deus Zachariam

etiam alloquitur, monetque se a populo derelictum, ac proinde passurum, ut Pastoribus sensus expertibus subsir, cujusmodi Sacerdotes, & Magistratus erant, qui postremis temporibus Judaicum populum administrabant, quosque Christus lupos, & latrones vocat, qui non alio consilio accedunt, quam ut deprædentur, & enecent. Christus, in ea, quam exhiber, boni Pastoris imagine, eum ait pro grege vitam dare, eamque ipsum inter & oves necessitudinem interesse, ut oves Pastorem, & Pastor oves cognoscant; oves ejus vocem percipiant, ipsumque sequantur; Pastor oves præcedat, atque ita custodiat, ut eidem nemo eas e manibus rapiat. Jam vero nihil horum nisi Christo ipsi convenit, qui supremus ovium Pastor est, Pastorumque Princeps, qui *venit* (*Filius* hominis) *quærere*, *& salvum facere*, *quod perierat*; qui errantes oves mira bonitate, ut ad eum redeant, invitat; qui eas ita dilexit, ut pro ipsis vitam profunderet, quique moriens eas a luporum faucibus liberavit, suoque sanguine tamquam cælesti remedio eatum morbos sanavit, easdemque pristinæ valetudini restitutas, novoque robore instructas ad Cælestem patriam ducet, in qua æterna, prorsusque immutabili pace fruentur. De eo quippe dictum legimus: „ Statuam super oves meas unicum Pastorem, David servum meum; qui eas pascet ipse per se, eritque earum Pastor; ego ero earum Deus, meusque servus David inter eas veluti Princeps erit. „

Patara, Urbs Lyciæ ita dicta ab Apollinis Sacerdotibus, qui *Pataræ* dicebantur a פתר *phatar*, *interpretari*; quia scilicet Oracula interpretabantur. S. Paulus se Pataram contulit, ubi Navim conscendit in Galliam iturus: *Recto cursu venimus Coum*, *& sequenti die Rhodum*, *& inde Pataram*. Clarior evasit. Urbs hæc ortu S. Nicolai Mytensis Episcopi, cujus sacrum depositum servat Urbs Barlum in Neapolitano Regno, extructa eidem Ecclesia, quæ inter celeberrima ejusdem Regni Sanctuaria recensetur.

Pater. Hujus nominis multiplex, præter proximam, & omnibus obviam, in Sacris Litteris significatio est. Nimirum I. Deum omnium generatim hominum patrem significat; *Unus Deus*, *& pater omnium*. Et sane tamquam Creatori, servatorique rerum omnium convenit ejusmodi titulus; at idem potiore jure Fidelium pater est, quibus Christus sua ipsius morte adoptionem, & si ita loqui licet, filiationem contulit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, *in quo clamamus*, *Abba*, *pater*. II. Pater pro prima SS. Trinitatis Persona sumitur, quæ Filii principium est, cui Divinitatem suam comunicat, quemque ab omni æternitate generat: *Nemo novit Filium nisi Pater*, *neque Patrem quis novit nisi Filius*. III. Hoc nomine significatur Messias, seu Christus: *Pater futuri sæculi*, quia nempe Deo nos ob æternitatem generat, ad quam nos ipsos, collata fide, veluti manu ducit. IV. Patris nomen accipitur non modo pro patre, a quo proxime nati sumus: *Ego filius fui patris mei tenellus*; verum etiam pro Avo, Bisavo, Auctore familiæ, quantumvis ab iis distet, qui loquuntur: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui*, ita Deus ad Jacob, *erisque pater multarum gentium*, ita Deus ipse ad Abraham; quod intelligitur non de iis tantum compluribus Populis, qui ab Abraham prodiere secundum carnem, Judæis, Saracenis, Idumæis, Madianitis &c. sed etiam de innumeris Populis, qui renati Christi sanguine, Abrahæ veri filii aliquando evadent, hujus Patriarchæ fidem imitati. V. Pater significat etiam Reges, Magistratus, Præfectos, Magistros denique, qui erudiunt. *Pater*, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta*, *certe facere debueras*; ita servi ad Dominum Naaman. *Pater mi*, *currus Israel*, *& auriga ejus*, ita ad Eliam Elisæus. VI. Seniores significat: *scribo ad Urbis patres*; S. Joannes hoc loco Fideles tribuit in classes tres, ut alii Patres, seu Seniores sint, qui probe Religionis mysteriis imbuti sunt, alii Juvenes, quibus non nisi mediocris eorumdem notitia suppetit, alii demum pueri, qui prima rudimenta percipiunt. VII. Hoc nomine rei alicujus Auctor, seu inventor designatur: *Mendax est*, *& pater mendacii*; de Diabolo sermo est. *Ipse fuit pater canentium cithа-*

cithara, *& organo*; Jubal nempe citharam, & organum pulsandi artem invenit, eamque primus hominibus tradidit. *

* *Tribuitur denique id nominis Ecclesiæ Patribus, Sanctisque Doctoribus, quorum doctrina, scriptisque Traditio constat. Id Ecclesiasticis potissimum commendatur, ut SS. Patrum libros nocturna versare manu, versare diurna nunquam desistant.* Quicumque, *inquit magni nominis Scriptor D.* Bossuet *in libro, cui titulus:* Traditionis, & SS. Patrum Defensio, idoneus Theologus, & perspicax Interpres evadere vult, Patres legat, & relegat. *Si quando plures in Recentioribus minutias comperis, sæpissime vel in uno Veterum Patrum libro plura Christianæ doctrinæ principia, & majorem quasi succum, quam in novorum Interpretum voluminibus multis invehiet; & quam percipiet, antiquatum Traditionum vis, quidquid temporis, & laboris in SS. Patrum lectionem impenderis, uberrime compensabit. Quod si tædio Lector afficitur, dum ea legit in Patrum libris, quæ utpote moribus nostris, & erroribus, quos novimus, minus accommodata, fortasse frugis expertia videri possunt; meminerit, ea ipsa Patrum temporibus ad rem fuisse, & adhuc iis mirifice prodesse, a quibus sedulo perpenduntur; quod enim ii doctrina, & pietate præstantes Viri, electorum frumento, putaque Religionis substantia nutriti, propius, & uberius hauserunt ex ipso fonte, nobisque tradiderunt, utilius profecto fuerit, quam quidquid alii deinceps excogitarunt.*

Patres nuncupantur Genitores nostri, quibus omnis observantia, seu reverentia debetur. Hoc erga parentes officium Deus peculiari præcepto firmavit, quod Decalogi quartum est; & nimirum unum, cui Deus ipse explicitis verbis mercedem promiserit: Ut sis longævus super terram. *Præceptum hoc filios obligat, ut parentes obsequio prosequantur, rerumque ad eos pertinentium curam suscipiant. Ita illud explicat Tridentini Concilii Catechismus:* Honorare est enim de aliquo honorifice sentire, & quæ illius sunt, maximi putare omnia; ut proinde filii parentes amore, & in rebus omnibus humili sollicitudine complecti, atque ita comparati esse debeant, ut iisdem, prout occasio, ac necessitas postulaverit, opitulentur. Id exprimunt *hæc vocabula quatuor*: amor, observantia, obedientia, cultus. *Atque id factis quoque ostendendum est; ut proinde filii nulla non in re se patri & matri obsequentes exhibere debeant,* infirmosque, *& senio confectos æquo animo ferant, quin de iis conquerantur; idque earum omnium tum corporis, tum animi sollicitudinum ratione habita, quas parentes olim pro iisdem filiis tolerarunt. Tobiæ morientis hoc ad filium monitum fuit:* Memor enim esse debes (*Tob.* 4.), *quæ & quanta pericula passa sit propter te, in utero suo. De matre loquitur; in quam rem ita Sapientia:* Et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. *Contra vero Sacræ Litteræ gravissimas pœnas iis minitantur, qui non ita se gesserint:* Qui affligit patrem, (*Proverb.* XIX.) & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix. Qui maledixit (*Levit.* XX.) patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Qui maledixit patri suo, vel matri, morte moriatur.

At filiorum quoad parentes amor & obedientia ordine contineantur, oportet, qui ipsis debetur, ut scilicet id primum fiat, quod Deus, ejusque sancta præcepta sibi vindicant. Unum est, inquit S. Augustinus in Psalm. 70. *in quo filius patri parere non debet, si quid nempe filio pater præcipiat, quod Divinæ Legi repugnet; neque vero pater dolere debet, filium Deo potius quam sibi parere.* S. Thomas Quodlib. 2. art. 9. in corp. *docet, obedientiam, qua de loquimur, in iis versari, ad quæ prælationis jus extenditur; I. scilicet in iis, quæ ad familiæ regimen spectant; pater enim ejusmodi rerum absolutus dominus est; II. in iis, quæ ad bonos mores spectant.*

Patrum porro & Matrum erga filios officia late patent. I. In id sedulo incumbere debent, ut filiis subsistentiam, & congruam educationem suppeditent. II. Operam dare, ut iis probe imbuantur, quæ ad Religionem pertinent, pro ut sane Sacra Scriptura præcipit: Filii tibi sunt; erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. *Eccl.* VII. Doce filium tuum, & operare in illo. *Ibid.* XXX. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. *Proverb.* XXIX. Educare illos in disci-

fciplina, & correptione Domini. *Ephes. vi.* III. *Curare, ut animorum suorum motus filii moderentur, suamque de Dei gloria sollicitudinem præ se ferre, sæpe commemoratis prodigiis, quæ edidit, & beneficiis, quibus nullo non tempore nos amplissime cumulat, ut hæc audientes filii suam omnem spem in Deo collocent*: Narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant. *Psalm. 77.* IV. *Cohibere pro viribus in filiorum animo præposteros motus, & perniciosas cupiditates, quibus homines vulgo abripiuntur*: Quoniam omne, quod est in mundo, *inquit S. Joannes*, concupiscentia carnis est. V. *Peccati, tamquam malorum omnium gravissimi magnum iis horrorem inspirare, exemplis pro eorum captu ob oculos positis, cujusmodi sunt inobedientia, mendacium, vindictæ desiderium &c.* VI. *Iis sæpe obstrictam in baptismo fidem repetere, ejusque vim, & amplitudinem ob oculos ponere; causa exempli, ambitionem, arrogantiam, vanam gloriam, fastum, luxum, & quidquid cupiditates fovet, sollicitatque, Dæmonis pompas esse.* VII. *Cavere, ne, iis præsentibus, vitia probentur, & pravi mores, ac ne pietati addicti homines irrideantur.* VIII. *In iis acriter, & assidue quidem, arguere, quidquid grave ac periculosum evadere potest*: Noli subtrahere a puero tuo disciplinam . . . . . in virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. *Proverb.* XIII. Qui parcit virgæ, odit filium suum. *Ibidem. Neque enim mollis lenisque sed inhumani & crudelis animi est, filii pravas cupiditates, & vitia fovere, ne quid ei lacrymarum effluat. Porro qui eum sæva hac indulgentia in malo detinet, non patrem se, sed hostem exhibet. Verum obligationum omnium prima, quæque si desit, documenta, quæcunque tandem fuerint, nihil prosunt, bono parentum exemplo continetur; magis enim movent exempla quam verba; & facta quidem filiis veritates ob oculos ponunt, quas percepterunt. Id demum dicitur parentum esse, filiis significare*, Juvenalem Sat. XIV. *id in hanc rem docuisse, quod Christianos pudore suffundat tribus hisce versiculis*:

Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Pathmos, *mortalis*, Insula Maris Ægæi inter Insulam Cairum, & Promontorium Mileti, in quam S. Joannes a Domitiano relegatus fuit. Ibi revelationes obtinuit, quas in Apocalypsi descripsit: *Ego Joannes fui in Insula, quæ vocatur Pathmos.* Insulam hanc hodie *Patinum* vocant, in qua specum ostendunt, ubi Apocalypsim a Joanne scriptam contendunt.

Patientia derivatur a *pati*. Nomen hoc Dei patientiam significat, qui peccatoris resipiscentiam expectat: *Quando expectabat Dei patientia in diebus Noe.* Hominis quoque patientiam significat, qui mala constanter perfert: *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Commendatur patientia Job, qui inter tot mala, quibus oppressus fuit, nunquam indignatus est. Sumitur quoque vox hæc pro agendi ratione, quæ certa & immutabili regula nititur: *Doctrina viri per patientiam nascitur.* Denique pro constanti in bonis operibus perseverantia: *iis, qui secundum patientiam boni operis*; Deus iis æternam gloriam tribuit, qui per patientiam in bonis operibus immortalitatem quærunt.

Patriarcha, *Princeps patrum*, is, a quo familia, seu Tribus originem duxit: *Jacob genuit duodecim Patriarchas.* Ex his porro Patriarchis duodecim prodiere Tribus duodecim populi Israel. Nomen hoc antiquis potissimum Patribus, qui ante Mosem vixere, tribuitur, cujusmodi fuerunt Adam, Lamech, Noe, Sem, Heber, &c. Vocabulum hoc pro honoris quoque titulo sumitur, qui in eum confertur, qui dignitate, & auctoritate cæteris præstat: *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David*; ita in *Act. Apost.* Atque hoc sensu Christiana Ecclesia Patriarcharum nomine insignitos voluit præcipuarum Orientis Ecclesiarum Episcopos, ut Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæ, Constantinopolitanæ, &c. Religiosorum quoque Ordinum Fundatoribus Patriarchæ nomen tribuitur.

Pa-

Patria pro nativa regione sumitur: *Nato Joseph, dixit Jacob socero suo; dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam*. II. Pro regione, in qua quispiam altus educatusque fuit: *& veniens in patriam suam, docebat*, quod de Nazareth intelligitur, ubi Christus Dominus educatus fuit. III. pro aliqua universim regione, seu Urbe: *ab uno sensato inhabitabitur patria*. Prudens vir unus universam Urbem populo cumulabit. IV. Denique pro Cœlesti patria, ad quam Christiani omnes contendere debent: *Qui hæc dicunt, significant se patriam inquirere*.

Patrobas, paternus, Apostolorum discipulus, de quo S. Paulus in Epistola ad Romanos; quod unum monumentum nobis ejus notitiam servavit.

Paulus, parvus, primo quidem notus Sauli nomine: *Saulus autem, qui & Paulus*, erat e Tribu Beniamin, in Ciliciæ Urbe Tarso natus, & hoc quidem titulo Romanus Civis: *Ego quidem sum Judæus, non ignotæ Civitatis municeps*. Eum pater, qui Pharisæus erat, Hierosolymam misit, ubi educatus fuit, & imbutus a Gamaliele scientia Legis, de qua se maxime sollicitum semper exhibuit: *Æmulator Legis, sicut & vos estis hodie*. Pharisæorum sectæ se addixir, quæ sedulitate ac severitate, quemadmodum etiam fastu, & in Christum odio cæteras superabat. Eum de Mosaica Lege sollicitudo eo demum impulit, ut Religionis ergo ipsam Christi Domini Ecclesiam persequeretur; & cum S. Stephanus Protomartyr lapidibus obrutus fuit, ad ejus mortem & ipse contulit, Militum vestes custodiens, qui in sanctum Protomartyrem saxa jaciebant: *consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium eum*. Quoniam vero non nisi sanguinem, cædemque anhelabat, suæ sollicitudinis vim non ita cohibuit, ut Hierosolymæ Fideles tantum persequeretur; sed a Sacerdotum Principe per litteras in Damascum facultatem obtinuit, ut ibidem quoscunque nactus esset, Christianos occideret. At cum iter faceret, subita acerrimaque luce perstrictis oculis, excæcatus, & humi provolutus, ejusmodi vocem audiit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quis es, Domine, respondit: ille: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris*. Paulus totis artubus contremiscens: *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Eum Jesus surgere jussit, & Damascum pergere; ejus enim voluntatem ibidem ei notam fore. Surrexit ergo Saulus, apertisque licet oculis, non videbat omnino; quod comites impulit, ut manu prehensum Damascum ducerent, ubi triduum constitit, quin cibi quidquam potusve sumeret. Ananias interea, cui Dominus revelaverat, Saulum ex persecutore vas electionis evasisse, domum, in qua Paulus versabatur, ingressus, ei manus imposuit, visumque reddidit, assurgensque Saulus baptizatus est, Sanctoque Spiritu cumulatus. Cibo deinde sumpto, refectis viribus, cum Discipulis, qui Damasci erant, per aliquot dies constitit, Christum fidenter in Synagogis Messiam prædicans, propugnansque: *& continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei*. Aliquanto post in Arabia se contulit, unde statim Damascum rediit, ibique triennium circiter commoratus Christum nuntiare, ejusque fidem propagare non destitit. Hanc Sauli mutationem, ac per ejus ministerium Evangelii progressum inique ferentes Judæi sæpius ejus vitæ insidias struxerunt; quibus acriter instantibus, se Damasci Præses effecturum promisit, ut Saulus iis traderetur. At de conjuratione certiores facti, *accipientes eum Discipuli, nocte per murum dimiserunt eum summittentes in sporta*; clausis scilicet Urbis portis, ne Saulus evaderet. Illinc ergo Hierosolymam perrexit tertio post conversionem anno, ut Petrum, cæterosque Discipulos ibidem inviseret, a quibus primo quidem dubitantibus, at a Barnaba de mira conversione monitis exceptus fuit. Ex eo tempore Evangelium Gentibus nuntiandum suscepit, cum Judæi, cujus verborum vim sustinere non poterant, interficere statuerunt. At eorum furori subductum Fideles Cæsaream primum, tum Tarsum Ciliciæ, quæ ejus patria, duxerunt. Ibi quinquennium circiter aut sexennium constitit ad an. Christi 43. quo Barnabas eo se contulit, ut eum Antiochiam duceret, ubi multos sibi discipulos addiderunt; ac tum quidem Christianorum nomen Fideli-

tendentibus sine circumcisione ac legalium Cæremoniarum cultu salutem obtinere non posse; Paulus, & Barnabas, cum in eos novos Doctores invecti essent, electi fuere, qui super hoc capite Hierosolymis Apostolos consulerent. Apostoli porro, cum convenissent, definierunt, Ethnicos Legis jugo subdendos omnino non esse, sed solum dololatriam, fornicationem, suffocatæque carnis, & sanguinis usum vitare debere: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: Ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. Act. xv.* Paulus, & Barnabas decretum hoc Antiochiam attulerunt, ibique publice legerunt. Post tempus hoc S. Petrus Antiochiam profectus, cum Gentes ad Legalia adigere videretur, a S. Paulo increpitus fuit *; qui cum statuisset una cum Barnaba per Urbes excurrere, quibus Evangelium nuntiaverant, ab eo se sejunxit Marci causa, quem ejus itineris comitem volebat Barnabas. Paulus ergo, sumpto Sila, Syriæ, & Ciliciæ Ecclesias invisit, Lystram venit, ubi Discipulum comperit, Timotheum nomine, quem sibi comitem addidit: Tum Phrygiam, & Galatiam petiit, volensque in Asiam, & Bithyiam pergere, a Dei Spiritu prohibitus fuit: *Vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*. Troade dum esset, visionem obtinuit, e qua se a Deo in Macedoniam accitum agnovit: *Vir Macedo stans, & deprecans eum, dicens: transiens in Macedoniam, adjuva nos*. Cum ergo Troade vela dedisset, Neapolim Macedoniæ Urbem pervenit, unde Philippos se contulit. Ibi Liddam, quæ purpuræ mercaturam agebat, fide imbuit, & puellam Servam sanavit, quæ obsessa erat; at Servæ Domini, qui lucri multum ex ejus conditione percipiebant, Magistratibus Paulum & Silam stiterunt, a quibus victi, & in carcerem trusi Deum laudabant, eique benedicebant. Sub mediam noctem vehemens terræ motus contigit, quo carceris fundamentis excussis, apertis januis, captivorumque fractis vinculis, custos ad ea prodigia fidem amplexus, cum tota familia baptismum suscepit. Magistratus ergo Ministris mandarunt, ut captivos duos liberos abire finerent; at Paulus id beneficii detrectans, quippe quod minime deceret, Romanum Civem, post virgarum & carceris injuriam, clam dimitti, Magistratus adegit, ut ipsi excusationem petituri, & libertatem daturi venirent. Tum vero Paulus & Silas Amphipolim, per Apolloniam, & Thessalonicam Macedoniæ metropolim profecti sunt, ubi Synagoga Judæis erat. Eam de more Paulus ingressus, per tria deinceps Sabbata Evangelium nuntiavit. Credidere nonnulli; at cæteri populum concitarunt, qui Jasonis domum obsedit, in qua Apostolus versabatur; qui proinde coactus est ex Urbe egredi, & Beræam petere, ubi e Judæis Ethnicisque non paucos convertit. Ac illinc etiam abire necesse habuit, & Athenas navi pergere; ubi Areopagum subiens, Athenienses Idololatriæ præter omnem modum addictos increpuit, ac de vero Deo rerum omnium graviter edocuit: *Stans ergo Paulus in medio Areopagi, de Ara, quæ apud eos erat, ignoto Deo dicata, disserit, Deum esse, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, eumque, cum sit Cæli & Terræ Dominus, non in manufactis Templis habitare* **. Nonnulli fidem suscepere, quos inter Dionysius senatorum unus, & fœmina dicta Damaris. Athenis deinde discessit Apostolus, & Corinthum se contulit, ubi menses octodecim apud Aquilam Judæum constitit, tentoriis cum eo conficiendis ad victum vacans. Singulis interea sabbatis in Synagoga, non sine fructu, differere non desistebat. Illinc etiam primam ad Thessalonicenses Epistolam, & paulo post, alteram scripsit. Tum vero ut Pentecostes festum Hierosolymis ageret, e Cinerum portu solvit, ubi sibi capillos amputavit, ut edito Nazareatus voto satisfaceret: *habebat enim votum* ***. Ephesum pervenit, unde Cæsaream Palæstinæ migravit, inde Hierosolymam, ubi suæ satis pietati fecit, tum Antiochiam, deinque Galatiæ, Phrygiæque Ecclesiis deinceps lustratis, Ephesum redit, ubi triennium moratus, ab anno scilicet Christi 54. ad 57. nunquam non Evangelium nuntiavit, suismet manibus sibi victum comparans, ne cui molestus, gravisque esset;

virtutesque, miracula nempe, *faciebat Deus per manum Pauli*. Ibi multum ei tolerandum fuit tum a Judæis, tum a Gentibus; narratque ipse, se cum bestiis pugnasse, videlicet, ut Interpretum plerique sentiunt, se in Amphitheatro bestiis expositum, divinaque virtute liberatum fuisse. Ephesi commorans, ad Galatas scripsit, ut eos contra pseudo-Doctorum thecnas muniret, nec non primam ad Corinthios Epistolam misit, ut obortas apud eos turbas sedaret. Ex hac demum Urbe expulsus fuit, Demetrii argentarii conjuratione, qui populum in eum concitavit; quia scilicet ejus omne commercium, quod in minutis Ephesinæ Dianæ statuis positum erat, S. Pauli Sermonibus evertebatur. Apostolus ergo, Discipulis vale dicto, in Macedoniam iter instituit, ubi non nihil otiatus, alteram ad Corinthios Epistolam dedit, in qua pseudo Doctores impugnat, qui ei fidem adimere conabantur. Tum tertio Corinthum venit, unde suam ad Romanos Epistolam misit, in qua potissimum in id incumbit, ut gratiæ & prædestinationis doctrinam explicet; ac deinde in Macedoniam rediit, eo animo, ut ad Pentecostes festum Hierosolymam se conferret. Philippis per aliquod tempus commoratus, Troadem navi petiit, ubi adolescentem, Eutychum nomine, e fenestra delapsum, cui dormiens insidebat, a morte excitavit: *Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit, nolite timere; anima enim in ipso est; & adduxerunt puerum viventem, & consolati sunt*. Illinc pedes Assen, aliter Apolloniam perrexit, & navi Mitilenem petiit, unde Miletum se contulit. Eo Ephesinæ Ecclesiæ sacerdotes accivit, quos ad gregem recte administrandum hortatus de malis omnibus monitos voluit, quæ Hierosolymis passurus erat. Cum autem iis extremum vale dixisset, navim conscendens venit Coum, postridie Rhodum, deinque Pataram, ubi navim ad Phæniciam nactus, feliciter Tyrum pervenit. Ex hac postrema Urbe Prolemaidem primum, tum Cæsaream se contulit, ubi Propheta Agabus, sumpta Pauli zona, sibique ad manus pedesque alligata, prædixit fore, ut ita Apostolus Hierosolymis a Judæis vinciretur, & Gentibus traderetur: *Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus est Zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus Gentium*. Non eum tamen hoc vaticinium impediit, quominus Hierosolymam iter susciperet, ubi non sine magna fratrum omnium lætitia exceptus, Jacobum Urbis Episcopum postridie convenit, cui coram Apostolis omnibus rerum earum omnium rationem reddidit, quas per ejus ministerium Deus inter Ethnicos egerat. Tum vero cætus omnis Deo gloriam exhibuit; monitumque Paulum de malo Judæorum in eum animo omnes horrati sunt, ut aliqua ratione se Mosis Legi addictum ostenderet, & se hominibus quatuor adderet, qui ob editum Nazareatus votum, ad purificationem accessuri erant; atque ita quidem Paulus se gessit; at sub Cæremoniæ finem, quæ dies septem complectebatur, eum Asiæ Judæi in Templo conspicati, populum concitarunt, cujus furor eum obruisset, nisi Lysias Tribunus subtractum in Arcem duxisset. Postridie cum ejusdem Lysiæ jussu, Sacerdotes senatusque Judæorum convenissent, in eorum conspectum adductus Paulus se purgandi facultatem obtinuit; at et dicere vix aggresso Ananias summus Pontifex alapam impactam voluit; percussus Apostolus Pontificem *parietem dealbatum* vocavit; at de ejus dignitate certior factus, se ob inscitiam excusavit: subdiditque: *scriptum est enim: Principem populi tui non maledices*. Quoniam vero cætum Pharisæis, & Sadducæis constare noverat, se Pharisæum, & Pharisæi filium venditavit. Hac significatione divisis animis, Tribunus seditionem veritus Paulum amotum voluit, qui in Arcem ductus fuit. Et sequenti nocte Dominus apparuit, & animos addidit: *Constans esto; sicut testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. Interea Tribunus de voto monitus, quo Judæi quadraginta se obstrinxerant, ne cibum scilicet, potumve sumerent, ante quam Paulum occiderent, eum probe custoditum ad Felicem Prætidem misit, qui biennii spatio Cæsareæ detentum, abiens reliquit in carcere, ut Judæis morem gereret. Ejus successor Festus ad Tribunal accito Paulo, cum nullius delicti reum comperisset, pro-

posuit, ut: obtinendi judicii causa, Hierosolymam pergeret; at ille de morte monitus, quam ei Judæi per iter parabant, Cæsarem appellavit, atque ita detentus fuit Romam mittendus. Post dies aliquot, Agrippæ, ac Reginæ ejus conjugi se stitit, quos de sua ipsius innocentia convicit; & Romam Adrumetinâ, quæ Mysiæ Urbs est, navi petiit. Ciliciæ & Pamphyliæ maria prætergressus, Lystram Lyciæ pervenit, ubi navim conscendit, quæ in Italiam veladabat; at, tempestate jam minus idonea, adversoque vento, navis naufragium passa est, omnisque comitatus, qui absque Pauli consiliis periisset, feliciter ad Insulam Melitam appulit, cujus incolæ Paulum sociosque humaniter susceperunt ****. Menses tres Apostolus ibidem transegit, ubi Publii, loci principis patrem sanavit, aliaque multa miracula edidit; tum Syracusas navi petiit, unde Regium venit, deinde Puteolos, ubi per dies septem a Christianis detentus, tandem Romam pertexit. Qui Romæ fratres erant, ei ad Appii nundinas occurrerunt, & Urbem ingresso licuit, uno custode milite, quo vellet, divertetere. Biennium totum Romæ commoratus, nunquam Dei Regnum, & Christi Religionem nuntiare destitit, obsistente nemine. Multos ad fidem, vel in ipsa Imperatoris Aula, pertraxit. Tum vero ad Philippenses Epistolam scripsit, qui cum Apostolum Romæ in carcere jacentem audissent, Epaphroditum Episcopum suum ad eum miserunt, qui eum, allata pecunia, solaretur. Hinc etiam scripsit ad Philemonem in Onesimi ejus servi gratiam, quem ipse converterat, & cui aliam ad Colossenses Epistolam ferendam tradidit. Denique post captivitatis annos duos, libertate donatus fuit; at non constat, qua demum ratione accusationem diluerit, quam in eum Judæi confixerant. Tum vero peragravit Italiam, unde ad Hebræos Epistolam scripsit *****. Eum nonnulli in Hispanias profectum volunt, id scilicet executum, quod in sua ad Romanos Epistola sibi in animo fuisse ait: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quod præteriens videam vos*. Id certum est, eum in Asiam rediisse, Ephesum pertexisse, ubi Timotheum reliquit; in Cretam se contulisse, ubi Titum collocavit, & ad Philippenses, quemadmodum promiserat, invisendos reversum esse: *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito*. Atque illic dum esset, primam ad Timotheum Epistolam misit. Tum Nicopoli parumper constitit, ad Titum scribens, ut eo se conferret: *Festina ad me venire Nicopolim; ibi enim statui hyemare*. Troadem rediit, ubi vestem, librosque nonnullos apud Carpum reliquit. Epheso transiit, deinde Mileto, denique Romam reversus, in carcerem rursus conjectus fuit. Hac autem ex Urbe secundam ad Timotheum Epistolam misit, quæ veluti ejus Testamentum spectatur, & Epistolam ad Ephesios. Magnus hic Apostolus die 29. Junii an. Christi 66. martyrio affectus fuit. Ei abscissum caput Neronis jussu in loco ad *aquas salvianas* dicto, & in via Ostiensi sepultus est ******. Extructa super ejus tumulo magnifica Ecclesia, quæ adhuc subsistit. S. Pauli quatuordecim Epistolæ nobis suppetunt, ejus nomine inscriptæ, ea excepta, quæ ad Hebræos est. Eæ sane non habita ratione temporis in Novo Testamento positæ sunt, sed spectata tum eorum, ad quos datæ sunt, dignitate, tum rerum gravitate, de quibus aguut. De iis nos hoc in articulo ex ordine, qui iisdem congruit, locuti sumus. Tribuuntur. S. Paulo opera alia, sed falso *******. Quod nobis ab hoc S. Apostolo scriptum præsto est, satis eum superque gratiæ & sanctitatis prodigium, universæque Ecclesiæ Magistrum ostendit. Eum S. Augustinus tamquam Apostolorum omnium Magistrum spectat, quo scilicet nemo fusius, nemo profundius, nemo majore perfusus lumine scripsit; & S. Joannes Chrysostomus se quidquid noverat, ex S. Paulo didicisse testatur, inventurosque Fideles in ejus Epistolis, quidquid ipsis ad instituendæ vitæ rationem opus est. Quemadmodum semper Evangelia, ita S. Paulus legendus, qui eorum primus & præstantissimus Interpres est.

* *Ad S. Petrum a S. Paulo reprehensum quod attinet, quæritur primo loco, eumne Paulus ex animo, an simulate increpuerit*. S. Hieronymus & S. Augustinus vehemen-

menter super hoc capite disputarunt. S. Augustinus Petrum a Paulo sincere ac serio increpitum asserebat, S. Hieronymus ficte, specie tenus, & ex condicto, ut nimirum e Petri exemplo, qui Paulo obsequebatur, cæteri docerentur, legales Cæremonias abrogandas esse, neque ita fidem conversis Ethnicis imponendas. Magis recepta est S. Augustini sententia, eam nempe reprehensionem seriam & sinceram fuisse, ut Petri exemplo Ethnici ad fidem conversi perciperent, se judaizantes Evangelii veritatem minime servaturos. S. enim Paulus ad Galatas scribens testatur coram Deo se dicere, quod res est: Quæ autem scribo vobis (*inquit cap.* 1. 20.) ecce coram Deo, quia non mentior. *Quod si reprehensio simulata fuisset, profecto mentitus esset. Ita S. Augustinus Epist.* 82. *cap.* 2. §. 7. *ratiocinatur*: Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus est Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit. Et ideo falsum de illo dicit, qui dicit, eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem vere scripsit Paulus, verum est, quod Petrus tunc non recte ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat; & si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correctum potius etiam ipsum credam Coapostoli sui correctionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua Epistola posuisse; & in Epistola qualibet, quanto magis in illa, in qua prælocutus ait: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. *Hac ergo, aliisque ejusmodi rationibus permotus S. Hieronymus, tandem S. Augustini, & S. Cypriani sententiam amplexus est, quemadmodum legitur in ejus primo contra Pelagianos libro cap.* VIII. Vult certe Deus tales esse Episcopos, sive Presbyteros, quales vas electionis decet. Primum quod dixit, irreprehensibilis aut nullus, aut rarus. Quis est enim, qui non quasi in pulcro corpore aut nævum, aut verrucam habeat? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in veritate Evangelii, & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus sit in eamdem simulationem, quis indignabitur, id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit? *Hinc S. Thomas* 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *concludit*: Unde verum est, quod Petrus peccavit, & Paulus vere eum, non simulatorie reprehendit.

** *Dubitatum est, an Aræ, de qua S. Paulus, ista sit inscriptio:* Ignoto Deo. *S. Hieronymus in Epistolam ad Titum cap.* 1. *inscriptionem negat*: Nam inscriptio, *inquit*, Aræ non ita, ut Paulus asseruit: *Ignoto Deo*; sed ita: *Diis Asiæ, Europæ, & Lybiæ, Diis ignotis, & peregrinis*. Verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotassent, & recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant. *Utraque tamen inscriptio vera esse videtur. Cum enim apud Lucianum, seu quicunque Dialogi Philopatoris Auctor sit, Ethnicus quidam Athenis per Deum ignotum juret; contra vero Philostratus in Apollonii Thianei vita lib.* VI. cap. 3. *Aras ignotis Numinibus dicatas Athenis fuisse pronunciet; admodum probabile fit, quod ait Baronius ad an.* 52. §. 7. *præter Aram ignoto Deo sacram, quamque S. Paulus se vidisse testatur, aliam Athenis eo titulo inscriptam, quem refert S. Hieronymus, extitisse. Tertullianus quoque lib.* II. *ad Gentes* cap. IX. *& lib* I. *contra Marcionem* cap. IX. *apud Athenienses* ignotis Deis, *& apud Romanos* incertis Diis *inscripta Altaria fuisse scribit. Hinc illud atauctur, Ethnicos Judæorum, & Christianorum Deum* ignotum *&* incertum *vocantes, huic dubio procul Altaria dicasse. Legatur* Usserius *in Annalibus Veteris & Novi Testamenti ad an. Æra Christianæ* 54. *&* Calmet *in Dissertatione Apostolicis dictibus præfixa super Epigraphe Aræ Athenarum*: ignoto Deo.

*** *Nazaræorum erant genera plura. Alios quippe Nazaræos efficiebat votum, alios locus, alios dogma, alios Christiana Religio, alios denique Pentateuchi divisio, ut fuse explicat* Joannes Gottlob Carpzovius *in suis ad Mosem & Aaron* Thomæ Good-Win *adnotationibus. S. Paulus Nazaræus voto fuit, & quidem ex S. Jacobi Mino-*

ris

ris consilio, quemadmodum legitur in Act. Apost. cap. XXI. 23. *ut nempe Judaeorum persecutionem evitaret, cui Judaei, quem Mosaicis Caeremoniis infensum nossent, minitari jam coeperant. Ita S. Hieronymus in cap.* IV. *Epistolae ad Galatas:* ut eorum sedaret invidiam, qui causati de eo fuerant, quod contra legem Moysi, & Deum faceret Prophetarum. *Hac ille de causa se Fidelibus quatuor Nazareatus voto obstrictis addidit, magnamque pecuniae vim ad eorum comae tonsionem contulit, ut Judaeis persuasum fieret, eum Mosaicae legi non refragari. Qui porro ejusmodi voto obligatus erat, ad usque solvendi voti tempus vino obtinere debebat, & comam alere. Criticorum Sacrorum, aliorumque Interpretum Sinopsis in* cap. Act. XVIII. *memoriae prodit, eo quidem tempore Nazareatus votum ad tempus durasse, quemadmodum etiam ex Josephi Hebraei testimonio ad an.* 58. §. 127. *Baronius docet. Quod si quis interim, eo praesente, occubuisset, statim sibi, tanquam polluto comam abscindere debebat, ut Nazareatum redintegraret. Paulus ergo, quemadmodum Eruditi Viri censent, subita cujusdam hominis morte pollutus, antequam in Syriam navi pergeret, sibi Cenchris caput abrasit, ut voto deinde satis ex Lege faceret, statoque tempore. in Hierosolymitano Templo comam deponeret, quod eum fecisse ex* Act. cap. XVIII. *&* XXI. colligitur. *Atque id sane innuunt ea Pauli verba in* I. *ad Cor. Epistola cap.* IX. 20. Et factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer. *Hinc S. Hieronymus in Epistolae ad Galatas caput* II. *ita scribit:* Paulus Judaeis Judaeus factus est ut Judaeos lucrifaceret, quando caput totondit in Cenchris, & factae calvitio, oblationem obtulit in Jerusalem. *Et in caput* IV. *S. Paulum refert nonnulla Festa nudis pedibus peregisse, Hierosolymis celebrari solita, dicto proinde* Nudipedalia. *Denique lib.* I. *contra Jovinianum cap.* VIII. Multa, *inquit*, compellitur Apostolus velle, quae non vult: circumcidit Timotheum, rasit in se calvitiem, Nudipedalia exercuit, comam nutrivit, & totondit in Cenchris.

**** *Adhuc est sub judice, quae tandem* Melita *fuerit, cujus incolae S. Paulum humaniter susceperunt.* S. Lucas *Act. Apostol. cap.* XVII. *&* XVIII. *S. Paulum refert, cum Romam ad Imperatorem, quem appellaverat, mitteretur, Navi naufragium passu, se cum sociis sospitem & incolumem in* Melitam *Insulam recepisse. Hinc orta inter doctos Viros controversia, utrum ea Melita sit, quae ad Adriaticum Mare sita est, vulgo* Meleda, *an vero Melita Siciliam inter & Africam posita, incliti invictique Hierosolymitanorum Equitum Ordinis sedes dicta* Malta, *de qua legi potest hujus Dictionarii Articulus* Melita. *Afferuntur utrinque momenta plura; ut hac in re veritatem quaerenti aqua haereat. Pro* Melita *Siciliam inter & Africam sita pugnat* Cluverius *lib.* II. *de veteri Sicilia* cap. XVI. pag. 438. *Pro* Melita *sinus Adriatici accurate fuseque haud ita pridem disputatum est ab eruditissimo* P. D. Ignatio Georgio *Benedictino Congregationis Melitensis Ragusii in libro, cui titulus:* Divus Apostolus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitae Dalmatensis Insulae post naufragium hospes. *Porro praecipua, quam affert, ratio ejusmodi est. S. Paulus, referente S. Luca* Act. cap. XXVII. v. 27. *sub naufragii finem nocte decima quarta, cum se nautae Regioni proximos perspexerunt in quam prima luce se receperunt, in* Adria *navigabat. Jam vero Adriaticum Mare inter Veneti Sinus, & Italiae fines ab omnibus tum Christianis, tum Ethnicis Scriptoribus ponitur, qui ante Antoninos Imperatores, & ante Aerae Christianae* 138. *annum floruerunt, quique de Adria, seu de Adriatico Sinu verba fecerunt. Non ergo in Lybici, seu Siculi, seu Jonici, sed in Adriatici Maris* Melitam *se S. Paulus recepit.*

***** *S. Pauli Epistolae omnes ejus nomen praeseferunt, una ad Hebraeos Epistola excepta; quod olim de ejus Auctore dubitandi locum praebuit, ut monet* S. Hieronymus *in* libro *de Scriptoribus Ecclesiastici* cap. V. Epistola autem, quae fertur ad Hebraeos, non ejus creditur, propter stili, sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabae, juxta Tertullianum, vel Lucae Evangelistae, juxta quosdam, vel Clementis, Romanae postea Ecclesiae Episcopi, quem ajunt sententias Pauli proprio ordinasse, & ornasse sermone. *Hinc sensere nonnulli, argumentum quidem & sen-*

ten-

tentias S. Pauli, ordinem autem, dictionem, phrasim S. Lucæ, & S. Clementi Romani fuisse. Verum ut ut res habeat, ex ipsa Epistola evincitur, eam S. Paulo tribuendam esse. Scripta enim fuit ex Italia, ab homine compedibus vincto, cui socius comesque Timotheus *erat, ut* cap. XIII. *legitur. Quæ sane notæ tres non nisi S. Paulo conveniunt. Præterea S. Paulum ad Hebræos scripsisse constat ex Epistola* II. *S. Petri ad Hebræos ipsos scripta, cujus* capite III. v. 15. *leguntur hæc*: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. *Quamobrem* Jacobus Capellus, *cujus auctoritate recentiores Hæreticos contra sentientes refellere possumus, apud Criticos Sacros* Tom. VII. p. 895. *ita jure concludit*: Auctorem ejus primarium esse Spiritum Sanctum, non est, quod dubitemus; secundarium esse Paulum, adfirmantibus optimis quibusque Scriptoribus, non est, cur fidem abrogemus.

Animadversione porro dignum est, tametsi Epistolam hanc Græci Canonicam semper habuerint, a Latinis tamen quarto tantum aut quinto sæculo in Canonem relatam fuisse, quemadmodum gravissimi Scriptores testantur. Ad Græcam Ecclesiam quod attinet, S. Hieronymus Epist. 129. *ad Dardanum ita scribit*: Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis, & Græci Sermonis Scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil interesse, cujus sit, cum Ecclesiastici Viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, ne Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt; & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed Veterum auctoritatem sequentes. *Quod autem ad Latinam Ecclesiam spectaat, luculentissimos testes afferunt Latinos Patres* Baronius *ad an.* 60. §. 50. *&* Tillemontius *Adnotat.* 72. *in S. Paulum* Tom. I. p. 577. *Ejusdem sententiæ est* Bellarminus *lib.* I. de Verbo Dei cap. XVII. *ubi scribit*: Epistola ad Hebræos recepta fuit etiam ab omnibus Latinis post Lactantium. *Legatur doctissimus* Calmet *in Præfatione ad hanc Epistolam* Tom. 8. pag. 627. *

****** *Cum S. Paulus vehementer cuperet ex hac mortali vita migrare, ut Christo conjungeretur, quemadmodum in sua ad Philippenses Epistola significaverat; Romæ tandem voti compos factus est, ubi Neronis jussu ei caput abscissum fuit. Id primum testantur Scriptores gravissimi, ut* Petrus Alexandrinus can. IX. *apud* Beveregium *in Pandectis Canonum* To. II. par. I. Eusebius lib. II. Hist. Eccl. cap. XXV. S. Joannes Chrysostomus Hom. X. *in Epist.* II. *ad Timotheum*, S. Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. cap. V. *Præterea cum S. Paulus Civis Romanus esset, est valde probabile, non alia eum morte, quam capitis abscissione damnatum fuisse. Ac sane mirari subit*, S. Gregorium *in Oratione* VIII. de Beatitudinibus *scribere S. Paulum cruci affixum fuisse. Nec dici potest methaphorice locutus esse, aut pro Petro Paulum posuisse. Ita enim habet*: Crucem Paulus excipit, gladium Jacobus, lapides Stephanus, capite deorsum verso crucifixionem Beatus Petrus. *Quamvis autem Baronius ad an.* 69. §. 3. *S. Paulum eadem ac S. Petrum, die, Junii scilicet* 29. *obiisse dicat, eamque communem opinionem esse pronuntiet; controvertitur tamen; an eodem anno, quo S. Petrus obierit*. Prudentius περὶ στεφάνων Hymno XII. *inter S. Petri, & S. Pauli mortem annum interjicit*:

Unus utrunque dies pleno tamen innovatus anno
Vidit superba morte laureatum.

Et Arator *Subdiaconus lib.* II. *Historiæ Apostolicæ* Tom. X. *Bibliothecæ PP. pag.* 141.

. . . . geminos addidit astris
Non eadem tamen una dies, annique voluto
Tempore sacravit repetitam passio lucem.

S. Augustinus *Serm.* 295. *cap.* VII. *scribit*: Unum diem passionis duobus Apostolis fuisse, sed diversis temporibus passos. *Subditque* Serm. 381. Præcessisse Petrum, secundum esse Paulum, idque traditione Patrum cognitum memoria retineri. *Inter* Gre-

Græcos Photius *in Bibliotheca* Cod. 276. *S. Nili testimonium profert*, *qui S. Petri martyrium S. Pauli morti anteponit*. S. Dionysius *tamen Corinthiorum Episcopus*, *qui altero Christiani nominis sæculo vivebat*, *apud Eusebium lib.* II. *cap.* XXV. *ambos mortuos tradit* κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, eodem tempore, *quod Eusebius ipse de eodem anno interpretatus videtur*. *Utriusque enim mortem in Chronico ad eosdem Consules refert*, *quod etiam Bucherii Chalendarium præstat*. S. Epiphanius *Her.* VII. *&* S. Hieronymus *de Script. Eccles. idem referunt*. *Denique in Romano Concilio* an. 494. *a Gelasio Pontifice celebrato legitur*: Divum Paulum non diverso, sicut Hæretici garriunt, sed uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in Urbe Roma extremum vitæ diem confecisse.

******* Sixtus Senensis *in sua Bibliotheca Sancta* Tom. I. lib. II. *cum de S. Paulo*, *de ejus ad Laodicenos Epistola*, *de tertia ad Corinthios*, *ac de tertia ad Thessalonicenses locutus esset*, *verba facit de amicitia*, *ac necessitudine*, *quæ* Paulum *inter &* Senecam *intererat*, *affertque litteras*, *quas hic Philosophus ad Apostolum scribebat*, *& S. Apostoli*, *ad eum responsa*. *Qui porro litterarium inter S. Paulum & Senecam commercium tuentur*, *S. Hieronymi*, *& S. Augustini auctoritate nituntur*. *Nimirum S. Hieronymus inter Ecclesiasticos Scriptores* Senecam *refert* cap. XII. *ubi ita scribit*: Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Socionis Stoici discipulus, & Patruus Lucani Poetæ, continentissimæ vitæ fuit; quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, in quibus cum esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. *S. Augustinus Epist.* 153. *ad Macedonium de hac Epistola mentionem faciens*: Merito, *inquit*, Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur Epistolæ): omnes odit, qui male odit. *Libro* VI. *de* Civ. Dei *cap.* XI. Seneca Judæorum Cæremonias, & potissimum Sabbatum damnat, inquiens, eos ob hanc requiem sibi septimam vitæ partem ademisse. De Christianis nec bene, nec male dicit, qui tunc Judæis maxime infensi erant, eos contra regionis suæ morem laudate veritus, nolensque contra suam ipsius propensionem vituperare. *Hoc Senecæ silentium*, *& modestia multum ad eam opinionem confert*, *Senecam ad S. Paulum*, *& vicissim S. Paulum ad Senecam scripsisse*; *eique valde conforme est*, *quod conjicit* Sixtus Senensis *in hæc verba*: Videtur autem Seneca stilum suum aliquantulum in his Epistolis adumbrasse de industria; ut si forte in alienas manus Epistolæ venissent, etsi inscriptæ nomine Senecæ, potuissent nihilominus in periculo non videri Senecæ; periculum enim erat, & contra Imperatoris edictum, Christiani, aut Judæi familiaritate uti. *Quamvis porro Sixtus Senensis diserte non asserat*, *vere Senecæ & S. Pauli eas Epistolas esse*; *non eas tamen omnino improbat*; *atque*, *Senecam ad S. Paulum tamquam ad amicum scripsisse*, *eumdemque Imperatoris jussu biennio ante morti addictam fuisse*, *quam S. Paulus martyrium subiret*: Ante cujus martyrium biennio fere ipse quoque Seneca a Nerone crudelissimo Discipulo suo occisus est. *Addit idem Sixtus*, *ei S. Paulum Latino sermone respondisse*; *nihil nimirum obstat*, *quin S. Paulus diu Romæ versatus Latinam linguam perceperit*: Scribens ad eum, *Sixti verba sunt*, non ut regeneratum, & ut plane fidelem, sed ut amicum, & qui Christianos non odio, sed benevolentia prosequeretur, & qui disciplinam probaret eorum.

At plurimi sunt, *iidemque maxime cordati Scriptores*, *qui ejusmodi Epistolas tamquam apocryphas*, *tantique nominis Viris indignas rejiciant*. *Ac primo quidem septimæ Senecæ ad S. Paulum Epistolæ falsitatem ostendunt*, *in qua nimirum legitur*, *in Romæ incendio*, *quod Nero excitavit*, *non nisi domos centum triginta duas*, *& stationes quatuor flammis absumptas fuisse*, *cum id evidenter falsum convincatur ex* Taciti *narratione referentis*, *maximam Urbis partem in cineres abiisse*, *atque e stationibus quatuordecim*, *quibus tunc Roma constabat*, *quatuor tantum integras permansisse*. *Præterea Epistolæ ipsæ se falsas produnt*, *quippe quæ*

quæ Senecæ, & S. Pauli spiritu dignæ non sint, nihilque sint aliud, quam ingenii jocus quidam, cum in Senecæ quidem litteris nihil occurrat, quod Christianum hominem sapiat. Ac licet S. Hieronymus, & S. Augustinus eas se pro veris habuisse significent, cum tamen utantur hoc verbo, leguntur, *facile adducor, ut credam, iis omnino persuasum non fuisse, S. Paulum reapse ad Senecam, & Senecam ad S. Paulum scripsisse. Et sane his, aliisque de causis, quæ brevitatis ergo prætermittuntur, perspicum fit, ejusmodi Epistolas suppositititias esse, quemadmodum sapientissimi quique Viri unanimi sententia statuerunt, quos inter* Baronius *ad an.* 66. §. 11. Natalis Alexander *Sæc.* 1. *Hist. Eccl. cap.* xv. §. 5. Dupin *Bibl. Script. Eccl.* Albertus Fabritius *in* Codice *Apocrypho* Novi *Testamenti pag.* 880. *Legi ejusmodi Epistolas inter Senecæ Opera Neapoli edita, regnante Ferdinando an.* 1470. *Editio autem e primis est, quæ Neapoli prodiere, & quidem caracterum elegantia, & chartæ nitore præstantissima. Editionis hujus huic Urbi perhonorificæ exempla vix inveniuntur; adeo rara sunt. Ejus exemplum vidi in locuplete, selectaque Excellentiss. D.* Principis Aliani Columnæ *Bibliotheca; atque ita expolitum & comptum servatur, ut nuper impressum videatur.*

Præter memoratas Epistolas, apocryphi quoque sunt cæteri libri omnes, qui, exceptis 14. *Canonicis Epistolis, S. Paulo tribuuntur, ut Evangelium, Epistola ad Laodicænos, tertia ad Corinthios, ad Thessalonicenses itidem tertia, Apocalypsis, ejus Actorum liber, aliusque Conversionis S. Tecla, Legatur Fabritius loco laudato.*

Pax. Hebraicum vocabulum Latine redditum, *pax*, latissimam in Sacra Scriptura significationem habet. Pro concordia & amicitia sumitur: *Non veni pacem mittere, sed gladium;* quoniam Evangelii promulgatio dissidia vel inter eos, qui maxime conjuncti erant, non afferre non poterat; aliis nempe fidem amplectentibus, impugnantibus aliis. Sumitur etiam pro pacis transactione ac fœdere: *Justitia & pax osculatæ sunt*. Hoc de felici Regno dicitur, in quo justitia locum habet, sine qua pax obtineri non potest. *Evangelizare pacem*, bonum pacis nuntium afferre, ob formidandi alicujus hostis cladem; quod de nuntiato Evangelio spiritaliter intelligitur. Eadem vox Dei gratiam & benevolentiam significat: *Colligeris ad sepulcrum tuum in pace*; non fine Dei scilicet gratia & benevolentia. Significat etiam securitatem, fidentiam: *pax tecum, noli timere, non morieris*. Ea nempe communis opinio erat, quicunque Angelum vidisset, ei dubio procul mortem imminere. Prosperitatem quoque significat; ita *prædicare pacem*, fausta scilicet omnia & prospera populo nuntiare. *Dicentes, pax, pax, & non erat pax;* ejusmodi locutionibus utebantur pseudo-Prophetæ, ut populis blandirentur, quos alloquebantur. Hebræi, ut prosperitatis genus omne invicem optarent, ita consalutabant: *pax huic domui, pax vobis*. Sumitur etiam pro conciliatione cum Deo, & pro interna pace, quam ille nobis per justificationis gratiam tribuit: *Justificati in fide, pacem habemus ad Deum*. Pax hæc nobis data est per Jesum Christum, qui Princeps pacis dicitur. Christus ipse pax nostra dicitur, utpote ejusdem Auctor: *Ipse est enim pax nostra*; ipse nostram cum Deo conciliationem perfecit. Vox eadem denique æternam felicitatem significat, quod omnium Dei gratiarum complementum est: *Veniat pax*, æternorum scilicet bonorum fruitio. Quod stabile firmumque est, venit pacis nomine: *do ei pacem fœderis mei;* certam nemine, minimeque revocandam fidem obstringo. Promissio hæc Pontificatus erat in Eleazari familia, in qua futurus erat, quoad vigeret Lex; quamvis enim ad modicum tempus in Heli familiam migrasset, ad Eleazari tamen familiam rediit, in qua usque ad finem perstitit. In Psalmis designatur Ecclesia pacis vocabulo: *factus est in pace* (id est, in Salem) *locus ejus*. Deus sibi sedem statuit hac in Urbe, alias dicta *Salem*, quod pacem significat, & subsecutis temporibus dicta *Jerusalem*, quod idem est ac *visio pacis*, quæ exhibebat Ecclesiam, Urbem pacificam, in qua Deus ipse regnat, & in qua Fidelium animis Christi pacem inspirat.

Peccatum, transgressio Legis Dei. Hebræis peculiaria vocabula suppetunt, ad rationes singulas distinguendas accommodata,

data, quibus Deus lædi poteſt. חטאת *Chat-taot* peccata complectitur, quibus affirmantia præcepta violantur; *peccatum* אשמה *Aſcemat* peccata deſignat, quæ contra præcepta negantia committuntur; *delictum* שגגה *Schegaga*, ignorantiæ, oblivionis, omiſſionis &c. peccata ſignificat. Tria hæc peccatorum genera diſtinctim Exodi *cap.* xxxiv. *v.* 7. comprehenduntur: *Qui confert iniquitatem*, *& ſcelera*, *atque peccata*; & in Pſalmis: *Peccavimus*, *injuſte egimus*, *iniquitatem fecimus*. Sacra tamen Scriptura hoc diſcrimine raro utitur, & paſſim ea vocabula promiſcue adhibet. Ita *peccatum* tam levem, quam gravem Legis tranſgreſſionem ſignificat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*; peccatum grave, *peccatum ad mortem*; idololatriam: *peccatum peccavit Jeruſalem*; peccati quoque pœnam: *Si autem male*, *ſtatim in foribus peccatum aderit*; concupiſcentiam: *non ego operor illud*, *ſed quod habitat in me peccatum*; victimam pro peccati expiatione oblatam: *Eum*, *qui non noverat malum*, *pro nobis peccatum fecit*. Nempe Chriſtus, inquit S. Paulus, peccati prorſus expers, ipſe pro peccatis noſtris victima factus eſt. *Peccata populi mei comedent*; veſcentur ſcilicet victimis, quas pro peccato populus offert.

Peccati nomen ſignificat etiam Originale peccatum: *In peccatis concepit me mater mea*. Hoc Adæ protoparentis noſtri peccatum eſt, quod in omnem poſteritatem pertranſiit, quodque efficit, ut filii iræ naſcamur; *natura filii iræ*. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*, *& per peccatum mors*, *& ita in omnes homines mors pertranſiit*. Peccatum hoc ſatis diſtincte innuunt ea verba Job: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*, *niſi tu ſolus Deus?* *

Peccatum in Spiritum Sanctum, de quo apud S. Matthæum ſermo eſt, cui venia neque in hoc, neque in altero ſæculo tribuetur, occurrit, ut Interpretum plerique ſtatuunt, in eorum craſſa malitia, qui veritatis evidentiæ obluctantur, nec Chriſti miracula profiteri volunt, ſed ea dolo malo, & contra atque ipſi norunt, tenebrarum Principi tribuunt. Hoc Phariſæorum, quos Chriſtus allocutus eſt, peccatum fuit; hujuſque delicti reus evadit, quiſquis cognitæ perſpectæque veritati repugnat, rectæque & ſanæ doctrinæ, & Chriſtianis ſententiis fidem adimit, perſonarum ratione habita, maloque Spiritui tribuint, quod Divini Spiritus eſt. Hoc Sapientum ſuperbia tumentium, hoc eorum peccatum eſt, qui pietate, ac religione ad avaritiam, invidiam, & pervicaciam abutuntur, & fere nunquam reſipiſcunt. Quod autem nunquam futurum dicitur, ut peccatum hoc remittatur, non abſolute, ſed relate accipiendum eſt, ut nempe venia difficillime obtineri poſſit. Alii peccatum in Spiritum Sanctum in impœnitentia finali, deſperatione, & pertinacia peccatoris, qui per omne vitæ tempus nunquam ad Deum revertitur, poſitum volunt. **

** *Præter Sacram Scripturam*, *& Patres*, *ratio demonſtrat*, *nihil obeſſe*, *quominus Adæ peccatum per Dei voluntatem in ejus poſteritatem transfundi poſſit*. *Experientia enim teſte*, *parentum propenſiones*, *& cupiditates derivantur in filios*; *& horum quidem animus*, *utpote materiæ conjunctus*, *quam a parentibus trahunt*, *affectiones percipit earum ſimiles*, *quæ inſunt eorum animo*, *e quibus ipſi naſcuntur*. *Quod contingere ſane non poſſet*, *niſi quædam diſpoſitiones corporis ineſſent*, *quarum particeps fieret filiorum animus*, *parentum propenſiones exprimens*, *qui iiſdem corporis diſpoſitionibus ſuberant*. *Cum igitur hæc ita ſe habeant*, *animadverſione dignum eſt*, *Adam*, *dum peccavit*, *adeo vehementer ſe præcipitem in creaturarum rerum amorem egiſſe*, *ut ſui corporis œconomiam perturbaret*, *in eo cupiditatum ſuarum ſigna impreſſiſſe*, *eamque impreſſionem acerrimam & graviſſimam fuiſſe*. *Hac ergo de cauſa factum*, *ut Adam filios gignere omnino non poſſet*, *qui non ita prorſus*, *ut ipſe*, *corpore comparati eſſent*; *ut proinde animi corrupti his corporibus juncti ipſo*, *quo creantur*, *momento propenſiones ſignis*, *& veſtigiis conformes contrahant*, *quæ in iiſdem corporibus impreſſa ſunt*.

Animi, *tametſi ſpiritales ſubſtantiæ ſint*, *propenſiones quaſdam contrahere poſſunt*, *ob nonnullas diſpoſitiones ſcilicet*; *quippe eum pro certo nos habere neceſſe ſit*, *Deum*, *cum ita Hominis naturam condidit*, *ut Spiritali* ani-

anima, corporeaque materia mutuo conjunctis constaret, & omnes deinceps homines ex uno originem traherent, id etiam statuisse, ut filiorum corpus parentum corpori simile esset, easdemque propemodum impressiones susciperet, atque animus corpori junctus propensionibus quibusdam subesset, cum ipsius corpus impressiones quasdam percepisses, dummodo extranea aliqua causa eas non inverteret. Ita cum Adam proprii corporis œconomiam per peccatum perverterit, turbaritque; non proinde tamen Deus leges ante peccatum statutas sibi mutandas putavit; & quoniam hæ leges subsistunt, Adam in filios corruptum corpus necessario transfudit, iisdemque corporibus conjuncti animi corruptas propensiones traxerunt. Quam ob causam fit, ut puerorum, antequam in lucem prodeant, in creatas res habitudine quadam ferantur & pendeant, earumque amore non minus prope tangantur, quam iisdem addicti homines, dum somno indulgent.

Et sane humanæ conditionis miseriæ non aliter, quam posita hac peccati transfusione, explicari possunt. Origiaale peccatum dubio procul haud minus intellectu difficile, quam mysterium; at ne ea quidem, quę in homine sunt, absque hoc peccato percipi possunt; hoc autem semel recepto, pravarum corruptarumque propensionum, quas quisque secum affert, fons & origo detegitur; cujusmodi sunt immoderatus amor proprius, ad omne vitiorum genus propensio, sensuum rebellio, ignorantia, in qua nascimur; temporalium bonorum inæqualitas, externa mala, nempe frigus, æstus, paupertas, morbi, dolores, injustitię, vexationes, quibus homines obnoxii sunt; uno verbo, quidquid magnum & humile videmus & sentimus in his, de nostra tum amplitudine, tum miseria nos monet, qui nempe non natura, sed ob peccatum corrupti sumus. Quę quidem omnia luculentissime evincunt, dubio procul in homine culpam esse; quia nimirum a recta ratione prorsus alienum esset, Deum, cujus est infinita bonitas, justitia, sapientia, adeo severe acerbeque cum creata substantia se gerere, quę eum cognoscere & amare potest, si ea ipsa innocens esset, nec suum ipsam peccatum ejusmodi pœnis obnoxiam redderet. Pręter has porro morales rationes, certissimum est, omnem Religionis œconomiam, videlicet Redemptoris necessitatem Originalis peccati fide niti. Fides hęc in Ecclesia semper obtinuit; cui evidenti argumento sunt exorcismi, quos nunquam non Ecclesia ipsa quoad pueros, ante baptismum, utpote ad illud usque tempus Dęmonis potestati subjectos adhibuit.

Baptismi Sacramentum delet originale peccatum, reatum nempe tollit, quem per ejusmodi peccatum animus contrahit, debitumque & pœnam, cui ob illud ipse animus subest; id quod Theologi peccati hujus formale nuncupant. At Baptismus idem concupiscentiam non adimit; remanet nimirum voluntatis ad malum propensio. Jam Tridentina Synodus concupiscentiam in baptizatis superesse fatetur, ut eos exerceat, quin tamen iis noceat, qui eidem resistunt; declaratque, eam, cum ab Apostolo peccatum dicitur, ita dici, tum quia a peccato nascitur, tum quia ad peccatum inducit, non autem quod peccatum sit, quod in eo demum positum est, ut concupiscentiæ pravis & præposteris motibus animus assentiatur.

**** Hactenus memoratis peccatorum generibus aliud addidere nonnulli Theologi, quod peccatum* Philosophicum *nuncuparunt, in eo positum, ut desit Dei cognitio, nec mens seu reapse, seu habitudine de Deo cogitet. In horum Theologorum systemate (quod proscriptum fuit) Infideles, & pertinaces peccatores morale quidem malum committunt, cum Dei Sanctam Legem transgrediuntur, quia nimirum contra Religionem agunt; at nullam Dei offensam committunt; qui enim id mali perpetrat, non eo animo est, ut Deum lædat, de quo scilicet minime cogitat, ac proinde æternam damnationem non meretur omnino; ac dum id agit, infinitæ dignitatis personam nequaquam contemnit.*

Falsa prorsus est & erronea opinio hæc, ut enim docet D. Thomas 1. 2. q. 72. art. 4. *cum Deus prima & suprema Ratio sit, fieri omnino non potest, ut quispiam contra Rationem peccet, quin ejus peccatum contra Deum sit, ipsiusque offensam involvat. Jam vero ex hoc principio illud consequitur, peccatum mere philosophicum non existere; quoniam* I. *quodvis peccatum veras peccati notas habet.* II. *Humanus actus esse non potest, qui rectę rationi contrarius sit, quin eodem tempore Dei offensa sit.* III. *Opinio hæc Sacris Litteris adversatur. Primo quidem*

Apo-

Apostolus ita loquitur in sua ad Romanos Epistola: Quicunque sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt; *& 2. Thessal.* 1. *Christum Dominum e Cœlo descensurum ait* in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum. *Præterea Psalm.* IX. *leguntur hæc*. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. *Et* Psalm. XLIX. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat. IV. *Eadem opinio tamquam teterrimum, prorsusque intolerandum paradoxum spectatur, ob absurda scilicet, quæ illud consequerentur, peccatorem nimirum in Dei oblivione impune peccare posse. Quamobrem Alexander* VIII. *Pontifex Maximus, decreto die* 24. *Augusti an.* 1690. *edito, hanc opinionem damnavit, idemque præstitit Parisiensis Facultas an.* 1700.

Pelecanus, vel Pelicanus, avis Egyptia, circa solitudines Nili præcipue nascens: *similis factus sum Pelicano solitudinis*; mea scilicet afflictio me impulit, ut in loca deserta secederem, & veluti Pelicanus evasi. Avis hæc pullorum amore celebris est, quippe quæ fertur femur suum rostro vulnerare, & sanguinem ad eos alendos elicere. Alii porro aliter vertunt Hebraicam vocem קאת *Kaat*, quam septuaginta Pelicanum verterunt.

Pellis I. cutem significat, quæ animalis cujusque carnem & ossa tegit: *Pelle & carnibus vestisti me. Ubi detracta pelle hostiæ*. II. Vestem: *In pellibus caprinis*, induti scilicet caprina pelle. E pelle indumenta protoparentibus nostris confecit Deus: *Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos*. III. Tentoria e pelle confecta: *Turbabuntur pelles terræ Madian*. Propheta Habacuc de victoria loquitur, quam Gedeon e Madianitis retulit, quorum Exercitum trecentis hominibus, qui lampadibus tantum ac tubis instructi erant, terrore perculsum turbatumque penitus profligavit. IV. significat totum ipsum & integrum corpus: *Numquid implebis sagenas pelle ejus?* An vero futurum, speras, ut retibus tuis tam ingens ejus corpus concludas? V. velum, cortinam: *Extendens Cœlum sicut pellem*. VI. Quod magis in deliciis est, seu magis ad nos spectat: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*. Diabolus id sibi volebat, fore scilicet, ut Job omnia flocci faceret, dummodo non ipse affligeretur.

Pelusium, macula, Ægypti Urbs, ad Nili ostium sita, quod maxime ad Ortum vergit, & Palæstinæ proximum est. Urbs hæc, quoad Phæniciam & Judæam, Ægypti quasi clavis & agger erat: *Effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti*, inquit per Ezechielem Deus. Addit Dominus se perfecturum, ut statuæ & Idola Memphis pereant, & confringantur, omnemque regionem terrore sparsurum; quas minas executioni mandavit in Regis Nabuchodonosor expeditione, cui scilicet Ægyptum tradidit in eorum mercedem, quæ in Tyri obsidione passus erat. Jam antea Pelusium diripuerat Exercitus Sennacherib; quod etiam deinde Cambises præstitit, qui peculiari stratagemmate ejus Urbis potitus est. Impetu in eam facto, felium, canum, ovium, aliorumque animalium, quæ ab Ægyptiis sacra habebantur, ingentem numerum in primis ordinibus posuit; cum ergo milites, qui Urbem propugnabant, nullum telum jacere auderent, Cambises arcem occupavit. Urbs hæc hodie non amplius subsistit, & in ejus loco ipso *Tamiatis*, seu *Damiata* condita fuit.

Pentapolis, regio, quæ Urbes quinque complectebatur, Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim, & Segor. Omnes & singulæ ad extremum excidium damnatæ fuerunt, *descendente igne in Pentapolim*; at Loth obtinuit, ut Segor incolumis servaretur. Cæteras quatuor absumpsit Cœlestis ignis, ibique prodiit Lacus Asphaltites, seu Mare mortuum.

Pentateuchus, Græca vox, quæ *volumina quinque* significat. Tribuitur id nominis libris quinque, quos Moses scripsit, & sunt *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium*. Judæi libros hos quinque per excellentiam Legem nuncupant, quia præcipua voluminis hujus pars Legem continet, quam in monte Sinai Moses accepit. Dubitari non potest, quin magnus hic Propheta Pentateuchi Auctor sit, quantumvis adnixi nonnulli sint, ut hoc opus eidem adimerent *. Additiones, postpositiones, omissionesque nonnullæ id unum.

unum probant, aliquid in illud intrusum fuisse; at Mosem eo titulo spoliare non debent, qui ei Synagogæ, Ecclesiæ, Sacrorumque Scriptorum unanimi consensione tribuitur. Quidquid autem hoc in opere occurrit, quod hujus Legislatoris tum tempori, tum caracteri non congruit, post ejus mortem scriptum fuit. Auctor, ut aliquod exemplum afferam, de se ipso ait: *Erat enim Moyses vir mitissimus, super omnes homines, qui erant in terra*. Ejus quoque mors postremis octo versiculis commemoratur; quod in causa fuit, ut hæc additio Josue, vel Esdræ tribuenda censeretur. Josephi super hac re peculiaris sententia est. Contendit nimirum, Mosem morti proximum suam ipsum mortem ad librorum calcem, quos scripserat, prædicere voluisse, veritum, ne Judæi, quorum animis summa in eum observantia jam insederat, in vulgus disseminarent, eum a Deo translatum esse, eidemque cultum Lege vetitum exhiberent. Judæi quotannis Pentateucum legere jubentur, eumque in lectiones singulis hebdomadis accommodatas partiuntur. Unum hunc ex omnibus Sacræ Scripturæ libris Samaritani tanquam divinum spectant, quia nempe cæteri post eorum a Judæis sejunctionem scripti fuere. Eum porro veteribus Hebraicis caracteribus, qui ante captivitatem in usu erant, scriptum servarunt. Samaritanus Pantateuchus ab Hebraico non differt, nisi quoad aliqua parvi momenti capita, in iis versantia, quæ Samatitani, quod attinet ad Templum in monte Garizim, præ Judæis sibi vindicant. Pretiosum hoc antiquitatis monumentum a P. Morino Oratorii Presbytero in suæ Parisiensis Congregationis Bibliotheca inventum fuit, ubi P. *de Harlay* an. 1617. ex Urbe Constantinopoli allatum posuerat. Eum laudatus P. Morinus in Lejayana Poliglotta imprimendum curavit. Continet opus hoc, quidquid ab Adæ creatione ad Mosis usque mortem contigit.

* *Christianæ nostræ Religionis hostes, cum probe perspicerent, ejus veritatem e Mosaicis libris luculentissime evinci, quemadmodum eorum vetustatem, veritatemque impugnarunt, ita inficias ire non sunt verecundati, Mosem eorumdem auctorem fuisse. Horum antesignanus fuit* Thomas Hobbes *impii sui Leviathan* part. III. cap. XXXIII. *contendens, libros, qui Mosis dicuntur, non eo dici, quod Moses eorum auctor fuerit, sed quood iidem de eo agant*: non quod, *inquit*, a Moyse conscripti sint, sed quod de Moyse agant. *Interim asserit contingere potuisse*, ut ea scripserit, quæ his libris ab eo scripta esse narrantur. *Emersit deinde Præadamitarum systematis Auctor* Isaac Peirerius, *qui* lib. IV. cap. I. *contendit, quidquid Moses ab Adam, Hebraicæ Nationis patre ad sua usque tempora scripsit, si fragmenta nonnulla, confusasque chartulas excipias, omnino periisse*. Benedictus Spinoza *in Tractatu Theologico-Politico* cap. VIII. & IX. *asserit, historicorum omnium librorum, quibus ante Esdram gestæ res continentur, Esdram ipsum Auctorem fuisse, qui primos Scripturæ libros Mosis dixit, quia in iis potissimum de ipso agitur; & in hanc rem* Aben-Ezram *Judæum commendat, qui in eadem sententia fuerit, tametsi non eo sit progressus, ut eam vulgaret; quem proinde nuncupat* liberioris ingenii virum, & non mediocris eruditionis, qui primus omnium hoc præjudicium (*Mosem scilicet Pentateuchi Auctorem fuisse*) animadverterit, etsi ausus non sit mentem suam aperte explicare. *In quo sane Spinoza turpiter fallitur, aut fallere nititur. Quamvis enim* Aben-Ezra *dicat Pentateucho addita nonnulla fuisse, non inde tamen sequitur eum negasse*, Mosem ejus *Auctorem fuisse. In hanc ipsam hominum classem referendus est* Richardus Simonius *in Galliis Oratorii Presbyter* lib. I. cap. II. & V. *Historiæ Criticæ Veteris Testamenti, qui pro certo ponit, Mosis tempore in Israelitico populo Scribas extitisse, publica auctoritate institutos, qui scriberent, & in acta referrent, quidquid in Repubblica contigisset, & ex iis quidem justæ molis voluminibus extracta fuisse ea gentis Hebraicæ monumenta, quæ in sacris Codicibus legimus. At Mosem Pentateuchi Auctorem fuisse diserte negat (si Lex excipiatur, quam unam Mosi tribuit); multisque exemplis ostendere nititur, Pentateuchum non nisi a pluribus concinnari potuisse, quorum alii unam, aliam alii partem, prout invicem referrentur, in Sacram Scripturam contulerint. Idem* Simonius *affirmare non dubitat, Scribas.*

bas Divini Numinis instinctu afflatos fuisse; eos tamen contendit, quemadmodum suorum quique temporum ephemerides fuse scripserunt, ita Majorum suorum Historias, & Prophetias pro arbitratu in compendium redegisse, atque adeo mutasse. Hinc factum putat, ut Compendia tantum, quæ quidem in omnium manibus versarentur (cum historiæ fuse descriptæ in Archiviis servarentur), & quidem pluribus in locis mutila, ac perturbata ad nos pervenirent. Porro compendia hæc Simonius *iis libris contineri non dubitat, qui in unum collecti Veteris Testamenti nomine apud nos veniunt.*

At Joannes Clericus *e Protestantium secta, dum hanc sententiam expendit, haud is quidem Simonio memoratis Scribas concedit, etsi consentiat, Pantateuchum non a Mose, sed ab Israelitico Sacerdote quodam scriptum esse, qui Babylone missus fuerit, ut Palæstinæ novos incolas ea lege imbueret, qua ejus Regionis Deus sibi præstitum obsequium volebat. Quod quamvis, quandoquam contigerit, certo statui non possit; post annum tamen* 18. *Regni Josiæ contigisse videtur, quo scilicet Legis liber inventus est, sine quo sacerdos ille opus suum perficere non potuisset. Legatur liber Gallice scriptus, cui titulus*: Nonnullorum e Belgicis Theologis sententiæ super Historia Critica Veteris Testamenti *pag.* 128. *& seqq. Rationes, quibus innixus Clericus in hanc sententiam descendit, in medium afferendas non censeo; cum tandem Mosem Pentateuchi Auctorem agnoverit in Dissertatione*: De scriptore Pentateuchi Mose; *quam suo in Pentateuchum Commentario præmisit.*

Agedum Simonii Systema, ad publicos Notarios quod attinet, qui prophetiæ dono præstabant, ejusque sententia, a Mose, Josue, cæterisque Prophetis distincti erant, breviter expendamus. Quam porro infirmum ac leve sit Simonii systema, quis non videt? Nimirum ex Josepho lib. 1. *contra Appionem constat, sacros libros scribendi facultatem Prophetis tantum concessam fuisse, qui Divino Spiritu afflati, quæ antea contigerant, quæque ipse suismet oculis viderant, posterorum memoriæ tradiderunt. Qui quidem Prophetæ apud Josephum non alii sunt, quam* Moses, Josue, &c. *Neque vero Scribarum, seu Notariorum, de quibus* Simonius, *ullum in Sacris Litteris vestigium occurrit. Ac licet lippis, ut ajunt, & tonsoribus nota sit eorum opinio, qui Regum libros quatuor,* Paralipomenon *duos, & Machabæorum alterum e publicorum Actorum scripturis in compendia quædam redactis confectos asserunt; perperam tamen hinc infert* Simonius *Pentateuchum non a Mose scriptum, sed a Scribarum aliquo e veteribus Commentariis, Diariis Actis, seu Annalibus depromptum fuisse. Inter Simonii siquidem, & cæterorum Auctorum sententiam longum latumque discrimen interest. Horum enim sententia ex Scriptura colligitur; non item Simonii sententia, quæ potius eidem Scripturæ repugnat, quæ Pentateuchum disertis verbis Mosi tribuit.*

Denique quod addit Simonius de Scriptorum suorum privilegio, cujus vi superiorum Prophetarum libros redigerent in compendia quædam, quæ tantum populo legenda præberent, majorem quidem temeritatem ac levitatem præsefert. Quis enim ferre possit, Catholicum Auctorem, eruditumque cæteroquin virum cum Præadamitarum Defensore asserere, nullam ad nos Scripturam nisi in compendium redactam, mancam, confusam, & implicitam pervenisse? Quis sibi persuadeat, omnes sacræ Scripturæ libros Compendia tantummodo quædam esse, quia nimirum id Scriptura de libris nonnullis affirmare videtur? Quis adduci possit, ut credat, hos libros ab eo jam tempore, quo divino instinctu confecti fuere, sæpenumero mutatos fuisse? Quis denique sibi in animum inducat credere, omnium Scripturæ librorum compendia ad nos pervenisse, integra vero & primitiva exemplaria non modo periisse, verum etiam veteribus omnibus tum Christianis, tum Judæis prorsus ignota fuisse? Jam vero hæ omnes rationes, & aliæ, quæ adduci possent, evidenter ostendunt, quam absurda opinio sit, qua Simonius *Compendia sua nullo stratis solido fundamento nixa, sanctisque Patribus, ipsique rationi repugnantia statuere nititur.*

Pentecoste, Græca vox, quæ *quinquagesima* significat. Adhibetur ad unum e tribus Festis solemnibus designandum, quibus Judæus quisque in Templo se Domino sistere jubebatur. Hoc *Hebdomadarum Festum* dicebatur, quia scilicet in septimæ post Pascha hebdomadæ fine celebrabatur.

Nun-

Nuncupabatur etiam *Primitiarum Festum*, quia nempe quinquagesima hac ipsa die novæ segetis pane duo, tamquam messis primitiæ Domino offerebantur: *Numerabitis* (ita in Levitico) *ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino* . . . . . . *panes primitiarum duos*. Eidem Festo Hebræi *clausuræ* nomen tribuebant, quoniam illud veluti paschatis clausuram spectabant; idem denique Festum *Messis diem* nuncupabant, quia tunc incipiebant grana metere. Festum hoc apud Judæos institutum fuit, ut primo quidem se in Domini Templum conferrent, in quo messis primitias offerentes absolutum in omnem regionem, & in omnes ipsorum labores Dei dominium agnoscerent; deinde vero diem celebrarent, quo ab Ægyptiaca liberatione quinquagesimo, inter fulgura & tonitrua, in Monte Sinai Legem acceperant: *jamque advenerat tertius dies* . . . . . *& ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura*. E maxime solemnibus, sanctissimisque Festis erat: *Et vocabis hunc diem celeberrimum, & sanctissimum omne opus servile non facietis in eo; legitimum & sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris*. Illud Judæi per dies duos celebrabant, quibus nulli vel operi, vel negotio vacare licebat. Hoc, ut etiam Paschatis Festum jam inde ab Apostolorum temporibus in Christianam Ecclesiam transiit; at ejus apud nos lætior est ratio. Pentecostes Festum penes Judæos institutum fuit in gratiæ monumentum, quam Deus iis, tradita Legis notitia, contulerat. Externa gratia hæc, quæ mentem illustrabat, non mutabat, iis majoris culpæ occasio erat, siquidem in Lege servanda haud se fideles exhibuissent. At Pentecostes apud Christianos Festum insignis ejus diei memoriam eorum animis imprimit, qua die Deus per sanctificantis Spiritus descensum Apostolos omnino mutavit, suam in cordibus Legem scripsit, & per hominum 3000. conversionem, novum, quod promiserat, fœdus exequi, sanctumque sibi populum addere cœpit: *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco*. Cum ergo Apostoli per Christi Ascensionem apud Mariam, Marci matrem in Montem Sion se recepissent, ut Spiritum Sanctum, quem Divinus Servator promiserat, expectarent; in ipsa Pentecostes die vehemens ventus sub matutinas horas novem repente prodiit; & in aere apparuere igneæ linguæ, quæ Apostolis singulis insederunt; qui eodem tempore Spiritu Sancto repleti, varias linguas loqui cœperunt. Hujus miraculi splendor magnum Judæorum numerum revocavit, qui ex variis regionibus venerant, solemne festum celebraturi, quos cunctos Apostoli propriam cujusque Nationis linguam loquentes in summam admirationem traxerunt. Quamobrem quærebant invicem, undenam id prodigii esset. Cum autem nonnulli irriderent, idque ebrietati tribuerent, edixit Petrus, Apostolos ebrios non esse, sed ita quidem perfici, quod Joel Propheta prædixerat: *Effundam spiritum meum super omnem carnem; filii vestri, & filiæ vestræ prophetabunt; juvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt*. Tum iis de Christo Domino locutus est, de ejus & morte, & resurrectione, ac de Spiritus Sancti descensu, cujus adeo perspicua & sensibus obvia effecta videbant. Hæc Sancti Petri verba hominum tria millia ad Fidem traxerunt, qui eadem die baptizari voluerunt.

Penula. S. Paulus in altera ad Timotheum Epistola: *Penulam*, inquit, *quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Hujus vocis non una est apud omnes interpretatio. Eam nonnulli pallium, aut sagum explicant, quod contra pluviæ, frigoris, &c. injurias usui erat; atque hæc Latini vocabuli propria significatio est. Alii capsulam intelligunt, in qua suos S. Paulus libros posuerat, de quibus ibidem loquitur: *Et libros, maxime autem membranas*.

Perditio. Vox hæc significat I. *ruinam*, excidium: *Non enim delectaris in perditionibus nostris*; ita Judith. *Perditio tua ex te, Israel*; ita Osee. II. Locum significat, in quo mortui sepeliuntur, Sepulcra: *Nunquid narrabit aliquis in Sepulcro misericor-*

ricordiam tuam, *aut veritatem tuam*, *in perditione?* III. Pro Inferno, æternæ damnationis loco fumitur: *Mors est Infernus coram illo*, *& nullum est operimentum perditionis*. Ita Job. IV. denique pro alicujus rei profusione, inutilique jactura: *Ut quid perditio hac?*

Perdix: *Perdix fovet*, *quæ non peperit*: vos estis perdici similes, quæ ovis incubat, quæ ipsa non edidit. Jeremias hac similitudine in fuorum temporum Judæos utitur, qui contra jus fasqua Inutiles divitias confectabantur: *fecit divitias*, *sed non judicio*. Quemadmodum perdix ova non sua fovet; ita injustitia sibi aliena bona vindicat. *Sicut perdix inducitur in caveam*, *sic & cor superborum*. Superbi hominis animus veluti perdix est, quæ ad alias capiendas in fovea ponitur; spectatque proximi lapsum, excubiarum instar a summa turri. Porro Hebraicum nomen, quod Septuaginta perdicem verterunt, aliis idem fonat, ac Scolopax, quod Græcum vocabulum Latini suum fecerunt, Italica *Beccaccia*.

Perea, Græca vox, quæ ultra significat, & pro regione fumitur, quæ ultra Jordanem, & ad hujus fluminis Ortum ast. Regionem hanc ambiebant undique Montes, quibus ab Arabia Deserta sejungebatur.

Perfectum. Vox hæc significat I. Quod summa perfectum est, cujusmodi unus est Deus, qui summa perfectio est: *Estote ergo vos perfecti*, *sicut Pater vester cælestis perfectus est*; non quasi ad perfectionem pervenire possimus; at eam tamquam exemplar nobis proponere debemus. II. Significat hominem virtute præditum, qui ad perfectionem contendit: *Noe vir justus*, *atque perfectus fuit*. Ita Deus ad Abraham: *Ambula coram me*, *& esto perfectus*; & ad electum populum: *Perfectus eris*, *& sine macula cum Domino Deo tuo*. Christiana perfectio hæc in eo sita est, ut Dei præcepta serventur, Charitatis ergo. III. *Perfecta captivitas* est universi populi in exteram regionem translatio, relicto nemine, qui terram collat. IV. *Perfectum odium*, in Peccatores scilicet, non ipsorum quidem causa, sed vitiorum, quæ summam Dei perfectionem lædunt.

Pergamus, *elevatio*, Urbs Phrygiæ in Asia ad Caicum flumen, ubi pergamena charta inventa dicitur. Hæc primo quidem Episcopi Ephesiorum suffraganei Sedes erat, at deinde Metropolis, exiguæque ditionis caput evasit. Cum S. Joannes Pathmon Insulam exul incoleret, a Deo jussus est in libro scribere, quod videbat, scriptum ad Asiæ Ecclesias septem mittere, quarum tertia Pergamus erat: Jussus præterea fuit ejusdem Ecclesiæ Angelo dicere, ejus nomine, qui ancipitem gladium in ore gerit: *Scio*, *ubi habitas*, *ubi sedes est Satanæ*; *& tenes nomen meum*, *& non negasti fidem meam . . . . Sed habeo adversus te pauca*; *qui habes illic tenentes doctrinam Balaam*, *qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel*, *edere*, *& fornicari*. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. *Similiter pænitentiam age*; *si quo minus*, *veniam cito*, *& pugnabo cum illis in gladio oris mei*. Quis autem Angelus hic, seu Episcopus Pergami fuerit, haud constat. Eum nonnulli Carpum fuisse putant, quem Eusebius (*Hist. Eccl. lib.* IX. *cap.*) Pergami martyrio affectum refert. *Apocalyp. cap.* II. v. 12.

Perge, *terrestris*, Pamphyliæ Urbs, quam S. Paulus pertransiit: *A Papho . . . venerunt Pergen Pamphyliæ*. Actor. XIII. 14.

Peribolus, *ambitus*, *claustrum*, paries, qui atrium Sacerdotibus addictum cingebat: *Et peribolus exterior secundum Gazophylacia*. Eadem vox porticum significat, quæ Sanctuarium circumdabat: *Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis*, *& ponere eos in peribolo Sanctorum in loco celebri*; ubi periboli nomen pro porticu circum Sanctuarium ob omnium oculos posita fumitur. *Ezechiel. cap.* XLII.

Peripsema, Græca vox, quæ *spurcitias*, *sordes*, *quisquilias significat*. Ea S. Paulus usus est, ut innueret, Christianos tamquam Mundi quisquilias, sordesque spectari: *Tamquam purgamenta hujus Mundi facti sumus*, *omnium peripsema usque adhuc*. I. *Corinth.* IV. 13. Apostolus hoc loco ad quandam Ethnicorum Cæremoniam alludere creditur, qui pestis, aliarumque publicarum calamitatum tempore humanas Victimas adhibebant, quæ iisdem Expiationis

tionis loco essent. Ex porro cum per aliquod tempus publicis impensis altæ fuissent, floribus cinctæ ad immolationis locum ducebantur, & in eas populus maledicta evomebat, Deos rogans, ut omnem iræ suæ vim in ipsas exererent. Tum in mare projectæ comburebantur his verbis: *Sis pro nobis peripsema*.

Periscelides, Græca vox, quæ ornamentum significat, quo sibi crura fœminæ ornabant, ligamen scilicet: *Offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri invenire potuimus, periscelides, & armillas*. Moses in Numeris Israelitas refert, Madianitis profligatis, ligamina, anulos, inaures, armillas Domino obtulisse, quæ ex hoste ceperant. Idem videre est in victoria, quam Gedeon post annos multos ex iisdem retulit. Eodem vocabulo utitur Isajas, dum muliebria ornamenta recenset.

Perizoma, Græcum aliud nomen, quod cingulum, seu subligar vertitur, quo pudenda teguntur: *Fecerunt sibi perizomata*; Gen. III. 7. Protoparentes nostri cum post peccatum se nudos nossent, collectis conjunctisque e ficu frondibus, se contexerunt.

Persecutio, persequi. Divini Servatoris sententia est, omnes, qui pietatem colere voluerint, persecutioni obnoxios fore: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Omnibus quoque temporibus, Electorum, proborumque virorum hæreditas persecutio fuit. Abel persecutionem passus est a Cain ad mortem usque, Jacob ab Esau, Joseph a fratribus, a Pharaone Israelitæ, Job a Dæmone, a conjuge, ab amicis. Gravis persecutio Prophetis ferenda fuit ab Israeliticis Regibus, S. Joannes Baptista ab Herode damnatus ad mortem fuit, denique Christus ipse, qui virtutum omnium exemplum præbere volebat, inter persecutiones vitam effudit.

Verbum *persequi* sæpe ita sumitur, ut persecutionem significet: *Si me persequentur*. Sumitur etiam nonnunquam minus odiosa significatione pro vincere: *Dixit inimicus: persequar, & comprehendam eos*. Significat etiam aliquid sollicite quærere: *Inquire pacem, & persequere eam*. Denique ad aliquid faciendum animum applicare: *Juste, quod justum est, persequeris*; te scilicet edendæ servandæque justitiæ vehementer addices.

Persis, Asiæ Regnum ingens, Cyri conditoris nomine, ejusque successorum potestate antiquis temporibus clarum. Persæ primo quidem Elamitæ dicti ab Elam primogenito Cham; Romanorum deinde Imperatorum tempore Parthi nuncupati; hodie denique non nisi veteri Persarum nomine noti. Olim penes hos populos terrarum Orbis Imperium fuit per annos 230. Regibus XIV. rerum potientibus, a Cyro ad Darium Codomanum, quem Alexander Magnus & solio, & vita spoliavit. Horum Regum aliqui ad Historiam Sacram, & Scripturam pertinent, de quibus in hoc Dictionario suis locis.

Persis, Romana adolescentula, cui S. Paulus in *Epist. ad Rom.* salutem dicit: *Salutate Persidem charissimam*. Eam ait Apostolus magnopere in Domini gratiam laborasse, & adhuc laborare.

Pes. Is Sacræ Scripturæ mos est, ut I. quidem pedis nomen communi ac naturali significatione sumat: *Foderunt manus meas, & pedes meos*; mihi nempe manus & pedes perforarunt; quod vaticinium in Christo Domino perfectum fuit, dum manibus pedibusque clavis perforatis Cruci affixus fuit. *Apprehendit pedes ejus*; Sunamitis se ad Elisæi pedes abjecit; quod uxorum erga viros observantiæ argumentum erat, ut eorum scilicet pedes tangerent. II. Id nominis in Sacris Litteris pro calceis sumitur: *Pes tuus non est subtritus*; calceus nempe, quem pede geris. III. Pro naturalibus partibus, quas pudor nominari non patitur: *In die illa radet Dominus in novacula conducta caput, pilos pedum, & barbam universam*. Ita apud Isaiam: eo nempe tempore Dominus utetur populis, qui ultra flumen degunt, & Assyriorum Rege, tamquam novacula, ut caput, pedum pilos, & omnem barbam radat. *Dimisisti pedes tuos omni transeunti*: eorum scilicet omnium, qui transeunt, potestati te tradidisti. Apud Ezechielem. IV. Pro alicujus adventu: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Gratum nimirum ac dulce est, eos advenientes videre, qui pa-

pacem, & vera bona nuntiant! Quod de Apostolis intelligitur, qui per universum terrarum orbem salutis ejus nuntii & præcones fuerunt, quam jucunda notitia reditus Judæorum a captivitate significaverat. V. Sumitur idem nomen pro affectionibus animi per passus seu gradus significatis, quoniam affectiones id animo sunt, quod corpori pedes: *pes meus stetit in directo*; pedes mei rectæ viæ institere, meæ scilicet res gestæ rationi consonæ fuere. VI. Significat eadem vox columen, fulcrum, fulcimen: *oculus fui cæco, & pes claudo*. VII. Quod apprime utile, charumque est: *si manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*. VIII. Mensuram: *per quadrum vero earum latus utrunque vicenorum pedum spatio tendebatur*; eæ scilicet quadratæ turres pedes viginti extra murum longæ erant. IX. Subesse alicujus pedibus, est metaphorica loquendi ratio, quæ servum Domino subjectum innuit: *omnia subjecisti sub pedibus ejus*. X. Vestigium pedis, seu signum, quod pes imprimit, minimam terræ partem significat: *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium*. XI. Alicubi pedem ponere, significat ejus loci possessionem inire: *locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*. XII. Pede loqui, est loquendo gestire pede: *annuit oculis, loquitur pede*; ita Salomon, de homine sensus experte verba faciens. Antiquis temporibus pedes advenis tergebantur, qui hospitaturi veniebant, quoniam fere calceis non utebantur, sed sandalia tantum gerebant, quæ pulverem non arcebant. S. Paulus animadverti jubet, an Viduæ, quæ ad Ecclesiæ servitium sumuntur, Sanctorum, nempe Fidelium pedes leverint.

Pestis I. sumitur pro contagio, seu pro pestifero exitiosoque morbo: *morientur gladio, fame, & peste*. Hæc tria flagella sunt, quibus Deus ad peccata punienda utitur. II. Morum quoque contagionem significat: *in Cathedra pestilentiæ non sedit*; beatus, qui a sceleftorum hominum societate recedens, se corrumpi ac depravari non patitur; pestilens homo est impius, qui Dei Legem, ejusque cultores deridet: *non amat pestilens eum, qui se corrigit*. Pestilentiæ Cathedra est nequam & periculosorum ejusmodi hominum sedes; *homines pestilentes dissipant Civitatem*; perniciosi homines Divinam indignationem dubio procul in cæteros pertrahunt.

Pethor, Mesopotamiæ Urbs, in qua Balaam natus est. Haud Thapsaca procul ultra Euphratem fuisse creditur, Lege Articulum *Balaam*.

Petra, Arabiæ Petrææ metropolis, ita dicta, quod super rupe condita esset: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de Petra Deserti*; de Urbe Petra scilicet; hujus autem Agni nomine Christus Dominus designatur, qui pro totius Mundi peccatis immolatus, totius proinde Mundi dominus evasit. Apud Isaiam *cap*. XVI. Amasias Rex Juda, ut Regum *lib*. IV. legitur, cum per aggressionem Selam Urbem cepisset, eam Jecthehel nominavit, quod nomen, inquit ejus libri Auctor, ad huc retinet. Sela porro, quæ rupem significat, vulgo eadem ac Petra esse creditur.

Petra significat primo loco lapidem, saxum: petra divisionis est petra Deserti Maon, ita dicta, quia Saul cum audisset Philistæos accedere, suas a Davidis copiis sejunxit, easque persequi destitit. Petra *Etham* est rupes, in quam Samson recedebat, quo tempore cum Philistæis pugnabat: *& descendens habitavit in Spelunca petræ Etham*. Petra *Oreb*, Principis Madian: *apprehensosque duos viros Madian, Oreb, & Zeb interfecit in petra Oreb*. Petra *Ezel*, rupes, apud quam David amici Jonathæ responsum expectare debebat: *descendes ergo festinus, & venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet, & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel*. Petra *Subsidii* locum designat, in quo Philistæi Arcam Domini ceperunt. *Petræ scissæ sunt*, moriente Christo, dum Judæorum animi pertinaces, saxisque duriores persisterent. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Petra, supra quam Ecclesia statuta est, S. Petrus est, qui Ecclesiæ unitatem, seu Christum ipsum repræsentat, qui ejus præcipuum & necessarium fundamentum est. II. Pro petroso loco sumitur: *aliud cecidit super petram*. Petrosus hic locus, in quem semen cecidit, eos signifi-

 ficat,

ficat, qui doctrinam, quam audiunt, alacriter suscipiunt, at cum ea radices non egerit, non nisi ad tempus credunt, ac tentationis tempore statim recedunt. III. Pro Oppido, Arce, Urbe: *apprehendit petram in prælio*. Per aggressionem Amasias Arcem cepit, quæ supra petram ædificata erat, e qua Idumæos decem mille præcipites egit. Petra Deserti est Urbs Petra. IV. *Petra* pro asilo ponitur: *Dominus petra mea, & robur meum*. V. Sumitur ad significanda pondera, quæ in lance ponuntur: *ne teneas petrarum genera duo, magnum unum, parvum alterum*, hoc est, duo ponderum genera. VI. Pro trophæo, lapide scilicet in monumentum erecto: *elevate petras has super montem Hebal*; quia primis temporibus, qui magni momenti negotia transigebant, ingentes petras erigebant, quæ transactarum rerum memoriam diutius servarent; iis quippe temporibus, quibus nondum inventa erat scribendi ars, ejusmodi monumenta inscriptionum & Historiæ loco erant. Ita Jacob & Laban super montem Galaad, in icti fœderis argumentum id monumenti erexere; idemque in Galgala erexit Josue, e petris confectum, quas e Jordanis alveo extractas voluerat, ut prodigiosi per id flumen transitus memoria vigeret; & Istaelitæ ultra Jordanem commorantes haud dissimile monumentum ad ripam fluminis extulerunt, ut ostenderent, se cum cæteris fratribus citra Jordanem degentibus unum tantum eumdemque populum esse. *Petra Zobaleth*, de qua in Regum libris, e rotundis & gravissimis petris una erat, quam adolescentes, ut suarum quisque virium periculum facerent, quam maxime poterant, extollebant. Ad hunc sane morem referuntur ea Zachariæ verba: *ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*. Quoniam vero sæpe numero contingebat, ut juvenes in eas attollendas petras suum robur impenderent; Deus proinde edictum voluit, id sine pœna non fore; Nationes Hierosolymam vastaturas, easdem tamen gravi animadversioni obnoxias fore. VII. Petra idololatriam significat: *Judas feror Israel se petra, lignoque corrupit*. VIII. Sumitur pro Josue grandine. Deus in Chananæos ingentes petras, prodigiosæ nempe molis grandinem e Cœlo demisit. IX. Petra significat Christum Dominum, per eam petram exhibitum, e qua Moses aquam eduxit: *bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*. Petra hec Christus erat, cujus sanguis omnia peccata nostra detersit. Petra, quæ suapte sponte de monte abscissa est, Christum e Virgine absque virili opera natum indicat. Petra hæc Jndæis scandali petra est: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali*. Est etiam Christus angularis petra, quæ Synagogam, & idololatriam, Judæosque, Ethnicosque in eadem fide, in eodem baptismo, & in eadem Ecclesia conjunxit: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, hic factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus*. Saxorum pluvia. Josue *cap. x. v. 11.* legimus: *cumque fugerent* (Chananæi) *filios Israel, & essent in descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de Cœlo usque ad Azeca; & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel*. Interpretum nonnulli contendunt hoc loco non nisi de consueta, vehementi tamen grandine sermonem esse; asserunt alii, id quoad litteram, nempe de lapidum grandine accipiendum esse *. Reapse textus de hoc evento, tamquam de prodigio loquens, videtur controvetsiam dirimere; quia vulgaris grando dubio procul prodigiosa non est. Moses Deum Hebræis regionem daturum ait, cujus petræ mel & oleum suppeditarent: *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*; & Psalres eosdem Hebræos a Mose melle saturatos refert, quod e petra effluebat: *& de petra melle saturavit eos*. Textus hi de melle explicantur, quod apes in petrarum foraminibus ednnt. Ita apud Isaiam ad Judæos Deus: *attendite ad petram, unde excisi estis*; oculos scilicet ad lapicidinam convertite, e qua eruti estis, ad Abraham nempe, cæterosque Patriarchas, a quibus prodistis.

* *E Protestantibus Hæreticis nonnulli, ut* Joannes Clericus, Buddæus, *aliique lapidum nomine, apud Josue, ingentis magnitudinis grandinem venire volunt; at pru-*

den-

dentiores sunt Scriptores Angli Universalis Historiæ cap. VII. *qui in Bethoron lapides pluisse asserentes, præterea monent, nonnullos, inani obtrectationum metu, qui panicus dicitur, posthabita sacrorum Codicum autoritate, in gravissimas difficultates incidere consuevisse. In id enim incumbentes, ne ne præter modum creduli videantur, non aliam Sacri Historici mentem fuisse pronuntiant, quam ut de industria eas voces excogitaret, quæ vere prodigiosum eventum facerent. Non omittendum, inter recentiores eruditos viros (quod sane magis dolendum est) non deesse, qui facilius profanis Historiis fidem adhibeant, quæ nonnunquam lapides pluisse referunt, quam Sacræ Scripturæ, cujus expressa hæc verba sunt:* Dominus misit super eos lapides magnos de Cælo. *Quamobrem libentius sibi persuadent, in Monte Albano, regnante Tullo Hostilio, lapides pluisse, ut Titus Livius lib.* I. *memoriæ prodit, itemque in Thracia, ut in Lysandri Vita refert Plutarchus, aut demum Delphis, referente Diodoro Siculo lib.* IX. *seu certe nihil obesse censebunt, quin eas lapidum pluvias credant, quæ non ita remotis temporibus contigerunt, ut in Hellesponto an.* 1705. *& in Italia apud Tripergolam in Lacu Locarnensi an.* 1538.

Petrus, Apostolorum Princeps, filius Joannis, & S. Andreæ frater. Bethezdæ, seu Bethsaidæ natus est. Simonis nomen, quod ei primum fuit, Christus ad Apostolatum acciro motavit in *Cephas*, quod Syriace Petram significat: *Primus Simon, qui dicitur Petrus*. Andreas cum cæterorum primus Christum novisset, Simonem fratrem monuit; & ambo ad eum se contulerunt, quicum pet integram diem versati, ad consuetum piscationis officium rediere. Post aliquod rempus Christus cum ad lacum Genesareth retia lavantes obvios habuisset, Petro præcepit, ut ea in mare demitteret; & quamvis per totam noctem nihil capere potuissent, tunc tamen naviculas quamplurimis captis piscibus impleverunt. Tum vero Petrus summa admiratione perfusus se ad Divini Servatoris pedes abjecit, a quo retia relinquere jussus, ut eum sequeretur, nunquam deinceps ab ipso recessit. Ei domus erat in Urbe Capharnaum, in quam Chistus se contulit, ut Petri Socrum sanaret; ibique, cum Apostolos duodecim elegisset, Petrum eorum caput instituit *. Cum Apostoli quadam nocte Tiberiadis lacum prætergrederentur, ad eos Christus, undas sicco pede premens, perrexit; & Petrus se statim e navi dejecit, ut ei obviam iret; at undæ vi territus mergi jam cæperat, cum eum, modicam fidem exprobans, Christus retinuit. Hujus Apostoli fides quidem nos monet, quid per Christum possimus, timor autem, quid ipsi demum per nos simus. Petrus aliquando se Domino summopere addictum ostendit; tum scilicet, cum multis ab eo recedentibus, quod veritates nuntiasset, quæ humanæ superbiæ nequaquam placebant, ab Apostolis quærenti Christo, an ipsi quoque abire vellent, alacriter Petrus respondit: *Domine, ad quem ibimus? Tu quidem æternę vitę verba habes*. Alia etiam die cum Christus quæsiisset, quæ hominum opinio de ipsius persona esset, cæteris respondentibus, eum alios Joannem Baptismam, alios Eliam, alios Jeremiam, alios ex antiquis Prophetis unum dicere, Petrus edixit: *Tu es Christus, filius Dei vivi*. Quæ illustris confessio ei Beati titulum, confirmationem nominis Petri, & Cæli claves ex ipsius Veritatis ore promeruit. At cum Apostolus id haud Deo dignum putasset, ut moreretur, eum Satanam Christus vocavit; quæ quidem reprehensio ejus culpæ remedium fuit. Post aliquot dies cum in monte Thabor Christi transfiguratio contigisset, Petrus ex ejus gloriæ testibus unus fuit, & cum Jesu Mosem & Eliam videns, non potuit, quin veluti extra se raptus ita exclamaret: *Domine, bonum est, nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Eliæ unum, & Moysi unum*. Cum Capharnaum rediissent, iis, qui Sicli dimidium pro Templo exigebant, a Petro quærentibus, illudne ejus Magister solveret, Apostolus hamum in mare jecit, & piscem cepit, in cujus gutture inventum siclum pro Magistro, ac pro se dedit. Ex Evangelio compertum fit, Christum sermonem suum ad Petrum sæpenumero convertisse. Eum Christus cum Joanne ad omnia paranda misit, quibus ad Paschatis celebrationem opus erat; & post

Cæ-

Cœnam, Discipulis inter se disputantibus, quis eorum maximus futurus esset, Christus, depositis vestibus, ad eorum lavandos pedes se comparavit, ut humilitatis exemplum in se ipso exhiberet. Petrus, ad quem primum Christus se vertit, id pati nolebat; at cum ei Magister dixisset: *si non lavero te, non habebis partem mecum*; respondit Petrus: *Domine, mihi quidem non solum pedes lava, sed etiam manus, & caput*. Aliquanto post Christus, qui Petrum magis, quam ipse se nosset, eum monuit, etsi se nunquam ab eo recessurum, ac potius mori paratum ostenderet, futurum tamen, ut eum semel, iterum, ac tertio negaret; at eodem tempore subdidit, fore, ut divini auxilii vi a lapsu resurgeret. Petrus Magistrum ad Olivarum hortum comitatus, Militibus, ut Magistrum ipsum caperent, accedentibus, ferrum aduxit, & Malco, summi Pontificis Servo aurem abscidit. At Petrum Christus increpuit, jussitque vaginæ ferrum reddere, atque eodem tempore sanam aurem Servo restituit. Interea satellites Jesum apud Caipham duxerunt, quo supervenienti Petro per alium Discipulum ea in aula notum aditus patuit. Tum vero contigit, ut ter Petrus Christum nagaret, eum sibi prorsus ignotum asse jurejurando confirmans. Sed cum in eum Jesus misarationis & gratiæ potius, quam carnis oculos convertisset, statim verbi recordatus, quod Divinus Magister dixerat, ex atrio pedem extulit, & amare flevit. Dominico mane cum Joanne ad Sepulcrum accurrit, ut de Jesu nosset; eoque ipso die ei Servator appatuit. Eumdem aspectu suo dignum voluit, cum in lacu Tiberiadis una cum aliquot aliis Discipulis piscaretur; atqua ut ei reparandæ infidelitatis occasionem præberet, dum animo voluntatem inspirabat, eumne supra cæteros diligeret, interrogavit, ab eo triplex amoris testimonium exigere volens, quo triplex ejus negatio expiaretur; atque ita nos doceremur, tiquam tantum charitati servire debere, quantum cupiditati deservivit. Petrus ea tantum, quæ Christo erat, animi sui notitia, non, ut antea, sua ipsius sententia nixus respondit: *utique, Domine, tu scis, quia amo te*: ejusque responsum fidentiæ, alacritatis, & humilitatis plenum ostendit, suum ei lapsum omnino profuisse. Jesus subdidit: *pasce gregem meum; dixit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te: Dixit ei; pasce oves meas*. Ei Servator eodem tempore mortis genus prædixit, quam passurus erat: *Cum esses junior, cingebat te, & ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*. Ascensioni Christi Petrus interfuit, & Hierosolymam reversus electionem peregit, qua S. Matthias Judæ proditori suffectus fuit. Qua porro die in Apostolos Spiritus Sanctus descendit, linguarum prodigio multitudinem in maximam admirationem trahente, Petrus ea verborum vi Christum a morte excitatum nuntiavit, ut hominum tria millia, sermone animos pervincente, fidem susciperent, sanctumque Baptismum peterent. Post aliquot dies, cum ad Templum, Joanne comita, oraturus ascenderet, Hominem e matris utero claudum ad januam comperit, cui eleemosynam poscenti respondit sibi quidem nec aurum, nec argentum esse; sed eum tamen surgere jussit, qui confestim surrexit: *& exiliens stetit, & ambulabat, & intravit cum illis ambulas, & exiliens, & laudans Deum*. Universus populus ad hoc prodigium confluxit, & Petrus sermonem suum prosecutus, delictum Judæis acriter exprobravit, quod crucifigendo Christo patravetant, qui Messias erat, eosque hortatus ast, ut, peracta pœnitentia, ex ipsius morte utilitatem perciperent: *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Adhuc loquentem aggrassi cum Joanne Sacerdotes, & Sadducæi utrunque in carcerem conjecerunt. Postridie ambos in jus accitos interrogarunt, quo demum nomine Claudi miraculum edidissent. Respondit Petrus, id actum Jesu Nazareni nomine, quem ipsi in crucem egerant, quemque Deus a mortuis excitaverat: *Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus*.

Id

Id illi audientes obstupuere ; dimissisque Apostolis duobus , ut viderent , quid sibi consilii capiendum esset, statuerunt iisdem mandare , ne amplius in Christi nomine loquerentur : *& vocantes eos , annuntiaverunt , ne omnino loquerentur , neque docerent in nomine Jesu* . At Petrus, & Joannes responderunt, se quidem non posse, quin id palam facerent , quod suismet oculis viderant, & se Deo potius, quam hominibus parere debere : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire , quam Deum, judicate* . Itaque non sine gravissimis minis dimissi fuere ; ac Petrus quidem Dei verbum nuntiare, & insignia miracula , quibus id firmaret, quod docebat, patrare non destitit. Una ejus umbra infirmis undique confluentibus pristinam valetudinem reddidit. Tum vero Summus Pontifex , & Sadducæi progressus videntes , quos apud populum Evangelium faciebat, Apostolos captos, & in carcerem trusos voluerunt; qui tamen ab Angelo liberati, ad omnes vitæ doctrinas, quas a Deo perceperant , in Templo nuntiandas se contulerunt. Porro a Sacerdotum Principibus interrogati , quid esset, quod jussi in Christi nomine non amplius loqui, nequaquam paruissent; Petrus, & Apostoli responderunt, satius esse Deo, quam hominibus obsequi. Eos responsum hoc in furorem egit, quos , cum inibi essent , ut eximios Evangelii Præcones morte damnarent , Gamalielis monitum a sævo consilio removit ; siquidem id operis a Deo esset , quamvis obluctationem inutilem fore ; si minus, id ipsum per se quamprimum in nihilum abiturum . Satis ergo habuere , Apostolos virgis subdere , ac prohibere , ne deinceps in Christi nomine loquerentur : *Cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos* . Gravis coorta est Hierosolymis persecutio, cui Sancti Stephani mors non nisi majorem vim addidit; qua tandem sedata , ex Urbe , in qua consliterat , egressus Petrus ad finitima loca se contulit , ut Fideles ibidem inviseret ; & Liddam pervenit, ubi hominem, Æneam nomine, ex annis octo paralyticum sanavit, quod prodigium incolas ad fidem pertraxit ; multoque magis id præstitit in Urbe Joppe Jabitæ a morte excitatio . Hac ipsa in Urbe contigit , ut Petrus , dum sub meridiem Deum oraret, extra se rapetetur , ingensque e Cœlo descendens linteum , omnique reptilium, insectorumque, & mundorum , atque immundorum animalium genere plenum videret , eamque vocem audiret : *Surge , Petre , occide , & comede*. Respondente autem Petro, nihil unquam impuri se comedisse , reposuit vox : *ne impurum dicas , quod Deus purgavit* . Adhuc eo cogitante, quid ea visio sibi vellet , advenere , qui Cornelii Cæsareæ Centurionis nomine rogarent , ut ad eorum Dominum Christi fide imbuendum pergeret. Ergo Petrus postridie, iis comitantibus, iter instituit , & apud Cornelium pervenit , ubi permultos nactus , qui eum audituri convenerant , nuntiato Dei verbo, universos & singulos in Christi nomine baptizavit ** . Cum porro Hierosolymam rediisset, Fideles circuncisi ei cum incircuncisis commercium exprobrarunt ; at cum Petrus visionem, de qua paulo ante , & quidquid subinde contigerat, retulisset, acquieverunt , & Deo gratias egerunt : *his auditis , tacuerunt , & glorificaverunt Deum , dicentes : ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam* . Paulo post Petrus Antiochiam se contulit , ibique Christianam Ecclesiam instituit, cujus ipse primus Episcopus fuit ***. Peragratis etiam Minoris Asiæ Provinciis, Romam venit Æræ Vulgaris an. 42. & in hac quidem Urbe Episcopalem suam Sedem statuit **** . Eum an. 44. celebrandi Paschatis causa Hierosolymam reversum Herodes Agrippa , qui S. Jacobum Majorem martyrio affecerat , comprehendi jussit, morti devovendum , ut populo morem gereret ; at ea ipsa nocte, quam subsequente die iniquum consilium exequi Tyrannus statuerat, Angelus Domini Apostolum eduxit e carcere , qui Hierosolymis egressus est . Hinc iterum Romam adiisse creditur , unde sub Æræ Vulgaris an. 50. suam primam Epistolam scripsit. Data est Babylone, Roma scilicet , & ad Bithyniæ , Ponti , Galatiæ , Asiæ, & Cappadociæ Fideles mittitur . Ad Judæos potissimum fidem amplexos spectat, quorum Apostolus Petrus erat , tamet-

tametsi de Fidelibus quoque verba faciat, qui ab ethnica superstitione ad Ecclesiam venerant. Epistola hæc omnino moralis est; Christianæque vitæ, ac pietatis, cujus regulas, & præcipua instituta complectitur, compendium veluti quanddam spectari potest; eam porro sententiarum gravitatem, & insignem humilitatem, quam ei resipiscenti Christus indiderat, vimque, ac robur Apostolorum Principe dignum præsefert. Petrus, Claudii Imperatoris jussu, cum cæteris Judæis omnibus Roma pulsus in Judæam rediit, & Hierosolymitanum Concilium convocavit, quod aliorum deinceps Generalium omnium Conciliorum exemplar fuit. In eo Petrus scite admodum prudenterque locutus est, captumque, ne Legalium cæremoniarum jugum Gentibus imponeretur. Verum aliquanto post Antiochiam profectus, cum Ethnicis conversis comedere noluit, ne scandalo Judæis esset. S. Paulus, veritus, ne hac agendi ratione S. Petrus id evertere videretur, quod ipse in Hierosolymitano Concilio statuerat, eum publice reprehendit: *in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat*. Id autem publice præstitit, ut cæteros, qui ejus erroris participes evaserant, Petrum unum arguens, omnes sanaret. Humiliter S. Apostolus exprobrationem suscepit, suoque primatu nequaquam usus est, ut id tueretur, quod egerat; & omnis Ecclesia, inquit Palagius Summus Pontifex, humilitatem miratur, qua S. Pauli rationibus cessit, & sententiam mutavit. Petrus sub annum 65. Romam postremo rediit, & per revelationem de proximo suæ mortis tempore certior factus, alteram ad Fideles recens conversos Epistolam scripsit. Hujus Epistolæ is finis est, ut Fideles Apostolorum doctrinæ ac traditioni constanter addicti persistant, & contra pseudo-Doctorum illusiones muniantur, quas describit Apostolus, solidisque ac vehementibus verbis impugnat. Porro Simonis Magi Discipulos, & Nicolaitas spectasse creditur. Ad Epistolæ calcem commendat Epistolas S. Pauli, quibus ait jam nonnullos abuti. Stili discrimen in causa fuit, ut diu inter eruditos Viros dubitaretur, an hæc Epistola S. Petro tribuenda esset; verum id ex Interpretum varietate derivari potest; quandoquidem præter S. Marcum, qui Epistolam primam scripsisse creditur, *Glaucia* quoque Interprete Apostolus utebatur. Deoique S. Petrus cum per annos fere viginti quinque Romanam Ecclesiam administrasset *****, martyrii coronam obtinuit, & in via Ostiensi crucifixus fuit, eodem die, & loco, quo S. Paulo caput abscissum fuit. Petiisse dicitur, ut inverso capite crucifigeretur, humilitatis ergo, ne scilicet, ut monet S. Ambrosius, Christi Domini gloriam affectasse censeretur. Præter Epistolas duas quæ in Canonicorum Librorum numero sunt, S. Petro alia plura Opera tribuuntur, ut Acta, Evangelium, Apocalypsis, quæ quidem Opera omnino supposita sunt. *Lege Fabricium in Codice Apocrypho Novi Testamenti*.

* *Complura momenta suppetunt, quibus Petri Primatus super Apostolos cæteros statuatur. Multis Sacrarum Scripturarum testimoniis utuntur Theologi, ut hunc Primatum ostendant de Jure Divino, ut dici solet; tametsi doctus Dupin in Tractatu de* Infallibilitate Papæ, *ut Primatum demonstret, ad Traditionem unam confugiat, asserens, ejusmodi sacrorum Textuum verum sensum statui propterea non posse, quod in iis explicandis non eadem ratione Patres utuntur, quos inter de eorumdem sensu non convenit. Eos tamen nos adducemus; quamvis enim Patres ea monumenta sacrorum Codicum, quæ in Primatus gratiam afferuntur, alii aliter explicuerint; eorum tamen nemo unus negavit, iis Primatum evinci; immo vero consona quoad Petri Primatum traditio nos dubitare non sinit, quin pro certo ac prorsus indubitato Patres habuerint, eum e Sacris Litteris demonstrari.*

Itaque præcipuus, qui ad hoc Dogma probandum adduci solet, S. Matthæi locus est Evangelii cap. XVI. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. *Mirari tamen satis non possumus, dum animo reputamus, quam præpostere praveque Hæretici allata verba detorserint*. Erasmus *in suis in S. Matthæum* Com-

Commentariis pronuntiare non dubitat, petræ nomine Fidelem quemque intelligendum esse. Centuriatores Magdeburgenses *Lutheri asseclæ lib.* de Potestate Papæ, *Petri fidem, seu confessionem per idem petræ vocabulum venire contendunt*. Calvinus *Institutionum suarum* lib. V. cap. VI. *per petram non Petrum, ut Catholici explicant, sed Christum ipsum intelligi debere vult*.

Verum ut memorati textus vera, & genuina notio innotescat, animadversione dignum est, Syriaco sermone, quo Christus Dominus utebatur, Petrum Cepham, petram *scilicet nuncupari*. *S. Joannes Evangelii* cap. I. v. 42. *ita in rem nostram*: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Hujus autem discriminis ea causa fuit, quod Interpres Græcum textum, non Syriacum secutus est. Petra nimirum Græce masculino genere πέτρος, fæminino autem* petra dicitur. Ergo Christus inquit. Tu es Cepha, & super hoc Cepha, *Latine quoad litteram*: Tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; *quamobrem de Petri persona, non de ejus, aut cujuscumque Fidelis fide locutus est*.

Præterea interpretationem hanc confirmat totius Ecclesiæ, ac Patrum tam Græcorum, quam Latinorum consensus. Chalcedonense Concilium Actione III. petram & crepidinem *Catholicæ Ecclesiæ* Petrum *vocat*; & *in Hymno Laudum Diei Dominicæ, quem S. Augustinus* I. *Retractationum suarum cap.* XII. *S. Ambrosii fetum dicit, ita canitur*; Hoc (*gallo scilicet*) ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Origenes *Homilia* V. *in Exodum*: Vide, *inquit*, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicæ fidei, quare dubitasti? *Summa, ut assolet, eloquentia S. Joannes Chrysostomus Homilia* IV. *in Isaiæ* cap. VI. Quid autem, *inquit*, Petrus, basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus, & Rhetoricorum victor, ille qui græcanicam sapientiam non aliter, quam aranearum telam dissolvit, ille qui Sagenam misit in mare, & piscatus est Orbem. *S. Epiphanius in Anchorato*: Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est. *Profecto S. Epiphanius clarius & distinctius loqui non poterat*. Mitto brevitatis ergo testimonia S. Athanasii, S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, *aliorumque, quæ apud Bellarminum legi possunt*.

Erasmus, *ut expositionem suam tueatur, utitur Origenis verbis in Tractatu* I. *in S. Matthæum, quæ ejusmodi sunt*: Petra est omnis imitator Christi, & super omni ejusmodi petra ædificatur Ecclesia Dei. *At reputare debuisset Erasmus, Origenem eo loci litteram non spectasse, sed allegorice de more locutum esse. Si enim unusquisque ea petra esset, supra quam fundata Ecclesia est, unusquisque fundamentum esset; ubinam porro reliquum Ædificium existeret? Erasmus absurdum credidit dicere, Ecclesiam supra Petrum fundatam esse, cum purus putusque homo sit; quidni absurdum fuerit dicere, supra omne genus hominum fundatam esse?*

Calvinus *interpretationi suæ præsidium quærit ex Apostolo, qui* I. *Corinth* c. III. *ita loquitur*: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. *Apertissime igitur constat, Christum ipsum eam demum petram esse, supra quam Ecclesia ædificata fuit. Utitur etiam Calvinus S. Augustini testimonio Tractatu ultimo in S. Joannem, ubi scribit*: super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. *Idem S. Pater in eumdem modum alibi loquitur; immo lib.* I. *Retractat.* cap. XII. *id retractat, quod alibi dixerat, Ecclesiam scilicet supra Petrum ædificatam, & disertis verbis supra Christum Dominum ædificatam pronuntiat*.

Respondeo, Christum Ecclesiæ verissimum fundamentum esse; quandoquidem si Petrus, qui ejus Vicarius est, fundamentum est, multo magis fundamentum est Christus, id quod sibi dubio procul Apostolus vult. Non inde tamen sequitur, Ecclesiam Petro nixam non esse, quemadmodum litteralis verborum sensus ostendit, quæ nulla sane ratione ad Christum referri possunt. Cum enim antea dixisset Dominus: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, *absurde locutus fuisset, si subsequentia verba*, & super hanc pe-

petram ædificabo Ecclesiam meam, *non ad eam petram, de qua proxime locutus fuerat, sed ad Christum referenda essent, qui petra quidem vocatur, at non hoc tamen nomine profitetur eum Petrus, sed iis verbis:* Tu es Christus filius Dei vivi. *Praeterea si Christus petræ nomine semetipsum significasset, non dixisset* ædificabo, *sed* ædifico *Ecclesiam; in se quippe jam Apostolos, cæterosque Discipulos ædificaverat; verum ait ædificabo, quia nondum Petrum tamquam fundamentum statuerat, id quidem in illud tempus reservans, quo jam a mortuis resurrexisset.*

Ad argumentum e S. Augustino sumptum respondeo, S. Patrem utroque sensu textum, de quo loquimur, exposuisse, ut proinde utranque interpretationem probabilem crederet; ita enim ipse loco laudato: Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eliget lector. *Ei denique interpretationi S. Pater acquievit, quam Calvinus præfert, allata nempe verba ad Christum referri debere, non ad Petrum, haud spectata Linguæ Sanctæ locutione; quoniam ex ea ratione ducitur, ea verba,* super hanc petram, *id innuere, quod S. Petrus professus est; & sane non ei dictum fuit,* tu es petra, *sed* tu es Petrus; *& petra quidem Christus erat. At hoc a vero alienum ostendunt ea, quæ jam dicta sunt, quia scilicet* Cephas *est petra, ideo Christum dixisse,* tu es petra; *quod S. Augustinus non animadvertit; qui tamen Retractationum suarum* lib. I. cap. XXI. *communem hunc sensum rejicit, quemadmodum monet* Melchior Canus lib. VI. de Locis Theologicis cap. III.

Supersunt Lutherani, qui pro eo sensu quasi pro aris & focis pugnant, nimirum petram nil demum aliud, quam Petri confessionem, ac fidem esse. Id primo demonstrare contendunt auctoritate Patrum; S. Hilarii lib. V. de Trinitate: super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est; *S. Ambrosii lib. VI. in S. Lucam cap.* XX. Fundamentum Ecclesiæ fides est. *S. Joannis Chrysostomi Homilia* LV. *in S. Matthæum:* Super hanc petram, idest, fidem atque confessionem. *Præterea ita Matthias Illyricus argumentatur:* Si Ecclesia fundata esset super Petrum potius, quam super confessionem fidei, continuo corruisset; *cum enim Christus eodem S. Matthæi cap.* XVI. *suam ipsius passionem, mortem, & Resurrectionem Discipulis prædixisset. Petrus ei molestus esse cœpit, inquiens:* Absit a te, Domine; non erit tibi hoc. *Quamobrem dignus evasit, quem Christus his verbis argueret:* Vade post me, satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. *Quid? quod idem Apostolus Petrus non sine gravissimo perjurio captum a Judæis* Christum *Dominum ter negavit. Ergo non decebat, Ecclesiæ ædificium supra Petri debilis, infirmique personam, sed supra solidam, & firmam fidem statui.*

Ad primum respondeo, eos SS. Patres non affirmare, Ecclesiam simpliciter a Christo fundatam esse; alioquin non dixisset: ædificabo; *jam enim multis inerat fides; sed supra fidem, prout in Petro erat. Et quamvis fides justificationis, omniumque virtutum fundamentum dicatur, ut loquitur D. Augustinus* Serm. XXII. de verbis Apostoli; *haud recte tamen Ecclesiæ fundamentum fides ipsa diceretur; cum enim hominum unio Ecclesia sit, ejus fundamentum sit homo aliquis, necesse est, quo fundamentum, & ædificium unius ejusdemque generis sint. Eodem accedit, eum ipsum a Christo tamquam Ecclesiæ fundamentum institutum fuisse, cui datæ fuere claves, ut ligaret, ac solveret; cum ergo claves non fidei, sed Petro traditæ fuerint, necessaria consecutione fit, Petrum tamquam fundamentum positum fuisse.*

Ad alterum argumentum respondeo cum S. Hieronymo in laudatum caput S. Matthæi, Petrum, cum audiit ea verba, vade post me, Satana, *cum etiam Christum negavit, quoad denique Christus mortalem hanc vitam vixit, nondum Ecclesiæ caput fuisse; at ei post Dominicam tantum Resurrectionem promissas omnes*

mnes prærogativas fuisse collatas. Sane visibilia capita duo Ecclesiæ esse non poterant; ac proinde a Christi Ascensione cæpit Petrus Christi ipsius vices agere, & Summi Pontificatus juribus uti.

Præter allata argumenta, nos ipsa ratio de S. Petri Primatu convincit. In quovis hominum cætu peculiaris ac certus ordo quidam adesse debet, & unum inter cæteros primum esse necesse est. Ergo in Apostolorum Collegio unum esse necesse fuit, qui primas ageret, caputque esset; is autem dubio procul Petrus fuit. Omnes enim Evangelistæ dum Apostolos numerant, Petrum non modo primo loco ponunt, verum etiam eorum primum fuisse testantur: Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt (*Matth.* 11.), primus Simon, qui dicitur Petrus &c. *Idem apud* S. Marcum cap. III. *& apud* S. Lucam cap. VI. *animadverti licet.*

Id quoque conveniat, necesse est, statui certo non posse, qua demum de causa Primatus S. Petro collatus fuerit. Id ætati nonnulli tribuunt, ut S. Hieronymus lib. I. *contra Jovinianum*: ætati delatum, quia Petrus senior erat. *Hieronymo subscribit Cassianus lib.* III. de Incarnatione, *ubi ita loquitur*: Primum hunc decuit respondere, ut idem ordo esset responsionis, qui erat honoris, & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. *In eamdem sententiam descendit S. Joannes Chrysostomus Homilia* LIX. *in S. Matthæum, ubi Christi ad Petrum verba innuens hæc habet*: Invenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te: Didrachma pro Petro solutum, quod ipse esset Primogenitus; *tametsi S. Epiphanius Hæresi* LI. *nulla ductus ratione S. Andream Petro seniorem dicat.*

Alii Primatus collationem ex eo repetunt, quod Petrus ad Apostolatum primus vocatus fuerit, quamvis Andreas ad Christum primus accesserit. Alii ob singularem erga Christum charitatem, in Petri persona Primatum tuentur. Ita S. Augustinus Serm. XIII, de Verbis Domini: Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus. *Et S. Cyrillus lib.* XII. *in S. Joannem cap.* 64. Præveniebat Petrus alios; ardore namque Christi præcipue fervens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. *Cæterum quæcumque tandem causa Christum moverit; nos sane satis habemus ostendisse, S. Petrum ab eo primum statutum fuisse. Id sane e pluribus Apostolicorum Actorum locis compertum fit. Nimirum* cap. I. *S. Lucas Apostolos recensens, qui Cœnaculum convenerant, primo loco Petrum nominat; & is quidem, quippe qui omnium primus esset, cæteros ibidem alloquens, & in Judæ proditoris locum S. Matthiæ electionem mandans inducitur.* Cap. II. *ante reliquos omnes Apostolos Petrus Christum Dominum nuntiat, & rationem affert, quamobrem ab omnibus, etsi alio atque alio sermone utentibus intelligerentur, &c.*

Verum omnibus hactenus allatis rationibus Hostes Primatus S. Petri opponunt ejus æqualitatem cum S. Paulo, qui sane Romæ verus Episcopus fuit, quemadmodum apud Petrum de Marca *in Exercitatione* De singulari Primatu Petri, *quæ extat inter ejus Opuscula, videre est. Reapse* S. Epiphanius *rotundis verbis Petrum, & Paulum Romæ Episcopos vocat, quod* S. Irenæus *antea præstiterat. Idem affimat Eusebius dum in Romana Sede tertium Clementi locum post S. Petrum, & S. Paulum assignat. Hinc Romani Pontifices inter alia suæ Sedis ornamenta id posuere, se scilicet SS. Petri, & Pauli successores esse, ut loquitur* Hadrianus I. *in Epistola ad Constantinum, & Irenen Imperatores; quem imitatus* S. Gregorius VII. *in formula excommunicationis in Henricum Imperatorem latæ se in Petri, & Pauli Cathedra sedere dixit. Idem evincunt amborum Apostolorum Imagines nongentis ab hinc annis plumbo in Bullis impressæ; e quibus etiam, cum S. Paulus ad dexteram collocatus occurrat, nonnulli inferunt, Paulo ipsi, non jam Petro prælationem tribuendam esse.*

Sed ad hæc facilis est, & expedita res-

responsio. Ad primum enim quod attinet, S. *Petrus*, *&* S. *Paulus in Apostolatu*, *in auctoritate*, *seu potestate*, *non vero in Primatu aequales fuere. Et quamvis omnes Apostoli in dignitate aequales fuerint*, *ajo tamen*, *Paulum peculiari quadam ratione S. Petro aequalem dici posse*; I. *quia quemadmodum Judaeorum Petrus*, *ita Gentium Apostolus Paulus fuit*; II. *quia unus altero non minus in Evangelio nuntiando sudavit*, *& alsit*, *varias regiones lustravit*, *multasque Nationes ad fidem convertit*; III. *quia Romanam Ecclesiam ambo fundarunt*, *quam suo nempe sanguine consecrarunt. Nihilo tamen secius in Primatu Petrus Paulo superior fuit. Itaque* S. Ambrosius *lib.* de Spiritu Sancto *cap.* XII. *dum inquit*: nec Paulus indignus Apostolorum Collegio, cum primo quoque facile conferendus, & nulli secundus; nam qui se imparem nescit, facit aequalem; *illud pro certo ponit*, *Petrum omnium Apostolorum primum fuisse*, *quicum tamen Paulus conferri poterat. Atque hoc ipso sensu allati Patres intelligi debent. Quamobrem* Maximus Taurinensis *Homilia* V. *in Natali Apostolorum scripsit*: Ergo Beati Petrus, & Paulus eminent in universos Apostolos, & peculiari quadam praerogativa praecedunt; verum inter ipsos quis cui praeponatur, incertum est; puto enim illos aequales esse meritis, quia aequales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse. *Jam vero quis non e S. Maximi verbis amborum Apostolorum aequalitatem percipit*, *salvo tamen semper*, *& integro remanente Petri Primatu? Quinimmo argumentum*, *hoc nimis probat*, *ut Scholae dicunt. Si enim Petrus*, *& Paulus aequales in Primatu dicendi essent*, *ea una de causa*, *quod ambo Apostolorum* Principes, Apices, *&* Capita *nuncupati fuerint*; Jacobus *quoque*, *&* Joannes *Petro in Primatu pares dicendi essent*, *quia non raro his ipsis titulis insigniti leguntur*; *ita sane D. Paulus se cum magnis Apostolis comparat*, *quo nomine* Petrum, Jacobum, *&* Joannem *intelligit*, *eos Ecclesiae Columnas vocat. Hos tres Apostolos ipsos* Victor Antiochenus *in S. Matthaei cap.* IX. Coryphaeos appellat, Apostolici scilicet Ordinis capita. Chrysostomus *in Epist. ad Galat.* Petrus, *inquit*, Jacobus, & Joannes non prohibebant circuncidi, cum essent inter Apostolos primae dignitatis. S. Augustinus *in eamdem Epistolam*: Petrus, Jacobus, & Joannes honoratiores erant caeteris Apostolis. *Id ergo consequens fieret*, *hos quoque in Primatu S. Petro exaequandos esse*; *quod a vero maxime alienum est*; *ita porro disputaret*, *qui loquendi formulas penitus ignoraret.*

Et quamvis Adversarii dicant, *non minus S. Paulo*, *quam S. Petro totius Mundi procurationem demandatam fuisse*, *atque in Apostolorum* Praefatione *ita canat Ecclesia*: quos operis tui Vicarios eidem contulisti praeesse Pastores; *non inde tamen sequitur*, *Primatum communem esse*; *quia totius Mundi Ecclesias procurare*, *ubique terrarum Evangelium nuntiare*, *& Fideles confirmare*, *& id genus alia*, *non Primatus*, *sed Apostolatus propria sunt. Et id quidem S. Paulo potissimum congruebat*, *quippe qui Gentium Apostolus erat*, *multasque Ecclesias fundaverat*, *quarum curam agere*, *quibusque*, *prout cujusque ratio postulasset*, *prospicere tenebatur*, *quemadmodum ipse* II. *Corinth.* x. *testatur his verbis*: Ministri Christi sumus (ut minus sapiens dico) plus ego in laboribus plurimis, in carceribus &c. *Et cum labores*, *quos tulerat*, *paucis indicasset*, *subdit*: Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? &c.

Quod autem ad memoratas Apostolorum Imagines spectat, *missis responsis*, *quae in hanc rem Theologi afferre solent*, *utor eo uno*, *quod doctissimus* Dupinus *affert*, *utpote magis naturae consonum*; *& e sacra Scriptura ipsa originem trahens*: Propterea, *inquit*, S. Paulus ad dexteram pingitur, quod esset e Tribu Beniamin, qui dexterae filium significat; *atque Auctor quidem hic rem acu tetigisse mihi videtur.*

Duo tamen sunt Patres, *qui nobis adversari videntur*, *& quorum auctoritate freti Adversarii triumphum canunt*; S. Cyprianus, *&* S. Hieronymus. *Primus in libro* de Unitate Ecclesiae *ita scribit*; Hoc erant utique & caeteri Apostoli, quod fuit Pe-

Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis. *Alter in libro contra Jovinianum:* At, *inquit*, dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet hoc ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.

Respondet nihilominus Petrus de Marca, *quem supra laudavimus, Apostolos omnes non modo quoad potestatem, & amplitudinem, verum etiam quoad Ecclesias fundandi, erudiendi, & administrandi rationem æquales fuisse; quoniam ex iis arcebant divisiones, & schismata, quod S. Paulus in Corinthiorum Ecclesia præstitit; Hæreticos, ut Hymenæum, & Figellum idem S. Paulus, anathemate percellebant; itaque jure S. Hieronymus Ecclesiam æque super omnes roboratam ait; erant etiam in Apostolatu pares, ita tamen, ut si minus peculiari privilegio in gratia firmati fuissent, & in hæresim, vel schisma labi potuissent, coacti essent a Petro, unitatem cum capite, nempe cum ipso servare. Quamobrem Apostoli tenebantur peculiares Ecclesias huic unitati subdere, quemadmodum S. Cyprianus censuit, ut ex verbis, quæ sequuntur, apparet:* Sed exordium, *inquit*, ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.

** *Act. Apostolic. cap.* II. *leguntur hæc S. Petri verba:* Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. *Hinc orta controversia, aliquandone Apostoli uno Jesu Christi nomine baptizaverint. Nonnulli apud Baronium ad an.* 34. §. 248. *asseruerunt, Apostolos in Christi tantum nomine baptizasse, Sancto afflante Spiritu, ut sacrosanctum Jesu Christi nomen in Ecclesiæ nascentis exordio celebre redderetur. Verum alii, quorum nos sententiæ subscribimus, rotundis id verbis negant*, ne Apostoli, *ut ait S. Hilarius lib.* de Synodis §. 83. reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverint. *S. Thomas* III. *Part.* q. 66. art. 5. ad 7. *docet, si loco Patris, Filii, & Spiritus Sancti aliæ voces idem significantes usurparentur, Sacramentum nullum fore. Quare S. Petri verba ita S. Cyprianus explicat Epistola* 73. Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. *Immo S. Ambrosius* lib. I. de Spiritu S. cap. III. *nihil eorum, quæ Divinus Servator præscripsit, in ea forma deesse:* Quia, *ejus verba sunt*, qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti. *In eumdem modum loquitur S. Augustinus* lib. II. *contra Maximinum* cap. XVII. §. I. Si autem non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; cur non sic audis de Filio Dei, omnia per ipsum facta sunt, ut & non nominatum intelligas ibi & Spiritum Sanctum? *Ita ego concludit Æstius in Sententiarum* lib. IV. Distinct. 3. §. 4. Quatuor ergo modis intelligi potest, Apostolos baptizasse in nomine Christi, vel per virtutem ejus, vel per meritum ejus, vel in ipso Christo, id est, baptismo Christi. *Et seq.* §. *Hilarii, Ambrosii, aliorumque allata loca explicat. Denique S. Petri verba alii quidem ita intelligunt, ut non jam collati baptismi formam, sed iis necessariam, qui baptismum suscepturi erant, in Jesum Christum fidem significent; eadem prorsus ratione, qua S. Paulus in Epistola ad Galatas cap.* 3. *locutus est:* Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis; *ut eos scilicet in Jesu Christi fide baptizatos ostenderet. Magni nominis Vir* Harduinus *in quæstione de Baptismo in nomine Christi* §. 2. *in eamdem sententiam loquitur:* Baptizatos in nomine Jesu intelligi eos necesse est, qui baptizati sunt, postquam invocarunt, & confessi sunt nomen Domini Jesu. Dirimenda nimirum, ac distrahenda in partes duas simplex (*D. Petri*) oratio est in hunc modum fere, ac sensum (*Actor.* II. 38.)*: invocet unusquisque vestrum nomen Domini Jesu, & baptizetur*; ut his vocibus, *in nomine Domini Jesu*, non baptismi formam, sed baptizandorum fidem consignatam intelligas, invocatumque ab iis id nomen ante lavacrum sub Antistitis manu. Et §. VI. *subdit*,

dit, S. Ambrosii orationem eodem recidere: ut hæc duo edoceat: alterum, hunc esse in Sacris Litteris loquendi morem, ut vel una Trinitatis appellata persona, intelligi pariter reliquas oporteat; alterum, quod est ex primo consequens, eos, qui salubri lavacro tincti dicuntur, vel si Christum modo sunt ore confessi, totam nihilominus Trinitatem animo, ac fide percepisse. *Petrus Constant in Dissertatione, in qua Stephani Papæ sententia super Hæreticorum receptione tamquam vera defenditur, Tom.* I. *Epistolarum Romanorum Pontificum pag.* 233. §. 3. Apostolorum, temporibus, *inquit*, ad baptismate, quod Joannes tradiderat, distinguendum fuit, quod Christus postmodum instituit. Nulla autem aptior excogitari potuit distinctio, quam ut, cum primum jam diceretur baptisma Joannis, alterum baptisma Christi adpellaretur; & qui hoc susciperent, in nomine Jesu baptizati, hoc est, baptismo Christi auctoritate instituto, adeoque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti initiati dicerentur. Quocirca Innocentius *Epist.* 17. ad Macedonas *num.* 10. eos, qui *Actor.* XIX. 5. baptizati in nomine Jesu dicuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos esse haud dubius pronuntiat. *Legantur* Melchior Canus *de Locis Theologicis lib.* VIII. *ad* 7. Bellarminus *de Romano Pontifice lib.* IV. *cap.* 12. Natalis Alexander *Dissertat.* XIII. *Sæc.* III. *& eruditissimus* Calmet *in Dissertatione, quam Apostolicis Actis præposuit*, de Baptismo in nomine Christi, *Tom.* VII. *pag.* 808.

*** *Ecclesia, quam primam S. Petrus instituit, Antiochena profecto est, cujus per annos paucos Episcopus fuit; & credere par est, inquit Baronius ad an.* 44. §. 26. *Apostolorum omnium consensu statutum fuisse*, ut Petrus, Apostolorum Princeps, Syriæ principi Civitati, atque metropoli, cui & Palæstina, ipsaque Hierosolyma subjaceret, præficeretur Episcopus. *Maxime constans & firma traditio est, quippe cum nullus e Patribus hac de re dubitaverit; quam nimirum luculentissime testantur* Eusebius, S. Hieronymus, Origenes, S. Joannes Chrysostomus, Innocentius I. & Gelasius *Summi Pontifices, ut recentiores innumeros alios taceam. De hac nos veritate convincit Catholica Ecclesia ipsa, quæ Antiochenæ Petri Cathedræ memoriam celebrat Februarii die* 22. *cui concinunt ad unum omnia Martyrologia, ut* Romanum Vetus, *quod* Cosweidus *in lucem edidit, præterea* Usvardi, Adonis, Bedæ, Rabbani, *præter* Bollandum *Tom.* III. *Act. Sanctorum ad* 22. *Februarii diem. Denique* Wandelbertus *in Martyrologio Metrico ita canit*:

Octavoque Petri Cathedra, & doctrina coruscat,
Urbs læta Antiochi quo primum Præsule cernat.

In hanc veritatem Onuphrius Pamvinius *calamum strinxit, & universa licet antiquitate repugnante, scribere non est veritus, S. Petrum Antiochenam Ecclesiam fundasse, postquam Romanam fundaverat. At quis primo ipso intuitu non videt, absonam Panvinii opinionem rationi quoque adversari? Nimirum ante illud tempus, quo S. Petrum Antiochiam profectum Panvinius vult, aderant ibi Fideles multi, & nascentis Ecclesiæ disciplina, quemadmodum novæ Religionis cultus ibidem ita florebat, ut omnium primi Christiani dicti Antiocheni essent, ut in Actis Apostolicis* cap. XI. 26. *legitur. Sentiendum ergo, Episcopum aliquem Religionem, & pietatem in Urbem induxisse, ut Christianæ disciplinæ populus assuesceret. At quisnam Episcopus hic, nisi Petrus censeri poterit? Quod si quis eum neget Petrum fuisse, Petrum ipsum in Antiocheno Episcopatu alicujus Discipuli successorem faciat, necesse est, quo nihil esse absurdius potest.*

Apollonii *tamen auctoritate Panvinius utitur, qui apud Eusebium* lib. V. Hist. Eccl. cap. 18. *docet ex veteri traditione*, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent. *Non ergo licebat Petro ante annum duodecimum a Christi morte Hierosolymis discedere, Antiochiam pergere, ibique anno Christi* 37. *Ecclesiam fundare. Verum nos S. Lucæ potius,*

quam

quam Apollonio credere par est. Actorum porro cap. VIII. *legitur*, Petrum, *&* Joannem, *ante elapsos annos duodecim, Hierosolymis egressos, Samariam venisse, ac* Petrum *quidem, antequam vinculis stringeretur, Lyddam, Joppem, & Cæsaream lustrasse; qui præterea, cum nondum anni duodecim excurrissent, e carcere ab Angelo eductus, non Hierosolymis solum, sed ex Judæa ipsa discessit. Huc adde, Christum Dominum, ante quam in Cœlum ascenderet, Apostolis præcepisse* (Matth. cap. XXVIII.), *ut peregrinantes* docerent omnes gentes, *&* sederent (Lucæ XXIV.) in Civitate, quoad usque induerentur virtute ex alto; *quæ sane virtus iis per Spiritus Sancti descensum collata fuit. Quamobrem Apostolis Spiritu Sancto imbutis ad Christianam Fidem nuntiandam patuit via. Ac generatim* Act. cap. I. *nullo prorsus præscripto tempore*, jussit (*Christus*) eos sibi testes esse in Jerusalem, in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

At si ante annos duodecim a Christo statutos, reponit Panvinius, *Petrus, & Joannes Samariam petiissent, Evangelium Apostoli promulgassent, antequam Petrus per Lintei quovis animalium genere pleni visionem* (Actor. XI.) *moneretur, illud Gentibus nuntiandum esse. Quid erit porro, quod* Panvinius *respondeat, siquidem liquido ostenderim, Samaritanos non Ethnicos, sed natione Proselytos fuisse, & Circuncisionem, ac Legem Hebraicam servasse? Id autem ita statim evinco. Eos Christus Dominus alios ab Ethnicis facit apud S. Matthæum* cap. X. *disertis his verbis*: In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis. *Hinc facile intellectu est, quorsum Christi jussum spectaverit, ut nempe Apostoli Judæos primum, quorum erant promissa, deinde vero Gentes docerent. Quo ipso sensu id accipi debet, quod de se Christus ipse apud eumdem Evangelistam cap. XV. dixit*: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel; *eum Samaritanam, & cum ea Samaritanos multos ad se traxerit.*

Neque vero mirari debemus, S. Lucam de Petri Antiochiam adventu, ejusque Ecclesiæ fundatione omnino siluisse. Nimirum S. Lucas, quippe qui in id incumberet, ut S. Pauli res gestas describeret, multa, quæ Apostoli gesserunt, & inter hæc Antiochenæ Ecclesiæ institutionem silentio præteriit. Hæc S. Hieronymi sententia est in Commentario in Epistolam ad Galatas cap. 2. Nec mirum esse, si Lucas hoc Petri, & Pauli dissidium tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Deinde primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit. *Quod si e S. Lucæ silentio inferendum esset, Antiochenam Ecclesiam a S. Petro institutum non fuisse; id etiam inferri deberet, eumdem S. Petrum publice a S. Paulo Antiochiæ increpitum non fuisse; cum S. Paulus ipse rotundis id verbis referat in Epistola ad Galatas* cap. II.

Denique nihil refert, Antiochenam Ecclesiam a Cypriensibus, & Cyrenensibus Christianis institutam esse, pro ut Actor. Apostolic. cap. XI. *legitur; quandoquidem dum ego de Antiochena S. Petri Cathedra disputo, non id propugnare contendo, Antiochiam ab eo primum fide imbutam esse (fateor enim libenter, profiteorquo, qui primi fidem in eam Urbem inducerent, Discipulos extitisse, qui post S. Stephani martyrium Hierosolymis expulsi fuerant), sed id unum asserere in animo habeo, S. Petrum primum fuisse, qui Episcopi titulo Antiochenam Ecclesiam administraverit, & Patriarchali dignitate insignierit.*

**** *De S. Petri Romam adventu nullus e Patribus, & antiquis Historicis dubitavit; atque adeo id ne Heretici quidem ad usque* XV. *Christi sæculum*

lum

lum in quæstionem vocarunt. Rem hanc omnium primus negare ausus Guilelmus *Joannis Wicleffi magister, quem ducem sequi non modo Magdeburgenses, verum* etiam Lutherum, Calvinum, *aliosque puduit, ob Scriptorum nempe consensum, qui Romanam Sedem Petri Cathedram nuncupant.* Præterea Paersonius, *Scriptor inter recentiores Hæreticos longe clarissimus, in Dissertatione* I. de successione primorum Romæ Episcoporum, *cap.* VI. *&* VII. *antiquitatis secutus ordinem, de S. Petri Romam adventu, ac de Ecclesia ibidem ab ipso instituta nullo unquam tempore dubitatum demonstrat.* Basnagius *ipse ad an.* 64. §. 9. *fatetur ingenue*, nullam unquam traditionem fuisse, quæ majore testium numero cingatur; *ut proinde de S. Petri Romam adventu dubitari non possit, quin omnia Historiæ fundamenta susque deque vertantur.*

Claudius Salmasius *in Apparatu ad libros* de Primatu Papæ *ita in hunc S. Petri Romam adventum argumentatur. Primo quidem Petrus Judæorum, ut Paulus Gentium Apostolus fuit; in alienam ergo messem falcem immisisset Petrus, si Romam venisset. Præterea quo tempore S. Petri Romam adventus vulgo ponitur, rerum potiebatur* Claudius *Imperator, quo sane regnante, Judæi in Urbe Roma vel nulli, vel admodum pauci erant; eos enim* Claudius *partim, militiæ specie, per immitis cœli Provincias dispersefrat, partim in exilium conjecerat, ut* Suetonius *in* Claudii *Vita cap.* 36. *memoriæ prodit. Est ergo vero simile, Petrum non Romæ, sed potius Babylone fuisse, ubi Judæorum Tribus decem superierant. Et sane Babylone suam primam Epistolam Petrus misit, ad cujus calcem ita loquitur:* Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. *In Actis pariter S. Lucas de Petri Romam adventu non tacuisset, quemadmodum de Pauli adventu non tacuit.*

Ecquis Salmasio *dixit, Babylonis nomine litteraliter intelligendam Babylonem esse, non autem metaphorice Romam, quam quidem omnes antiqui Patres intellexerunt?* Eusebius *lib.* II. *Hist. Ecclesiast. cap.* XV. *scribit:* Et hoc dicit Papias, quod Petrus in prima Epistola sua, quam de Urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylonem nominavit. *S. etiam Hieronymus in libro* de Viris Illustribus, *articulo* Marcus, *hæc habet:* Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis, figuraliter Romam significat. *In quem sensum* Æcumenius, Bedas, *aliique eumdem locum exposuerunt. Præterquam quod S. Joannes in Apocalypsi Romam sæpenumero Babylonem vocat, quemadmodum animadvertit* Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem, & pespicue deducitur ex Apocalyp. cap.* XXVII. *ubi magna Babylon supra Montes septem sita, &* imperio supra Reges Terræ instructa dicitur; *quæ sane Babyloni, quæ in Ægypto erat, hodie, vulgo* Cairo, *convenire non possunt. Ac propterea Petrus, qui Judæus erat, figura hac usus est, quod quemadmodum Babylon Imperii caput fuit, & Nabuchodonosor Regem habuit, qui electum Dei populum persecutus est, & in captivitatem traxit; ita Roma Apostolorum tempore caput erat Imperii, quod penes Neronem erat, qui barbare Dei populum excruciavit. Verum nihil magis mirari subit, quam Protestantes ipsos Romam passim Babylonem vocare; quem ob finem Lutherus librum scripsit* de Captivitate Babylonica; *& Magdeburgenses non alia de causa inter Canonicos libros Apocalypsim recipiunt, quam quod in ea, Babylonis nomine, sæpe Roma censoria virga notatur. Si ergo Roma, eorum judicio, Babylon est; quod est, quod S. Petrum Romæ scripsisse negent, dum se Babylone scripsisse ait? Clausula tamen, quæ sequitur, multum confert ad rem nostram:* & Marcus filius meus. *Veterum enim Scriptorum clarissimi quique constanter affirmant, Marcum Romæ Evangelium scripsisse, prout e Petri fidem nuntiantis ore perceperat. Ita Eusebius loco laudato, ubi Papiam, & Clementem Alexandrinum testes adhibet; ita* S. Irenæus,

S. Hie-

S. Hieronymus, Damasus, Ado Viennensis, aliique. Hinc factum, ut S. Marci Evangelium S. Petro tribueretur, quemadmodum S. Lucæ Evangelium S. Paulo tributum fuit: Cæpit, scribit Tertullianus lib. IV. contra Marcionem, Magistrorum videri, quod Discipuli promulgarunt.

Ad Judæos autem per Claudii Edictum Roma pulsos quod attinet, non repugnat, S. Petrum in Urbe versatum esse; neque enim necesse est, S. Petrum per id omne tempus Romæ commoratum dici, quo ejusdem Episcopus fuit; verum hæc duo constare possunt, Petrum altero Claudii anno Romam venisse, eumdemque ipsius deinde Imperatoris anno nono cum Judæis omnibus expulsum fuisse. Ita sane refert Paulus Orosius *Hist. lib.* VII. *cap.* VI. anno ejusdem nono expulsos per Claudium Urbe Judæos. *At Claudio vita functo, Petrus Romam rediit, ubi Nerone imperante, mortem occubuit. Neque obest, Claudium in edicto, quod edidit, præcepisse, ne Judæi amplius in Urbem reciperentur; eum quippe sub Nerone rrversum dicimus, quo regnante, Judæi poterant Romæ consistere, ut constat ex ultimo Actorum capite, ubi Paulus eo tempore Judæis Evangelium Romæ nuntiasse dicitur.*

Ad Apostolatus autem divisionem quod attinet, ea sane non ita accipienda est, ut Petrus Judæis tantum, vel in Judæa, Paulus vero non nisi Gentibus Fidem nuntiarent; sed ita potius, ut Petrus omnes, & ubicunque ei visum esset, potissimum tamen Judæos, Paulusque pariter omnes, at præsertim Gentes docerent. Alioquin Petrus in alienam provinciam pedem intulisset, cum Antiochiæ, in Asia, Galatia, Ponto, Cappadocia, & Bithynia Evangelium promulgavit; usurpator quoque Paulus fuisset, cum in Urbe Roma fide Judæos imbuit, ut jam e postremo Actorum capite animadvertimus.

Salmasii *argumentum e S. Luca in Actis, quoad Petri Romam adventum, silentio petitum, utpote mere negans, prorsus elumbe est. Necesse non erat, omnia a S. Luca referri; magisque credendum textibus duobus, qui aliquid affirmant, quam innumeris aliis, qui nihil dicunt, neque vero id negant, quod alii affirmant. Quemadmodum cordati, ac de rebus recte sentientis hominis non est ita ratiocinari: S. Matthæus in Evangelio de Christi Domini Circumcisione non loquitur; S. Marcus de Præsentatione, non meminit; S. Lucas novam Stellam silentio præterit; S. Joannes Christum ex Maria Virgine natum non dicit; ergo hæc omnia falsa sunt.*

Ejusdem rationis est argumentum illud, quo utuntur Sectarii, quodque Illyricus *demonstrationem appellat. Paulus, ad Romanos scribens, multos nominatim salutat, quemadmodum ultimum caput integrum legi potest, nullamque Petri mentionem facit. Ejusmodi certe sunt eorum demonstrationes, qui cerebro laborant; primo quidem, quia eadem ratione concludi posset, nec Joannem Ephesi Episcopum, nec Hierosolymæ Jacobum fuisse, quia nempe Paulus ad Ephesios scribens, Joannem non salutavit; & ad Hebræos scribens, salutem Jacobo non dixit. Præterea Paulus Petrum non salutavit, quia scilicet eo tempore scripsit, quo Petrus non Romæ, sed in Syria versabatur; ad accuratam enim trutinam revocato tempore, censet* Bellarminus, *Epistolam ad Romanos* XI. *vel* XII. *Claudii anno, quo jam Petrus, ut supra diximus, Roma discesserat, scriptam fuisse.*

Neque vero *argumentum e Scriptorum discordia desumptum, quorum alii anno Claudii* II. *alii an.* IV. *alii an.* XIII. *Petrum Romam venisse ajunt, falsitatis indicium est, nisi in ea re, in qua ipsi discordes sunt; quia Scriptorum aliqui fallantur, necesse est. At in quo consentiunt, id vero constantissimæ veritatis argumentum est. Cum ergo inter omnes de facto, nempe de S. Petri Romam adventu conveniat, iidemque de tempore tantum discrepent; id necessaria consecutione conficitur, factum quidem certum, tempus autem solummodo incertum esse. Eadem ratione super anno mortis Christi inter Scriptores discordia est; ergone statui poterit, Christum mortuum non esse? Absit, Protestantes in adeo apertam stultitiam prolabi. De Samuelis, de Saulis, itemque de Mundi a creatione ad nos usque elapsis annis, tot opiniones sunt, quot Chronologorum capita. Nemo tamen dixerit, Samuelem, & Saulem Hebræo populo non præfuisse, & Mundum creatum non esse, nisi Atheus fue-*

fuerit, *Legatur Dissertatio* III. Emmanuelis Scheltratii *in* Tomo *de Antiquitate illustrata* cap. I. *&* II. *item Dissertatio* P. Calmet de profectione Divi Petri Romam, *denique Dissertatio* III. Antonii Sandini de Cathedra D. Petri Romana.

***** Baronius *ad an.* 49. §. 21. *ex Eusebii testimonio*, *Pontificatus annos* 25. *Petro tribuit*, *Antiochiæ scilicet an.* 7. *&* 18. *Romæ*. Papebrochius *in Conatu Chronico-Historico Dissertatione* II. de Sede S. Petri Antiochena, & Romana, *apud* Bollandum Tom. VIII. *Maji* pag. II. n. I. *not in dubio relinquit*. *Ita enim scribit*: Quam certum est, utramque sedem constituisse, ac tenuisse Petrum, tam difficile est, certo definire, quo anno utramque occupare cæperit, & quot annos tenuerit.

Phacee, filius Romeliæ, supremus Dux Exercitus Phacejæ Regis Israel, Dominum suum, in quem conspiraverat, regiis in Ædibus interfecit, & se Regem renuntiatum voluit. Regnavit annos viginti, & malum egit coram Domino, Jeroboami vestigia secutus, qui Israeliticum populum ad peccatum adduxerat. Achaz, in Judæa tunc regnantis flagitiis irritatus Deus, eo Rasin Syriæ Regem, & Phaceen misit, qui, nulla interjecta mora, fulguris instar, nullo prorsus impedimento detenti, Hierosolymam obsederunt, eo animo, ut Regnum Juda penitus everterent. At a Deo missi, ut per eos electus popolus puniretur, non destrueretur, Hierosolymam capere prohibiti, suas ad ditiones redire coacti sunt. Interea cum Achaz, nulla insperati beneficii ratione habita, quod ei Divina Bonitas conferebat, in impietate animum obfirmaret, ejusque subditi, secuti Regis exemplum, se se omnibus idololatriæ superstitionibus dederent; justitiæ suæ ministros, Rasin, & Phaceen Deus revocavit, qui seorsim in Regnum Juda irruperunt, illudque ad incitas redegerunt. Phacee Regis Achaz Exercitum profligavit, una die millitum centum millia interfecit, 200000. in captivitatem traxit, & spoliis onustus Samariam rediit. At per iter Propheta quidam, Obed nomine, crudeliter in fratres patrata facinora Israelitis exprobravit, persuasitque, ut, quocunque trahebant, captivos Judæ remitterent. Prophetæ exprobrationibus permoti victores statim captivos non sine singularis miserationis argumentis omnibus dimiserunt, nudis indutis, curribusque impositis iis, qui infirmiores erant, quam ut pede redire possent. Post aliquod tempus corona spoliatus Phacee, proditusque a subditorum uno, cui Oseæ nomen, Elæ filio, qui ejus loco regnavit, an. Mundi 3265. *Lib.* IV. *Reg. cap.* XV.

Phacejas, *Dominus aperiens*, filius, & successor Manehem Regis Israel, biennium tantum regnavit, qui patris imitatus scelera, punitus a Phacee, & in convivio proditus fuit. IV. *Reg.* XV.

Phadaja, *redemptio Domini*, pater Zebidæ, matris Joachim Regis Juda, Josiæ secundogenitus. *Nomen matris ejus Zebida filia Phadaim de Ruma*. 2. Filius Jechoniæ Regis Juda, & pater Zorobabel, & Semei: De Phadaja *orti sunt Zorobabel*, *& Semei*. 3. Alii nonnulli minus animadversione digni. IV. *Reg.* II. Esdr. *cap.* 3.

Phadassur, *Servator*, Gamalielis pater. Gamaliel hic Tribus Manasse caput erat, egredientibusque ex Ægypto Hebræis, Tribus suæ nomine Tabernaculo munera obtulit. *Numer.* I. 10.

Phadon, *ejus redemptio*, unus e Nathinæorum capitibus. I. *Esdr. cap.* 2.

Phaerezæi, *dispersi*, unus e populis septem, qui terram Chanaan incolebant: *Eo autem tempore Chananæus*, *& Phaerezæus habitabant in terra illa*. Iis inde nomen, quod certa in sede non consisterent, & modo hic, modo illic, modo cis, modo ultra Jordanem, modo in montibus, modo planis in locis, Scytharum more, viverent. Sacra Scriptura *Chananæum* tantum, & Phærezæum, tanquam regionis principes nominat. Eos omnes & singulos trucidandos Deus Mosi mandavit: *nullum omnino permittes vivere*. Haud singuli tamen eversi, quoniam eos Salomon sibi vectigales reddidit, eorumque etiam Esdræ tempore, post reditum a Babylonica captivitate, mentio fit.

Phahat Moab, *caput Moab*, loci nomen in Moabitarum regione. I. *Esdr.* 2.

Pha-

Phalaja, *secretum Domini*, unus e præcipuis Levitis, qui a captivitate redierunt, & ex eorum numero, qui fœdus, a Neemia cum Domino renovatum jurejurando firmarunt. II. *Esdr.* VIII.

Phalea, *fragmentum*, Sacerdotum unus, qui eidem fœderi suam jurisjurandi fidem addiderunt. II. *Esdr. cap.* X.

Phaleg, *divisio*, filius Heber: *Natique sunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa est terra;* id ei nominis propterea inditum, quod ejus vitæ primis annis homines secesserunt, ac terram invicem partiti sunt. Natus annos triginta filium suscepit, Reu nomine, obiitque ætatis ao. 233. Mundi 1687. cum filios plures genuisset. *Genes.* XI. 19.

Phalleth, *judicium*, filius Azmoth, e strenuis Davidis Regis Exercitus Viris unus, qui ei se addidit in Urbe Siceleg. I. *Paralip.* XII.

Phallu, *abditus*, filius Ruben, pater Eliab, & Phalluitarum familiæ caput; *Hujus filius Phallu, a quo familia Phalluitarum*. Genes. XLVI. Numer. XXVI.

Phalti, *liberatio*, filius Rapha, eorum duodecim unus, qui ad explorandam Terrem promissam missi fuerunt. 2. Phalti, filius Lais, cui Saul filiam Michol conjugem dedit, cum eam Davidi ademisset: *Saul autem dedit filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais de Gallim*. At eam David e Phalti deinde manibus ereptam sibi reddidit. 3. Urbis nomen in Tribu Ephraim: *Helles de Phalti*. *Numer.* XIII. I. *Reg.* XXV. & II. *Reg.* III. III. *Reg.* XXIII.

Phaltias, *fuga Domini*, Ananiæ filius e Tribu Simeon, qui Amalecitas in Monte Seir profligavit: *De filiis Simeon abierunt in Montem Seir viri quingenti, habentes principem Phaltiam*. Id actum creditur Ezechiæ tempore. I. *Paralip.* III. & IV.

Phaltiel, *fuga Domini*, filius Ozan e Tribu Issachar, eorum unus, qui acciti fuerunt, ut promissam Terram partirentur: *De Tribu Issachar dux Phaltiel, filius Ozan. Numer.* XXXIV.

Phanuel, *prospectus Dei*, filius Hur, e Tribu Juda, pater Gedor: *Phanuel pater Gedor*. I. *Paralip.* IV. 2. Unus e Beniamin posteris, filius Sesac: *Jephdaja, & Phanuel, filii Sesac*. I. *Paralip.* VIII. 3. Quidam e Tribu Aser, Annæ Prophetissæ pater: *Filia Phanuel*, de *Tribu Aser*. *Luc.* II. 4. Urbs ultra Jordanem apud torrentem Jabok, ubi Jacob per totam noctem cum Angelo luctatus est: *Vocavitque nomen loci illius Phanuel, dicens, vidi Deum facie ad faciem*. Genes. XXXIV. Vox, Phanuel, significat intuitum Dei. Jacob sibi Deum facie ad faciem visum ait, quia scilicet corporeis oculis Angelum viderat, qui Deum exhibebat. Ibidem deinde Israelitæ Urbem ædificarunt, in hujus prodigiosæ visionis monumentum; quæ Urbs Tribui Gad tradita fuit. Gedeon, cum Madianitas insecutus reverteretur, turrim, & munimenta Phanuel æquavit solo, Urbisque incolas de medio sustulit, qui ita inhumani fuissent, ut annonam suppeditare renuerent: *Turrim quoque Phanuel subvertit*. *Judic.* VIII. At eam Jeroboam, filius Nabat redintegravit: *egressusque inde ædificavit Phanuel*. III. *Reg.* XII.

Phara, *fructum gerens*, Gedeonis servus, qui ad Madianitarum Exercitum explorandum ei se comitem addidit: *Si autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus*. *Judic.* VII. Est & Phara Urbs in Tribu Ephraim, quam Bacchides adversus Machabæos munitam voluit: *Et ædificaverunt munitionem in Thammata, & Phara*. I. *Machab.* IX.

Pharai, *hiatus*, ex Urbe Darbi, unus e Davidici Exercitus strenuis viris. II. *Reg.* XXIII.

Pharam, *fructus matris*, Rex Jerimoth, qui, cum Adonisedech Regi Jerusalem opem allaturus venisset, a Josue victus, ejusque jussu post mortem suspensus fuit: *Misit ergo Adonisedech Rex Jerusalem ad Cham Regem Hebron, & ad Pharam Regem Jerimoth*. *Josue* X. 3.

Pharan, *pulcritudo*, vasta Arabiæ Petrææ solitudo, quæ a Monte Sinai ad Asion-Gaber protenditur, & omnino lapidibus referta est, & adustis arenis, quas ventorum turbines undique extollunt. Sæpe occurrit in Sacris Litteris horrendi hujus Deserti mentio; in quod scilicet Agar,

ab hera Sara expulsa domo, se cum Ismaele filio recepit, ibique per aliquod tempus constitit: *Habitavitque in Deserto Pharan. Genes. cap.* XXI. Israelitæ e Sinai castra moverunt, & in Desertum Pharan venerunt: *Profectique sunt filii Israel per turmas suas de Deserto Sinai, & excubuit nubes in solitudine Pharan. Numer.* x. 12. Ex hoc Deserto Moses ad explorandam expendendamque Terram Chanaan e quaque Tribu hominem misit. Etsi porro Desertum hoc incultum esset, in eo tamen Israelitæ per annos triginta octo constiterunt, nulliusque rei penuriam passi sunt, Deo, prout opus erat, prospiciente. David, ut se Saulis persecutioni subduceret, in Desertum Pharan secessit: *Consurgensque David, descendit in Desertum Pharan. I. Reg.* XXV. In hoc Deserto Mons aderat ejusdem nominis: *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de Monte Pharan. Habac. cap.* 3. Et Moses *Deuteron. cap.* XXXII. 2. ita loquitur: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis; apparuit de Monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia, in dextera ejus ignea Lex*. Quamobrem pro certo ponitur, Montem Sinai in regione Pharan extitisse. Desertum hoc adjacet Mari Rubro, ad cujus oram Urbs, & promontorium ejusdem nominis conspiciuntur: *Usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine; Genes.* XIV. 6.

Pharao. Regum Ægypti commune nomen, quod iis ad Ezechielis usque tempus Sacra Scriptura tribuit. Vocabulum hoc aliis *Regem*, aliis *Crocodilum* significat. Sacra Scriptura de nominis hujus Regibus omnino decem verba facit, quorum nos historiam in pauca contrahemus. Omnium primus tum regnabat, cum Abraham, caritate grassante, in Ægyptum descendere coactus fuit. Patriarcha hic in suspicionem adductus, fore, ut ab Ægyptiis ejus conjugis pulcritudine captis, ea rapta, occideretur, siquidem ipse ejus vir agnitus fuisset, ei persuasit, ut se ejus sororem diceret. Et sane cum Abraham ad Ægyptum cum conjuge pervenisset, regionis Principes conspectam Saram in Regias Ædes intulerunt, & Abraham ipsum, qui ejus frater habebatur, humaniter & honorifice exceperunt. At Deus se Abrahæ, & Saræ summopere patrocinari significans, Pharaonem, ejusque universam domum acriter puniit, eorumque malorum causam non aliam esse, quam Saræ raptum ostendit: *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis*. Timore correptus Pharao accitum Abraham vehementer ob dissimulationem increpuit, redditaque conjuge, ex Ægypto egredi, & quidquid ad se spectabat, asportare jussit *.

Alter Pharao in Ægypto regnabat, quo tempore Joseph a Mercatoribus Ismaelitis translatus fuit, qui eum Putiphari vendiderunt. Princeps hic cum in mystico somnio boves septem, & spicas itidem septem vidisset, nec prodigiosæ visionis interpretem reperire potuisset, prædicatam Joseph hoc in genere peritiam audiit. Ei ergo e carcere educto id narravit; quod viderat. Itaque Joseph ei dixit, per crassas boves septem, per septem itidem spicas plenas ubertatis annos septem significari, consecuturos autem inopiæ annos pariter septem, per macilentas boves septem, septemque spicas tenues, & vento urente percussas significatos; eique auctor fuit, ut prudentem industriumque virum universæ Ægypto præficeret, qui per ubertatis annos septem curaret implenda horrea, ne sterilitatis tempore fames Ægyptum premeret. Judicans Pharao neminem fore, qui tam utilia consilia eo melius, qui dederat, exequi posset, & ex eo tempore Joseph sibi ac Regno a Superis dono datum spectans, tanquam de se optime meritum habuit, totiusque Ægypti Præfectum statuit. Princeps hic idem est, qui Jacob cum tota familia suscepto terram Gessen incolendam dedit. Legatur Articulus *Joseph*.

Tertius Pharao in sacris libris notus is est, qui officiorum oblitus, quæ Joseph Ægypto præstiterat, insano furore abreptus Patriarchæ hujus posteros persecutus est: *Surrexit Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph*. Princeps hic Israelitas & numero &. viribus excrescentes videns, veritusque, ne quando in se conspirarent, omnes ad unum perdendos sibi proposuit. Ergo gravissimis laboribus addictos,

dictos, acerbissimis, summumque jus exigentibus Ministris subdidit; qui nunquam non luti & laterum molestis operibus pressos miseros homines ad Urbium & Arcium ædificia compellebant. At quo habebantur acerbius, eo magis eorum numerus augebatur; quod Pharaonem impulit, ut omnes Hebræorum Infantes masculos, fæminis tantum servatis, in Nilum projici juberet. Dum hæc summo jure inbumana jussa fierent, Mosem Deus a communi Edicto servatum voluit, & in Regiis ipsis Ædibus altum educatumque ab Ægyptii Regis filia, quæ Nili undis expositum compererat, susceperatque.

Quartus is fuit, cui Moses & Aaron se se stitere, Dei jussu, petentes, ut sibi per eum liceret, ad sacrificium in Deserto offerendum cum populo pergere. At tantum abfuit, ut Princeps Israelitas abire fineret, ut eos durius haberet; quamobrem ejus Regnum plagis decem premente Deo, Rex eo tandem adactus est, ut Israelitis egressum concederet. Interea cum statim eum concessæ libertatis pœnituisset, abeuntes cum Exercitu insecutus, in Mare Rubrum se imprudens injecit, unaque cum militibus omnibus, bellicoque apparatu submersus jacuit. Legatur Articulus *Moses*.

Quintus Pharao, de quo sacra Scriptura loquitur, is est, qui Davidis tempore suscepit Adad, Regis Idumææ filium, ei Reginæ sororem conjugem dedit, & prædia tribuit, ejusque filium Genubath Regiis in Ædibus educavit. III. *Reg.* xi.

Sextus filiam Salomoni uxorem dedit, captamque Urbem Gazam, exterminatis incolis, filiæ, dotis loco, tradidit. III. *Reg.* iii.

Septimus, dictus Sesac, Jeroboamum suscepit, qui a Salomone defecerat, Roboamo Salomonis ipsius filio bellum indixit, Hierosolymam cepit, Templumque vastavit. III. *Reg.* xi.

Octavus, qui Sua nuncupatus, regnavit Ezechiæ tempore, quicum in Sennacherib fœdus iniit. IV. *Reg.* xviii. II. *Paralip.* xxxii.

Nonus, cui Nechao nomen, is fuit, qui in certamen cum Rege descendit, Josiam profligavit, eique filium Eliakim suffecit, at in reditu a Nabuchodonosor subactus maximam ditionis suæ partem amisit. IV. *Reg.* xii. *Jerem.* xvi.

Decimus est Pharao dictus *Ophra*, seu *Efræus*, qui cum Sedecia Rege Juda fœdus iniit, & se comparabat, ut ei contra Nabuchodonosor opem ferret: *Cum recessisset Exercitus Chaldæorum ab Jerusalem, propter exercitum Pharaonis*. Is est Pharao, in quem Ezechiel vaticinia multa protulit: *Ecce ego trudam Pharaonem Ephrae Regem Egypti in manu inimicorum ejus, sicut trudidi Sedeciam Regem Juda in manu Nabuchodonosor. Ezech. cap.* xxix. & xxx.

* *Inquisitione dignum est, rectene se gesserit Abraham, dum conjugem sororem dixit; duo quippe hac in re improbanda videntur; primo quidem ab eo sororem dictam, quæ uxor erat, deinde vero honestissimam conjugem adulterii periculo expositam. Ad primum quod attinet, nullum Abraham mendacium protulit, dum Saram sibi sororem dixit, quoniam reupse ejusmodi erat, vel quia eodem patre, alia vero matre genita, vel quia, ut unanimi consensu Patres afferunt, ex Aran ejus fratre natu; in Sacris autem Literis, ut alibi animadvertimus, consanguinei ad quartum usque gradum fratres, & sorores dici consueverunt. Difficultas omnis eo demum redigitur, reufne fuerit Abraham, dum Saram conjugem dissimulavit, quippe cum ejusmodi dissimulatio adulterii periculum secum traxerit. At qui rem ipsam inspexerit, ac discrimina expenderit, in quibus Abraham versabatur, eum prudenter admodum se gessisse, nulliusque culpæ reum fuisse clare perspiciet. Eo fane tempore gravissima pericula duo, Sancti Patriarchæ vitæ unum, honori alterum imminebant, Ad has ergo angustias redactus, primo quidem remedium afferre studuit, Saræ persuadens, ut ejus se sororem diceret, quemadmodum absque mendacio poterat, ut dictum est. Alterum autem honestis periculum majus esse reputans, quum ut ei suis ipse viribus occurrere posset, id totum Deo commendavit, cujus opem non defuturum, ubi humana subsidia nulla erant, persuasum habebat; ut re sane ipsa contigit. Quamvis enim Sara, statim ac Pharao de ejus pulcritudine audiit, in Regias Ædes*

Ædes ducta fuerit, tamen, ut Genes. cap. XII. *legitur:* flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus (*eos nempe, qui eam apud Regem laudaverant, utpote delicti participes*) propter Sarai uxorem Abram. *Atque ita quidem tum Abrahæ, tum castissimæ ejus uxoris honori consultum fuit; ac proinde successus promissorum veritatem probavit, quibus se Deus Abrahæ non semel obstrinxerat in hæc verba:* Maledicam maledicentibus tibi; nimirum eos puniam, *qui operam dederint, ut tibi injuriam inferant. Quis horum verborum hic sensus sit, dubitari non potest; atque ita quidem rem hanc explicat* S. Augustinus lib. XXII. *contra Faustum Manichæum cap.* XXXVI. *& lib.* XXV. *de Civit. Dei* cap. XIX. Si interrogatus Abraham, *inquit S. Pater*, illam fœminam suam esse indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam, & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet, quod faciat, homo, non tentare Dominum Deum suum, Neque enim & ipse Salvator non poterat tueri Discipulos suos, quibus tamen ait: *Si vos persecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam.* Neque & Apostolus Paulus desperaverat adjutorium protectionemque Divinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, ut inimicorum manus effugeret...... Proinde cum inter ignotos, propter excellentissimam pulcritudinem Saræ, & ejus pudicitia, & mariti vita esset in dubio, nec utrumque tueri posset Abraham, verumtamen unum horum posset, idest, vitam; ne Deum suum tentaret, facit, quod potuit; quod autem non potuit, illi commisit.

Immerito igitur Joannes Franciscus Buddæus *in Historia Veteris Testamenti, Periodo* I. *Sect.* III. §. V. *Patres, qui Abrahæ factum laudarent, non defuisse miratur, ratus, Sanctum quidem Patriarcham Abraham non ita acerbe, ut Faustus Manichæus fecit, impetendum esse, negari tamen non posse, quin idem Abraham adulterii periculo conjugem exposuerit, & imbecillitate quadam, ac diffidentia, contra Divinam Providentiam peccaverit. Verum etsi recentiores Hæretici moderatione quadam in veteribus Patribus notandis utantur, ut nobis persuadeant, se Manichæorum doctrinæ non adhærere; ab eo tamen errore non admodum distant, in quem Manichæi inciderunt. Quamobrem iis quoque id apte congruere potest, quod S. Augustinus Manichæis ipsis in Fausti persona exprobravit laudati libri* cap. 33. Hoc Abrahæ factum lenocinio simile videtur non volentibus ex illius æternæ Legis lumine a peccatis recte facta discernere, & quæcumque similiter objiciuntur quasi non recte agentibus a non recte cernentibus. *Non sum nescius,* Petrum Bayl, *&* Berbairac *fidenter edicere, allatam S. Augustini explicationem non satis sibi probari, omnesque ingenii vires intendere, ut Abraham in sana morum regula reum & criminosum obtrudant. At ii quidem Abraham perinde ac cæteros omnes homines spectant, quin secum reputent,* Abraham, *ob obstrictam a Deo ipso fidem, omnino certum fuisse,* Divinam Providentiam sibi nullo seu tempore, *seu loco defuturam, ubi nullum humanum auxilium præsto fuisse. Non est ergo, quod nos ejusmodi facta in Sacris Litteris commemorata imitemur, qui nec de singularibus promissis, nec de peculiari auxilio Dei certi sumus; eaque proinde mirari debemus, quin eam agendi rationem, quam ii Sancti Homines inierunt, ad eam exigamus, quam nos inire possemus. Verum enim vero si quis in ejusmodi circumstantiis, & cum eadem peculiari Divina providentia ita se gereret, eum quoque equidem ajo, fidenterque pronuntio, non nisi laude, ac præconiis dignum fore.*

Hoc loco Interpretes alia multa quærere solent, quæ tamen nec utilia, nec necessaria (ac fatendum sane, morbum hunc apud Interpretes communem esse) quæque non a Deo revelata, nec scitu *dignæ sunt; causa exempli, quam Demum pœnam Pharaoni, ejusque Aulicis omnibus Deus inflixerit; qui noverit Pharao se a Deo, Saræ causa, punitum fuisse, eamdemque Abrahæ conjugem esse; & ejusmodi alia. Qui porro curiositate ductus ea scire voluerit, cum veteres, tum recentiores Interpretes legat, & cumulatissime fiet voti compos, quin se tamen e difficultatibus egressum certo sciat.*

Pharaton, ejus dissipatio, Urbs Tribus Ephraim in monte Amalech, ubi Abdon Ju-

Judex Israel sepultus fuit: *sepultus in Pharaton terræ Ephraim in Monte Amalech*. *Judic.* XII.

Phares, *ruptura*, Judæ filius, ab eo susceptus ex nuru Thamar: *Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*. Dictus est Phares, quia membranam fregit, qua a fratre dividebatur, ut cum eo in lucem prodiret: *Ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares*. Genes. XXXVIII.

Phares Hebraica quoque, seu Chaldaica nota est, quam occulta manus ejus Aulæ parieti impressit, ubi sacrilegam cœnam impius Balthassar instruxit, in qua sacris Templi vasis abusus est. Nota hæc innuebat fore, ut hujus Principis Regnum Darium inter & Cyrum divideretur: *Divisum est Regnum tuum, & Medis, & Persis*. Eadem nocte Balthassar periit, ejusque ditionum hostes potiti sunt. *Daniel*. V.

Pharisæi, ita dicti ab Hebraico verbo פרש *Pharas*, quod significat *separare*, quoniam sua ipsorum arrogata justitia tumentes, se a cæteris hominibus sejungebant, quos tamquam profanos traducebent, quia cum iis cibum sumerent. Pharisæorum secta inter Judæos nulla antiquior, nulla præstantior. Quæ erat apud omnes eorum superni luminis, pietatis, speciosæque morum probitatis opinio, tanto eos obsequio populus prosequebatur, ut ab ipsorum nutibus omnino penderet. Eo demum auctoritatis Pharisæi pervenerant, ut postremi Judæorum Reges magnopere caverent, ne eos læderent, ac sæpe non aliter quàm per eorum ministerium sibi Regnum servare possent. At hoc genus hominum pietatis specie avaritiam, & superbiam prorsus intolerandam, honorum, & prærogativarum inexplebilem sitim, vehemens singularis dominationis desiderium, invidiam, quæ contra aliorum meritum in furorem abibat, pertinax, æternumque in eos odium, qui iisdem adversantur, ultionis animum quo ad extrema trahebantur, hypocrisim denique semper Religionis imagine involutam tegebat. Iis præter sacram Scripturam, cujus omnes, nullo prorsus excepto, libros recipiebant, ingens traditionum numerus præsto erat, quibus præter modum addicti erant, quasque tanti faciebant, quanti præcepta, quæ divino jure servanda erant. Christus Dominus iis sæpe humanarum ejusmodi traditionum nimium studium exprobrat, quibus divinæ Legis præcepta posthabebant. Causa exempli, Lex honorem parentibus exhiberi jubet; Pharisæi vero docebant, satis filium facere, qui patri, ac matri dixerit: pater, seu mater, quod a me petitis, Deo dicatum est, non amplius in mea est potestate; at vos quidem oblationis meæ participes eritis; ita etiam periculosis interpretarionibus gravissimos quosque Legis articulos invertebant: *Sic & vos* (ita Christus Pharisæos increpat apud Matthæum *cap.* XXIII. *v.* 28.) *a foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate*. Adhærentes litteræ cortici, quin Legislatoris mentem expenderent, Sabbatum summa religione servabant; adeoque hoc in capite accurati erant, ut miracula ipsa, & recte facta notarent, quæ hac die Christus edebat, inferentes, Christum hominem esse non posse, qui a Deo missus esset, quippe qui pessime Sabbatum custodiret. Ad doctrinam quod attinet, humani animi immortalitatem, alterius vitæ pœnas, & præmia, mortuorum resurrectionem non sine omnibus, contra Sadducæos eam negantes, consecutionibus profitebantur. Etsi Pharisæos plurimos Hierosolymitani Templi excidium, & Israelitarum dispersio de medio sustulerit; Judæorum tamen plerique, qui hac ætate vivunt, traditionibus, quas *oralem Legem* nuncupant, addicti sunt, & *Rabbinistæ* appellantur.

Pharos, *pulices*, hominis, familiæ capitis nomen, qui Babylone rediit, & de quo sermo est *Esdr. lib.* I. *cap.* II. & *lib.* II. *cap.* II.

Pharphar, fructus edens, unus e Chrysorroæ fluvii canalibus, qui Damascum Urbem, & finitima loca alluit: *Numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluvii Damasci omnibus aquis Israel?* IV. *Reg.* V. Damasci flumen e Libani Montibus oritur, jamque Urbi proximum dividitur in ostia tria, quorum unum Damascum ambit, reliqua duo circumpositos hortos abluit; conjunctim deinceps omnia ad aliquod ab Urbe spatium ad boream se in Lacum exonerant.

Phar-

Pharsandatha, *impuritatis lumen*, Amani filius primogenitus, quem Assuerus, ut patrem, morte damnavit, & furcæ affixum voluit. *Esth.* IX. 7.

Pharve, *evadens*, pater Josaphat e Tribu Issachar, cui a Salomone præfectus fuit. III. *Reg.* IV.

Pharurim, *ahenum*, proximus Templo locus, ubi Nathaumelech, Josiæ Regis Eunuchus, cui soli sacros equos custodiendi demandatum officium, commorabatur. II. *Paralip.* XXVI.

Phase, Hebraica vox, quæ Latino vocabulo, *transitus*, & Italico, *passaggio* respondet: *Est enim Phase, id est, transitus Domini*; quoniam Paschalis Agnus immolatus fuit occasione Angeli, qui domos hujus Agni sanguine obsignatas prætergressus est, dum subiret Ægyptiorum ædes, ut primogenitos interficeret. *Phase* Paschalem etiam Agnum significat, qui ad hunc transitum repræsentandum immolabatur: *Immolate Phase*. Sumitur quoque pro die, qua idem Agnus immolabatur, quæ scilicet erat decima quarta Lunæ Martii: *Non fuit Phase simile huic*; & pro victimis omnibus, per hebdomadam Paschæ immolatis: *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Legatur Adnotatio ad articulum *Pascha*.

Phaselides, *transitus*, Pamphyliæ Urbs in Lyciæ finibus: *In Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortynam*. I. *Machab. cap.* XV.

Phaseron, *os ad assentationem factum*, hominis nomen, cujus familiam Judas Machabæus delevit, quia ejus filii a Bacchide erant. I. *Machab.* IX.

Phasga, *collis*, Mons ultra Jordanem in regione Moab, qui Montis Nabo veluti cacumen erat: *Cum duxisset eum super verticem Montis Phaga*. Balac, in Montis Phasga verticem ducto Balaam, altaria septem ibidem erexit. *Deuter.* XXXIV.

Phassur, *prosperitas*, Sacerdos, filius Emer, qui Jeremiam, quem plures Hierosolymæ calamitates prædicentem audierat, fuste cæsum catenis vinxit. Postridie solutus ejus jussu Propheta portendit eidem Phassur, fore, ut captivus Babylonem cum domesticis duceretur, ibique cum amicis omnibus moreretur, quibus mendacium prædixerat: *Tu autem, Phassur, & habitatores domus tuæ, ibitis in captivitatem*. Probabile est, vaticinium hoc, post captam a Nabuchodonosor Rege Jerusalem, perfectum fuisse. Phassur hic dicitur *princeps in Domo Domini*, quæ verba vel unum e viginti quatuor Sacerdotalium familiarum capitibus, vel eorum unum designare possunt, qui aliquod in Templo munus obibant. Sunt alii hujus nominis duo minus noti. I. *Paralip.* IX.

Phatuel, *os Dei*, Joel Prophetæ pater. Putant Hebræi, Prophetarum Patres ipsos quoque Prophetas esse, cum in Sacris Literis occurrunt eorumdem nomina. *Joel* I.

Phatures, *buccea roris*, Ægypti pagus, de quo Jeremias, & Ezechiel: *Habitantes in Taphis, & in Memphis, & in terra Phatures*. Nomen hoc derivatur a *Phetrusim*, qui filiorum Mezraim quintus fuit; ejus posteri superioris Ægypti potiti sunt, quæ deinde dicta terra Phatures. Hæc ipsa Thebais esse creditur. *Jerem.* XL. IV.

Phau, *qui ululat*, Idumææ Urbs, in qua Adar, seu Adad regnabat: *Regnavit pro eo Adad, cujus nomen fuit Phau*. *Genes.* XXXVI. 34.

Phedael, *redemptio Dei*, filius Ammiud e Tribu Nephtali, fuit eorum unus, quos ad Terræ promissæ divisionem Moses accivit: *De Tribu Nephtali Phedael filius Ammiud*. *Numer.* XXXIV. 28.

Phegiel, *oratio Dei*, filius Ochran, caput Tribus Aser, qui obtulit Tribus suæ nomine acetabulum argenteum, & phialam pariter argenteam, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, vas aureum incenso plenum, Bovem, Arietem, Agnum in holocaustum, Hircum pro peccato, Boves duos, Arietes quinque, Hircos quinque, Agnos quadraginta quinque ad sacrificia pacifica: *De Aser Phegiel, filius Ochran*. *Numer.* VII. 71.

Phelelia, *qui Dominum orat*, e Sacerdotali stirpe, reparando & ipse Templo addictus. II. *Esdr.* XI. 12.

Pheleth, *qui cadit*, filius Phallu e Tribu

bu Ruben, pater Hon, & Jehiel. *Numer.* XVI. I.

Pheleti, *profligatores*; Pheleti, & Cerethi erant in Davidis Exercitu milites omnium fortissimi, regiique corporis custodes: *Banajas*, *filius Jojadæ*, *super Cerethi*, *& Pheleti*; Banajas Cerethianis, & Pheletianis, nempe Regis custodibus imperabat; erant hi origine Philistæi ex Urbe Geth. II. *Reg.* VIII. I. *Paralip.* XVIII.

Pheloni, Judææ Urbs, e qua Ahia, unus e Davidici Exercitus strenuis Viris: *Abia Phelonites*. I. *Paralip.* XI.

Phelti, seu *Pheltias*, *fuga Domini*, filius Banajæ, Princeps populi, qui tempore Sedeciæ Regis Juda vivebat, & obstitit utilibus monitis, quibus Jeremias Judæos hortabatur, ut Nabuchodonosor Regi se subderent. Eo tempore occubuit, quo Ezechiel in Mesopotamia captivus visionem obtinuit, in qua vaticinium in eum protulit: *Cum prophetarem*, *Pheltias filius Banajæ mortuus est*. *Ezech.* XI. 3.

Phenenna, *margarita*, altera conjux Elcanæ patris Samuelis: *Nomen secundæ Phenenna*. Erant Phenennæ filii plures, quæ proinde cum Deo, uni fæcunditatis ejus Auctori gratias agere deberet, Annæ insultabat, & sterilitatem, cui, Deo volente, suberat, exprobrabat. Verum Annæ misertus est Deus, quæ Samuelem peperit, & Phenenna repressa est; Interpretibus aliis eam filiis orbatam, aliis deinceps sterilem fuisse opinantibus: *Sterilis peperit plurimos*, *& quæ multos habebat filios*, *infirmata est*. Phenenna Synagogæ Symbolum est, cui terrenorum bonorum optima portio contigit, quæque proinde temporalibus commodis intumuit; prima fæcunda, sed carnalibus filiis, aliquando cum matre rejiciendis. Anna vero, cum sterilis esset, effecta fæcunda ejus Imago est, quæ, Virgo cum esset, Hominum Servatoris Mater evasit; quod eam privilegium ob filiorum numerum, & gloriam supra fœminas omnes extulit. Ecclesiam quoque significat, quam ea solatii plena verba spectant: *Lauda*, *sterilis*, *quæ non paris*, *decanta laudem*, *& hinni*, *quæ non pariebat*; *quoniam multi filii desertæ magis*, *quam ejus*, *quæ habebat virum*, *dicit Dominus*. *Isai. cap.* LIV. *v.* I. I. *Reg.* I.

Phermesta, *qui hostem fundit*, septimus filiorum Aman, qui a Judæis occisus fuit. *Esth. cap.* IX.

Phesdomim, *sanguinis portio*, locus, in quo Philistæi profligati fuere: *Iste fuit cum David in Phesdomim*, *quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in prælium*. Locus hic in Tribu Juda Sochum inter & Azecam situs est; idem omnino, ac de quo sermo est hoc titulo: *in finibus Domnim*. I. *Paralip.* XI.

Phessur, *qui libertatem extendit*, Sacerdotalis stirpis caput, cujus filii numero 1248. e Babylonica Captivitate redierunt. I. *Esdr.* II. 13.

Phetheja, *jactura Domini*, decimæ nonæ familiæ Sacerdotalis ordinis caput. I. *Paralip.* XXIV. 16.

Phetros, Ægyptus superior, ita dicta a Petrusim quinto filiorum Mezraim. *Isai.* XI. 11.

Phicol, *os omnium*, supremus Dux Exercitus Abimelech Regis Geraræ: *Surrexit Abimelech*, *& Phicol*, *Princeps exercitus ejus*, *reversique sunt in terram Palæstinorum*. Alius Alibi memoratur ejusdem nominis: *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech*, *& Ochozat*, *& Phicol Dux militum*. Quod facit, ut credatur, Phicol officii nomen fuisse omnium ejus regionis exercitus Ducum commune. *Genes.* XXI.

Phigellus, *profugus*, Christianus ex Asia, qui cum Romæ esset eo tempore, quo S. Paulus in carcere versabatur, eum cum Hermogene deseruit, dum eorum auxilio opus haberet: *Aversi sunt a me omnes*, *qui in Asia sunt*, *ex quibus est Phigellus*, *& Hermogenes*. II. *ad Timoth.* I. 15.

Phihahiroth, *aperta libertas*, Israelitarum statio quarta: *Reversi castrametati sunt Phihahiroth*, *qui est inter Magdalum*, *& mare*. Vocabulum hoc significat angustiarum aditum, quia nempe locus hic montibus duobus ad maris oram continebatur. *Exod.* XIV.

Philadelphia, *amor fratris*, vetus Urbs Lydiæ in Asia minori, hodie provinciæ Carasiæ in Anatolia. Hujus Urbis Angelus, seu Episcopus, quo tempore S. Joannes Apocalypsim suam scripsit, Vir erat sanctitate præstantissimus, ad quem ita

Dej Filius: *Scio opera tua; ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum . . . . Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra*. Putant nonnulli S. Episcopum hunc S. Quadratum fuisse, Apostolorum Discipulum, & Christianæ Religionis Apologistam. *Apocalyp. cap.* III. 7. &c.

Philadelphia quoque nomeo est, quod Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex imposuit Rabbath Ammonitarum metropoli, in montibus Galaad ad fontes flumiois Arnon sitæ. II. *Reg.* XII.

Philargus, gratiosorum primus, hominum nequissimus, Judæorum hostis, quem Judas Machabæus post Nicanoris cladem occidit. II. *Machab.* VIII. 32.

Philemon, qui amplectitur, inter Colossenses divitiis, & gradu præstans, qui ab Epaphra, S. Pauli discipulo Christiana fide imbutus fuit, cujusque domus Ecclesia erat, Fidelibus nempe recessus, quos ille perhumaniter suscipiebat. Ejus uxor Appia, & ipse Urbis bonus odor erant ob virtutem, & spem, quam in eorum liberalitate omnes miseri collocabant. Philemonis mancipium Onesimus, ei suffuratus, Romam fugit, ubi S. Paulum agnoscens se ab eo Religione imbutum, & baptismate ablutum voluit. Eum deinde remissum Apostolus hero per Epistolam commendavit, quæ suadentis eloquentiæ exemplar est: *Paulus vinctus Jesu Christi, & & Timotheus frater Philemoni dilecto, & adjutori nostro*. De Philemonis vita, ac morte peculiaria multa Græci, quæ maxime incerta sunt. Eum cum Appia conjuge in quadam populari seditione Colossis martyrio affectum volunt.

Philetus, amabilis, ad fidem conversus, impia deinde dogmata docuit. Resurrectionem palam negare non ausus, non aliam, quam peccati ad gratiam, resurrectionem esse asserebat. S. Paulus ad Timotheum scribens, eidem commendat, ut hujus Hæretici, asseclarumque pestiferos sermones evitet: *Sermo eorum, ut cancer, serpit, ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse jam factam*. II. *ad Timoth.* II. 17.

Philippus, bellicosus, Aminthæ Macedoniæ Regis filius, & Alexandri Magni pater. Sacræ Scripturæ nonnullis in locis de eo sermo est, at filii occasione tantum: *Scuta, quæ reliquit Alexander Philippi Macedo*. In Macbab. Libr. Antiochus ex Ælimaidis Templo scuta sustulit, quæ Alexander, Macedoniæ Rex, Philippi filius ibidem reliquerat. Princeps hic, Thebanis obses traditus, ab Epaminonda educatus, bellica virtute præstitit. Subacta Græcia universa, finitimisque populis, se ad Persarum evertendum Regnum convertit; at festinans ad ipsum facinorum exitum, a Pausania, custodum uno, in Macedoniæ Urbe Egæa an. Mund. 3688. occisus fuit. Meminit etiam Sacra Scriptura Philippi Macedonum Regis, filii Demetrii, patris Persei, quos Romani ambos vicerunt: *Philippum, & Perse contriverunt in bello*. Philippum Quintus Flaminius subegit, Perseum Paulus Æmilius. *Quintus Curtius lib.* IV. *cap.* I. *Arrianus* lib. II.

Philippus, origine Phryx, qui Hierosolymis ab Antiocho Epiphane præfectus, Judæos, ut ad Religionem mutandam adigeret, crudeliter habuit: *Reliquit autem Hierosolymis Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est*. II. *Machab.* VIII. Antiochus morti proximus Philippum Regni Procuratorem instituit, Diademate, Purpura, annuloque insignivit, quæ Antiocho Lupatori filio redderet. At hujus Infantis nomine regiminis potito Lysia, Philippus, viribus impar, in Ægyptum fugit cum Epiphanis corpore, opem in Usurpatorem petiturus; anno post, absente Lysia, in Judæos occuparo, in Syriam irruit, & Antiochiam cepit; at Lysias per ejus vestigia statim regressus, Urbem recepit, & Philippum occidi jussit. *Joseph. Antiq. lib.* XII. *cap.* V. *& de Bello lib.* II.

Philippus, Herodis Magni & Cleopatræ filius, & frater Antipæ, Salomen Saltatricem duxit, quæ S. Joannis Baptistæ caput petiit: *tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha*

Itureæ , *&* *Trachonitidis regionis* . *Luce* III. 1. Cnm Augustus Herodis testamentum firmasset , qui Gaolonitidis , Bethaniæ , & Paneadis Tetrarchiam Philippo relinquebat , Princeps hic ad ditionem suam rediit , ubi id unum egit , ut subditos felices redderet . Paneadem Urbem magnifice reparandam curavit , quam in Tiberii honorem Cæsaream nuncupavit , quæ proinde Cæsarea Philippi dicta fuit : *Venit in partes Cæsareæ Philippi* . Auxit etiam Bethsaidæ vicum , cui Juliadæ nomen dedit , in Juliæ gratiam Augusti filiæ . Regni an. 37. ac Tiberii vicesimo e vivis excessit. Fuit & Philippus alios , Herodis Magni , sed ex conjuge , Marianna dicta filius, qui Herodiam duxit, & Salomes pater fuit . *Joseph. Antiq.* XVIII.

Philippus , Apostolus Christi Domini , Bethsaide , Galilææ Urbe ad oram lacus Genesareth natus est : *Erat autem Philippus a Bethsaida* , *Civitate Andreæ* , *&* *Petri* . Eum primum Christus ad se vocavit : *Invenit Philippum* , *&* *dixit ei Jesus* , *sequere me* . Eum Philippus secutus est , & paulo post cum Nathanaelem obvium habuisset, eum de invento Messia monuit , & ad Christum ipsum duxit . Ambo ad Canæ nuptias Dominum secuti sunt, statimque Philippus Apostolus creatus fuit. Ad eum se Christus convertit, cum hominum quinque millia nutrire volens , qui eum sequebantur , quæsivit , ubinam tantæ multitudini panis emi posset ; cui Philippus respondit, ducentis & amplius denariis opus fore . Christum in Passionis suæ vigilia longum ad Apostolos sermonem habentem rogavit Philippus, ut iis Patrem ostenderet . At ei Servator respondit : *Philippe* , *qui me videt* , *meum quoque Patrem videt* . Ad hunc Apostolum quod spectat, ex Evangelio constant hactenus dicta , nihil præterea . Ecclesiastici Auctores addunt , ei ex conjugio filias multas fuisse * ; eumdem in Phrygia Evangelium nuntiasse , & Hierapoli , Provinciæ hujus Urbe obiisse .

* *Baronius ad an.* 58. §. 114. *putat* , *filias ob nominis ambiguitatem S. Philippo Apostolo tributas proprie Philippi Diaconi esse* . *Id autem ait S. Hieronymi auctoritate nixus* , *qui lib.* I. *contra Jovinianum cap.* XIV. *pronuntiat* , *præter S. Petrum* , *alium Apostolum* , *qui uxorem duxerit* , *ostendi non posse ; verum id ex sacris paginis ostendi non posse ait S. Peter ; qui* lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 45. *in Polycratis vita recitat ejusdem testimonium in hæc verba* : Philippum loquor de duodecim Apostolis , qui dormivit Hierapoli , & duas filias ejus , quæ Virgines senuerunt , & aliam ejus filiam, quæ Spiritu Sancto plena , in Epheso occubuit . *Non ignoro* , Christoforsonium *Eusebii interpretem ita vertisse* : Philippum unum e septem Diaconis ; *at inconsulto ; quamobrem eum arguit Valesius in Adnotationibus ad* lib. III. *Eccl. Hist. Eusebii* c. 31. *quamvis Baronii sententiam tueretur* . Joannes Baptista Cotelerius *in suis pariter adnotationibus ad Constitutiones Apostolicas* lib. IV. cap. 7. *tametsi a* Baronio , *&* Valesio *hac in re non dissentiat* , *legendum tamen contendit* , unum ex duodecim Apostolis . *Ita sane legitur in Greco Eusebii textu* , *tum* lib. III. cap. 31. *tum* lib. V. cap. 24. Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα Ἀποστόλων ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι : Philippum unum duodecim Apostolorum , qui obdormivit Hierapoli , & duæ filiæ ipsius, quæ senuerunt Virgines . Florentinius etiam , *&* Bollandus *ad Calendas Martias ita legerunt apud* S. Hieronymum, *&* *apud* Nicephorum lib. IV. cap. 37. *qui* lib. III. cap. 20. *disertis verbis e Papia scriptum reliquerat* : Philippum , qui Hierapoli fuit , & filias habuit , unum ex duodecim Apostolis , non ex septem Diaconis fuisse . *Quamobrem non videtur S. Polycrati Ephesino neganda fides* , *itemque Alexandrino Clementi* , *qui potissimum Stromatum* lib. 3. *nuptiarum impugnatoribus SS. Apostolos Petrum* , *&* *Philippum opponit* , *scribitque ab eorum uno filias pro dignitate viro traditas fuisse ; quod Philippum Apostolum a Philippo Diacono distinguit* , *cujus filiæ Virgines erant* , *&* *Prophetissæ*.

Philippus , alter e Diaconis septem , quos Apostoli post Christi Domini Ascensionem elegerunt : *Elegerunt Stephanum* , *plenum fide* *&* *Spiritu Sancto* , *&* *Philippum*. Cæsareæ in Palæstina ortus, aut ibi saltem dubio procul moratus creditur , cui *erant quatuor filiæ Virgines* , *&* *prophetan-*

tantes. Post S. Stephani martyrium, divisis Apostolis, Philippus Diaconus, Evangelii nunriandi gratia, Samariam se contulit, ubi mirum in modum Christianam fidem propagavit. Ei adhuc ibi versanti præcepit Angelus, ut in viam pergeret, quæ Hierosolymis Gazam ducebat. Paruit Philippus, & Candacis Eunuchum obvium habuit, qui Hierosolymis, quo vero Deo cultum exhibiturus perrexerat, in curru Prophetam Isaiam legens revertebatur. Tum vero Spiritus Sanctus accedere Philippum jussit, qui Eunúchum ea Prophetæ verba legentem audiit: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus?* Quærenti autem Eunucho, quem demum eo loco Propheta innueret, Philippus Christum nuntiare cæpit; rivoque per viam occurrente, Diaconi verbis permotus Eunuchus baptismum petiit; in aquam ergo descenderunt ambo, ubi Philippus eum baptizavit. Tum eum Domini Spiritus Azotum transtulit, ubi Dei verbum nuntiavit, quoad Cæsaream Palæstinæ reversus est. Ibi mortuus creditur, quamvis alii Trallos in Asia profectum velint, ubi Ecclesiam, cujus Apostolus, & Episcopus fuerit, ab eo institutam contendunt. *Actor.* VI. & VIII.

Philippi, Macedoniæ ad Ægæi Maris oram haud vulgaris Urbs, & Romanorum Colonia: *Venimus Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ Civitas, Colonia. Actor.* XVI. 12. Ibi S. Paulus Christum nuntiavit, & inter alios fæminam purpurariam, Lydiam nomine, ad fidem traxit; adolescentulam quoque a Dæmone possessam liberavit; quod ejus heres Apostolo vehementer infensos reddidit, quibus familiaris ille spiritus magno emolumento erat. Philippi, Urbs, ab Alexandri Magni patre nomen trahebat, qui eam a fundamentis restituit; eamque insignem reddidit victoria, quam Augustus e Cæsaris proditoribus retulit. Ejus incolæ S. Paulo, a quo fidem acceperant, ita semper adhæserunt, ut eidem non semel grati animi argumenta præberent. Ad eum, quem Romæ in carcere detentum audierant, per Epaphroditum Episcopum suum haud leve subsidium miserunt. Ad eos ergo S. Paulus per eumdem Epaphroditum Epistolam dedit, quæ etiamnum extat eorum nomine, in qua, actis ob missam opem gratiis, de vinculorum suorum fructu, de perpessionum studio, ac de Christi humilitate loquitur, quam ii sibi tamquam suæ exemplar proponere debebant. Eos hortatur, ut veluti luminis filii inter finitimos Ethnicos vivant; eosdem contra Judaicæ sectæ pseudo-Doctores munit, quos Christi Fidei hostes vocat, obsecratque, ut semper inter se perfectam animorum conjunctionem, ac genuinam humilitatem servent, precibus vacent, se in sollicitudinibus firmos exhibeant, pacemque semper, & lætitiam foveant.

Philistæi, *dispersi*, populus Insulæ *Caphtor*, qui in Palæstinam venerant, & primo quidem e Misraim, Ægyptiorum patre prodierant. Epocha certa eorum exitus ex Insula *Caphtor*, ut se Palæstinam conferrent, statui non potest; at Moses ab iis expulsos Hevæos refert, qui regionem ab Hazerim, Gazam usque occupabant, ibique consedisse. Viribus jam inde ab Abrahæ tempore in Palæstina pollebant, suis suberant Regibus, & late patentem ditionem obtinebant. Quamvis autem non essent e maledicta stirpe Chanaan, & quod inde consequitur, haud anathemate continerentur, cui Chanaanitæ addicti fuere; quia tamen regionem Israelitis promissam occupabant, eos, jubente Domino, aggressus est Josue, ipsorumque regionem Hebræis tradidit. At Josue victoriis haud satis cautum. Magna quippe Philistæorum vis erat etiam Judicum tempore; eorum ditio in Satrapias quinque divisa erat; iidemque per æternum odium Israelitas tyrannico imperio vexarunt ad illud usque tempus, quo Samson ad eorum tyrannidem reprimendam a Deo suscitatus fuit. Iidem Israelitico populo graves fuere, Summi Pontificis Heli, & Samuelis ætate; ac licet ab Hebræis passim repressi, non omnino tamen subacti sunt, nisi Davide regnante, qui suo eos imperio subdidit. Sub aliis deinceps

ceps hujus Principis successoribus capitales hi Judaici nominis hostes assurgere conati sunt, assecuti tandem, per infirmum regimen postremorum Regum Juda, ut se in libertatem cumulatissime vindicarent. Eos quoque Israelitis mala inruisse nos dubitare non sinunt Prophetæ Isaias, Amos, Sophonias, Jeremias, Ezechiel; quippe qui gravissimas calamitates in crudelitatis pœnam iis minitantur. Et sane Assyriæ, Ægyptique Regibus traditi, tum in Persarum, denique in Alexandri Magni potestatem delapsi, idem omnino fatum subiere, atque omnes Palæstinæ populi, cui nomen dederant, quamvis ejus exiguam partem tantummodo possiderent.

Phinees, *facies confidentiæ*, Eleazari filius, & nepos Aaron, tertius e Summis Judæorum Sacerdotibus fuit, insigni Divinæ gloriæ zelo in Sacris Litteris clarus: *Stetit Phinees, & placavit, & cessavit quassatio*. *Psalm.* cv. *v.* 30. Cum Madianitæ fœminas suas in Israelitarum castra misissent, quæ Hebræos in fornicationem, & idololatriam traherent, Zambri eorum unus publice ad Madianitidem ingressus est, cui Cozbi nomen: *quod cum vidisset Phinees .... arrepto pugione ...... perfodit ambos simul; cessavitque plaga a filiis Israel*. *Numer.* xxv. Deus, ut vehementem, quam Phinee restatus fuerat, Legis sollicitudinem compensaret, futurum ea occasione promisit, ut Pontificiam dignitatem summam in ejus familia servaret: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo*. Hoc perpetui Sacerdotii promissum, quo Dominus se Phinees obstrinxit, cumulate perfectum fuit. Dignitas hæc absque ulla intermissione per annos 335. in ejus familia permansit ad Heli Pontificem usque, a quo ad Ithamar transiit, quin e sacris Litteris mutationis hujus seu modus, seu causa constet. At hæc intermissio diuturna non fuit; Pontificatus enim statim in Domum Phinees per Sadoc rediit, cui Salomon eam reddidit, cujusque posteri, ad usque excidium Templi, per annos mille octuaginta quatuor eamdem obtinuerunt. Nihilominus consilium hoc, & ipsius Sacerdotii extrema extinctio nos monent, aliquid Divini Verbi absolutæ veritati deesse; nisi ejus perfectio quæratur in Christo, cui Divina gloria ita cordi fuit, ut injuriam morte sua repararet, quam peccata nostra Divinitati afferebant; quemque proinde Deus ad æternum Sacerdotium extulit, cui posteritas omnis adhæret, ut cum eo, & per eum spiritalia sacrificia per omnium sæculorum spatium offerat. Auctor Ecclesiastici huic illustri Summo Sacerdoti insigne elogium contexit *cap.* XLV. *Phinees, filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini, & stare in reverentia gentis; in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem Sanctorum, & gentis suæ, ut sit illi, & semini ejus Sacerdotii dignitas in æternum*.

Phinees, *protectio*, Summi Pontificis Heli filius: *Filii Heli, Ophni, & Phinees ... filii Belial, nescientes Dominum*. Filii scilicet Heli erant filii Belial, qui Dominum non agnoscebant. Cum perditis moribus essent, Heli prædixit Deus, ambos eadem die misere perituros: *Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis ejus Ophni, & Phinees: in die uno morientur ambo*. Comminatio hæc perfecta est: *Arca Dei capta est; duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees*. Legatur Articulus *Ophni*.

Phison, *exstensus*, unum e magnis fluminibus quatuor, quæ Paradisum terrestrem alluebant. Credidere non pauci, Phison Gangen esse; at flumen hoc longissime ab Euphrate ac Tigri abest, quæ Moses Paradisi terrestris flumina fuisse dicit. Qui Paradisum terrestrem in Armenia ponunt inter fontes Tigridis, Euphratis, Araxis, & Phasis, quæ fuisse putant flumina quatuor a Mose indicata, *Phison* explicant *Phasin*, Colchidis flumen, origine clarum. Verum in Danielis Huetii systemate Phison, & Gehon sunt rivuli duo, qui Tigrim, & Euphratem constituunt, postquam conjunctis aquis, rursus abscedunt, & seorsim fluunt. Probabile est, Phison eum fluvium esse, qui *Pasitigris* nuncupatur; quod nomen est a *Phison*, & *Tigris*, quia scilicet hæc duo flumina

mina aquas committent. *Genes.* II. II. Legatur Articulus *Paradisus*.

Phitom, *eorum buccea*, Urbium una, quam Ægyptiis Hebræi condiderunt: *Ædificaveruntque Urbes Tabernaculorum Pharaoni*, *Phitom*, *& Manasses*. *Exod.* I. Urbs hæc esse creditur Pathamon ad canalem a Nechao, & Dario Regibus editum, ut Mare Rubrum Nilo, tum Mediterraneo jungeretur.

Phlegon, *qui comburit*, cui S. Paulus in Epistola ad Romanos salutem dicit, Marathonis in Attica, Græcorum sententia, Episcopus fuit. *Ad Rom.* VI.

Phoebe, *emicans*, Christiana Fœmina Diaconissa e portu Corinthiaco, cui nomen Cenchris: *Commendo vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis*. *Ad Rom.* XVI. S. Paulus hanc sanctam Fœminam haud parvi faciebat, in qua potissimum charitatem commendat: *Ipsa quoque adstitit multis*, *& mihi ipsi*. Apostolus ejus hospes fuerat, ante quam Corinthum pergeret.

Phœnix. *Sæpe mentio fit Avis perraræ*, *& unicæ*, *in suo quidem genere*, *quæ Phœnix*, *aliter Solis Avis dicitur*, *& magnitudine Aquilam equat*. *Alis est partim rubeis*, *& partim ceruleis*. *Quę nimirum alę collum tegunt*, *se auratas produnt*, *quæ autem in cauda sunt*, *partim cæruleum*, *partim roseum colorem exhibent*. *Eadem avis gerit ornatum crista caput*, *quæ in flocci formam ad aures descendit*. *Sexcentos circiter*, *aut septingentos annos vivere dicitur*; *quibus elapsis*, *ex aromaticorum lignorum ramulis*, *cujusmodi sunt cinnamomum*, *muscata nux*, *incensum*, *& id genus alia*, *rogum conficit*, *cui multis odoris gummi tecto*, *& ferventissimis solaribus radiis exposito insidens*, *alas pulsare nunquam desistit*, *quoad ligna flammam conceperint*, *qua comburatur*. *Ex ejus cineribus vermiculus prodit*, *qui paulatim plumas*, *& alas emittens*, *in magnam perfectamque avem excrescit*. *Hæc omnia Recentiores*, *contra Veterum opinionem*, *amandant ad fabulas*. *Porro Patres non pauci*, *quos inter* Tertullianus, S. Ambrosius, S. Augustinus, Albertus Magnus, *Avem hanc Resurrectionis Symbolum esse volunt in explicatione*, *quam iidem adhibent ei textui Job*: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos; *id quod veluti quiddam Phœnicis morti simile ponunt*. *Rabbini*, *& Talmudistæ*, *prout assolent*, *multas de Phœnice fabulas venditant*, *quas utpote prorsus exsuccas silentio prætereo*.

Phœnicè, *palma*, Cretæ portus, ubi S. Paulus, tempestate jam provectiore, per hibernum tempus consistere in animo habebat: *Et cum aptus portus non esset ad hyemandum*, *plurimi statuerunt navigare inde*, *si quomodo possent*, *devenientes Phœnicen*, *hyemare*. *Actor.* XXVII. 17.

Phœnicia, *rubea*, Syriæ Provincia, quæ aliquando tribuebatur in partes duas. Phœnicia proprie dicte Berytum, Tyrum, Sidonem, Tripolim Urbes &c. complectebatur; altera, quæ Damasci, seu Libani Phœnicia dicitur, Urbes Edessam, Damascum, Palmyram &c. continebat. Verum iidem semper hujus Provinciæ limites fuere. Antequam Josue Palæstinæ potiretur, omnem Phœniciam occupabant posteri Cham, in undecim familias secti, quarum præcipua familia Chanaan, qui Sidonem condiderat, & Chananæorum proprie dictorum caput fuerat, quibus Græci Phœnicum nomen imposuere, quippe quos e Mari Rubro profectos crederent. Cum Josue advenisset, indigenæ multi in Africam, & alia loca se receperunt. Qui porro remanserunt, suum sibi jus ad longum tempus servarunt, quoad ab Assyriæ, & Chaldæis Regibus subacti fuere. Deinceps paruere Persis, hodieque Turcici Imperii partem conficiunt. Artium prorsus omnium periti Phœnices habiti. Feruntur litterarum, scribendi, & librorum inventores. Ita *Lucanus lib.* III.

Phœnices primi, *famæ si credimus*, *ausi*
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Et *Critias* apud *Athenæum lib.* I.

Φοίνιχες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξ λογε,
Subsidium vocis scripta reperta Tyri.

Primi præterea fuisse dicuntur, qui navigationem, commercium, & Astronomiam invenirent. Colonias in omnes fere Mediterranei Maris Insulas, & oras miserunt, ubi linguæ suæ vestigia reliquerunt.

Phol.

Phollati, *opus meum*, e Levitatum stirpe, & in Templi janitorum ordine octavus. I. *Paralip.* XXVI. 5.

Phua, *pulcher*, filius Issachar, & magnæ Phuatarum familiæ caput, e quibus Phuaitarum familia derivatur: *Phua*, *a quo familia Phuaitarum*. Num. XXVI. Alter Phua pater Tholæ, Judex Israel: *Post Abimelech surrexit Dux in Israel Thola filius*, *patrui Abimelech*, *vir de Issachar*. *Jud.* X. Gedeon pater Abimelech erat e Tribu Manasse, at dubio procul ex eadem matre, ac Phua, quamvis ex alio patre. 3. Phua erat obstetricum una, quæ cum Sephora Hebræis in Ægypto fœminis parturientibus opem ferebat: *Dixit Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum*, *quarum una vocabatur Sephora*, *altera Phua*. Porro obstetrices hæ Ægyptiæne, an Israelitæ fuerint, non constat. Probabile est, eas ex Hebraica Natione fuisse, quoniam in eo discrimine magnum Dei timorem testatæ sunt, & ex alia parte Hebræi ab Ægyptiis valde abhorrebant, ut proinde parum vero simile sit, eos pati voluisse, Ægyptias fœminas uxoribus suis in partu deservire. Cum ergo Pharao crudeliter obstetricibus imperasset, ut masculos omnes, quos Hebrææ mulieres in lucem protulissent, in flumen projecerent: *Quicquid masculini sexus natum fuerit*, *in flumen projicite; quicquid fœminini*, *reservate*; eæ quidem Deo potius, quam Regi parendum ratæ, mares servarunt. Itaque a Pharaone increpitæ se purgarunt, ajentes, Hebræas fœminas Ægyptiis firmiores absque aliarum fœminarum adminiculo parere. Subdit sacra Scriptura, obstetrices has, quia Deum timuerunt, a Deo ipso mercedem recepisse: *quia timuerunt obstetrices Deum*, *ædificavit eis domos*; quia scilicet operam suam ad innocentes perdendos regiæ crudelitati addere noluerunt; iis proinde præmium rependit Deus. At hoc præmium haud eorum mendacio patrocinatur; mendacium quippe, quantumvis utile, semper peccatum est: *Remunerata est benevolentia*, *non fallacia*, *benignitas mentis*, *non iniquitas mentientis*, inquit S. Augustinus in libro *contra mendacium cap.* XV.

Phul, *ruina*, Assyriorum Rex, qui Sardanapali pater habitus, Israelitarum regionem invasit, Manahem Tribuum decem Rege: *Veniebat Phul Rex Assyriorum in terram*, *& dabat Manahem Phul mille talenta argenti*, *ut esset ei in auxilium*, *& firmaret Regnum ejus*. Osee V. 13. Cum enim Assyriorum Imperium eo quidem tempore cæterorum omnium maximum esset, Manahem, cujus solium infirmum erat, sibi nihil utilius fore credidit, quam patrocinium Phul, qui tunc in Assyria regnabat: *At Dominus*, inquit sacra scriptura, *Principem hunc suscitavit*, *ut se in Israelitarum regionem conferret*. Eo sane perrexit Phul, non ut Regi Manahem præsto esset, sed potius ut eidem timorem incuteret. Atque ita factum, ut Tribus decem Assyriorum Regum potestati subessent, quos Deus tanquam suæ in eum rebellem populum vindictæ instrumentum statuerat. Recepit Phul talenta mille, quibus ejus fœdus emit Manahem, at eum, prorsus ut antea, infirmum reliquit, quia Deus per Oseam Prophetam dixerat: *Et abiit Ephraim ad Assur; & misit ad Regem ultorem; & ipse non poterit sanare vos*, *nec solvere poterit a vobis vinculum*. IV. *Reg.* XV.

Phunon, *margarita*, Israelitarum statio in Deserto: *Venerunt in Phunon. Num.* XXXIII. Hoc in loco populus longioris itineris tædio affectus obstrepuisse Deo creditur, qui proinde indignatus ignitos Serpentes immisit, qui perduellium ingentem numerum de medio sustulerunt. At cum populum pænituisset, Moses Dei jussu serpentem æneum confecit, quem perticæ imposuit, ut a Serpentibus impetiti quique, eum æneum spectantes, pristinæ valetudini redderentur. Erant prope Phunon ærifodinæ, ad quas Christiani sæpe damnati. *Numer.* XXI.

Phur, & *Phurim sortes*, maxime solemne Judæorum Festum, institutum in sortium memoriam, quas Aman Judæorum hostis eduxit: *Mense primo anno duodecimo Regni Assueri missa est sors in urnam*, *quæ Hebraice dicitur Phur*, *coram Aman*, *quo die*, *& mense gens Judæorum deberet interfici*. *Esther* III. Porro missa sors in duodecimum mensem incidit. Id erat apud Persas, aliasque multas Nationes in more posi-

positum, ut ope fortium quæreretur, quinam ad capia consilia execurioni mandanda felices dies, quinam infelices essent. Huic superstitioni addictus Aman suam ipse sibi perniciem, & Judæis salutem attulit; ob eam quippe dilationem satis temporis fuit, ut Esther præposteram opinionem deleret, quam in Judæos perfidus Aulicus Assueri animo impresserat. Evertit Regina sævi hujus hostis molimina, qui Judæos omnes, quicunque in Regno versarentur, una eademque die perdendi mandatum a credulo Principe extorxerat; in eumque, atque omnem ipsius familiam supplicium rejecit, quod ejus Concivibus ille paraverat. Ergo Judæi decimo tertio ejus mensis die, qui ad universam Nationem exterminandam statutus fuerat, agmine facto, conjunctisque ubique locorum viribus, hostes, & persecutores aggressi, omnes Urbes, & vicos cæde miscuerunt. Ut autem liberationem suam posterorum memoriæ commendarent, solemne Festum instituerunt, cui se, filios, & quicunque Judaicam Religionem amplecterentur, in posterum addixerunt, *Phurim*, vocantes, videlicet fortium Festum: *Ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, eo quod Phur in urnam missa fuerit*. Festum hoc Judæi nunquam non ubique gentium religiosime celebrarunt: *Nec est ulla Civitas, in qua dies Phurim non observentur a Judæis*. Diem hunc voluptati tantum ac lætitiæ dicabant. Nihil ea die non lætum, nihil non visu, audituque jucundum erat. Se porro ad Festi vigiliam celebrandam jejunio comparabant, quod *clamorum jejunium* nuncupabant, quia scilicet Amani decretum ea die Majores in fletu egerat. Vespere Synagogam subibant, & cum evanescere stellæ cæpissent, librum Esther legebant. Quoties Amani nomen pronuntiabatur, Synagogæ sedes saxis & malleis filii pulsabant, immanesque clamores emittebant. Grandioribus caracteribus exarabant Amani nomen, quod sputis obruebant, & in frusta redigebant. Nonnunquam furcam erigebant, cui e paleis effictum hominem appendebant, quem Amanum vocabant; at quia deridendi Amani specie, Christi Domini Crucem in contemptum adducere putabantur, hanc iis cæremoniam Imperatores interdixerunt.

Phut, *adeps*, tertius filiorum Cham: *Filii autem Cham Chus*, *& Mizraim*, *& Phut*, *& Chanaan*. *Genes.* x. Incolas Lybiæ, & Mauritaniæ dedit, ubi his quoque temporibus flumen nomine Phut, a quo universa circum regio nomen sortita. Nahum populum hunc in eorum numero ponit, qui Noammon auxilium allaturi erant.

Phutiel, *Deus est pinguedo mea*, socer Eleazari: *At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel*, *quæ peperit ei Phinees*. *Exod.* VI.

Phylacteria, græcum nomen, quod remedium morbos evertens significat, tribuiturque Zonæ ex pergamena charta, cui Legis verba, memoriæ gratia, inscripta erant: *Dilatant enim phylacteria sua*. Legis Doctores, & Pharisæi, qui se cæterorum religiosissimos ostentabant, ejusmodi zonas præter modum latas gerebant, in quibus verba multa scribebant. Nitebatur ea consuetudo Divino jussu, ut nempe Legis præcepta manu, & fronte gestarent: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque quasi monumentum ante oculos tuos*. *Exod.* XIII. Ii quidem ad litteram accepere locutionem hanc, quæ nihil demum aliud significabat, quam oportere, ut semper Dei Legem ob oculos haberent, custodirentque; quoniam ea Dei mens, erat, ut, quæ præceperat, animis potissimum insculpta essent: *Ponite hæc verba in cordibus*, *& in animis vestris*; immo re potius ipsa, quam amplioribus zonis se quemque Legis custodem exhibere necesse erat. Judæi phylacteriis suis inscribebant eos quatuor Legis textus: *Offerte mihi omnia primogenita hominum*, *& animalium*, *qui matrum suarum primi fructus sunt*, *quia mihi debentur*, ac deinceps ad 10. usque versiculum Capitis XIII. Exodi. Præterea a versiculo 11. Capitis primi: *Et cum Dominus vos induxerit in terram Chanaan* &c. ad versiculum 16. Tertio a versic. 4. Capitis VI. Deuteronomii: *Audi Israel*, *Deus Dominus tuus est unus Deus* &c. ad usque versic. 9. Quarto denique a versic. 13. Capitis XI. ejusdem libri:

Si

Si obedieritis omnibus, quæ ego præcipio vobis &c. ad finem versiculi 21. Phylacteria hæc Judæi Thephillim vocant.

Pila, mortarium, vas, in quo teritur: *ululate habitatores pilæ*, apud Sophoniam. Edite doloris signa, qui ibi degitis, ubi Samson aquam obtinuit, quam Deus emisit ex asinæ dente, vel ex petra, quæ ejus imaginem præferebat. Ita explicant nonnulli Interpretes. Putant alii Hebraicam vocem *Mactes* accipi tropice pro Urbe Jerusalem, quæ mortarium dicta, in quo terendi, & in pulverem redigendi erant, quicunque ibidem essent, a Nabuchodonosor Urbe capta. Aliis denique Mortarium Vallem sonat, inter montem Sion, & Urbem sitam, quam a profunditate ita dictam contendunt. *Jud.* xv.

Pilatus, armatus telo, Judææ Præses: *procurante Pontio Pilato Judæam*: huic provinciæ præfuit per annos decem, Tiberii Imperatoris temporibus, & is fuit, ad quem Judæi Christum duxerunt, ut, quam io eum tulerant, mortis sententiam exequeretur. Præses, qui nosset eos odio & invidia percitos adeo vehementer innocentis mortem urgere, operam dedit, ut eum servaret, atque ut Judæorum furorem leniret aliquo pœnæ genere, Servatorem dire flagellis cæsum voluit; at ne ita quidem expleta hostium rabie, usus est Paschatis Festo, ut eum liberaret. Se pariter a ferendo judicio eximere voluit, Christo ad Herodem Galilææ Regem remisso; cumque videret, Judæos non acquiescere, & infensum Cæsaris animum minitari, aquam, universo spectante populo, afferri jussit, manus lavit, & quoad ejus Justi sanguinem, se innocentem professus est; eodem tempore suæ ipsius conscientiæ, ac famæ consultum ratus satellitum licentiæ Christum tradidit, qui eum in crucem egerunt. Latinam, Græcam, & Hebraicam inscriptionem Cruci impositam voluit, quæ sententiæ vim ipsam, seu compendium, & damnationis causam continebat in hæc verba: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Porro Judæis nonnullis id improbantibus, ajentibusque scribendum esse: *Jesus Nazarenus, qui Judæorum Regem se dixit*; nihil mutatum voluit, responditque: *quod scripsi, scripsi*, Anno circiter a Christi morte, cum Pilatus sacri Thesauri pecuniam sumpsisset, qua ad aquæductum construendum uteretur, populus in eum surrexit; itaque ad seditionem sedandam Præses vim adhibere coactus fuit. Acerbius etiam Samaritanos habuit, qui apud Vitellium Syriæ Præfectum conquesti sunt. Pilatus a Vitellio jussus Romam pergere, Imperatori rationem redditurus, non nisi regnante Caligula, Romam venit, a quo in exilium actus est. Eum vetustissima traditio Viennam in Delphinatu relegatum refert, ubi in desperationem actus sibi mortem consciverit. In hac etiamnum Urbe vetus ædificium ostenditur, cui Templi figura est, quodque Pilati Prætorium dicitur.

Pinnaculum Templi: *Statuit eum super pinnaculum Templi*. Dæmon cum In Deserto Christum tentasset, eum supra Templi pinnaculum detulit; quod cacumen erat, quod tectum, seu turrim aliquam super ipso Templi vestibulo ædificatam circumdabat.

Pinus, arbor notissima, cui abietis natura est: *Plantavit pinum, quam pluvia nutrivit*. Ad idolum sibi condendum homo pinum sumit, quam severat, & Imber auxerat. *Isajæ cap.* 60. Utitur idem Propheta tropice verbo hoc ad significandos potentes viros, qui Christi Ecclesiæ ornamento esse debent: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul adornandum locum sanctificationis meæ*.

Piscina, stagnum seu servandis aquis addictus locus: *Extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem Sylvam lignorum germinantium*, in Ecclesiastico. Judæis in Urbibus piscinæ erant, in quibus se abluerent, detergerent, & ad alios usus. I. Piscina Gabaon, de qua Jeremias: *Invenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon*. II. Piscina Hebron, ad quam David proditores Isboset appensos voluit: *suspenderunt eos super piscinam in Hebron*. III. Samariæ piscina, in qua currus Achab ablutus est: *Et laverunt currum ejus in piscina Samariæ*. IV. Probatica piscina: *Est autem Hierosolymis probatica piscina*; locus nempe, ubi pecudes, & arietes in Templo immolandi abstergebantur. V. Piscina, seu stagnum Siloe, quod ad Re-

Regios hortos Hierosolymis erat: *Muros piscinæ Siloe in hortum Regis ædificavit.* VI. Piscinæ Hesebon: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*; pulcri scilicet, & rutili. Stagna hæc erant prope Urbem Hesebon in Tribu Ruben.

Piscis. Hebræi pisces in reptilium numero ponunt. Aliis sine alis squamæ, aliis nec squamæ, nec alæ sunt. Qua quidem in re Moses mundorum, & immundorum discrimen ponit. Qui nec alas, nec squamas habent, immundi erant; neque iis vesci licebat; sed comedi poterant, quicunque alterutrum obtinebant. Pisces creavit Deus quinta die, ac probabile est, Adam iis nomen, prout noverat, imposuisse. Nullum singillatim piscem sacra Scriptura nominat, utiturque generalibus verbis, ut eos designet, de quibus loquitur; ac solum per conjecturam cetus dicitur piscis, qui Jonam deglutiit; quia tantum *magnus piscis* in textu legitur. Qui etiam juniorem Tobiam terruit, generatim dicitur *piscis immanis*. Porta piscium, de qua Sophonias: *vox clamantis a porta piscium*: Urbis Hierosolymæ porta est, ita dicta, quod per eam piscis in Urbem inducere-tur. Hoc loco Propheta strepitum, ac tumultum in variis captæ Hierosolymæ locis futurum describit. Aliquando sacra Scriptura per hoc vocabulum homines notat: *Agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis*. Ezechiel: nempe subditorum tuorum jactura a tua sejungi non poterit. Propheta Pharaonem cum ingenti pisce, & Ægyptios cum fluminum piscibus comparat. *Simile est Regnum Cœlorum sagenę missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti*. Hi pisces in rete sunt homines boni, malique, quos Deus per Evangelium vocat; at Electi tantum per magnos centum quinquaginta tres pisces significantur, quos Simon Petrus in Terram traxit, quin rete rumperetur: *Traxit rete in terram plenum magnis piscibus*.

Pisidia, *picea*, minoris Asiæ Provincia Galatiam inter & Pamphyliam, ubi S. Paulus Evangelium nuntiavit: *Illi vero pertransseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ. Actor.* XIII. 14.

Pistica Nardus, *veri Nardi*, planta, e qua excellens unguentum conficitur: *Maria accepit libram unguenti Nardi pistici*: olei scilicet e vero Nardo expressi libram sumpsit. *Pisticus* Græcum vocabulum est, quod aliis *fidele*, *sincerum*, *verum*, aliis *potabile* sonat; ut proinde liquidum unguentum significet, quod, potionis instar, in conviviis usui erat. Alii demum ajunt, vocem *pisticus* positam fuisse pro *spicatus*; ut sit Nardus spicis ornata, omnium optima ad unguenta conficienda, ita dicta, quia multas ad humum spicas exerit.

Plaga, Latina vox quæ aliquando sumitur pro Regione: *Ad Orientalem plagam Eden; quatuor plagæ Cæli*, quatuor scilicet Mundi partes. Aliquando significat angulum, locum: *Qui habitant in Samaria in plaga lectuli, in Damasci grabato*: ii nempe tantum salvi erunt, qui in lecti angulum se recipient. Eadem vox pro plaga ipsa sumpta significat I. pœnam: *Sin autem eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis . . . . pro mensura peccati, erit & plagarum modus*: si nempe qui peccavit, verberibus dignus habitus fuerit, verberum numerus peccatorum gravitati respondebit; II. calamitatem, afflictionem, flagellum Dei: *Plaga cordi mulier nequam*: mulier mala cordis afflictio est; *flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis*: Deus in Pharaonem desæviit; ita pestis, lepra, excæcatio, seu quodvis aliud malum, plagæ dicuntur: *plaga lepræ, plaga cæcitatis &c.* III. cladem, internecionem: *& facta est plaga prima*; IV. miseriam, in quam nos peccatum præcipites agit: *Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas*: peccatum omne veluti gladius anceps est, & plaga, quam infert, sanari non potest, nisi scilicet ab una ineffabilis, & omnino gratiosi Dei miseratione.

Plagæ Ægypti. Ita nuncupantur miracula, quæ Moses, & Aaron coram Pharaone Ægypti Rege ediderunt, pœnæque publicæ, quibus Deus hujus Principis pertinaciam puniit, qui egressum Israelitis concedere nolebat. Plaga prima fuit aquarum Nili, omniumque fluminum in sanguinem mutatio, ut nempe Ægyptii siti perirent; ita quidem volente Deo populi sui hostes punire, quia scilicet Nili aquas quodammodo sanguine, & cæde miscuerant,

rant, conjectis in flumen omnibus Israelitarum masculis, statim atque e matrum sinu prodierant. Plaga altera terram innumeris ranis texit, quæ ipsas Pharaonis ædes subibant. Plaga tertia pulverem in muscas vertit, quæ aerem complerunt, hominesque, & animalia dire vexarunt. Ac Deus quidem, qui hactenus tulerat suam sibi creaturam obsistere, passus Pharaonis Magos, saltem specie tenus, aquam in sanguinem vertere, & e flumine ranas educere, in hoc tertio miraculo omnipotentiæ suæ jura sibi vindicavit. Magi ipsi se victos fateri coacti fuere: *Digitus Dei est hic, qui hoc loco operatur*: neque hanc mutationem imitari potuerunt. Per plagam quartam maxima periculosissimarum muscarum copia Ægyptum pervasit, omnemque regionem infecit: Deus nimirum per hoc miraculum, ac duo præcedentia populos punire volens, qui despicienda hæc animalcula divino cultu prosequebantur, earumdem rerum ope, per quas peccabant; eorumque pervivacium hominum audaciam retundere, per insecta maxime infirma ac vilia suum in eos furorem exeruit. Plaga quinta fuit subita pestis, quæ omnem Ægyptiorum gregem de medio sustulit, quin Israelitarum armenta læderet. Sexta formidandis ulceribus homines & belluas divexavit. Septima horrendum grandinem, quam comitata tonitrua, & fulgura, in universum Regnum intulit, cujus vi periere omnes homines, & animalia, quæ in agris versabantur, salva remanente & incolumi una regione Gessen, quam filii Israel incolebant. Per octavam plagam locustæ & bruchi herbas omnes, omnemque messem vastarunt. Nona plaga universam Ægyptum, excepta regione Gessen, trium dierum spatio densissimis tenebris obruit. Decima, & ultima fuit primogenitorum mors, quos una eademque nocte exterminator Angelus trucidavit a Pharaonis primogenito, qui in ejus solio confidebat, ad usque captivorum, & animalium primogenita. Horrenda plaga hæc induratum Pharaonis animum permovit, qui tandem statuit abeundi facultatem Israelitis concedere. Hæ plagæ decem per hos versiculos memoriæ commendatæ:

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda;
Inde culex terris, post musca nocentior istis;
Quinta pecus stravit, Anthrace sexta creavit;
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando;
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

Plagiarius. Ita nuncupatur is qui liberas personas suffuratus in captivitatem trahit: *Justo non est lex posita, sed plagiariis*, inquit S. Paulus, non justum, sed captivorum raptores Lex obligat. Qui ejusmodi furti convicti erant, ad furcam damnabantur; & hoc quidem supplicium dicebatur *ad plagas*; unde *plagiarii* nomen.

Planctrices, & *Planctores*. Judæis erant Planctores, & Planctrices conductæ ad funera, quemadmodum in multis sacræ Scripturæ locis legimus: *Vocate lamentatrices, & veniant, & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent, festinent, & assumant super vos lamentum*. Jerem. IX. 16. Propheta nimirum significare volebat, haud satis virium Judæis fore, ut suæ ipsi Urbis calamitatem deflerent. Amos quoque ita locutus est: *In omnibus plateis planctus, & in cunctis, quæ foris sunt dicetur væ, væ, & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere*. Constat ex Evangelio, quicunque funus obvium habuisset, iis ad planctum se comitem addere debuisse, qui cadaver comitabantur: *lamentavimus vobis, & non planxistis*.

* *Maimonides de Hebræorum in Defunctis sepeliendis ritu verba faciens, ita scribit cap.* XII. Planctus vergit in honorem; ideo tenentur hæredes mercedem solvere planctoribus & planctricibus, ut eum plangant. Sin autem præceperit (*defunctus*), ne plangant eum, id intermittunt. *E quibus Maimonidis verbis duo percipimus; primum, id officii utriusque sexus personis impositum fuisse; alterum, eum ritum omitti potuisse, siquidem defunctus id testamento vetuisset; id enim Maimonides opponit sepulturæ, quæ licet a defuncto vetita, non*

tamen omitti potest, *utpote Divini juris*. *Cæterum haud scio*, *qui Maimonidem cum Rabino Juda conciliem*, *qui in* Cetubboth fol. 46. col. 1. *tradit*, *unam saltem planctricem fœminam conjugis luctui interesse debuisse*. *Ejusmodi fœminæ dictæ fuere* חכמות *sapientes*. Gejerus *animadvertit*, *funebris planctus formam iis contineri*: Ascendit mors per fenestras nostras; *quibus addi potest*: cessavit gaudium cordis nostri &c. cecidit corona capitis nostri &c. *Ego tamen sentio*, *non eamdem cantus formam apud omnes fuisse*, *sed aliam pro personarum varietate*. *Penes Romanos fœminæ conductæ*, *ut defuncti laudes ad lugubrium* instrumentorum *sonum concinerent*, Præficæ *dicebantur*, *utpote quæ funebri pompæ præfierent*. *Legi possunt in hanc rem* Kirchmannus de Funere Roman. *lib.* II. *cap.* VI. Moreil. Feral. *lib.* II. *cap.* 29. Giraldus *de* var. sepel. Rit. *cap.* XII. Hieronymus Barufsaldus *in Dissert.* de Præficis.

Platanus, arbor latissima, quæ ramos extendens, umbræ multum affert: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis*. Sapientia veluti platanus est, cujus umbra accedentes recreat. *Ecclesiast.* nempe sapientia tuetur eos, qui ejus patrocinium exposcunt, quemadmodum platanus eos a solis ardore defendit, qui sub ejus ramis confident. Ezechiel magnum Principem per platanum exprimit: *Platani non fuerunt æquæ frondibus illius*; id autem ejus ramorum magnitudini, & extensionis ratione habita: Ægypti Rex cæteros omnes Imperii gloria & amplitudine superat.

Plaustrum, *seu traba*, currus genus quoddam, quo utebantur Hebræi, ut granum e spicis educerent, & paleam tererent: *Triturabitur Moab*, *sicut teruntur paleæ in plaustro*. Plaustra hæc admodum demissas rotas, crebrasque, ferro munitas habebant, & ad granum extrahendum fascibus inferebantur. Eadem plaustra nonnunquam sacra Scriptura nominat *rostra ferrantia*, quia omnis eorum superficies dentibus extrata, instar serræ, apparebat. Dabbar Ammonitarum metropolis potitus David ejusdem Urbis incolas rotis ferro armatis, plaustrisque, de quibus est sermo, tritos voluit: *Populum adducens serravit*, *& circumegit super eos ferrata carpenta*.

Plejades, sydus stellis septem distinctum, quæ in Tauri pectore conspiciuntur, quod e Zodiaci signis duodecim unum est. Dictæ Plejades a Græco verbo πλεῖν, *navigare*, quia navigationi aptum tempus indicant, ineunte vere: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas plejadas?* Job. IX.

Plenitudo. Vocabulum hoc adhibetur in sacris Litteris ad plura significanda. I. Quod aliquid continet: *Domini est terra*, *& plenitudo ejus*: terra scilicet, & quidquid ea continet, Domini est, plantæ, belluæ, & imprimis homines, qui omnibus ejusdem terræ bonis fruuntur. *Plenitudo maris*, quidquid mare contínet, aquæ, pisces. II. Multitudinem magnam significat: *Si diminutio eorum primitiæ gentium*, *quanto magis plenitudo eorum?* Si nimirum Judæorum dejectio, quæ Deo volente contigit, tam copiosæ benedictioni occasionem præbuit, quæ Gentium vocationem comitata est, quanto magis universæ Nationis reditus? In Epistola ad Romanos. III. Alicujus rei ubertatem: *De frugibus terræ*, *& de plenitudine ejus*: terra Joseph omnibus fructibus, omnique ubertate affluat. IV. Sumitur pro perfectione, & complemento alicujus rei: *plenitudo sapientiæ est*, *timere Deum*: sapientiæ perfectio timore Dei continetur, quia scilicet omnis sapientia fine Dei timore imperfecta est. V. Pro frequenti cœtu sumitur: *In plenitudine sancta admirabitur*: sapientia in Sanctorum Virorum cœtu admiratione digna censebitur. VI. Pro cumulo, & complemento quoque accipitur: *Non enim sicut in aliis Nationibus Dominus patienter expectat*, *ut eas*, *cum judicii dies advenerit*, *in plenitudine peccatorum puniat*: non ita cum Judæis, ut cum cæteris Nationibus se gerit Deus; neque enim expectat, dum eorum peccata ad extrema deveniant, ut suprema die suam omnem in eos severitatem exerat. VII. Eadem vox integritatem significat: *Tollit plenitudinem ejus a vestimento*: novi panni frustum in trita veste positum, vestis ipsius integritatem adimit; viam enim aliis lacerationibus aperit. Plenam quoque persuasionem significat: *cum plenitudine* mul-

multa. Firma & integra Divinis promissis adhibita fides dicitur *plenitudo fidei*. Christi Domini plenitudo est longe maxima gratiarum copia, quibus cumulatus fuit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*: Fideles omnes ex hac plenitudine, tanquam ex inexausto fonte gratias traxere, quas obtinuerunt.

Plumarius, acu distincti, insignitique operis artifex; *opus plumarium*, scilicet acu perfectum opus: *Oliab* ...... *artifex lignorum egregius*, *& polymitarius*, *atque plumarius*. Hæc opera *plumaria* nuncupabantur, quia ob varietatem imitantur colorum mixtionem, quæ in avium pennis ap... ; & quoniam ars hæc industriæ mul... requirit, ideo quod per eam fit, Hebraice dicitur *opus cogitantis*. Velum ad Sancti januam positum, illud quoque, quod in ipso Tabernaculi vestibulo erat, Summi denique Sacerdotis cingulum opera plumaria erant, acu nempe perfecta, e selectis confecta, & præstantissimis coloribus prædita. *Exod.* XXVI. & XXVII. Ezechiel. XVII.

Pluvia, imber: *Veniet quasi imber vobis temporaneus*, *& serotinus*: cœleste subsidium vobis præsto erit, quemadmodum autumnales, vernæque pluviæ in terram descendunt. In Palæstina salubres pluviæ duorum generum erant; primo loco quæ satus tempus consequebantur, efficiebantque, ut granum radices ageret; secundo loco quæ per vocem, *serotinus*, designatæ verno tempore decidebant, & granum ad maturitatem perducebant. Regius Psaltes ita de Deo canit: *fulgura in pluviam facit*, hoc est, vertit; significatque, eam esse Dei potestatem, ut fulgur cum pluvia, ignem cum aqua conjungat, quæ suapte natura invicem pugnant. *Pluvia* metaphorice gravem calamitatem, seu afflictionem significat: *erit in absconsionem a turbine*, *& a pluvia*. *Isaias*: tutum scilicet asylum ad impendentia mala avertenda. Significat etiam manna, quo e cœlis demisso Deus in Deserto Israelitas pavit: *Pluviam voluntariam segregabis hereditati tuæ*: populo tuo, qui hæreditas tua est, pluviam omnino voluntariam tribues. Pluebat nimirum, Deo annuente, Manna, quo nullo labore, nullaque opera comparato Israeliticus populus vescebatur. Dei pariter gratias significat: *Descendere faciet super vos imbrem matutinum*, *& serotinum*, *sicut in principio*. Zacharias: Autumnales, & vernæ pluviæ, quas in populum suum se Deus effusurum promittit, novæ Legis gratiam significant, quæ salutis nostræ magnum opus in nobis inchoat, prosequitur, absolvitque, seu perficit.

Poderis, seu *Podes*, Græca vox, qua venit longa, & in terram promissa vestis, qua Sacerdotes apud Hebræos induebantur, quoad eorum in Templo servitium perdurabat. Ita etiam nuncupabatur Summi Sacerdotis vestis, in cujus extrema parte tintinnabula, & amethisti erant: *In veste poderis*, *quam habebat*, *totus erat orbis terrarum*. Sacerdotalis nimirum vestis, quam Judaicus Pontifex gestabat, universum Mundum repræsentabat. Ea quatuor, e quibus constabat, designant elementa quatuor, quæ omnem Mundum exhibent; linum scilicet terram, purpura e pisce eruta mare, coccinum ignem, hyacintinus color aerem. Christus Dominus utpote Summus Pontifex Sacerdotali hac veste indutus exhibetur: *Vidi similem filio hominis vestitum podere*. *In Apocalypsi cap.* I. *Sapient.* XVIII.

Pœnitentia. Generatim vox hæc dolorem, seu mærorem ex aliqua re facta perceptum significat; at in sacris Litteris latius accipitur. Sumitur I. pro tristitia ex propriis male factis percepta: *Nisi pœnitentiam egeritis*, *omnes simul peribibitis*; *non veni vocare justos*, *sed peccatores ad pœnitentiam*. II. Sumitur pro dolore, qui ex aliqua re facta percipitur: *Ducti pœnitentia filii Israel super fratre suo Beniamin cœperunt dicere*: *ablata est Tribus una de Israel*. *Universus Israel valde doluit*, *& egit pœnitentiam super interfectione unius Tribus ex Israel*. III. Significat veniæ spem: *Si est pœnitentia in Israel super hoc*. IV. Pœnam, quæ reis infligitur: *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*; ut nempe delicta puniant. Elias, cum in monte Sina versaretur, jussus est ungere Hazael Regem Syriæ, & Jehu Regem Israel, ad Jezabel, & domus Achab delicta punienda; quod per Elisæum executioni man-

mandatum fuit. V. Pro pœnitentiæ effe-ctis ponitur: *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*.

Pœnitentiæ baptismus is est, quem S. Joannes Baptista Judæis nunciabat, eos in Jordane baptizans, & *ad dignos pœnitentiæ fructus edendos* hortatus. Ejus sane baptismus peccata non remittebat, sed Peccatores ad eorum veniam in Christi baptismo percipiendam comparabat.

Ninivitarum pœnitentiæ suffragatur Evangelium ipsum, in quo Christus Judæis futurum portendit, ut Ninivitæ sub mundi finem Judæos increpent; Ninivitas enim, Jona monente, pœnitentiam egisse, at Judæos, ne Christo quidem docente, resepuisse. Hi populi, quorum delicta cœlum contigerant, Jonæ minis utiliter territi, de Divina ira per feriam pœnitentiam lenienda ex animo cogitarunt. Omnes, & singuli, a minimo ad summum, Principes, ac Rex ipse publica pœnitentiæ signa dederunt, se sacco texerunt, & ad asperrimum jejunium se redegerunt. Rex ipse a solio descendit, & in cinere sedit. At ii quidem externa hac cæremonia contenti non fuere. Cum enim sua ipsi corpora plecterent, clamarunt ad Dominum, quam maxime potuerunt; & clamor hic serventis, & fide plenæ precis signum erat, quæ ex imo corde prodibat. Resipuere nimirum, vitamque mutarunt, ac nemo non a prava, cui hactenus iostiterat, via recessit; qui demum veræ pœnitentiæ caracteres sunt, quæ cœlestem justitiam flectit, cujusque imaginem per hoc exemplum nobis exhibere Deus voluit. Peccatoris oculos aperit fides, ut ante actam vitam perspiciat, & pœnas sibi debitas reputet. Ejus animum ad salutem permovet perceptus terror, & fallacem peccati dulcedinem amaritie perfundit. Itaque peccator ex animo recedit a veteri tramite, novam vitæ rationem init, & orationi vacans, præterita scelera jejuniis, lacrymis, gemitibusque detergit.

Pœnitentia tanquam novæ Legis Sacramentum spectata, a Christo Domino instituta fuit ad delenda peccata post Baptismum commissa *. Ejus tres partes sunt, Contritio, Confessio, Satisfactio. Contritio nihil est aliud, quam peccatorum sincerus dolor, & duplicis est generis; una quidem perfecta charitate nititur, diciturque *contritio perfecta*, quæ hominem ante susceptum Sacramentum cum Deo conciliat; altera vero dolor est, qui non nisi ex pœnæ timore oritur, & vocatur *atritio*. Hæc porro satis non est, ut venia vel in Sacramento obtineatur, nisi cum Dei amorem saltem inchoatum continet. Confessio est peccatorum declaratio, quæ Sacerdoti fit. Denique satisfactio per antiquorum temporum Canones imposita in præsentia imponitur a Sacerdote, qui maxime cavere debet, ut peccatorum gravitati eodem satisfactio respondeat. Sacramentum hoc Servator instituit, dum cœlestis Regni claves Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus tribuit. Iis quippe ligandi, & solvendi potestatem contulit, eosdemque Ecclesiæ suæ judices instituit, ut ejus nomine jurisdictionem in Fidelium animos exercerent **.

* Lutherani, & Calvinistæ *Catholicæ Religionis nostræ infensi hostes, qua solent, impudentia Pœnitentiæ Sacramentum rejiciunt, asserentes, Christum Dominum peccatis post Baptismum commissis non aliud remedium parasse, quam Baptismi jam suscepti memoriam, & Fidem, qua quisque culpas a Christo sibi remissas credit. Omnium, quæ ad insanam doctrinam roborandam adducunt, gravissimum argumentum petitur ex* S. Augustini *testimonio* lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, *ubi S. Pater Apostoli textum explicans in Epistola* ad Ephesios, mundans eam lavacro aquæ, *ita scribit*: Quod Paulus ait, *mundans eam lavacro aquæ*, sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur non solum præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur; non ut baptismus, quoties peccatur, toties reparetur; sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. *Ex quibus verbis*,

bis inferunt , unam suscepti baptismi recordationem ad remittenda peccata post baptismum commissa necessariam esse. Verum hallucinantur Lutherani , & Calvinistæ ; ac tantum abest , ut S. Augustinus iis suffragetur, ut potius eos damnet loco ipso laudato, ubi nihil aliud probare vult , quam fieri nunquam posse, ut Pœnitentia , sive ut virtus , sive ut Sacramentum spectetur , sine baptismo , aut sine ipsius desiderio peccata remittat. Ita enim subdit e vestigio : Quid enim prodesset vel ante baptisma Pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet ? In ipsa quoque Dominica Oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio , quo fructu , quo effectu diceretur : *dimitte nobis debita nostra* , nisi ab eis , qui baptizati sunt , diceretur ? Itaque eleemosynarum largitas , & beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset , si baptizatus non esset ? Postremo Regni Cœlorum ipsa felicitas , ubi non habebit Ecclesia maculam , aut rugam , aut aliquid ejusmodi , ubi nihil reprehensionis , nihil simulationis erit , ubi non solum reatus , sed nec concupiscentia ulla erit peccati , quorum erit nisi baptizatorum ? *His ergo verbis Augustinus ostendit , pœnitentiam adultis ante baptismum necessariam esse ; verum ut prosit , baptismi votum necessario requiritur . Quamobrem nisi baptismus , siquidem suscipi posset , subsequeretur , nihil omnino pœnitentia prodesset , quemadmodum ipsum pœnitentiæ Sacramentum esset frugis expers , nisi baptismus reapse susceptus esset. Est enim baptismus omnium Sacramentorum janua ; ut proinde S. Augustinus baptismum tanquam præparationem ad Pœnitentiæ Sacramentum necessariam requirat , non autem doceat , per baptismum ipsum peccata postea commissa remitti.*

** *Ad hanc porro potestatem exercendam haud sufficit , Ordinis Sacramentum susceptum esse , sed omnino jurisdictionis potestas requiritur . Jam vero potestas hæc nihil est aliud , quam peculiaris facultas , quam Episcopi Sacerdotibus tribuunt in eam gregis partem , quæ iis concredita est ; atque e sacris Litteris demonstratur . Christus enim Dominus jurisdictionis potestatem Apostolis contulit alia prorsus ratione, atque Ordinis potestatem iisdem contulerat . Primam quippe contulit, dum ita locutus est :* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos ; *Joan.* xx. , & præterea : Data est mihi omnis potestas in Cœlo , & in terra . Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos &c. *Matth.* xxviii. *Hanc eamdem doctrinam tradit Lateranense Concilium in cap.* Omnis utriusque sexus ; *atque ex Tridentino Concilio* Sess. 1. cap. vii. & Sess. 23. cap. xv. *non licet Sacerdoti, qui jurisdictionis auctoritatem ab Ecclesia non acceperit , peccatores ligandi , aut solvendi ministerium sibi tribuere ; ac si id egerit , absolutiones , quas confert , & censuræ , quibus Fideles ligat , nullæ sunt . Subdit eadem Æcumenica Synodus , doctrinam hanc ab Ecclesia tamquam indubitatam spectari .*

Ea sane nititur ordine , ac disciplina , quæ in Ecclesiæ regimine servanda est , potissimum in ministerio tam gravi , quodque omnem discretionem postulat ; etenim absque hoc ordine , ac si cuilibet Sacerdoti liceret confessiones audire , quin audiendi potestatem ab Episcopo recepisset , Ecclesiæ disciplina omnis everteretur . Ad hæc dum Episcopi certos definitosque seu temporis , seu locorum , seu personarum limites approbationibus statuunt , eosdem sibi præscriptos limites Sacerdotes prætergredi omnino non possunt . Possunt etiam Episcopi eorum approbationes revocare , qui sine limitatione approbati fuere , quoties aliqua causa ad confessiones spectans contigerit , cujus rationem reddere Episcopi non tenentur . Consulatur Bulla Superna Magni *anno* 1670. *edita a Clemente* X. *Ex hac nimirum Bulla luculenter apparet , per facultates in Bulla* Mare magnum, *& alia privilegia cujusvis Ordinis , Instituti , seu Societatis cujuscunque Religiosis , ne Jesuitis quidem exceptis , nemini licere casus absolvere , quos Episcopi sibi reservant ; quemadmodum etiam Sacerdotes , qui casus omnes Papæ reservatos absolvendi potestatem obtinent , eos tamen , quos Episcopi sibi reservant , absolvere minime possunt . Præterea Religiosis non licet absque Episcopi approbatione , Monialium Instituti sui confessiones excipere . Ita præscribit Bulla* Inscrutabilis *a Gregorio* XV. *edita , & laudata Bulla Clementis* X.

Non omnes Sacerdotes , qui Pœnitentiæ Sa-

Sacramentum administrant, ea potestate gaudent, ut ab omni peccato Pœnitentes absolvant; sunt enim casus, qui seu Papæ, seu Episcopo reservati appellantur, quos sane iidem Sacerdotes remittere nequeunt. Ab hac tamen regula excipiendus est ineluctabilis necessitatis casus, si quis nempe in eo periculo versaretur, ut sine absolutione e vivis excederet. In hac enim facti specie quilibet Sacerdos approbatus censetur.

Tridentini Concilii Patres hoc disciplinæ caput tamquam constantissimam Ecclesiæ doctrinam spectarunt; adduntque, Patres nostros censuisse, ad rectam Christiani populi disciplinam summopere interesse, ut atrocia, & gravissima quadam peccata non indiscriminatim a quibusvis (*Sess.* XIV. cap. VI.) sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.

Poesis Hebræorum. Scripsere multi multa de Hebræorum Poesi; eam tamen nemo posuit in bono lumine; quoniam germana Hebraicæ linguæ pronuntiatio nondum innotuit, nunquamque innotescet; ac verborum harmonia, & syllabarum quantitas, quibus omnis versuum venustas continetur, omnino latent. Quin ergo rem adeo incertam discutiendam suscipiamus, satis habemus dicere, suos quidem certe Poetas Hebræis fuisse; & quamvis nec methodum, nec regulas cognoscamus, quibus in conficiendis versibus utebantur, dubitandum tamen non est, quin Psalmi, Cantica, & Liber Job proprie dicta poemata sint. Est autem animadversione dignum, eorum Poesim omnem enuntiandæ Dei magnitudini, ejusque operum magnificentiæ dicatam esse; ac Poetas, quorum quidem opera ad nos pervenerunt, inspiratos homines, Reges, Legislatores, & Prophetas fuisse. S. Paulus in sua ad Titum Epistola Poetam quemdam ait apud Cretenses de ipsis locutum esse: *dixit quidam illorum proprius Propheta*. Porro Poeta, de quo loquitur Apostolus, Epimenides erat, qui inter Græcos Propheta habebatur. In Actis idem Apostolus Arati Ciliciæ Poetæ testimonium laudat: *sicut*, inquit, *& quidam vestrorum Poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus*. Testimonium hoc ex Arati Phænomenis ductum est, illudque Apostolus laudat, ut veri Dei existentiam apud eos probet; qui Divinarum Scripturarum auctoritatem non suscipientes, nullam argumentorum, quæ ex iis Apostolus depromere potuisset, rationem habuissent.

Polygamia, conjugum pluralitas. Polygamia institutioni, legique primitivæ matrimonii repugnat: *Erunt duo in carne una*; non autem matrimonii essentiæ, ejusque præcipuo fini advertatur. Et sane Deus nonnunquam hac in re, ut in veteribus Patriarchis dispensavit. Cæpit id moris a stirpe Cain, & quidem ob unius ex ejus posteris incontinentiam. Is fuit Lamech bigamus, qui ordinem a Deo statutum pervertit, ductis eodem tempore uxoribus duabus, & quidem non alia de causa, quam ob dominantem cupiditatem; ita ab homine maledicto polygamia cæpit: *Numerus matrimonii a maledicto homine cæpit*. Alia porro Patriarcharum polygamiæ causa fuit. Abraham, Jacob, & alii, qui conjugum pluralitatis exemplum primi posteris suis exhibuerunt, semper eam vitæ puritatem, & innocentiam ostenderunt, ut se cum multis uxoribus puriores, quam alii cum una significarent. Abraham, rogante quidem, ac suadente Sara, minime dubitans, quin id inspiraret Deus, alteram conjugem sibi junxit, per quam divina magnæ posteritatis promissio perfici posset; & Jacob, qui initio quidem nihil aliud sibi proposuerat, quam ut Rachelem conjugem duceret, prava Labani fide se adactum vidit, ut Liam quoque sumeret, ac deinde, instantibus conjugibus duabus, Balam quoque, & Zelpham duxit. Deus, penes quem suis in legibus pro arbitratu dispensandi potestas est, id sanctis Patriarchis permisit, ut per imagines sensibus obvias fœdera duo, & prodigiosam potissimum Christi filiorum multitudinem designaret. Moses, a Deo inspiratus, nulla prorsus Lege polygamiam vetuit, atque adeo ob Israelitarum cordis duritiem videtur eamdem probare, quippe quæ ad Judaicæ Legis œconomiam, quæ omnis prophetica erat, pertinebat. Itaque magnus uxorum numerus, quas David, & quidem nulla apparente necessitate duxerat, incontinentiæ notam eidem inurere minime debet; cum

cum enim sanctus hic Rex maxime expressa Christi Domini figura esset, sane par erat, ut variis matrimoniis eum exhiberet, ejusque uxorum numerus viva ingentis animarum multitudinis imago esset, quas Christus ad veritatis cognitionem, suique fœderis gloriosam susceptionem vocaturus erat. Idem judicium de Prophetis, cæterisque Regibus ferendum est, quorum pietatem sacra Scriptura commendat, atque imprimis de Salomone, antequam laberetur. Sexaginta nimirum Reginæ, & minoris ordinis octuaginta conjuges, quæ in hujus Principis ædibus versabantur, imagines Divino Spiritui suppeditarunt, quibus exprimeret, quod in Christiana Religione maxime sublime, purumque est, intensum scilicet quoad animos nostros Christi Domini amorem cum eo collatum, quo Sponsus flagrat, cujusque vis multarum conjugum felicitatem constituit, ac veluti centrum est, in quo omnia earum vota junguntur. Christus Dominus novam Legem ferens, polygamiam damnavit, eamque matrimonii sanctitatem restituit, quæ ab origine fuerat, per unius conjugis insolubilem conjunctionem: *Deus ab initio creavit hominem masculum, & fœminam; adhærebit vir uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Polyglotta, *lingua multæ*. Ita nuncupantur sacra volumina, linguis multis impressa, quorum ecce præcipua. Complutensia Biblia edita fuere an. Christi 1517. linguis omnino quatuor, Cardinalis Francisci Ximenes opera. In iis occurrit Hebraicus textus, is nempe, quem Judæi legunt; Græca Versio Interpretum septuaginta; S. Hieronymi Latina Versio, quam nos Vulgatam nuncupamus; & Onkelosi in quinque tantum Mosis libros Chaldaica Paraphrasis. Polyglotta Antuerpiensis hac in Urbe typis edita fuit a Plantino an. 1572. Ariæ Montani cura. Adest in ea, quæ deest in Complutensi, Novi Testamenti Syriaca Versio. Polyglotta Parisiensis impressa fuit an. 1645. ab Antonio Vitræo, cura Michaelis *le Jai*, qui in ea conficienda ad incitas se redegit. Non iis contentus, quæ ad illud usque tempus detecta fuerant, Maronitis Roma accitis, Syriacam, & Arabicam linguas addidit, quæ in præcedentibus Polyglottis duabus desiderantur. Samaritanum quoque Pentateuchum imprimendum curavit, cujus nihil hactenus perspectum fuerat. Sane nullum opus hujus pulcritudinem, & majestatem exæquat, tametsi vitiis non careat. Statim atque hæc Polyglotta lucem aspexit, eam Angli cum nonnullis, parvi tamen momenti Adnotationibus Londini edi'am voluerunt. Editio hæc Voluminibus sex perfecta fuit an. 1657. cura, & opera Brian. Walton. Suæ quoque Polyglottæ Judæis non desunt.

Polymitum opus, multis scilicet filis contextum, variisque coloribus pictum; *Fecitque ei tunicam polymitam*. Ezechiel Propheta Urbis Hierosolymæ prostitutiones, & execrationes his verbis notat: *Ornata est auro, & argento, & vestita est bysso, & polymito, & multis coloribus*. Genes. xxxvii. Ezech. xvi.

Polymitarius. Vocabulum hoc, quod Hebraicæ vocis vi Artificem proprie significat, qui industrius operum inventor, & conditor est, in textu, in quo occurrit, tapetum opificem innuit, eumve, qui vela variis coloribus imbuta, variisque filis contexta conficit. Beseleel, & Ooliab, quorum sacra Scriptura meminit, hac potissimum arte præstabant. Eos Deus ipse erudierat: *Cunctos erudivi sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii de hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, ac bysso*. Exod. xxxv., & xxxix.

Pomum, *malum*. Vox hæc fructuum ad esum genus omne significat: *Devorata est herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit*; fructuum scilicet genus omne. Moses in benedictione, quam tribuit Tribui Joseph, eidem optavit *poma cæli, solis, ac lunæ, collium æternorum*, fructus nempe, qui succrescunt influxu cœli, calore solis, & humiditate lunæ, quibus montes, collesque imbuuntur. Conqueritur Psaltes, Hierosolymam ab hostibus redactam esse *in pomorum custodiam*, in Desertum scilicet, ac tugurium, e quo fructus custodiuntur. *Naves poma portantes*, nempe fructibus onustæ: *pertransierunt quasi naves poma portantes*. Ait Job, prosperitatis suæ tempus citius transiisse, quam

quam navim, quæ ad portum properat; quia nempe nautæ, qui fructus afferunt, festinant - veriti, ne fructus corrumpantur.

Pondus. Hebræi veteres, quippe quibus impressi nummi, ac definiti statique ponderis usus non esset, aurum & argentum omna io commercio ponderabant. Nomen, quo generatim ad pondus significandum utebanrur, petra, seu lapis erat. „ Haud vobis in saccoest petra, & item „ petra? „ Ita legimus in Deuterooomio c. XVI. oempe pondera duo, justum unum, falsum alterum, *sed solum petram perfectionis, & justitiæ*, scilicet justum & fidele pondus. Siclus, & semisiclus eraot non monetæ tantum, verum etiam ponderis nomina. *Reg.* II. *cap.* XVI. legimus Absalonis comam siclorum centum pondus æquasse. Tribuebatur autem Siclus in partes viginti quatuor, quæ מה *gherach* nuocupabantur. Distinguit Moses ponderum genera duo, *pondus Sanctuarii*, quod justum pondus erat, & veluti regula, ad quam cætera pondera exigebantur; & *pondus publicum*, consuetum scilicet, & vulgare pondus, cujus usus in commercio. Interpretes nonnulli contendunt, veri nominis discrimen inter hæc duo pondera intercessisse, & Sanctuarii pondus alio majus fuisse; at saniores viri discrimen hoc inter somnia rejiciunt, afferuntque, id unum inter hæc duo pondera interfuisse, quod primum in Templo custodiretur, ut publicis Urbis mensuris exemplo esset. Porro mos hic haud Hebræorum proprius & peculiaris erat; apud Ægyptios enim, & Romanos in usu fuit. In Paralipomenis legimus, Sacerdotis officium fuisse, ut ponderibus, & mensuris præesset: *Sacerdotes super omne pondus, atque mensuram*. Jam vero vox hæc, *pondus*, in sacris Litteris multiplici notione sumitur. I. Pro pondere: *quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: malorum, quæ in hac mortali vita perferimus, adeo breve, ac leve tempus longe maximæ gloriæ æternum pondus in nobis edit. Hujus gloriæ pondus malorum hujus vitæ levitati opponitur. *Qui portavimus pondus diei*; hoc in loco *pondus* operam, laborem significat. II. Pro officio, gravique jussu: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* III. Pro punitione, pœnaque: *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus Domus Achab*. IV. Pro proportione: *ponam in pondere judicium*: judicium in vos exeram, pœnæ, ac scelerum ratione habita.

Pontus, ita dicta Minoris Asiæ Provincia Cappadociam inter, & Pontum Euxinum sita: *Qui habitant Cappadociam, Pontum, & Asiam*. Judæi plures in hac Provincia, quam in finitimis regionibus dispersi fuisse videntur, ac proinde suam primam Epistolam ita S. Petrus inscribit: *Advenis dispersionis Ponti*. Nomen hoc idem Provinciam Palæstinæ proximam significat. *Arioch Rex Ponti*, in Hebraico textu legitur Rex *Ellasar*. Regio hæc nonnullis esse videtur Susiana superior, seu Provincia ipsa Asiæ dicta Pontus, quæ Assyriæ Regibus vectigal solvebat, cum certum sit, universam Asiam iis paruisse.

Porcus. Vide *Sus*.

Porphyrion, genus avis, rostro, & cruribus rubeis. Ea vesci Judæi vetabantur, quod impura esset, &, ut probabile est, voracitatis causa, seu quia non sorbens, sed mordens aquam bibit. Avis hujus castitas, & pudor in proverbium abiere: *Porphyrione castior*. *Levit.* XI. *Deuteron.* XIV.

Porrum, herba notissima esui apta. Hebræi in Deserto conquerebantur, manna sibi fastidio esse, Ægyptiique viles cibos expetentes ajebant: *In mentem nobis veniunt porri, & cepe, & allia*.

Porta significat imprimis loci alicujus aditum, Urbis ingressum: *Ante portas hujus Urbis, id est, Susan, & ipse, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis*: Aman cum suis ante Urbis Susæ portam suspensus fuit. *Porta Cœli*, aditus, per quem in Cælum itur: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli*: non hic communis locus est, sed locus, in quo beneficia sua Deus impertitur, & per quem homo in Cœlum ingreditur. Eam sane Jacob air Cœli portam esse, quia per eam exeuntes & ingredientes Angelos conspicie-

bat,

bat, cum scalæ cacumen conscendissent. *Portæ justitiæ* sunt januæ Tabernaculi, locique Divino cultui addicti, ita nuncupatæ, quia justi tantum homines eo pedem inferre debent, ut sua Deo vota, & obsequium persolvant: *Aperite mihi portas justitiæ*. Portæ æternales: *Elevamini portæ æternales*, sunt Cœli portæ, ad quas recludendas Propheta Angelos invitat, ut Dominum suscipiant, quod Ascensioni mirifice congruit. *Portæ mortis*, pericula, quæ ad mortem ducunt: *Exaltas me de portis mortis*. *Portæ terræ* sunt extremi fines terræ, per quos ingressus in mare patet. Hierosolymis erant portæ duodecim. *Porta gregis* ea erat, per quam animalia ad immolationes in Templum inducebantur. *Porta piscium* ad mare erat, per quam piscis inferebatur. *Porta vetus* ad boream, cujus reliquiæ Jebusæorum quoque tempore extabant. *Porta vallis* ad occasum valli cadaverum plenæ proxima. *Porta sterquilinii*, per quam Urbis stercorea educebantur. *Porta fontis*, penes quam erat fons Siloe. Porta aquarum, quia per eam Nathanæi aquam inferebant, quæ Templo inserviebat. *Porta equorum*, per quam aquæ equis afferebantur. *Porta judicii*, ubi jus imprimis dicebatur. *Porta Ephraim*, quia per eam ingrediebantur, qui erant e Tribu Ephraim. *Porta Beniamin*, quia per eam Beniamitæ Urbem subibant. *Porta Anguli*, angulorum porta. II. Porta sumitur pro Urbe ipsa: *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*: posteri tui hostium suorum Urbibus potientur. III. Veniebat hoc nomine justitiæ locus, cætus; cum enim Judæi fere omnes in agris colendis occupati essent, sapienter statutum erat, ut cætus haberentur ad portas Urbis, ibique summatim jus redderetur, ut hi laboriosi homines bene tempore uterentur: *Judices, & magistratus constitues in omnibus portis tuis*. Judiciorum horum formam exhibet judicium inter Booz, & alium Noemi cognatum ad Urbis Bethlem portas editum, item ager emptus ab Abraham, ad sepulturam Saræ dandam. Itaque judicium, sententia designatur *portæ* nomine: ne eum, cui nihil est, in porta, hoc est, in judicio opprimas. IV. Vocabulum hoc vim, potentiam significat: *portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*. Vis hæc *portarum* nomine designata complectitur omnia molimina, quibus utitur Dæmon, ut Ecclesiam invadat, persecutionum acerbitatem, Hæreticorum nequitiem, Pseudo-Doctorum calliditatem, audacium hominum licentiam, & quidquid Apostolus firmis armis opponit, quibus ad ipsius Ecclesiæ præsidium Deus utitur. V. Portæ nomen pro jurisdictionis limitibus sumitur: *quæ est intra portas tuas*, intra tuæ scilicet jurisdictionis fines.

Portare præter communem notionem significat ducere, patrocinari: *portasti eum in fortitudine tua*: Deus nempe vi prorsus divina populum suum duxit in tranquillitatis locum, in terram nempe, quam ei promiserat, & in qua peculiarem cultum sibi exhiberi volebat. *Portare iniquitatem, & peccatum*, sibi scilicet pœnam sumere aliorum peccatis debitam, sponsione facta: *portabitque Aaron iniquitates eorum*. Aaron, utpote imago Christi debebat Deo satisfacere ob vitia, & errata, quæ populus in sacrificiis patrabat. *Non portabis peccatum meum*, ita ad Samuelem Saul. *Portare iniquitatem* significat etiam proprii delicti pœnam ferre, oportere, ut, qui peccavit, suum ipse peccatum expiet. Si quis in jus vocatus, ut rei, quam viderit, testis adsit, fateri nolit, suam ipse iniquitatem portabit, & morte plectetur: *nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*. Præterea *portare* significat comprehendere quicpiam, nempe mente complecti: *non potestis portare modo*: nunc quidem intelligere non potestis, ducta a pueris metaphora, qui solidos cibos digerere nequeunt.

Portarius, seu *Janitor* Templi. Levitæ diu noctuque Templi fores custodiebant: *Filios Idithun fecit esse portarios*; nimirum præfecit Templi foribus. Officium hoc maximi momenti erat; janitores enim non modo Templi thesauros custodiebant, sed ejus quoque reparationibus vacabant; qua in re magnam auctoritatem præseferebant. Obibant etiam Judicum, Legisque Doctorum munia. Nemini aditum concedebant, nisi mundus esset: *Constituit janitores in portis Domus Domini, ut non*

non ingrederetur eam immundus in omni re.

Possessio, status hominis, qui a Dæmone possidetur. Differt ab obsessione, quia in hac quidem Diabolus agit extra, in ea vero intus: *In possessione Dæmon agit intus, in obsessione foris*. Possessionis exempla in sacris Litteris passim occurrunt. Christus Dominus, & Apostoli plurimos possessos sanarunt. Permisit sane Deus, Servatoris nostri tempore ingentem possessorum numerum in Judæa esse, ut suam ipse potestatem sæpe ac sæpius insignire posset, suamque missionem, ac divinitatem ostendere. Ejusmodi possessionum argumenta erant omnino sensibus obvia. Dæmones vexabant Energumenos, a quibus recedere a Servatore jubebantur. Eos nempe vehementer distorquebant, præcipites, mortuisque similes humi sternebant, in porcos se recipiebant, & una cum his fœtidis animalibus in mare se conjiciebant. Est ergo male comparati animi conatus, & periculosa incredulitas, acrius commotæ imaginationi, mentisque cuidam morbo has omnes possessiones tribuere. Haud equidem inficias ierim, hac in re illusioni, ac fraudi locum esse, vafrosque, ac stultos homines extitisse, qui Energumenorum dicta, facta, motus imitarentur; at si quis possessiones omnes in fraudum, fallaciumque imaginationum numero ponere velit, eum ajo, fidenterque pronuntio, Evangelio repugnare, Christi Domini miracula impetere, Ecclesiæque insultare, quæ suis in precibus veros possessos existere pro certo habet. Lege Articulum *Obsessus*.

Possidonius, *potiu*, eorum unus, qui Nicanoris nomine ad Judam Machabæum missi fuerunt, ut de pace agerent. II. *Machab.* XIV.

Præcepta: *alia affirmantia dicuntur, alia negantia; affirmantia porro tametsi semper obligent, ad præscriptos tamen actus exerendos non semper obligant, sed certo tantum loco, statoque tempore, cujusmodi est præceptum audiendi Missam, Sacramenta frequentandi. Negantia vero semper obligant, & , ut ajunt, ad semper, videlicet, nunquam licet malum fieri, quod eadem prohibent, causa exempli: non furtum facies. Novæ, seu Evangelicæ Legis Præcepta trium generum sunt.* I. *Præcepta Fidei, quæ nos jubent omnia mysteria firmiter credere, quæ Deus Ecclesiæ suæ revelavit.* II. *Ea, quæ ad Sacramenta spectant, & nos obligant ad ea variis temporibus, qua par est, veneratione suscipienda.* III. *Præcepta moralia; quæ quidem cum in Decaloge continerentur, Christus explicuit, in eo mirabili sermone, quem in Monte habuit, quemque SS. PP. tamquam Evangelicæ Legis compendium spectarunt.*

Id autem interest inter Consilia, & Præcepta, quod Præcepta ineluctabilem obligationem imponunt, Consilia vero solummodo sunt proposita tanquam rationes ad perfectionem acquirendam accommodatæ, ad quam aspirare debemus. Jam vero, ut monet S. Hieronymus lib. I. contra Jovinianum, *ea quisque libertate gaudet, ut faciat, aut non faciat, quod consilii est, tenetur autem id omnino facere, quod præcepti est:* Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.

Prædestinatio. Vocabulum hoc, quod a Latino verbo *prædestinare* derivatum est, Ecclesiæ sermone significat, aliquid ad certum quemdam finem destinare, eaque parare, quorum ope idem finis certo obtineatur; id quod solius Dei proprium & peculiare est: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam prædestinavit Deus ante secula*; ut nimirum quos Deus per omnem æternitatem dilexit, eosdem prædestinaverit, ut aliquando Filii sui imagini conformes essent: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Prædestinatio ergo nihil est aliud, quam electio omnino gratuita, qua Deus ab omni æternitate certum quemdam hominum numerum traxit e perditionis massa, quibus æternam gloriam conferret, & auxilia necessaria suppeditaret, quorum ope ad eamdem gloriam certo pervenirent. Inflata, tumensque humana mens, quæ nec mysterium hoc comprehendere, nec eidem se subdere potest, varias super eo quæstiones instituit, quibus non nisi altitudinem judiciorum Dei opponit Apostolus, cum Jacob, & Esau exemplum in

hujus

hujus veritatis argumentum proposuisset : *Non solum autem illa*; inquit, nempe Sara, *sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*; *cum enim nondum nati fuissent*, Esau scilicet, & Jacob, *aut aliquid boni egissent*, *aut mali*, *ut secundum electionem propositum Dei maneret*, *non ex operibus*, *sed ex vocante dictum est ei*, *quia major serviet minori*; *sicut scriptum est*: *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*. Æternus ergo, & gratuitus Dei amor, docente Apostolo, prædestinationis Sanctorum una & unica ratio est. Et sane Deus, quid tandem in Jacob, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum amavit? Quid autem oderat in Esau, nisi peccatum, in quo natus erat? Ponit ille in uno bonum, quod in eo amare vult, sed in alio malum invenit, quod in ipso vult demnare. Jam SS. PP. qui Apostolum secuti sunt, S. Thomas, & celeberrimæ quæque Latinæ Ecclesiæ Scholæ in hac S. Pauli doctrina Ecclesiæ fidem perspexerunt; ac S. quidem Thomas adeo persuasum habet, prædestinationem in Apostoli sensu gratuitam esse, ut pronuntiare non dubitet, eam sententiam a nemine citra errorem impugnari posse: *Hoc scio*, inquit, *contra istam prædestinationem*, *quam secundum Scripturas Sanctas defendimus*, *nisi errando*, *disputari potuisse* *.

* *Sacra Scriptura variis nominibus prædestinatos vocat*, Electos, Benedictos, Vasa honoris, & misericordiæ, Dilectos. *S. Augustinus prædestinationem ita definit*, *ut sit* præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. De Dono Perseverantiæ cap. XIV. *Eadem prædestinatio*, *docentibus Theologis*, *Divinæ voluntatis actus est*, *per quem ab omni æternitate statuit creaturas quasdam per gratiam suam ad æternam vitam perducere*. *Hoc nimirum Dei decretum est*; *quod S. Paulus ad Ephesios scribens cap.* I. *v.* 4. *disertis his verbis enuntiat*: Elegit nos in ipso (*Christo*) ante Mundi constitutionem. *In eam sententiam Electos suos alloquitur Christus Dominus Matth.* XXV. Possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi.

D. Thomas hujus rei rationem affert in hæc verba: *cum scilicet æterna vita sit supernaturalis finis hominis*, *& homo ad hunc finem suis propriis viribus pervenire non possit*, *necesse proinde esse*, *ut ad eumdem finem a Deo ducatur*. *Prædestinationis finis*, *qui nihil est aliud*, *quam hominis æterna salus*, *est complementum voluntatis Dei*, *qui salvos eos facit*, *quos salvos facere vult*. *Ejus effectus*, *hoc est*, *præparatio ad gloriam*, *& quod inde consequitur*, *præparatio ad gratiam*, *media sunt*, *quorum ope ad gloriam*, *quæ gratiæ finis est*, *pervenitur*.

Convenit inter Theologos omnes, *& Fidei caput est*, *prædestinationem ad gratiam gratuitam esse*, *& meritorum prævisione priorem esse*, *cum ejus non alia causa sit*, *quam bonitas*, *& misericordia Dei*, *non autem prævisio boni usus gratiæ*, *quem homo facturus est*. *Verum in Theologorum Scholis ea gravissima quæstio est*, *an scilicet Prædestinatio ad gloriam gratuita sit*, *an vero meritorum prævisionem subsequatur*. *Qui porro gratuitam prædestinationem propugnant*, *S. Augustini*, *& S. Thomæ sententia nituntur*, *quibus patrocinantur* I. *multa Sacrarum Scripturarum oracula*: Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate. Cum nondum nati fuissent, *inquit idem Apostolus*, *de Jacob*, *& Esau verba faciens in Epist. ad Rom. cap.* IX. aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Christus ipse disertis verbis ait*, *hanc æterni Patris voluntatem esse*, *ut dilectæ Gregis sui parti suum Regnum tribuat*: Nolite timere pusillus Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum; *Electorumque neminem periturum testatur*: Hæc est voluntas ejus, (Joan. VI.) qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo. II. *Parvulorum exemplum*, *qui paulo post susceptum baptisma e vivis excedunt*, *quos electione mere gratuita Deus iis præfert*, *quibus suscipiendi baptismatis gratiam non tribuit*. III. *Conditio*, *in qua Deus homines extra Judæam per annorum quatuor mille spatium reliquit*, *& in qua etiamnum eos relinquit*, *qui in iis regionibus vivunt*, *ad quas nondum*

dum

cum Evangelii notitia pervenit; hinc enim inferunt laudati Patres, id omnino Divinæ Misericordiæ tribuendum esse. IV. *Valentinum Concilium, quod an.* 855. *can.* 3. *idem definiit, apud Sententiarum Magistrum lib.* 1. *distinct.* 40. Fidenter fatemur, prædestinatione.n Electorum ad vitam . . . in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum hominum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum judicium Dei V. *Quemadmodum* P. Petavius *animadvertit, S. Augustinus se hac in re luculenter explicuit, cum hanc gratuitæ prædestinationis veritatem statuit, inquiens, utrum gratuita, necne, prædestinatio sit, ex mediorum ratione judicari posse, quibus Deus utitur, ut decretum hoc exequatur; quandoquidem si media effectus suos certo producunt, profecto Deus eorum salutem vult, quibus ea tribuit. Jam vero, pergit S. Pater, auxilium quod Sancti Viri ad Dei Regnum electi a Deo ipso accipiunt, non iis id unum tribuit, ut perseverare possit, dummodo velint, sed ipsam quoque perseverantiam iisdem confert; ut proinde non solum auxilium hot ejusmodi sit, ut sine eo perseverari non possit, sed ejusmodi quoque sit, ut qui illud obtinent, nunquam non perseverent. Doctus hic Societatis Jesu Scriptor, & Theologus addit, cum id genus argumenta tam in Occidentali, quam Orientali Ecclesia accuratius discussa fuerint, Pelagianorum hæresi disputationibus occasionem præbente, majorem propterea rationem habendam esse eorum Patrum sententiæ, qui eamdem hæresim impugnarunt; & inter Latinos quidem, Theologis unanimi consensu docentibus*, S. Augustinum *cæteris omnibus præferendum esse, quippe cum Patres omnes, omnesque Doctores, qui deinceps floruerunt, Summi Pontifices ipsi, & Episcoporum cætus semper omnino certam, & catholicam ejus doctrinam habuerint*. Petavius Tom. 1. lib. IX. Dogmat. Theolog. *Sane doctrina hæc in Ecclesia ad usque seculi sexti finem obtinuit*. VI. *Iidem Theologi contendunt, rationem auctoritati suffragari; ajunt enim, cum ex una parte prædestinatio salutem Electorum, & meritum complectatur, & ex alia prædestinationis effectus merita sint, quia scilicet nemo ad gloriam nisi per gratiam, & bona opera pervenire potest, consequens proinde fieri, merita prædestinationis causam esse non posse; præterea si prædestinatio nostris meritis niteretur, consequens fore, hominem posse gratiam primam promereri, quod aperte repugnat iis sacræ Scripturæ verbis*: Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. *Rom.* XI. 6. *Foret id etiam consequens, mysterium hoc ex eorum numero non esse, quæ comprehendi non possunt; quod aperte repugnat Apostoli verbis illis*: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! &c. *Id autem iidem Theologi vocationis Judæorum, Gentium, & Infantium exemplo confirmant, quorum alii quidem ante, alii vero post susceptum baptisma moriuntur*. VII. *Hanc quoque ratiocinationem addunt: omne quippe Agens ratione præditum velle finem ante media; cum Electorum salus, & gloria sit eorum Prædestinationis finis, merita, quæ nihil aliud, quam media sunt, subsequi debere, Deum scilicet non censeri velle Electorum merita, nisi postquam æternam eorum salutem, & gloriam voluerit*. VIII. *Haud gravate concedunt, sublata meritorum prævisione, rationem afferri non posse, cur unum, non alium Deus eligat; verum respondent, satis nobis esse id scire, quod ajunt sacræ Litteræ: antequam Jacob, & Esau quidquam boni egissent, aut mali, Deum statuisse Jacob diligere, & Esau odio habere. Ita sane Apostolus animadvertit ad Roman.* IX. *prorsus in hanc rem*: Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit .... Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. X. *Denique contendunt, quidquid contra gratuitam prædestinationem opponitur, æque contra gratiam efficacem, gratiam congruam, & perseverantiam opponi posse. Si enim Deus alicui gratiam efficacem, aut gratiam congruam, aut perseverantiam conferre non statuit; is profecto neutram obtinebit, ac proinde salvus non erit. Ad extremum asserunt, hominis libertatem gratuitæ prædestinationis doctrina omnino non impeti, & salutem non minus in eorum potestate esse, qui prædestinati sunt, quandoquidem Decreti prædestinationis executio cum eorum libertate, & consensu conjuncta est; prævidit enim Deus, eos, quibus hanc Gratiam contulisset, ei assensuros, salva & integra*

tegra remanente eorumdem libertate. Quo loco P. Petavius ita scite monet: Cur non eadem nos, ad libertatem nostram in tuto ponendam, ex Augustini mente usurpare de electione, ac prædestinazione salutis æternæ jure nostro poterimus? Petav. Dogmat. Theolog. tom. 1. lib. IX. c. 15. S. Thom. 1. P. q. 23. art. 5. Estius Dist. 41. Bellarmin. lib. 2. de Grat. & lib. arbitr. cap. 15.

Ajunt alii Theologi, prædestinationem ad gloriam meritorum prævisione posteriorem esse; suumque Systema argumentis, & auctoritatibus fulciunt, quibus ipsis suum pondus est. Contendunt enim I. Deum, postquam bonum, seu bona opera, quæ certi quidam homines edituri sunt, efficacium, congruarumque gratiarum auxilium, eorumdemque in gratia perseverantiam prævidit, tum demum eos ad gloriam prædestinare; & hanc quidem sententiam suam sacræ Scripturæ auctoritate confirmant, e cujus innumeris textibus constat, sibi homines Paradisi gloriam per bona opera promereri: Satagite (1. Petr. 1.), ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. *In iisdem sacris Litteris æterna gloria merces, & corona justitiæ nuncupatur:* Bonum certamen (2. Timoth. 4.) certavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. *Apocal.* 3. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *Philip.* 3. Ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu. *Matth.* XXV. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me. *Jacob.* 1. Beatus, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. I. *Petr.* 4. Cum adparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Jam vero ex his, aliisque multis sacrarum Litterarum oraculis, necnon e Sanctorum Patrum, atque adeo S. Augustini testimoniis inferunt, Prædestinationem ad gloriam post cognita, & prævisa merita esse; contenduntque, gratuitæ prædestinationis opinionem posse homines in desperationem trahere, & impedire, quominus ad suam ipsorum salutem incumbant, dum scilicet animo reputant, si gratuitæ prædestinationis sententia vera sit, omnino salutem a Deo pendere, nec bona opera quicquam prodesse; posse nempe unumquemque sibimet ipsi dicere: Si prædestinatus sum, quicquid egero, salvus ero; si prædestinatus non sum, quicquid egero, ero damnatus.

Theologi, qui gratuitam prædestinationem propugnant, huic objectioni respondent, quæ sæpe licentiores homines, iique omnes abutuntur, qui in peccato voluntarie persistunt, ajunt nempe, sensum horum verborum, quidquid egero *falsum esse, quia Electi salvi non erunt, nisi quod Dei legem servaverint, & qui reprobati erunt, ejusmodi non erunt, nisi quod eamdem violaverint; uno verbo, Deum quidem gratuitam prædestinationem decrevisse, Electorumque certam & indubitatam salutem statuisse, ita tamen, ut Electi ipsi salutem suam operentur, quoniam Dei, hominisque voluntas duæ causæ sunt, quæ ad salutem ipsam concurrunt, conspirantque. Verum ut ut res habeat, hæ duæ sententiæ, quas hactenus expendimus, in Scholis propugnantur; at in hoc negotio nihil melius dici potest, quam Prædestinationis nodum ab humana ratione solvi non posse; hoc enim mysterium ab æternis Decretis pendet, quæ quoad Creaturas suas Deus edidit; ac S. Paulus, postquam argumentum hoc agitavit, semper ad judiciorum Dei profunditatem confugit:* O altitudo &c.

Prædestinationem consequuntur effecta tria. I. *Vocatio, quæ ejus animum, qui vocatus est, fide imbuit.* II. *Justificatio, quæ pænitentiam, peccati execrationem, amorem Dei super omnia, cordis conversionem, peccatorum veniam, divinam adoptionem, bona opera, & perseverantiam complectitur.* III. *Gloria, quæ æternæ vitæ possessione continetur. Nemo sibi arrogare potest, se prædestinatum esse. Id sane definiit Tridentina Synodus* Sess. VI. cap. 12. *At qui, prout Christianum hominem decet, vitam agit, in Dei bonitate confidere debet, se ex Electorum numero esse.*

Prædestinatio Christi Domini. Christus Dominus vere prædestinatus fuit; Deus enim ab omni æternitate voluit, Christum

flum in tempore venire, fuum nempe Filium, Æternum Verbum carnem fumere, fe hypoftatice humanæ naturæ conjungere, & Hominem fieri. Id evincunt hæc S. Pauli verba ad Roman. cap. 1. *De Filio fuo, qui factus eft ei ex femine David fecundum carnem, qui prædeftinatus eft Filius Dei in virtute fecundum fpiritum fanctificationis ex refurrectione mortuorum Jefu Chrifti Domini noftri.*

Præmotio *Phyfica. Celebris controverfia, præfertim in Thomiftarum Schola eft, de phyfica præmotione; quæ quidem, eorum fententia, impulfus eft, feu motio præveniens, per quam Deus, ante creaturæ actionem quamvis, eam movet, ac determinat, ut ea, quæ ipfius natura confona eft, ratione agat. Præmotio hæc ex eo derivatur, quod creata res, tum ut fit, tum ut agat, omnino a Deo pendere debet, quodque caufæ quæ fecundæ dicuntur, primæ fubeffe debent. Præmotionem hanc iidem Theologi in iis quoque ponunt, quæ fupra naturam funt.*

Ea nimirum eft, inquiunt, quæ gratiæ infpirationi conjuncta ad ejus efficacem vim confert, feu potius Gratia efficax nihil eft aliud, quam phyfica hæc præmotio. Hæc porro libertati nequaquam nocet, quia non a naturali, fed à prima caufa, hoc eft, a libertatis Creatore ipfo originem trahit, eamque pro ipfius natura movet, ac proinde quin eam evertat, cujus nullam non propenfionem perfpectam habet, utpote ejufdem Auctor. Itaque fua gratia Deus libertatem noftram, non tanquam inanime, fed tanquam vitale, liberumque inftrumentum ad bonum flectit. Ut verbo expediam, Præmotio efficit, ut homo infpirationi gratiæ reapfe affentiatur; at veram, internamque poteftatem non tollit, quam homo fuapte naturæ obtinet, ut affentiatur, aut diffentiat. Et fane homo uno eodemque tempore quoad eamdem rem confenfum cum diffenfu conjungere omnino non poteft; duo quippe mutuo pugnantia fimul effe non poffunt; nec poteft id homo nolle, quod reapfe vult; verum actus cum poteftate nolendi actum ipfum non copulari non poteft.

Ceterum hi Theologi contendunt, fibi S. Thomam q. 3. de Creat. art. 7. *facem prætuliffe, eamque actionem Dei, de qua loquitur S. Doctor, non ita accipi poffe, ut fimultaneus concurfus fit, quia fcilicet Creaturæ actionem præcedit, & ob hanc ipfam caufam* Præmotio *nuncupatur. Addunt, præmotionem hanc ipfam ab ea differre, quæ neceffariis caufis tribuitur, quia nimirum pofterior neceffario ad unum determinat, cum in caufarum liberarum præmotione determinatio actionis femper in voluntatis, & rationis poteftate fit. Hoc generatim Thomiftarum fyftema eft, quod alii Theologi fufcipere nolunt, impugnantque argumentis, quæ hujus Operis ratio referre non patitur. Atque hinc oritur infignis controverfia de malorum origine. Sane fuper hac re difputant acerrime inter fe* eruditiffimus D. Antonius Genovefius *in Regia Neapolitana Univerfitate Profeffor, & Canonicus* Magli, *qui Antonii fyftema de malorum origine confutandum fufcepit, quod clariffimus Vir expofuit in fua Metaphyfica; qui liber Auctori non intra folum Italiæ fines, fed ubicunque virtuti ftat honos, fplendoris, & gloriæ plurimum attulit. At Canonicus cum in fuis Differtationibus oftenfurum fe recepiffet, in* Genovefii *fyftemate non omnes prorfus impiorum difficultates folvi, id ipfe facere per Theologorum Thomiftarum, & phyficæ præmotionis doctrinam conatus eft, at non ea tamen felicitate, qua fe expediunt Thomiftæ ipfi, qui phyficam fane præmotionem, falva tamen humana libertate, falva item bonitate, ac fanctitate Divina, ftrenue propugnant. Leguntur in hanc rem Articuli de* Scientia, & Voluntate Dei, *qui in hoc ipfo Dictionario occurrunt loco fuo; ubi fcopuli deteguntur, in quos impegit Canonicus* Magli, *cui facrum illud accommodari poteft:* incidit in foveam, quam fecit.

Præparare, ponitur primo loco pro *inftruere, parare: Ecce prandium meum paravi*. II. Pro *difponere, fternere: Parate viam Domini*, III. Pro deftinare: *Parafti in dulcedine tua pauperi, Deus*: tu quidem, bone Deus, pauperi nutrimentum non fine fingulari bonitate ftatuifti; quod fane intelligitur tum de bonis, quæ Deus Ifraelitis in Deferto contulit, tum de beneficiis, quibus fuam Deus ipfe Ecclefiam cumulat. IV. Pro *exhibere, oftendere: Paravit Dominus brachium fanctum fuum in oculis omnium gentium;* fcilicet oftendit,

dit, exhibuit omnium Nationum oculis brachium suum, quod nihil est aliud, quam Christus Dominus, qui ad Patris dexteram est, V. Pro *stabilire*, *firmare*: *Parata sedes tua ex tunc*: solium tuum ab omni æternitate statutum, firmatumque est. *Preparans montes in virtute sua:* scilicet potestatis suæ vi montes statuens, & firmans. VI. Pro *afferre*, *causam prebere*: *Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames*: pauperes insolentes, qui cæteros calumniantur, tempestati similes sunt, quæ pro fœcunditate sterilitatem affert.

Preputium, ea corporis pars, quam Judæi circumcidebant: pellicula extrema membri virilis. *Percussit ex Philistiim ducentos viros, & abstulit eorum preputia, & annumeravit ea Regi*: David Philistæos ducentos occidit, quorum præputia ad Regem attulit. Saul ita voluit certus fieri, occisos homines non Judæos, sed incircumcisos esse. Judæi præputium tanquam impuritatem spectantes, eos populos per contemptum incircumcisos vocabant; & S. Paulus in Epistola ad Romanos non semel Ethnicos indicat præputii nomine, eosque Judæis opponit, quos circuncisionis nomine designat: *Si preputium justitias Legis custodiat, nonne preputium ejus in circuncisionem reputabitur?* Si incircuncisi servaverint præcepta Legis, nonne licet incircumcisi pro circumcisis habebuntur? *Creditum est mihi Evangelium preputii, sicut & Petro circuncisionis*. Sumitur etiam *Preputium* pro re immunda, mala, periculosa, & quidem metaphorice; ita *preputium cordis* notat animi pravitatem, duritiem, quæ recidenda est, quemadmodum ab iis, qui circunciduntur, præputium reciditur: *circuncidite preputium cordis vestri*: date operam, ut quod in animo vestro carnale est, impurum scilicet, pravomque, recidatis. Præputium quoque profanam aliquam rem, pollutamque significat: *Quando plantaveritis ligna, inferetis preputia eorum, poma, que germinant, immunda erunt vobis*: cum fructiferas arbores severitis, primos earum fructus, tanquam impuros, & incircuncisos adimetis, & rejicietis. Hi fructus erant priorum annorum trium, quibus vesci non licebat. *Adducere preputium*, restituere præputium, quod per circumcisionem recisum erat. Occurrit in Machabæorum libris nonnullorum nequam Judæorum mos, qui turpe putantes se circuncisos prodere, Chirurgorum arte utebantur, ut hanc, quam putabant, deformitatem cetarent, in id incumbentes, ut sibi præputium excresceret: *& fecerunt sibi preputia*.

Presentatio. Penes Judæos erant præsentationis genera duo. Ea prima erat, qua primogenitos suos Domino præsentabant, ut Mosis Legi parerent, quæ præscribebat, ut Hebræorum Primogeniti Deo a Genitoribus præsentarentur, eodemque tempore redimerentur. Hanc autem legem Deus edidit, ut Judæis in animum revocaret, cum Angelus exterminator Egyptiorum primogenitos interfecit, Hebræorum primogenitos salvos & incolumes perstitisse. Hujus præsentationis vi immolandi erant primogeniti; at Deus, humanas victimas sibi immolari nolens, præcepit, ut infantes hi minima quinque siclorum impensa emerentur. Christus Dominus, qui Legem impleturus venerat, ei se subdidit; itaque Templo præsentatus fuit, consuetoque pretio redemptus. Alia præsentatio ea est, qua Judæi Deo filios suos, aut alia, quæ eidem dicaverant, offerebant; id enim apud eos erat in more positum, ut se ipsi, vel filios in omne tempus, aut redemptionis lege dicarent. Erant in eum finem circum Hierosolymitanum Templum cubicula, fœminis, & viris per vota dicatis addicta, quæ hoc sane consilio Genitores perficienda curaverant. Exemplum in hanc rem nobis suppeditant filii Heli, cubantes cum fœminis, quæ votum soluturæ in Templi vestibolo consistebant: *& audivit omnia que faciebant filiè sui universo Israeli, & quomodo dormiebant cum Mulieribus, que observabant ad ostium Tabernaculi*. Earum officium erat, Templi ornamentis, &, quod probabile est, educandis pueris vacare, qui ibidem ponebantur. Itaque Samoel, cum Domino dicatus esset, ut ei, quoad viveret, deserviret, ab ætate annorum trium in Tabernacolo constitit, ibique omnia, quibus idoneus fuit, servi-

tia præstitit: *Et adduxit eum ad domum Domini in Silo, & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli*. Vetus ea quidem, sed levi fundamento nixa traditio est, Beatam Virginem ætatis anno tertio a Genitoribus in Templo præsentatam fuisse *; cumque ibi ad annum duodecimum versata esset, edidisse Virginitatis votum, sanctoque Josepho nupsisse, quem veluti custodem, ac defensorem haberet. Est hæc arrogata præsentatio, quæ diu Sanctæ Virginis Præsentationis ratio fuit, in qua ejus consecrationem, vitæque intervallum ad Annuntiationem usque honorandum Ecclesia sibi proponit. Festum hoc, quod priscis temporibus pro ipsa Christi Domini Præsentatione accipiebatur, initio quidem cæpit apud Græcos; nullumque ejus vestigium apud Latinos ante sæculum decimum quartum occurrit.

* Baronius *id ostendendum suscipit, sanctissimam Virginem tres annos natam a Genitoribus in Templo præsentatam, Levitarumque, ac Sacerdotum curæ, quoad Josepho nupsit, commissam esse. Prima, qua Baronius utitur, hæc ratio est. Josephus* Antiquit. Judaic. lib. I. cap. 2. *testatur, circum Templum a Salomone ædificatum nonaginta Cellulas, alias aliis impositas extitisse; est autem vero simile, totidem Cellulas in altero Templo fuisse, quod post Babylonicam captivitatem extructum est; quandoquidem idem Josephus.* Antiquit. lib. XV. cap. 14. & lib. VI. de Bello Judaico cap. 6. *memoriæ prodit, alterum Templum primo simile factum esse.*

Ita sane res habeat, ut Baronio places (quamquam non desunt Auctores, qui id negent), ei tamen ostendendum erat, ut ex parte, quod sibi proposuerat, evinceret, eas Cellulas domicilii loco puellis, seu fœminis Deo dicatis addictas fuisse. At contra omnino res est. Cubiculorum enim, seu Cellularum, de quibus est sermo, maxima pars custodiendis sacris rebus, thesauris, vestibus, supellectili, annonæque inserviebat; pars reliqua viris, qui quotidie in Templo administrabant, nempe Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, Janitoribus, Cursoribus, aliisque Ministris addicta erat. Nec passa esset publica honestas, Puellas, seu Fœminas Deo sacras una cum Viris degere. Josephus quidem lib. 6. de Bello cap. 6. *in Salomonici Templi descriptione de loco meminit, qui Fœminis addictus erat; at locus ille non habitandi, sed orandi gratia statutus erat, quippe cum apud Judæos id consuetudinis obtinuerit, ut Viri, ac Fœminæ non promiscue, sed separatim orarent. Adeo clara & perspicua sunt Josephi verba, ut nullam interpretationem pati possint:* Proprius locus, inquit, Religionis causa, Mulieribus destinatus muro descernebatur..... Patebat locus ille pariter indigenis, & hospitibus fœminis, religionis causa venientibus.

Altera Baronii ratio ex Josabeth *exemplo sumitur, quæ furentis* Athaliæ *oculis puerum* Joas Ochoziæ *filium una cum Nutrice subduxit, & in Templo celatum in lectulorum cubiculo sex annorum spatio servavit; ut legitur* lib. IV. Reg. cap. XI. & lib. II. Paralip. cap. XXII.

At quid hoc, quæso, argumenti est, ad ostendendum, Puellas Deo dicatas in Templo per annos plures commorari consuevisse? An quia Josabæ, *seu* Josabeth *suum ibi domicilium erat? At ea quidem non quasi sacro ministerio dicata, sed utpote Summi Sacerdotis* Jojadæ *Conjux in Templo degebat, ut legitur* lib. II. Paralip. cap. XXII. *An vero quia puer* Joas *ibidem sexennium servatus fuit? At Joas mas erat, non fœmina; neque ut Deo dicatus, sed ut* Athaliæ *furori subductus, non ad castitatis custodiam, sed ad vitæ defensionem in Templo morabatur.*

Rationem tertiam petit Baronius ex fœminarum exemplo, quæ Exodi cap. XXXVIII. & Reg. lib. I. cap. 2. ad Tabernaculi januam vigilasse, suisque votis satisfecisse *dicuntur.*

At ne hinc quidem Baronius quicquam concludit, nisi duo pariter ostendantur; nempe easdem fœminas Deo peculiariter dicatas fuisse, & in Templo nunquam non constitisse; quorum utrumque falsissimum est, tametsi dicantur excubasse ad ostium Tabernaculi, & observasse. *Profecto ex ambiguitate verborum, quibus usus est Vulgatus Interpres, error originem traxit, eas nempe fœminas nullo non tempore vigilasse, ac Templum custodiisse; cum potius dicendæ sint, Orationis tantum tempore, quo se in-*

stu-

tentas, *vigilesque praebebant*, *in Templum se contulisse*. *Itaque Chaldaica Paraphrasis in allatum Exodi textum haec habet*: Fecit labrum ex ære, & basim ejus ex aere de speculis Mulierum, quæ veniebant, ut orarent in Ostio Tabernaculi Fœderis. *Et in alium Textum lib.* 1. *Reg.* Constuprabant mulieres, quæ veniebant ad adorandum coram Domino in Æde ipsius. *Id jam animadvertit* Jacobus Bonfrerius *in Exodi capue* XXXVIII. *ubi ita loquitur*: Nota, mulieres excubantes ad Ostium Tabernaculi dici Mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad Tabernaculum, Deum adoraturæ, & exoraturæ. *Quamobrem eae fœminae non semper in Templo degebant, sed eo, tantum Orationis & precis tempore, se conferebant*.

Rationem quartam Baronio suppeditat exemplum Annae Prophetissae, filiae Phanuel, quae, ut legitur apud Lucam cap. II. non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens die, ac nocte; *perinde ac si semper in Templo versata esset*.

At si ita se se res habet, cur ergo, Simeone in Templum veniente, eadem hora dicitur Anna pariter advenisse? Fuit igitur Evangelistæ figurata locutio, cum dixit, Annam a Templo non discessisse, & quotidianam frequentandi Templi assiduitatem exprimere voluit. Hæc est interpretatio Toleti, Jansenii, Maldonati, Cornelii a Lapide: non discedebat de Templo; non quod in Templo habitaret, sed quod illud frequentaret, in eoque perduraret. *Ac licet addatur*, die, ac nocte, *non tamen inde sequitur, eam semper in Templo moratam esse; quia scilicet ea verba ad jejunia, precesque referri debent, pro ut monet Apostolus* I. ad Timoth. V. Quæ autem vere vidua est, instet orationibus, & obsecrationibus die, a nocte.

Ultima ratio a Baronio in medium allata est exemplum ex Machabæorum lib. II. *cap.* 3. productum: De reclusis Virginibus in Templo, quæ procurrebant ad Oniam Summum Pontificem.

At quis Eminentissimo Baronio persuasit, eam Sacri Textus lectionem esse? Immo vero, si vox, in Templo, *excipiatur, in qua argumenti vis omnis posita est, quamque ipse fidenter intrusit, ita simpliciter legitur*: Sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant. *Quamobrem hoc in textu non de Virginibus Deo dicatis, & in Templo conclusis, verum, ut in vulgata Glossa legitur, de omnibus honestis Virginibus sermo est, quæ conclusæ erant; quæ scilicet ob virginalem pudicitiam, & verecundiam e* domesticis *parietibus non exibant; quæque, in ea commotione, quam Heliodorus excitaverat, præter morem egrediebantur, ad Oniam concurrentes, seu potius per Urbem excurrentes, quoniam in Græco Textu de Onia Pontifice ne verbum quidem*.

Non est tamen, quod Beatæ Virginis in Templo Præsentationis solemne Festum improbandum, quod Ecclesia die 21. *Novembris celebrat, ac temere institutum putem. Id equidem solemnibus verbis probo, servo, celebro. At probe percipi necesse est, quid Ecclesia celebrare velit eo titulo, ne vera cum falsis, certa cum dubiis, ad Beatam Virginem quod attinet, confundantur. Ajo itaque, fidenterque pronuntio, Præsentationis titulo eum consummatæ virtutis heroicum actum ab Ecclesia celebrari, quo Virgo vel a teneris, quod dicitur, unguiculis se Deo dicavit, inita omnino sanctæ, & ab humano commercio secretæ vitæ ratione. Ejusmodi autem votum in Templo editum credo, veneror, & colo. At forsan oblatio hæc a Genitoribus facta, & proprie voti causa, quod antea ob sterilitatis cessationem ediderant; forsan id accidit ejus ætatis anno tertio; forsan inducta Virgo in* Sancta Sanctorum, *ubi per integros annos undecim vixerit; forsan alicui Templi ministerio addicta fuit; forsan Sacerdotum curæ concredita.* Certe cum *hæc omnia vel dubia, vel falsa sint, nihil eorum definire voluit Ecclesia, cum Præsentationis solemne Festum instituit. Immo vero cum, Paulo* III. *Sæculo decimo sexto Ecclesiam administrante, Præsentationis Oratio recitaretur in hæc verba*: Deus, qui Sanctam tuam Genitricem, Tabernaculum Sancti Spiritus post triennium in Templo præsentari voluisti &c.; *qua quidem Orationis forma Virginis oblatio, tertio ætatis anno edita statui videbatur; subsecutis temporibus*

Orationem hanc emendavit Sixtus V. *Pont. Max.*, *& ad eam simpliciorem formam redegit, quæ hodie obtinet*: Deus, qui Beatam Mariam semper Virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in Templo præsentari voluisti; præsta, quæsumus, ut ejus intercessione in Templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. *Certissimum ergo est, Catholicam Ecclesiam, instituendo Præsentationis solemni Festo, in animo non habuisse, Græcorum, super hoc mysterio, narrationes probare, aliudque a Fidelibus coli voluisse, quam quod itidem Græculi falso, & pro lubidine excogitarunt.*

Præses. Hoc generatim nomine veniunt ii, qui cuipiam operi præsunt, sed præsertim qui sub Principis auctoritate Provinciam aliquam administrant: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*. Veniunt eodem nomine Provinciæ Procuratores alteri subjecti: *Tradiderunt Pontio Pilato Præsidi*. Hi minorum Provinciarum Administratores proprie non nisi Ministri erant ab Imperatore missi, ut publicorum redituum curam gererent, & *Procuratores Fisci* nuncupabantur. Designantur hoc ipso nomine Judices, & Magistratus, qui sub Regum auctoritate judicant: *Ad Præsides, & ad Reges ducemini*.

Prætorium. Evangelista id nominis domui tribuit, in qua is versabatur, qui Romanorum nomine Hierosolymæ præerat, & in qua jus reddebat, & in qua denique Christum damnavit: *Milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium*. Principis quoque domus Prætorium dicitur in sacris Litteris: *Jussitque in Prætorio Herodis custodire eum*: Præfectus jussit, ut S. Paulus in Herodis regiis ædibus custodiretur. Atque Apostolus Hierosolymitani Præsidis ædes ita vocare solitus, ita quoque Imperatoris Aulam nuncupat: *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio*.

Presbyter, a Græco vocabulo, quod veterem, seniorem significat. In sacris Litteris id nominis Imptimis seniorem significat: *In multitudine Presbyterorum prudentium esto*: virorum nempe, qui provectam ætatem cum prudentia conjungunt. II. Urbis veteres Magistratus: *Presbytero humilia animam tuam*; videlicet veteribus Magistratibus. Judith accivit domum Cabrium, & Carmium, antiquos e populo, *Presbyteros Civitatis*. III. In Novo Testamento universo nomen hoc Ecclesiasticæ dignitatis est, quæ Episcopum significat: *Reliqui te Cretæ...... ut constituas per Civitates Presbyteros*, nimirum Episcopos. Promiscue pariter Sacerdotem, Episcopumve significat: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere*. In veteri Testamento Presbyteri nomen ex Latino *Pontifex* expressum eos designat, quos Deus post Mosaicam Legem Sacerdotio insignivit; ab. initio quippe domorum primogeniti, Patresfamilias, Principes, & Reges suis in Urbibus, domibusque nati Presbyteri erant. Cain, Abel, Noe, veteresque Patriarchæ, ad Hebreorum Legislatorem usque, sua ipsi sacrificia offerebant, ubicunque terrarum essent; at postquam Tabernaculum erectum fuit, quod primum Dei Templum penes Judæos extitit; creatisque In Israel Regibus, Deus Tribum Levi Altaris sui servitio addictam voluit, elegitque e familia Caat, secundogeniti Levi, stirpem Aaron, ut Sacerdotii functiones obiret: *Applica ad me Aaron cum filiis suis*; quodque in hac Tribu reliquum fuit, ministerium inferius sortitum est, & in simplicium Levitarum gradu permansit. Tum vero Sacrificia Deo offerendi jus Sacerdotibus tantum ex familia Aaron servatum fuit: *Nullus extraneus*, inquit Dominus, *qui non fuerit e stirpe Aaron, audeat accedere, ut Domino incensum offerat, ne cum eo agatur, ut olim cum Core, ejusque asseclis*. Aaron, ejusque filiorum consecratio non sine magno splendore, solemnique ritu in Deserto peracta fuit. Moses enim eos cum lavisset, ornamentis induit, tum sumptum sacrum oleum in Aaron caput effudit, victimas immolavit, & e sanguine in eum, ejusque filius aspersiones edidit. Cæremonia hæc per septem continuos dies obtinuit, quibus Sacrificatores diu noctuque in Tabernaculi vestibulo morabantur, dieque septimo Aaron pro se, ac populo sacrificia obtulit, manus extulit, & cætui benedixit. Omnia porro tum Aaron, tum ejus filiorum munia ad

ad Dei cultum referebantur. Præcipuum, & quod eos maxime in Tabernaculi ministerio detinebat, Sacrificium erat. Eorum curæ commissæ lampades, ignisque, qui super holocaustorum Altari nunquam extingui debebat; iis conficienda odoramenta, & super Altari comburenda; destruendum Tabernaculum, quoties populus castra tollere juberetur, reficiendumque, cum ad castrorum locum ventum esset. Præter Tabernaculi servitium, eos, oportebat, Domini Legem perdiscere, populoque explicare, de lepra, de divortii causis, quid item sanctum aut profanum, quid mundum, immundumve esset, judicare. Eorum erat, In Domini nomine publice populo benedicere, Fæderis Arcam in bello deferre, Dominum consulere, tubis canere: *Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis*; & in primo Exercitus ordine pronuntiabant verba hæc: *Audi, Israel, tu quidem pergis cum hostibus pugnaturus, ne timeas, quoniam Dominus tecum est, & ab omni periculo te sartum tectumque servabit*. Iidem in Tabernaculum ingrediendi privilegio gaudebant; at eorum nullus, excepto summo Sacerdote, ultra velum progredi poterat, quod *Sanctum Sanctorum* claudebat: *In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes . . . . in secundo semel in anno solus Pontifex*. Hæc e Summi Pontificis prærogativis una erat, cui tamen ipsi, indicta mortis pœna, eo pedem inferre non nisi semel in anno licebat, solemnis nempe Expiationis die. Ei quoque, tamquam Summo Pontifici, peculiares nonnullæ vestes erant; nam præter vestem e tenui lino confectam, cingulumque, & pileolum pariter lineum, quæ communes Sacerdotum vestes erant, vestem hyacinthino colore tinctam ferebat, e cujus extrema parte tintinnabula amethistis commixta pendebant, & huic impositam aliam breviorem, ac sine manicis, humeralis instar, dictam Ephod, lapillis pretiosis auro firmatis locupletatam. In Summi Sacerdotis humeris aderant gemmæ duæ, quibus nomina duodecim Tribuum Israel insculpta erant. Insidebat ejus pectori Rationale, cui verba hæc Moses inscripserat, *Urim*, & *Thummim*, hoc est, *lumen*, & *perfectio*. Ejus Tiara, seu Mitra, quam simplicium Presbyterorum, ornatior, pretiosiorque erat; at quænam ejus figura fuerit, certo non constat. Eam potissimum distinguebat aurea lamina, cui verba hæc insculpta erant: *Sanctitas Domini est*. Harum vestium, & ornamentorum nullum mysterio vacabat; omnium Deus Ipse numerum, mensuram, formam, materiam, ornamenta, usumque præscripserat. Ea quippe non eo tantum spectabant, ut majorem observantiam Summo Pontifici conciliarent; sed ut eum quoque docerent, cujusmodi ipse esse deberet, præsertim vero divinas virtutes significarent, quæ in Evangelicæ Legis Pontifice, ac deinceps in ejus Ministris, ipsius spiritu cumulandis futuræ erant. Necesse nimirum erat, ut inter fratres æque sanctitate, ac Sacerdotio Summus Pontifex emineret. Consecrationis cæremoniæ, sanctæque ac pretiosæ vestes, quibus indutus erat, eum sane monebant, quam demum perfectionem adeo excelsa dignitas postularet: *Nihil aget, quo polluatur; ego enim Dominus eum sanctifico*. Neque alia de causa a sacris muneribus arcebatur, quisquis alicui corporis vitio, aut pertinaci morbo subesset, nisi ut palam esset, quanti Sacerdotale ministerium esset: *Non accedet ad ministerium, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus &c.* Polluebatur enim Sanctuarium, si quis accessisset vitioso corpore, quod irrisioni obnoxium est, & vulgo contemnendum, risuque excipiendum sacrarum rerum Ministrum exhibet, cujus aspectus ipse Religionis observantiam, & amorem populo inspirare debet. Deus itidem pati non poterat, in eorum cognationibus, aut in filiorum vitæ ratione quicquam esse, quod vituperatione dignum esset, eorumque famam lædere, oblocutionibus locum dare, ministerii dignitati officere, & Ministros a populi existimatione, fideque dejicere posset: *Sancti erunt Deo suo, & non pollaent nomen ejus*. Ecclesia porro, quæ sapientiæ Spiritu illustratur, ac ducitur, etsi norit, animi vitia vere ac proprie per corporea significari, quæ homines sancto ministerio ineptos efficiunt, hanc ipsam tamen legem instauravit, quæ a Sa-

a Sacerdotali ministerio eos removet, qui insigni aliqua deformitate laborant; cum enim plerique hominum imbecilles sint, & a sensibus pendeant, necesse proinde est, ut Altaris ministri non animi solum dotibus se spectandos exhibeant, sed externum etiam nihil contemptu dignum, invisumque præseferant, ne personæ propria derisio in mysteria ipsa recidat, quotum Dispensatores Presbyteri sunt. Cum autem nollet Deus, quos servitii sui cura insignierat, eos ab officio domesticis negotiis abduci, propterea Tribui Levi nullam in Chananæa portionem contulit, ejusdemque Tribus unum & unicum fundum Altare esse voluit, & oblationes, quas populus contulisset, Ipsius unum reditum esse: *Nihil possidebitis in regione filiorum Israel, neque in partem cum iis venietis; ego sors, & hæreditas vestra inter filios Israel*. Ergo Sacerdotes, & Levitæ vivebant e decimis, primitiis, oblationibus, quæ in Templum conferebantur, & victimarum partibus, quæ ipsis addictæ erant. Eorum quoque domicilio prospexerat Deus, statutis Urbibus quadraginta octo, quas incolerent, non sine cubitorum mille ultra easdem Urbes longitudine.

Supremus Pontificatus ab Aaron patre ad Eleazarum filium migravit, in cujus familia perstitit ad usque Pontificem Heli e stirpe Ithamar, cejus posteri eam dignitatem servarunt, quoad Sadoc, qui ex Eleazaro descendebat, Salomone favente, eamdem recepit; quam quidem posteri Sadoc ad Babylonicam usque Captivitatem reversoque a Captivitate populo, ad Alexandri Magni tempus obierunt. Eorum nomina, qui usque ad Captivitatem Summo Sacerdotio functi sunt, occurrunt in primo Paralipomenon libro, eorum autem, qui post reditum vixere, nomina in secundo Esdræ libro leguntur. Josephus eorum Catalogum exhibet, qui idem munus ab Alexandro ad Christum Dominum obtinuere; quorum numerus omnino 81. conficit, nempe 28. ab Aaron ad Josue, seu Jesum, qui a Captivitate rediit, & 53. a Josue ad Fanniam Eræ Vulgaris an. 70. in quem annum incidit Hierosolymitani Templi excidium a Romanis illatum, & Sacerdotii, ac Sacrificiorum Judaicorum abrogatio.

Pretiosum, magni pretii, magnique valoris: *pretiosior est cunctis opibus*: sapientiæ pretium divitiis omnibus præstat. Habetur eorum magna ratio, quæ magni pretii sunt: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: sanctorum Virorum mors Dei oculis pretiosa est. Saulis anima Davidis oculis pretiosa fuit, cum solum, ac seorsim nactus, haud e re fore credidit, in eum manum extendere. Idem vocabulum pro raro sumitur: *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis*: pauci Prophetæ erant Summi Pontificis Heli tempore, nec nisi raro se Deus communicabat. *Vir pretiosi spiritus*: homo, qui paucum loquitur: *Si separaveris pretiosum a vili*, ita Deus ad Jeremiam: si meis verbis adhæres, inanibus Judæorum minis contemptis. Ita Deus Prophetam alloquitur, qui se patiebatur Judæorum minis commoveri, certumque reddit fore, ut siquidem minas contempserit, eum consiliorum suorum interpretem statuat: *quasi os meum eris*.

Priapus, infamis ab Ethnicis culta divinitas, Lampsaci potissimum in Hellesponto, ubi natus Priapus erat. De hoc ficto Deo sermo est in nonnullis Sacræ Scripturæ locis, in quibus Hierosolymitanæ Matronæ ei sacrificia obtulisse dicuntur, & Maacha mater Asæ, Regis Juda præcipua ejus Sacerdos fuisse. At Princeps, hujus execrandi Numinis combusta statua, Temploque diruto, Reginam adegit, ut ab ejus cultu recederet: *Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi*. Hebraicus textus habet *Miphileseth*, quod aliqui spectrum vertunt, quod ad officium Priapi refertur, qui spectri loco in hortis erat. III. *Reg. cap.* xv. 1. *Paralip. cap.* xv.

Primitiæ. Ita nuncupabantur dona, quæ Hebræi Deo in observantiæ suæ argumentum, ipsiusque in omnia eorum bona supremi dominii significationem offerebant e messis fructibus: *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*. Hebræi metere prohibebantur, nisi Deo prius *Omer*, nempe novæ messis fasciculum altero Azimorum die obtulissent, & ex nova messe-

se panem conficere, nisi Pentecostes die novos panes præsentassent: *Offeretis panes primitiarum duos*. Cæterorum autem fructuum primitias tunc offerebant, cum eorum collectio, mense septimo in Tabernaculi Festo peracta esset: *Primitias terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui*. Præter has porro primitias, quæ universæ Nationis nomine offerebantur, suas unusquisque ad Domini Templum deferre jubebatur. His primitiis una cum decimis nullus certior, tutiorque Sacerdotum, & Levitarum redditus erat. Sumebantur ex omnibus agrorum fructibus, ex omni farina, e qua nunquam non confectus exiguus panis Domino offerebatur: *Si cum de areis primitias separatis, ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino*: ex lana, cum pecudes tonderetur: *& lanarum partem ex ovium tonsione*; arborum quoque recens satarum fructus Domino anno quarto offerendi erant: *Quarto anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino*. Deus ipse primitiarum mensuram statuerat, quas singuli offerre debebant: *hæ sunt primitiæ, quas tolletis*; ad reprimendam Sacerdotum cupiditatem, impediendumque, ne a populo amplius exigerent, quam dare voluisset, aut ipsius populi avaritiem cohibendam, qui minus offerre potuisset, quam præceptum esset. Primitiarum quoque nomine sacra Scriptura simplices pietatis oblationes designat, & quicquid excellit in quaque re: *Ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel*, ad id sumendum, quod in omnibus Israelitici populi sacrificiis optimum, & exquisitum erat. Ita quidem Summum Sacerdotem Heli Deus increpuit, cujus filii perfectissimum quodque e sacrificiis omnibus delibabant, antequam offerrentur. *Primitiarum* nomen significat etiam rem quamque primam, eam scilicet, quæ in omni re primas tenet: *Percussit primogenitum in terra eorum, primitias laboris eorum*. *Primitiæ spiritus*. Hic nimirum Dei spiritus est, quem fideles acceperunt, quasique eorum perfectæ liberationis primitiæ. *Primitiæ dormientium Christus*: Resurrexit Christus Dominus non amplius moriturus, primusque resurgens, primitiarum instar fuit, in quibus omnes Fideles sanctitatem consecuti sunt, ut ad beatam vitam resurgerent: *Elegit vos Deus primitias in salutem*, ait S. Paulus ad Thessalonicenses, eos a Deo electos esse, ut salutem obtinerent, & quidem præ cæteris, quemadmodum ex optimis fructibus eligebantur primitiæ, quæ Domino offerrentur. Denique vox hæc id significat, quod Deo dicatum est, & a profano sejunctum: *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum*: Deus Israeliticum populum ab omnibus terrarum Nationibus segregaverat, quemadmodum cæterorum omnium fructuum primitiæ segregabantur, ut Deo offerrentur, quin eos tangere, nisi Sacerdotibus tantum liceret.

Primus. Vocabulum hoc significat imprimis in sacris Litteris primum, habita ratione temporis: *Si primus ex resurrectione mortuorum*: sua Christus potestate primus ad immortalem vitam resurrexit; quia nempe qui a Prophetis, & a Servatore ipso ad vitam revocati sunt, iterum mortem occubuerunt. II. Id designat, quod vetus est: *primam fidem irritam fecerunt*, veterem scilicet promissionem. III. Quod aliis exemplo est: *Manus etiam Principum, & Magistrorum in transgressione hac prima*: Magistratus pravum exemplum primi præbebant. IV. Quod præstantius, digniusque est: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ*, præstantissimæ myrrhæ odoramenta sume. Eum etiam designat, qui auctoritate, ac dignitate cæteros antecellit: *Primus Simon, qui dicitur Petrus*: honoris nimirum gratia, quem ei Christus contulerat, ut ejus Ecclesiæ caput esset. V. Primi nomen præcipuum, maximumque significat: *Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*. VI. Idem significat atque adverbium *primum*: *Alexander, qui primus regnavit in Græcia*: Alexander, qui primum in Græcia regnavit. Sumitur denique pro *antequam*: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*: Enumeratio hæc facta est, ante quam Cyrinus Syriæ Præses esset; certo quippe constat, eum, Herode regnante, Syriæ Præsidem non fuisse.

Primogenitus; qui primus, sive inter homines, sive inter belluas, natus est. Cum Deus omnes Ægyptiorum primogenitos morti addixisset, mandavit, ut, quicquid

quid primum nasceretur, in Israel, sive ex hominibus, sive ex belluis, ei dicaretur: *Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificavi mihi, quicquid primum nascitur in Israel, ab homine usque ad pecus, mei sunt.* Porro masculi tantum huic legi suberant; qui in Templo oblati summa siclorum quinque a Genitoribus redimebantur. Ad animalia quod attinet, si, quod offerebatur, mundum erat, redimi non poterat, sed occidebatur, ejusque sanguis circum Altare spargebatur, & Sacerdotibus caro cedebat; at si immundum animal erat, redimebatur, & alia in ejus locum substituebantur. Significat etiam *primogenitus* filiorum maximum: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Penes Judæos Primogeniti prærogativis quatuor gaudebant; I. in paterna hereditate portiones duas obtinebant: *dabitque ei cuncta duplicia*: ita filii Joseph in divisione terræ Chanaan portiones duas receperunt: *quia Joseph duplicem funiculum habet*: possedit Joseph duplicem partem, quia jura Ruben obtinuit, quibus ob delictum spoliatus fuit: *ipse quippe fuit primogenitus ejus; sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph.* II. Peculiarem benedictionem obtinebant, quæ in Abrahæ familia potissimum Messiæ nativitatem spectabat, prout Deus huic Patriarchæ promiserat. III. Iidem patris auctoritati in omnem familiam succedebant, ac tempus in omne fratrum suorum Domini erant: *Esto Dominus fratrum tuorum.* IV. Ad Sacerdotium jus obtinebant, quo sane a Diluvii fine ad Legem usque functi videntur; at qui primus originis ordine natus erat, his prærogativis vitio suo spoliari poterat, ut Ruben, aut ex peculiari Dei consilio, ut Esau. Denique *Primogenitus* pro primo, præstantissimo, & charissimo accipitur: *Meus primogenitus Israel*: populus scilicet, quem cæteris prætuli: *& ego primogenitum ponam illum*: Davidem Deus super omnes ejus ætatis Reges extulit; quod melius de Christo intelligitur, qui humanæ naturæ ratione primus est inter multos fratres natus; & quem Deus rerum omnium hæredem instituit.

Princeps. Vocabulum hoc significat I. primum, præcipuum, cæterorum spectatissimum, eum denique, qui suprema auctoritate gaudet: *Contra Principem Principum* consurget; de Antiocho sermo est in Deum insurgente. *Hunc Principem, & Salvatorem exaltavit dextera sua*: sua Deus potestate Christum Dominum, Hominem, Principem, & Salvatorem extulit. II. Eum designat, qui cum auctoritate regit sub suprema potestate: *Michael unus de Principibus primis*: *In Beelzebud Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia* III. Eos innuit, qui populum regendi, & judicandi potestate instructi sunt: *Principem populi tui non maledices*: *Eruntque vobiscum Principes Tribuum.* IV. Pro familiarum Principibus sumitur: *Princeps familiarum.* Universus nimirum populus in Tribus duodecim, & singulæ Tribus in familias tribuebantur. Harum familiarum Principes eas regebant, earum cætibus præerant, earumdemque duces erant, si quando ad bellum eundum esset. Hi tantum Principes in Babylonica Captivitate auctoritatem suam retinuerunt, nec destitere Judæis imperare, qui ibidem sub Persarum dominio captivi detinebantur. V. Urbis Principem: *Princeps Civitatis*, ad quem sane spectabat pacem, rectum ordinem, commune jus in Urbe servare. Ejusmodi Principes in quaque Urbe plures erant, aliique aliis copiarum manibus præerant, alii viris mille, alii centum, alii quinquaginta, alii decem. Horum Magistratuum institutio a Mose facta, e Soceri Jethronis consilio: *Provide de omni plebe viros potentes ..... & constitue ex iis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* VI. Magni Synedrii Senatores, quibus id officii erat, ut de gravibus negotiis cognoscerent: *Numquid vere cognoverunt Principes, quia hic est Christus?* Principes quoque vocabantur, qui in Synagoga primas tenebant: *Ecce Princeps unus accessit*; Summi Sacerdotes: *sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha*; vigintiquatuor Sacerdotalium familiarum Proceres: *Principes Sanctuarii*; denique Sapientes, qui scientia splendebant: *Stulti Principes Taneos*: Sapientes Taneos desipuerunt.

Principium significat inceptionem, initium:

tium : *In principio creavit Deus Cœlum*, *& terram*. Nonnunquam æternitatem : *In principio erat Verbum*. Sumitur eadem vox pro Orientali parte in eo textu : *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio* : statuerat Deus hortum Eden in principio, &, ut legitur in Hebraico textu in parte Orientali, quoad Judæam scilicet. *Principium* significat Auctorem alicujus rei : *Qui est principium Creaturæ Dei* : Christus Dominus principium est, per quod Deus omnia creavit. Significat etiam fundamentum : *Principium verborum tuorum veritas* : verba tua veritate nituntur. Sumitur quoque pro eo, qui aliquid incboat : *Principium bellorum Israel Amalech* : Amalecitæ omnium primi Israelitis obstiterunt. Pro Principatu : *Tecum principium in die virtutis tuæ* : Regnum tuum, tuaque potestas eo die splendebit, quo vim tuam exeres, tuamque magnitudinem exhibebis. Dies hic Dominicæ Resurrectionis dies est, quo die Christi vis per acerrimorum hostium conversionem eluxit, item extremus Judicii dies, quo ejus omnem potestatem nemo non profitebitur. Significat etiam, quod est præstantissimum : *Principium Regni ejus Babylon* : Nembroti metropolis erat Babylon. *Ipse est principium viarum Dei* : inter bruta animantia e præstantissimis Dei operibus Elephas est.

Prinus, quercus viridis genus, aliter *Ilex*, cujus folia per totam hyemem virescunt. Unus e senibus Susannæ accusatoribus eam sibi visam cum adolescente sub Ilice simulavit : *Dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi? Qui ait : sub prino*. Daniel. cap. XIII.

Priscilla, seu *Prisca*, *antiqua*, Christiana conjux Aquilæ, in Actis, & in S. Pauli Epistolis apprime nota, suaque quoad Evangelii progressum sollicitudine clara. Corinthi degebat una cum viro, qui tentoria conficiebat ; amboque feliciter assecuti, ut Apostolum domi susciperent. Eum deinceps Ephesum secuti sunt ; ubi sibi domicilium statuerunt ; eorum autem domum S. Paulus Ecclesiam nuncupat ; adeo erat pietati consona. Hinc ambo Romam commigrarunt, ubi versabantur, quo tempore suam ad Romanos Epistolam scripsit Apostolus, anno scilicet Christi Domini 58. Iis nempe salutem dicit, & perhonorifice de iisdem loquitur. In Asiam deinde redierunt aliquanto post, & S. Paulus ad Timotheum scribens, eorumdem mentionem facit : *Saluta Priscam, & Aquilam*.

Probabilitas, seu opinio probabilis. *Est hæc opinio, speciosa aliqua ratione nixa, quam mens seu tamquam veram amplectitur, seu tamquam falsam rejicit*. I. *Probabilis opinio a peccato eximere nequit, cum de naturali Jure agitur, & falsa est ; quia naturalis Juris ignorantia nunquam eos a peccato eximere potest, qui Jus ipsum violant, neque hominem excusatione dignum reddit. Id evincitur e sacris Litteris, quæ omnem Divinæ Legis transgressionem damnant, quin unquam ignorantiæ excusationem suscipiant* : Quicumque, *inquit Apostolus Rom.* a. Sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt. *Damnat omnia Ethnicorum errata, tametsi non pauca essent, in quæ per inscitiam incidebant, ut idololatria, & fornicatio*. Et tempora (*Actor.* XVII.) quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Et nunc, fratres (*Actor.* III.) scio, quia per ignorantiam fecistis ..... pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Delicta juventutis meæ (*Psal.* XXIV.), & ignorantias meas ne memineris. Qui autem servus (*Luc.* XII.) non cognovit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis. *Legatur Epistola* 105. S. Augustini *ad Sixtum*, & S. Thomas Quodlib. 8. q. 6. arit. 13.

II. *Opinio probabilis, quæ juri tantum positivo humano adversatur, sine peccato suscipi potest ; quia scilicet quæ naturali, ac divino jure nequaquam prohibentur, suapte natura mala non sunt, nec veritati, & justitiæ contraria, sed ipsa per se promiscue se habent. Actio enim positivæ, quæque sine culpa ignoratur, Legi contraria injusta non est, eamque proinde Deus damnare non potest. Doctrinam hanc sacra Scriptura confirmat* : Si non venissem (*inquit apud Joannem cap.* XV. *Christus Dominus*), & locutus fuissem eis, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non ha-

bent de peccato suo. *Idem de factorum, & circumstantiarum ignorantia sentiendum est; eum quippe a peccato excusat, qui de iis cognoscere non tenetur.*

III. *Ex opinione minus probabili, minusque tuta, & alia probabiliore, ac tutiore, ea nempe, quæ certo sine peccato suscipi potest, tenenda posterior, ex Canonici Juris Regula*: In dubiis tutior pars est eligenda. *Neque enim tuta conscientia propugnari potest opinio probabilis, cum ea minus tuta est; quandoquidem propugnaretur opinio plusquam incerta, & quod inde consequitur, dubia, eo nempe tempore, quo dubitatur, an mala sit, & contra ac propria conscientia dictat, ageretur. Cæterum vocabulum* tutum *in probabilis opinionis negotio, significat, id, de quo agitur, permissum esse.*

Tuta opinio ea dicitur, quæ id firmat, quod certe licet, etiamsi periculosis consecutionibus obnoxium esset. Ut aliquod exemplum afferam, etsi cælibatus non paucis tutior ad salutem, quam matrimonium sit, & vita solitaria sit ea tutior, quæ in societate ducitur, non est tamen minus tutum, tam matrimonium, quam Cælibatum permissum esse, quia utraque vitæ ratio disertis verbis in Evangelio firmatur; ac proinde utraque tuta est. Quamobrem id suscipi potest, quod morali certitudine certum est, quamvis contrarium tutius appareat; causa exempli, si quæstio de contractu sit, a nonnullis Theologis damnato, sed a doctoribus, & a ratione firmato, dici potest, moraliter certum esse, contractum hunc legitimum esse, tametsi tutius videretur, eo non uti, ob eos paucos Theologos, qui eumdem damnant. Nihilominus si graves rationes suppetant, quæ ejusdem contractus usum probent, persuadeantque, nemo hác se libertate privare debet, &, quisque potest eumdem contractum edere; quia non semper tuto se gereret, qui hanc regulam sequeretur, quæ Christianam vitam ad gravissimam torturam redigeret, & sæpe impediret, ne quid boni fieret; quoniam aliqua scrupuli ratio omnibus societatis negotiis obsisteret.

Processiones Divinæ. Processionis nomine venit emanatio. alicujus rei, quæ ab alia originem ducit. Processionum, de quibus hoc loco agitur, principium id est, quo Divinarum Personarum essentia continetur.

Est in Deo Processio, quæ a Theologis dicitur transiens, *ea nempe, quæ extra se ipsum egit, eductis e nihilo rebus naturæ constantibus; est item Processio, quæ ab iisdem dicitur* immanens, *ea scilicet, per quam Divinarum Personarum una emanat ex alia, suam nimirum originem ex alia trahit, quemadmodum iis verbis docet Christus Dominus*: Ego ex Deo processi (Joan. 8.), & veni; Spiritus, qui a Patre procedit. *Processio* immanens *duorum omnino generum est; activa, videlicet actus, quo Persona una alterius principium est, & passiva, nimirum ea, per quam eadem Persona producitur.*

In Divinis Personis activæ Processiones duæ sunt; cognitio scilicet, & amor; per hos enim actus duos Divina Natura cum Personis, quæ procedunt, communicatur, per cognitionem quidem cum Verbo, per amorem vero cum Spiritu Sancto. Duæ denique processiones passivæ sunt, una Filii propria, Spiritus Sancti altera; atque hæ duæ tantum Divinæ Personæ procedunt; Pater enim, quæ prima Persona est, utpote Divinitatis ipsius fons & origo, nullum prorsus principium agnoscit.

Processio, quæ Verbum emanat a Patre, generatio dicitur: Generationem ejus quis enarrabit? *Isai.* 53. Genitum, non factum; *quia Processionis hujus terminus filiatio est*: Filius meus es tu; ego hodie genui te. *Psalm.* 2. *Nempe Divina Natura per cognitionem, quam sui ipsius Pater habet, cum Verbo communicata est. Cognitio enim actionem producit, quæ in eo est posita, ut rei cognitæ imago fiat. Jam vero Pater sometipsum perfecte cognoscens, eodem tempore perfectissimam sui ipsius imaginem efformat; imaginem, inquam, quæ eidem consubstantialis est. Imago hæc dicitur Verbum; hoc autem Verbum dicitur Filius; quia porro per hanc productionem, quâ Verbum suum Pater producit, naturam suo principio omnino similem, & æqualem recipit, hæc proinde Filii processio Generatio nuncupatur, quia procedit ab intellectu, scilicet ab ea, quam sui ipsius habet Pater, cognitione; & quia quod ab intellectu procedit, formaliter, ut Scholæ dicunt, objecto simile est. Ideo scilicet Filius genitus dicitur, utpote natura præditus, quæ ipsi Pa-*

Patris naturæ omnino similis est. Itaque dicitur etiam Verbum, *&* Patris Sapientia.

Processio *Spiritus Sancti Generatio non dicitur, sed simpliciter Processio, Processionis vocabulo peculiariter, non generatim sumpto; quoniam Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque per voluntatis actum procedit. Pater enim, & Filius se tamquam infinitam bonitatem amantes, per hunc suæ voluntatis actum Spiritum Sanctum producunt, qui proinde dicitur*, Amor, Dilectio, Spiritus: Quia spiratur a Patre, & Filio. *Hac ergo de causa non dicitur Filius, seu genitus; quia Voluntatis id proprium non est, ut, quod producit, sibi formaliter simile reddat.*

S. Anselmus *super hac re excellens Opus elaboravit. Principii loco posuit, inter Divinas Personas eam ab alia non procedere, quæ ejusdem principium est. Ita Pater est principium Filii, & Spiritus Sancti, quia ipse a neutro procedit, & quod inde consequitur, Spiritus Sanctus procedit a filio, quia Filius non procedit a Spiritu Sancto* II. *Spiritum Sanctum a Filio procedere luculenter ostendunt Evangelii verba hæc*: Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo. *Joan.* XIV. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre. Joau. xv. *Ex his enim verbis liquido constat, Spiritum Sanctum æque a Patre, atque a Filio mitti, ac proinde non minus unius esse, quam alterius. Et sane Christus ipse e vestigio subdit*: Non enim loquetur a semetipso. (*Joan.* XVI.) De meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Non inde tamen sequitur, Patrem, & Filium principia duo esse; sunt enim unum idemque principium Spiritus Sancti, quippe qui ex ipsis, non quatenus Personæ duæ sunt, procedit, sed prout sunt unus & idem Deus.*

Quod attinet ad particulam, Filioque *primo quidem posita fuit in Hispaniis a Toletano Concilio primo an.* 400. *& ab omnibus Concilii Patribus adoptata. Eam deinceps recepere alia plura particularia Concilia ante Florentinum celebrata. At cum hæc additio, quæ in Hispaniis prodire cæpit, in Gallias, ac deinceps in omnes Occidentis Ecclesias migrasset, Photio Constantinopolitano Patriarchæ schismatis, quod moliebatur, excitandi ansam ex parte præbuit, ut nempe Græcam Ecclesiam a Latina sejungeret. Nobis opposuere Græci, posteriori Concilio non id juris fuisse, ut prioris Concilii sanctionibus quicquam adderet; & quia Constantinopolitana prima Synodus id unum dixerat, Spiritum Sanctum a Patre procedere, alteri Concilio non licuisse addere, Spiritum Sanctum æque a Filio procedere. At Græcis responsum fuit, additione res ipsas non immutari, sed solum in meliore lumine collocari, id nempe clarius, & fusius exponi, quod brevius dictum disputationibus multis occasionem præbere poterat; & quod inde fit consequens, eam additionem edere Concilium legitime potuisse. Ita etiam prima Nicæna Synodus in Arianos habita vocem* Consubstantialis Patri *Symbolo addidit, ut ostenderet, verbum Deum esse, eamdemque Naturam, ac Patrem obtinere. Ex quibus efficitur, Florentinum Concilium legitime mandare potuisse, ut Constantinopolitano Symbolo particula* Filioque *adderetur, quo Spiritus Sancti processio probaretur.*

Additio hæc, inquit S. Anselmus, Symbolo a Latinis facta simplicioribus nonnullis hominibus necessaria erat, qui non videbant, ex iis, quæ credit Ecclesia, consequi, Spiritum Sanctum a Filio procedere. Quamobrem eo spectavit additio hæc, ut Spiritus Sancti a Filio processio omnibus innotesceret. Et sane quantum ea necessaria fuerit, vel ex eo constat, quod non desunt, qui ejusmodi veritatem negent, ea nimirum de causa, quod in Symbolo expressa non sit. Quamobrem Ecclesia diserte ac dilucide declaravit, quod probe noverat credendum esse, quippe quæ ita fieri oportere non ignoraret, neque vero quicquam esse, quod impediret; nemo quippe nescit, Sympoli Auctores non id sibi arrogasse,

ut eodem complecterentur, quicquid credendum est; neque enim in eo legitur, exempli causa, Christum Dominum ad Inferos descendisse.

Quod si Græci, pergit S. Anselmus, ajunt, Symbolum tanta auctoritate confectum nulla prorsus ratione mutari debuisse, nos quidem nullam in eo mutationem a nobis factam contendimus, cui nempe nihil addidimus, quod iis, quæ continet, adversetur; & quamvis propugnare possimus, additionem hanc mutationem non esse; si quis tamen pertinaciter id contendat, novum a nobis editum Symbolum respondemus; quia ejus integritatem spectamus, &, ut ipsi, primum fideliter ex Græco translatum, qua par est, observantia prosequimur; at idem nos Latino sermone cum additione contexuimus, quia fere hoc idem Symbolum coram populo recitamus. Quod si quis objiciat, quidni illud cum Græcæ Ecclesiæ consensu ediderimus; respondemus, ægre admodum eorum Episcopos congregari posse, ut hac de re consulantur; neque vero necesse fuisse in quæstionem revocari, quod apud nos quidem extra omnem dubitationis aleam positum est, nempe Spiritum Sanctum a Filio procedere. Et sane veritas hæc ex alterius veritatis, quam Græci æque ac nos super SS. Trinitatis mysterio credunt, necessaria consecutione luculenter evincitur; atque ex eorumdem opinione derivantur errores, qui easdem veritates evertunt.

Ad extremum Processio hæc ita nuncupatur, inquiunt Theologi, quia nullum aliud vocabulum, quo exprimatur, aptius occurrit. Atque hac nimirum de causa S. Augustinus lib. III. cont. Maximin. cap. 14. ita pronuntiavit: Generationem illam quis enarrabit? Processionem hanc quis enarrabit?

Prochorus, *facilis*, unus e septem Diaconis, qui post Christi Domini Ascensionem electi fuere: *Elegerunt Stephanum, Philippum, & Prochorum.* Eum Græci primum Nicomediæ Episcopum fuisse credunt. *Actor.* VI.

Prodigium *eventum est, quod naturæ vires, legesque superat. Prodigiis autem Deus utitur, ut Omnipotentiæ suæ insigne aliquod specimen exhibeat, & ut veritatem patefaciat, confirmetque, sive ea edat ipse per se, sive utatur Sanctorum Virorum ministerio, quibus intercedentibus eadem concedit. Ea porro, quæ Deus per Mosem effecit, quæque in Exodi libro referuntur, maxime, si quid aliud, Revelationem Judaicæ Nationi factam, divinosque Mosaicæ Missionis caracteres ostendunt. Jam vero prodigia, quæ Christus Dominus perpetravit, quæque in Novo Testamento referuntur, apertissime significarunt, eum Messiam esse tot ante sæcula promissum, & ad ejus divinitatem, doctrinamque firmandam summopere contulerunt. Ea demum miracula, quibus Deus Apostolos, aliosque sanctos Viros illustres reddere voluit, Fidei propagationi inservierunt, infinitam Ethnicorum multitudinem in Ecclesiæ sinum traxerunt, iisdemque nullum evidentius, & simpliciorum hominum captui accommodatius veritatis testimonium occurrit.*

Id unum, ad hanc rem quod attinet, dubitationi locum præbere potest, Ægyptios Magos in Veteri Testamento, Vespasianum *Romanorum Imperatorem, & Apollonium Thyanæum in Novo, ut alios complures taceam, æque ac Mosem, & Christum miracula edidisse; ut proinde, siquidem Magis, malisque spiritibus ea potestas tribuatur, ut miracula efficiant, eorum sane nullus usus, nulla vis ad veritatis confirmationem esse posse videatur. Qua in re equidem ita sentio. Quamvis creati, finitique spiritus, seu Angeli tam boni, quam mali longe majore, quam homines potestate, vique polleant; & quamvis nondum constet, quibus demum limitibus, & finibus ejusmodi potestas contineatur; certo tamen certius est, eos non posse miracula facere, quæ proprie miracula sint. Et sane, mea quidem sententia miraculum proprie dictum illud est, quod consuetas, statasque naturæ leges suspendit; quas profecto leges is tantum suspendere potest, qui statuit, præscripsitque, Deus scilicet. At naturalibus, occultisque*

caussis compositis, directisve quicpiam fieri posse, quod mirum hominibus videatur, etsi reapse miraculum minime sit, id vero in creatorum spiritum potestate positum est. Cum ergo ita res habeat, fidenter ajo, quæcunque Ægyptii Magi fecerunt, diabolicis præstigiis accensenda esse, vera autem, ac proprie dicta miracula non fuisse. Quod equidem copiose ostendere possem, nisi me instituti mei ratio prohiberet peculiariter expendere, quid ii facere potuerint, quid non. Hinc etiam aperte constat, conficiturque, Pharaonem excusari non posse, qui Mosis miraculis fidem non adhibuerit, quoniam ei quidem haud valde difficile factu erat, ut vera miracula a præstigiis secerneret. Ægyptii sane Magi Mosis miracula imitati sunt, Nili aquis in sanguinem convertendis, virgis in serpentes mutandis, denique ranis in universam Ægyptum educendis. At cum Aaron, e pulvere virga tacto maximam muscarum vim evocavit, id vero miraculum fuit, cui simile Magi edere frustra conati sunt suæque demum artis imbecillitatem fateri coacti Pharaonem monuerunt, Dei digitum esse, qui ibidem operabatur. Ea vero miracula, quæ a Vespasiano, quæ ab Apollonio Thyaneo patrata dicuntur, omnia ad unum ficta fuerunt, aut sane non ejusmodi, quæ naturæ vires excederent. Et sane Mosemius *in adnotationibus ad Intellectuale Systema* Cudworthi *cap.* IV. §. 15. *in ea est sententia, Apollonium, qui Medicus erat, Physicusque suorum temporum peritissimus, partim Medicæ Artis ope, partim fraudibus nonnulla effecisse, quæ deinceps ab Ethnicis Scriptoribus exaggerata, demum admodum alia, ac gesta fuerant, ad posteros pervenerunt. Digna sane est, quæ omnino legatur, clarissimi* Mosemii *satis longa in hanc rem Dissertatio. Profecto miraculorum, quæ Romani veteres edidisse ferebantur, vanitatem agnoverunt, & ingenue fassi sunt* Cicero *in libris* de Nat. Deor. *&* de Divinat. Titus Livius, Tacitus, *&* Plutarchus.

Non desunt increduli, qui super miraculis universim ea systemata excogitarunt, ut demonstrare contenderent, ea vera non esse. Ejusmodi sunt, qui asserere non sunt veriti, miracula cum rerum natura pugnare, eademque proinde inter ea retulerunt, quæ omnino esse non possunt. At hoc genus hominum quam Divinæ Omnipotentiæ injuriosum sit, quis non videt? Posita nimirum Dei Optimi Maximi Omnipotentia, haud equidem video, quid repugnare in miraculis possit, quæ a Mose, & a Christo Domino patrata dicuntur. Immo vero philosophicis quoque rationibus ostendi potest, miracula, de quibus in sacris Litteris sermo est, nullam contradictionem involvere, quemadmodum strenui Scriptores luculentissime demonstrarunt. Nimirum ad eludenda impiorum sophismata, profecto nos asserere par est, miracula, quod ajunt, impossibilia non esse, eaque esse vera miracula, quæ a Divina tantum virtute derivari possunt. Quamobrem ut tuto procedamus, extrema duo nobis vitanda sunt; unum eorum, qui omnino miracula negant, quasi prorsus esse non possint; eorum alterum, qui putant, Divinam Omnipotentiam ad miracula necessariam non esse. Hinc etiam intelligimus, qua levitate, atque adeo impietate de miraculis locutus fuerit Benedictus Spinoza *in Tractatu Theologico-Politico cap.* VIII. De libertate philosophandi. *Hæc ejus verborum, seu potius somniorum summa est:* miracula res esse mere naturales, & quicquid in Sacris Litteris vere contigisse dicitur, necessario secundum naturæ leges contigisse. *Nempe cum* Moses *Dei jussu aquam in sanguinem, virgas in serpentes convertit, cum mare divisit, quod Israelitæ sicco pede transirent, cum e petra aquas eduxit, nihil egit, quod supra naturales leges esset; sed ea omnia necessario ex naturæ legibus contigerunt. Jam vero quis non* Spinozæ *stultitiam miretur? Ejus fundamentum*, quod omnia fiant necessitate naturæ, quod potentia naturæ sit ipsa potentia Dei, &c. *sane summam impudentemque impietatem, & apertum atheismum prodit. Ac licet ignoremus,*

quor-

quorsum naturales vires evadant, probe tamen novimus, naturæ vim finitam esse, certisque finibus contineri, quod de rerum natura intelligimus, in quibus miracula fiunt. Itaque dum prodigium cernimus, quod infinitam vim, potestatemque requirit, cujusmodi sunt multiplicati panes, & pisces, quæ vera ex nihilo creatio est, mortuorum resurrectio, & id genus alia, fidenter pronuntiamus, ea quidem a Deo esse. Præterea nobiscum ipsi reputantes, ejusmodi miracula ab hominibus fieri, & esse supra ipsorum vires, ac supra earum rerum potestatem, quibus tamquam instrumentis utuntur, aut in quibus miracula perpetrant, minime dubitamus, quin eorum origo Divina sit; præsertim vero si eadem miracula constantia sint, & perpetua. Cum Divina enim Providentia pugnat, homines per ea prodigia in errorem induci. Et sane non legimus, ficta miracula in falsæ doctrinæ confirmationem edita, constanter, & perpetuo facta fuisse, nunquamque in suspicionem venisse. Ad Divinam quippe Providentiam pertinet, quod paucis Cicero docet: Commenta delet dies. *Animadversione tamen dignum est, non omnia, quæ vulgus miracula putat, ejusmodi esse. Quæ temporum barbaries fuit, nihil levius excogitari potuit, effectis naturalibus, vel arte productis prodigiorum loco venditatis. Non proinde tamen in dubium revocanda sunt ea miracula, quæ veneranda, observandaque antiquitas, nulli fraudi obnoxia nobis suppeditat, cujusmodi sunt, quæ sacræ paginæ referunt, utpote Divina auctoritate nixa, quæ nec decipere, nec decipi potest, & quæ constant ex Historia, cui cumulatissimam fidem facit omnis humana fides, quæ moraliter nos de eorum veritate convincit. Ceterum quemadmodum credimus, miracula edendi potestatem penes unum tantum Deum esse, qui utpote naturæ legum auctor potest earumdem cursum suspendere, & impedire; ita & illud pro certo habemus, eum ad hanc suspensionem non nisi ob gravissimum, nobisque necessarium finem devenire.*

Profanare, nempe sacra violare: *prophanatis diem Sabbathi;* quod significat, operibus ea die vacare, quæ Deus prohibuit: *& viderunt sanctificationem desertam, & Altare profanatum:* viderunt sacra omnia loca deserta, & ab Idololatris profanatum Altare, qui ibidem impuras victimas immolaverant. Profanare Dei præcepta nihil est aliud, quam ea violare: *Si justitias meas profanaverint*. Profanare fœdus est eidem refragari: *Neque profanabo testamentum meum*. Profanare stirpem suam est ei infamiæ notam inurere: *Profanasti semen tuum*. Auctor Ecclesiastici Salomonem ait stirpem suam profanasse, quia scilicet ejus peccata impedierunt, quominus consilii spiritum Roboamo ejus filio tribueret, cujus imprudentia avertit Israelitarum animos, ac Tribuum decem separationi occasionem præbuit.

Profanus, vocabulum, quod derivatur a *fanum*, quasi procul a fano, significatque, quod commune est, non sacrum: *Ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum:* cognoscendi scilicet, quid sanctum, quidque profanum sit. Profanum est autem aliquid rationibus pluribus; profanatione, quæ reapse polluit: *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau*. Scilicet Esau gravi se impietate fœdavit, dum paternæ benedictioni lenticulam prætulit; profanatione Legali, ob violatas Legis cæremonias contracta: *Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit*, & *impietatis reus*; denique profanatione, cujus origo superstitio, & imaginatio: *Profanum putant hujusmodi convivium*. Se nimirum Ægyptii pollutos putabant, si cum Hebræis comedissent, seu quod Hebræi se in pastorali vita exercerent, quæ Ægyptiis horrori erat, seu quod iidem Hebræi necarent animalia, quæ tamquam Deos Ægyptii colebant.

Propheta. Hoc nomine venit is, qui Divino instinctu afflatus futura prædicit. Hebræa vox נביא *nabi* eum significat, qui Dei voluntatem, qua peculiari ratione imbutus est, ejus nomine hominibus aperit, ejusdemque abditissima consilia detegit, quoad ea, quæ sunt, fuere, futura sunt. Prophetas quoque sacra Scriptura nuncupat *Homines* Dei, Angelos a Domino missos; atque initio quidem eos Hebræi nuncupabant *Videntes*, quia videlicet in posterum ea videbant, quæ nemo videre poterat: *Olim in Israel unusquisque sic loquebatur: vadens consulere Deum...... venite, & eamus ad videntem:*

tem : qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. Ratio, qua fere Deus se cum Prophetis communicabat, inspiratio erat, quæ eo spectabat, ut Prophetæ animum illustraret, eumque ad significanda moveret, quæ Dominus menti ingerebat. Se Deus quoque per somnia, nocturnasque visiones communicabat. Apparuit Abrahæ, Job, Mosi, iisque voluntatem suam patefecit. Suam sæpe expressam vocem auribus exhibebat. Mosem in ardenti rubo, & in Monte sinai ac Samuelem noctu allocutus est. Prophetæ Mundo coævi fuere, Deusque Patriarchis multis ante Legem prohetiæ donum contulit. Inter cæteros se cum Mose potissimum communicavit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione adparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, at non talis servus meus est*. Se deinceps nonnullis Judicum tempore communicavit; at singillatim Samuel prophetiæ dono insignitus fuit; a cujus tempore Deus non destitit ad populum suum Prophetas sanctitate præstantes mittere, quibus futura detexit, quosque lumine, ac vi Divini sui spiritus cumulavit, ut ejus verbum nuntiarent, ipsius servos solarentur, peccatores acriter increparent, iisque Divinorum judiciorum severitatem minitarentur. Magnus eorum numerus in schismatico, & Idolis addicto Regno Israel potissimum extitit; ibique, quam in Judæ Regno, se Divinus Spiritus per Eliæ, Elisei, eorumque Discipulorum ministerium copiosius effudit; etsi in Judæ Regno veræ Religionis sedes esset. Dubio procul Deus indocilem eum, ac perduellem populum insignibus prodigiis permovere voluit, ut vel eorum vi adactus ad veritatem revocaretur, vel ejus delictorum mensuræ cumulus imponeretur, siquidem in pertinacia perstitisset. Prophetæ porro, quicunque in Judæa a Samuele ad Jeroboamum, alterum Regem Israel, & Oziam Regem Juda prodiernnt, nihil scripti reliquerunt, uno excepto Davide: Tum vero Prophetarum novus ordo initium habuit, qui veritates scripserunt, quas Dei nomine nuntiabant, ut nempe ad posteritatem transmitti possent. Eorum prophetiis proxime proposita erant hæc: Regna duo Israel, & Juda; peccata, quæ ibidem committebantur; calamitates, quibus eadem punienda erant; Samariæ, & Hierosolymæ excidium; eorum, qui eas Urbes incolebant, captivitas; eorumdem in patriam reditus; Templi denique restauratio. Hæc autem eventa, quæ temporalem electi populi statum spectabant, non unum & unicum vaticiniorum objectum erant. Sanctus enim Spiritus, qui per Prophetarum os loquebatur, sub his imaginibus Christum Dominum, ejus mysteria, Redemptionem, gratiam, Ecclesiam, Gentium vocationem, Judæorum pervicaciam, & reprobationem, demum ejusdem populi ad eum, quem rejecerat, & morti addixerat, felicem reditum exhibebat. Locutionum, quibus utuntur Prophetæ, amplitudo, magnificentia, dignitas adeo vehementes, & supra proximum sensum positæ sunt, ut littera ipsa cogat in alterius ordinis opere sensum quærere, qui omnem ejusdem litteræ vim patefaciat. Deus nimirum, qui a Mundi exordio ad magnum consilium operis Christi Domini nihil non retulit, id etiam voluit, ut Prophetæ, non satis habentes ubique suis in libris Christum ostendere, eum in suis quoque personis ipsis significarent. Eorum obscura, & occulta vitæ ratio, missio, quam a Deo obtinebant, paupertas, & aspera pœnitentia, in afferenda veritate fides, impiorum hominum, quas perferebant, vexationes, quasi totidem imagines, ipsos efficiebant ei similes, cujus vitam, ignominias, & supplicia in libris suis prædicebant. Vivebant fere seorsim a populo, in agresti recessu, in prece, ac manuum operibus cum Discipulis occupati. Rudes erant eorum vestes; Elias pelle indutus, & zona ex corio confecta cinctus incedebat; Isaias saccum gestabat, rudem scilicet, ac ruvidam vestem, quæ Prophetarum communis erat. Summa erat eorum frugalitas; Angelus non nisi panem & aquam Eliæ ad longum iter suppeditavit; neque aliter Abdias Prophetas alebat, quos in cavernis abditos detinebat. Prophetæ ipsi injuriis, contumeliis, persecutionibus eorum suberant, quorum flagitia notabant; ac de iis quidem loquitur S. Paulus, dum ait, *eos derelictos fuisse*,

fuisse, *afflictos*, *vexatos*, *quibus dignus non erat Mundus*. Ita ergo promissi Messiæ imaginem præseferebant, ejusque opprobriorum participes erant, quæ omnino pluris, quam omnes terrarum Orbis divitias faciebant, ea spe illecti, fore, ut aliquando in ejus felicitatis, & gloriæ societatem vocarentur. Quamvis autem Prophetæ fere semper superno, Divinoque lumine illustrati essent, eos tamen nonnunquam Deus in sui ipsorum spiritus potestate relinquebat; ac tum quidem periculo subetant, ne falsum pro vero sumerent. Hujus rei exempla nobis suppeditant, Samuel, qui in electione filiorum Isai, quorum unum Deus Regem sacrare volebat, hallucinatus est; Nathan, qui Davidi consilium dedit, ut Templum contra Domini mandatum, & voluntatem ædificaret; Jonas, quem falso subiit cogitatio, fore, ut Ninive subverteretur. Ita porro cum Prophetis se gessit Deus, ut ab ipsius spiritu, ac lumine semper penderent, atque ita cognoscerent, se quidem suapte natura non nisi in tenebris, & errore versari, & honorificum privilegium, quo insigniti erant, Divinæ misericordiæ donum mere gratuitum esse. Sæpenumero Prophetæ factis id exprimebant, quod nuntiare solebant. Osee, ad Israelitici populi perfidiam significandam, prostitutam fœminam duxit: *Fac tibi Filios fornicationis*; susceptisque filiis nomina imposuit, quæ futuras populi calamitates innuerant. Jeremias in publicum prodiit catenis onustus, ut Judæorum captivitatem portenderet, misitque ad Reges Palæstinæ proximos vincula, quibus iisdem nuntiaret, fore, ut a Babylonis Rege subigerentur. Isaias exutus vestibus, nudisque pedibus per Hierosolymam incessit, ut Ægypti, atque Æthiopiæ captivitatem nuntiaret. Ezechias viatoris vestem sibi sumpsit, sarcinam paravit, & noctu per foramen exiit, quod suis in ædibus fecerat, ut innueret Sedeciam Hierosolymorum Regem eo redigendum, ut cum Aulicorum Primoribus, & copiarum Ducibus per Urbis fracta mænia se fugæ daret. Idem Propheta Hierosolymæ obsidionem in tegula expressit, ut Judæorum oculos vehementius afficeret; & Agabus in Actis S. Pauli cingulum sumit, eo sibi pedes, manusque vincit, ut futurum Apostoli carceram nuntiet. Prophetæ, quorum nobis scripta suppetunt, sexdecim numero sunt; quatuor majores: Isaias, Jeremias cum Barucho, qui unus tantum Propheta sunt, Ezechiel, & Daniel; & duodecim minores: Osee, Joel, Amos, Abdias, Michæas, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Prodiere autem omnes a Jeroboamo II. ad Hierosolymitani Templi reparationem, cujus tempore vaticinia sua Malachias omnium postremus edidit; id quod fere 400. annorum spatium occupat. Post Malachiam Propheta nullus amplius occurrit, ut antea in Israel, & Machabæorum tempore, quo Holocaustorum Altaris, quod ab Ethnicis pollutum fuerat, diruti saxa seorsim posita, quoad Propheta adveniret, qui diceret, quid facto opus esset: *Donec surgat Propheta fidelis*.

Profundum. Id nominis sæpe sumitur ad significandam sepulturam, seu locum, in quo Animæ post mortem versantur: *In profundo Inferni convivæ ejus*: qui ad meretricis mensam comadunt, jam in imo Inferno sunt, ibique certam perniciem, ac damnationem inveniunt. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum Inferni, sive in excelsum supra*: Pete signum a Domino, sive ex imis Inferis, sive e summis Cælis. Idem vocabulum mare significat: *Ipsi viderunt mirabilia ejus in profundo*; in mari scilicet. *Ferebatur in profundum*; præterea: *descenderunt in profundum quasi lapis*; ubi de Pharaonis militibus sermo est, qui saxorum instar in Mari Rubro submersi jacuerunt. *Profunde peccare* vehementem ad malum propensionem, & inveteratum vitium notat: *profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa*: Peccarunt Israelitæ per summam pravitatem, inquit Isaias, imo se corde polluerunt, ut olim Gabaæ incolæ, sive in Levitæ conjugis morte, sive in petendo Rege. *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnet*: cum peccator asseruerit malo, spernit omnia, nihil veretur. Vox hæc ipsa afflictionis, & pericula exprimit: *Infixus sum in limo profundi*: in summo mærore scilicet. *Neque abser-*

absorbeat me profundum : neque in hac abysso sepeliar. Babylonem etiam Urbem significat, in qua Judæi gravissimis calamitatibus pressi jacebant. *Qui dico profundo: desolare, & flumina tua arefaciam* : equidem abysso dico : incolis exuere, & aquas tuas exsiccabo. Urbs Babylon veluti exsiccatum mare jacuit, Cyrus fluminum cursum invertit, eademque exsiccavit, ut Urbe poriretur. Designat etiam hæc vox præstantiam, & magnitudinem rei, profunditate, aliisque dimensionibus tribus expressam : *Quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum* : ut percipere possitis, quænam hujus mysterii amplitudo sit. Significat etiam id, quod obscurum est, captuque difficile : *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris* : non ego te ad barbarum populum mitto, cujus linguam non assequaris. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ* : nimis abdita, & sublimia consilia tua sunt.

Promissio, promissum : quod est mandatum primum in promissione : præceptum honore afficiendi Patrem, & Matrem primum est, cui Deus mercedem promiserit. Præsertim vox hæc pro Dei promissione sumitur Abrahæ facta, cæterisque Patriarchis, Messiæ scilicet ad eos mittendi; qua etiam significatione eam fere accipit S. Paulus : *Abrahæ dictæ sunt promissiones*. Messiæ promissio significabatur, filio præter naturæ ordinem a Deo Abrahæ promisso : *Promissionis verbum hoc est : secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius*. En ipsa Divini quoad Abraham promissi verba : elapso anno veniam eodem tempore, & Sara filium pariet. *Promissionis filii* sunt 1. Israelitæ, qui originem suam ab Isaac duxerunt; 2. Judæi fidem amplexi, Christifideles, qui Patriarchis edita promissa, incredulis Judæis rejectis, obtinuerunt : *nos autem secundum Isaac promissionis filii sumus*. Hic Spiritus Sanctus est, quem Deus promisit in eum credentibus; quod eorum felicitatis pignus est : *Signati estis Spiritu promissionis Sancto*. Promissiones in universum indicant etiam æternam vitam, qui Christianorum spei finis est : *ut reportetis promissiones*. Denique promissio nonnunquam pro voto accipitur. Si fœmina votum ediderit, eique vir assensus non fuerit, quod vovit, perficere non tenebitur : *non tenebitur promissionis suæ*.

Promissiones *Christi Domini quoad Ecclesiam suam*. I. *Christus Ecclesiæ promisit fore, ut ei nunquam Spiritus Sanctus deesset; II. ut ipse ad sæculorum usque finem eidem præsto esset; quod ex ipsis Christi verbis ostenditur apud S. Joannem cap.* XIV. & XVII. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis, quem Mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit . . . . docebit vos omnem veritatem. *Promittit ergo Christus Ecclesiæ veritatis Spiritum, ut cum ea æternum maneat*. III. *Idem Christus ita Petrum allocutus est* Matth. XVI. tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam &c. *Christus ipse cum inibi esset, ut in Cœlum ascenderet, ita ad Apostolos suos* Matth. XXVIII. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti . . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

Jam vero ex allatis verbis conficitur I. *fore, ut Ecclesia semper subsistat, Dæmonisque vehementibus licet conatibus, quos Inferni portæ exprimunt, reluctetur, ne evertatur, aut in errorem prolabatur*. II. *Constat ex iisdem verbis, Christum velle Apostolos certos esse, ipsius præsidium, quæ ejus omnipotentia est, in omne tempus Ecclesiæ adfuturum, eum semper cum ipsa mansurum, eamque nunquam derelicturum; ut proinde promissio hæc non ad Apostolos tantum, verum etiam eorum in ministerio ad usque Mundi finem Successores referatur; quod sane futurum ostendit, ut ad sæculorum finem usque existat Ecclesia, quæ doceat, baptizet, subsistat, & Christi Domini præsidio gaudeat, ut ipse promisit*.

Per hæc verba, inquit clarissimus Bossuet, *Christus locorum, ac temporum universitatem promisit. Evangelium scilicet ubique terrarum, & nullo non tempore nuntiabitur*,

bitur; Ecclesia æternum durabit, se ubique vidəndam præbebit; ex iis quippe apertum in modum constabit, qui facti sunt, ut in ejus sinum recipiantur; Sacerdotes Sacramenta conferent, quæ Fideles suscipient. Ecclesia hæc immutabilis erit, nullique corruptioni prorsus obnoxia; eadem regiminis ratio ad finem usque subsistet, permanens, & interruptionis expers erit Pastorum successio; evidens erit ejusdem unitas, iidem Pastores, eadem Fides, eadem Sacramenta. Per has porro notas Ecclesiæ filii a cæteris distinguuntur. Se ipsum Hæreticus non damnare non potest, quia scilicet haud ægre omnium Sectarum fons & origo attingi ac detegi, primusque Novator, & singulatum Auctor ostendi, ac nominari potest.

Prophetæ (Pseudo), nonnunquam abusu vocis Prophetæ vocantur: *Si surrexit in medio tui Prophetes*. Horum seductorum, qui se inspiratos falso jactabant, magnus apud Judæos numerus extitit. Mendaciis populum seducebant, veros Domini Prophetas contra dicebant, iisque apud Proceres, ac multitudinem obstrepebant. Iis fere semper faciles aures vulgus præbebat, cujus votis, ac genio sermones suos, arrogatasque revelationes accommodabant. Israelitas Deus de fictis his Præconibus in antecessum monuerat: *Ne vos a Prophetis vestris, qui sunt inter vos, seduci patiamini, quoniam falso vaticinantur Dei nomine*. Iis regulam Deus tradiderat, cujus ope pseudo-Prophetas dignoscerent: *Si quod Propheta prædixit in nomine Domini, nequaquam evenit, id argumento est, non Dominum, sed Prophetam e sui spiritus arrogantia, ac temeritate locutum esse; ac proinde nihil erit, cur eumdem Prophetam vereamini*. Subdit regulam alteram Moses, nempe Prophetam, licet a Deo inspiratum ad prædicendum, quod contigit, dignum non esse, qui audiatur, si Hebraicum populum a veri Dei cultu abducere, & ad idololatriam pertrahere studeat. Præter has duas notas, quæ falsis Prophetis a veris secernendis inserviunt, alia duo, quibus eosdem cognoscerent, signa Judæis aderant; 1. quidem morum pravitas. Sane versipelles homines arte pollebant, qua sua ipsi flagitia tegerent; at ea Deum non latebant: *Propheta, & Sacerdos depravati sunt*, inquit per Jeremiam Deus, *ego autem domi meæ mala comperi, quæ fecerant*. 2. Remissa admodum de Divina Lege nuntianda sollicitudo. Non eo consilio erant, ut homines ad bonam frugem redigerenr, sed ut iisdem placerent. Malis hominibus inani spe blandiebantur, & quos tutos esse jubebant, eos ad funestam perniciem trahebant: *Ita illi audacter ad eos, qui me contemnunt*, inquit Dominus, *pace gaudebitis, ita Dominus testatus est, & quicunque pravo animo sunt, nihil mali subibunt*. Vehementer Ezechiel in eos invehitur: *Væ iis, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum*. Hi mendaces homines, sordido lucro servientes, nonnisi peccatoribus, & veritatis hostibus blanda, ac dulcia verba in ore habebant; torquebant justorum hominum, Deique amicorum animum, quos utpote non eodem sermone utentes acerrime persequebantur. Hoc autem genus hominum nullo unquam tempore defuit. Semper extitere, tum qui veritatem, tum qui mendacium nuntiarent; ac si Deus populum suum contra pseudo-Prophetas in veteri Lege munierat, Christus Dominus Discipulos suos ita monitos voluit: *Cavete a falsis Prophetis, qui ad vos ovina pelle tecti veniunt, cum reapse lupi rapaces sint*. Eo autem pseudo-Prophetæ periculosiores sunt, quod externam formam, qua suot rastritie, suscipiunt, quæ non nisi charitatem, ac suavitatem nuntiat; & Pharisæis similes externam omnem virtutis speciem præseferunt, & Religionem simulantes, arrogantiam, dominandi cupiditatem, invidiam fovent, Dei Legem suis improbis votis subdunt, moralia præcepta præposteris animorum suorum motibus accommodant, & ad necem usque in perfectissimam quamque virtutem desæviunt, quam suismet consiliis oppositam spectant. De scelestis ejusmodi hominibus Apostolus ad Episcopos, & Sacerdotes Asianæ Ecclesiæ loquitur: *Futurum scio, ut, cum discessεrim, lupi rapaces ad vos ingrediantur, qui gregi non parcent, futurum item, ut ex*

vobis

nobis ipsis insurgant homines, qui pravam doctrinam enuntient, ut sibi Discipulos addant. At nobis Christus Dominus regulas tradit, quacum ope hos erroris Magistros cognoscamus, quemadmodum olim Deus Israelitas docuerat, qua demum ratione ab eodem mendacium hominum genere sibi caverent: *ex fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos: omnis arbor bona bonos fructus facit, & omnis arbor mala malos fructus facit*. Hæc nimirum regula est, qua falsi Prophetæ, a quibus omnino cavendum est, discernantur a veris, qui audiendi sunt, consulendi, quorumque fructus expendendi, doctrina scilicet, vitæque ratio. Pseudo-Prophetarum doctrina, ad veritatis, ac traditionis lumen exacta novitatis convincitur, ac proinde malus fructus est: *Qui novit Deum* inquit S. Joannes, *audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*. Hæc ipsa regula est: qui credit, & docet, quod ab Apostolis, eorumque successoribus ad hæc usque tempora traditum est, ex Deo est, & veritatis spiritu illustratus est: *qui non adhæret Apostolicæ veritati, ex Deo non est, sed ab erroris spiritu possidetur*. Nos quoque monet eorum vitæ ratio, quam Apostolus in sua ad Timotheum Epistola secunda describit: *Erunt homines*, inquit, *se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi..... sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi ..... habentes speciem quidem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes &c.* Ex iis quoque pseudo-Prophetæ dignosci possunt, quæ eorum doctrinam, & agendi rationem consequuntur. Quot enim turbas, mala, vexationes, persecutiones, exilia, vincula invehunt erroris Antesignani calumniis suis, & abusu gratiæ, qua apud Principes pollent? Adeo pravi fructus ex bonane arbore derivari possunt? Haud dissimilia signa sunt, quibus Christus pseudo Prophetas a nobis cognosci voluit, qui sub Mundi finem se prodent. Beatus ille, qui hoc lumine utitur, ut hos homines animo depravatos, & in fide corruptos ubique dignoscat.

Prophetia; vox hæc fere sumitur in sacris Litteris, ut Divini Spiritus donum significet, quo Dei voluntas cognoscitur, & facile aliis detegitur. Utuntur Hebræi vocabulo *visio*; Prophetæ siquidem ut plurimum per visiones Oracula percipiebant, quibus Judaicum populum imbuere volebat Deus. Veteris Testamenti Prophetiæ omnes Majorum, & Minorum Prophetarum scriptis continentur. Earum sæpe duplex est finis; unus proximus, & immediatus, qui ad electi Populi Historiam refertur; alter præstantior, sublimior, & magis spiritalis, ad remota spectans tempora, quem Spiritus Sanctus principe loco spectat, cujusque velum quasi quoddam primus est. Ita Prophetæ præsentia eventa prædicentes, ad alia oculos referebant, quæ in Divino Servatore Christo Domino, ejusque Ecclesia futura erant. Israel, Juda, Jerusalem, Samaria, Ninive, Babylon, Sennacherib, Nabuchodonosor, Cyrus Divinorum horum Hominum obtutum non finiebant. Qui enim iis futura revelabat, ad aliam, quam Assyriæ, & Babylonis captivitatem, & ad aliquid augustius mœnibus, Temploque Jerusalem, ad Cœleste Regnum scilicet, eorumdem animum extollebat. Ergo Christum Dominum, ejusque mysteria in prophetiis pene omnibus spectari necesse est. Eum Prophetarum alii clare, alii obscure prædicunt; & quæ prophetiæ eum non exhibent, non proinde tamen ab iis segregandæ sunt, in quibus prædicitur; quia scilicet non alio spectant, quam ut eas fulciant, & sine Christo nullum in sacra Scriptura locum haberent, quæ nimirum eum unum spectat. Veritatem hanc Servator ipse, & Apostoli nos docuerunt: *Incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*. Adeo cumulata prophetiarum perfectio sanctæ Religionis nostræ veritatem invicte demonstrat; nulla enim creata mens naturali lumine futura assequi potest; futura quippe non nisi vagis, incertisque conjecturis attingit. Ea Deus unus potest certo prædicere, ac distincte nuntiare, quippe quæ in suis immutabilibus Decretis videt, quibus ab omni æternitate consecutiones rerum, & ordinem moderatur. Est ergo prorsus indubitatum,

Ff 2. Ho-

Hominem, quicunque futura eventa certo portendit, quorum nulla species suppetit, quæque liberas creaturarum verum voluntates requirunt, Divino instinctu afflatum loqui; & quod inde fit consequens, Religio iis Prophetiis nixa, non nisi Dei opus esse potest.

Prophetissa, Fœmina, quæ a Deo Prophetiæ donum accepit, sive ut futura prædicat, sive ut edoceat: *Maria Prophetissa, Soror Aaron. Permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetam, docere*: sinis Jezabel, quæ se Prophetissam dicit, docere servos meos, ut se fornicatione polluant. Poni possunt in Prophetissarum numero Sara, Rebecca, Maria Mosis soror, Debbora, Holda, Anna Samuelis mater, Judith, in Veteri Testamento; & in Novo, Anna filia Phanuel, Elisabeth, Maria mater Dei, & Philippi Diaconi filiæ.

Propitiatorium. Erat hæc ex auro confecta mensa, inserviens Arcæ tegendæ, ad cujus latera duo erant Cherubim duo ex eodem metallo, qui explicatis alis Majestati Dei thronum efficere videbantur: *facies, & propitiatorium de auro mundissimo*. Dicebatur autem Propitiatorium, propterea quod in hoc loco Deus se præsentem, & populo propitium ostendebat. Nuncupabatur etiam *Oraculum*, quia hinc responsa prodibant, quæ Deus reddebat Mosi, seu Summo Pontifici, qui eum consulebat: *Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii, cuncta, quæ mandabo filiis Israel*. Propitiatorium hoc Christi Domini, Dei simul & Hominis figura est, in quo Deus per hypostaticam unionem residet, atque ita se Mundo propitium reddidit. Purissimum aurum, e quo constabat, humanitatis Christi, omnis omnino culpæ expertis puritatem significat.

Propositio. Erant *panes propositionis*, nempe panes ante Dominum expositi, seu *panes facierum*, ob eamdem causam. Ita dicebantur panes, qui super aurea mensa singulis hebdomadis exponebantur, duodecim numero, utrinque sex: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*. Panes hi ex pura putaque farina confecti erant, & quidem grandiores, quoniam in singulis conficiendis farinæ mensuræ duæ circiter, assaron duo scilicet insumebantur. Calidissimi ponebantur ante Dominum die Sabbati, eodemque tempore veteres removebantur, qui per totam hebdomadam expositi fuerant. Panes hi non nisi a Sacerdotibus, eorumque filiis masculis comedi poterant: *Eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo*. Quod si David ex iis præter ordinem sumpsit, id necessitate coactus fecit, quo tempore fames eum a summo jure Legis exemit.

Proselytus. Nomen hoc, quod græcum est, *alienigenam, extraneum* significat; at in sacris Litteris eo nomine veniunt ii, qui inter Ethnicos nati ad Judæorum Religionem migrabant. Erant autem in duplici genere; nempe Proselyti, qui suscepta Circuncisione se universæ Legi subdebant, omniumque electi Populi prærogativarum participes erant, & *Proselyti justitiæ* nuncupabantur. Mosaica enim Lege omnino suscepta, id sibi sumebant, ut sancte ac juste viverent. Ac de iis accipi debet, quod ait Christus in Evangelio, Judæos terram, & mare percurrisse, ut proselytum facerent: *Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum &c.* In iis suscipiendis solemnes formæ tres servabantur. I. Circumcisioni subdebantur; quique effundebatur, vocabatur sanguis fæderis, cujus filii evadebant. II. Baptizabantur, hoc est, in aquam immergebantur, Judæis saltem tribus, iisque non vulgaribus adstantibus; ac tum demum Proselytus fidei professionem edebat. III. Sacrificium offerebatur; quibus peractis, Proselytus tamquam filius, qui nascitur, spectabatur. Institutio Baptismi, auctore Christo, ac Disciplina, quam primitiva Ecclesia servavit, ad hanc Judæorum Cæremoniam referuntur. Jam vero Proselyti non ante recipiebantur, quam de eorum ingenua conversione, atque in suscepta fide perseverantia constitisset. Alterius generis Proselyti nuncupabantur *Proselyti habitationis*; erantque advenæ, qui ab ethnicis superstitionibus recedebant, & Judæorum Deum profitebantur, quin tamen u-

niversæ

niversæ Legi, ac ne Circuncisioni quidem se subderent. Ea tantum præcepta servare tenebantur, quæ percepit a Deo Noe, dum exiit ex Arca, & propterea *Noachidæ* dicebantur, Noe scilicet Discipuli, ac Sectatores. Ex hoc numero erant Naaman Syrus, Nabuzardanus Regis Nabuchodonosor supremus Dux, Eunuchus Reginæ Candacis, aliique nonnulli, quorum in Actis Apostolicis mentio fit. Hi Proselyti, habitationis dicti, coram testibus tribus jurejurando promittebant, se Noe præcepta septem servaturos, quæ non alia sunt, quam Naturalis Legis præcepta, quibus servatis, ad æternam feliciratem jus obtinebant. Poterant etiam in Terra promissa degere, & in externorum, quibus electus populus gaudebat, emolumentorum partem venire. Ex eo genere, Davidis, & Salomonis tempore non pauci aderant, quibus id officii demandatum, ut ad Domum Domini construendam rudera congererent: *Et præcepit, ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides, & poliendos, ut ædificaretur Domus Domini.*

Proverbium. Vocabulum hoc significat I. communem sententiam, tritumque sermone proloquium: *Contigit eis illud veri proverbii*: quod fere proverbio dicitur, iis accidit. II. Canticum: *Idcirco dicitur in proverbio*: & hac de causa in proverbio est illud: *Venite in Hesebon*. Sumpta sunt hæc verba ex cantico victoriæ occasione confecto, quam Rex Sehon ex Moabitis retulerat. Per ea porro verba Amorræi se mutuo hortabantur, ut Hesebon ingrederentur, quæ eorum Metropolis futura erat. III. Jocum, lusumque: *Erit Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis*. IV. Obscuram sententiam: *Occulta proverbiorum exquiret*: sapientia id assequi conabitur, quod in proverbiis occultum est. V. Parabolam, figuratum sermonem, per quem aliqua veritas exhibetur: *Hoc proverbium dixit eis Jesus*: hanc iis parabolam Christus proposuit.

Proverbia Salomonis: titulus unius ex hujus Regis Libris; qui nos monet ipse, hunc altissimæ meditationis, præstantissimæque Sapientiæ fructum esse: *Cum esset sapientissimus, Ecclesiastes docuit populum*, ... *& investigans docuit parabolas*. Occurrunt in hoc Libro regulæ, quibus omnis conditionis homines ad formandos mores utantur. Id autem potissimum propositum habuit Salomon, ut juventutem erudiret, eique virtutis amorem, & vitii horrorem inspiraret. Rex hic ejusmodi proverbiorum tria millia & amplius ediderat: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas*, e quibus eæ tantum supersunt, quæ Proverbiorum Librum conficiunt. Stili inæqualitas, & methodi discrepantia, quæ in collectione animadvertuntur, impulere nonnullos, ut crederent, Salomonem non unum Libri Auctorem fuisse; verum cum ad usum suum Princeps hic congerendum curasset, quod apud suæ Nationis Scriptores in morum negotio pulcherrimum erat, Ezechiam id additum voluisse, quod post Salomonis tempora scriptum fuerat. At hæ arbitrariæ conjecturæ præferri non debent Patrum sententiæ, qui Librum universum ei tribuunt, cujus nomen præfert. Conveniat porro, necesse est, eam, qua sacra Scriptura utitur, loquendi rationem, nempe, *locutus est*, argumento esse posse, non Salomonem ipsum scripsisse parabolas, de quibus est sermo, sed ab iis collectas fuisse, qui in ejus Aula versabantur, easque varias collectiones in Opus, quod nobis præsto est, coaluisse. Tribuitur id Operis in Capita 31. quorum priora novem, quibus is est titulus, *Parabolæ Salomonis*, in continui sermonis modum scripta sunt, ac veluti totius Libri Præfatio spectari possunt. Ita vicesimum quintum incipit: *Eæ verba, quæ ab hominibus Ezechiæ Regis Juda collecta, & composita fuere*. In tricesimo leguntur hæc: *Sermones Agur filii Joake*. Denique in tricesimo primo: *Sermo Regis Lamuel*. Discrepantes hi tituli evincunt, collectionem hanc a variis auctoribus editam fuisse, quod non impedit, quominus Principis a Spiritu Sancto inspirati opus sit. Sane Proverbiorum Liber semper Canonicus habitus fuit.

Providentia Dei. Providentiæ dogma tam apud Judæos, quam apud Christianos obtinuit. Agnovere scilicet Omnipotentem Deum, qui res, pro ut vult, administrat, qui omnibus & singulis eventis præest, quique omnium hominum sortem suprema au-

auctoritate statuit: *Ne dicas coram Angelo: non est providentia, ne forte tibi succensens Deus omnia manuum tuarum opera destruat*. Eccl. V. 5. Scriptura omnis huic veritati concinit; adeoque Judæorum memoriæ divinitas aderat, ut eam in communem, & consuetum sermonem deducerent. Prospera eventa ad Deum referebant; fatebantur, victoriam ab eo esse, & ab ejus arbitratu pendere; eum unum esse, qui publicas, seu privatas calamitates immitteret, quibus hominum peccata puniret, ejusque esse bonorum omnium copiam eadem facilitate sufficere. Convicti erant, quicquid rudibus hominibus a casu esse videbatur, ab infinita Sapientia in consiliorum suorum executionem statutum esse, ipsaque Omnipotentia Deum liberrimis voluntatis nostræ motibus ira præesse, ut eos ad finem certo perducat, quem sibi proponit: *Sortes*, inquit sacra Scriptura, *mittuntur in sinum, & agitantur, sed a Domino temperantur, qui id, quod futurum est, moderatur.* *

* *Additur Sacris Litteris unanimis omnium Nationum consensus. Græciæ Poetæ veteres in omnibus fere poematum suorum paginis Divinam Providentiam prædicant*. Homerus *sæpe ait, nihil non ex Jovis voluntate contingere*. Esiodus. *vers.* 1438. *affirmat, bonorum, & malorum summam penes Deos esse. Idem canit* Ennius, *Poeta vetustissimus inter Latinos. Quod ni ita esset, subdit*. Tullius *lib.* 1. de Nat. Deor. qui potuisset assensu communi dicere Ennius, aspice, hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem? *Virgilius etiam lib.* 1. v. 234.

. . . . O qui Rex hominumque, Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Idem docuere Philosophorum clarissimi, Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Stoici. Democritici tantum, & Epicurei contra omnium hominum consensionem, ipsiusque naturæ vocem animum obfirmarunt. Eos fortasse divinæ Legis jugum terrebat, ut illud excutere conarentur, sensuum illecebris perdite addicti. Et sane primis temporibus Epicurei opposuere duo. Ajebant primo, Providentiam cum Dei bonitate pugnare: Nam quod æternum, & beatum est (*inquit Lucius Epicureus apud Ciceronem lib.* 1. *de Nat. Deor.*), id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira affici, nec gratia teneri, quod, quæ talia essent, imbecillia essent omnia, & mutabilia. Deum vero quid nisi quietum dicere licet? At si Deus regit cursus Astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservat, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitasque tuetur, næ ille est implicitus molestis negotiis, & operosis. *At hoc puerile argumentum est. Deus enim, qui purissima mens est, qui infinita sapientia, ac potestate pollet, quemadmodum absque ulla difficultate, ac sollicitudine omnia complectitur, ita eadem tranquillitate vult omnia, eaque volens sustentat, & regit. Stulti ergo Epicurei sunt, qui ex humanis Divina metiuntur.*

Alterum eorum argumentum ejusmodi est: si providentia locum habet, quid est, quod homines boni miseriis subsunt, mali felicitate fruuntur? Querimonia hæc in Hebræorum, Græcorum, & Latinorum libris passim occurrit. Ita quidem apud Auctores Veteris Testamenti: Cur via impiorum prosperatur? *Et* zelavi pacem peccatorum videns; quasi commotus est pes meus. *Diogenes Cynicus dicere solebat*, Arpalum, *qui per annos plures iis temporibus Pirata fuit, multisque spoliatis, & occisis, in extrema senectute feliciter vitam absolvit, testem in Deos esse. Dionysius, qui tyrannidem Syracusis exercuit, vastato Proserpinæ Locrensis Templo, felicibus per mare datis velis Syracusas rediit, inquiens*: Videtisne, amici, quam bona a Diis immortalibus navigatio Sacrilegis detur? Thelamon autem (*Cottæ apud Ciceronem verba sunt*) uno versu locum hunc totum confecit, cur Dii homines negligant: nam si curent, bene bonis, male malis, & quod nunc abest. Scilicet debebant illi quidem omnes bonos afficere, siquidem hominum generi consulant; sin id minus, bonis certe consulere debebant.

Respondemus primo, non ita semper se rem habere; infelix enim sceleslorum, improborumque hominum exitus magnam humanæ Historiæ partem constituit. Præterea licet.

cet nonnulli feliciter inter scelera vivere videantur, si tamen eorum conscientia palam fieret, se fortasse omnium miserrimos exhiberent. An vero miseria parva ducitur, malorum conscientia dilacerari, quæ præcipua, & maxima pœna est? Adde, non semper eos, qui boni apparent, reapse ejusmodi esse; atque adeo ob occulta peccata puniri posse. Sed, esto, homines boni miseria premantur; hoc tamen magnæ bonitatis, & Providentiæ Dei argumentum esse potest, siquidem ita præteritorum criminum pœnas luant, aut in virtute instituantur. Præclare disserit in hanc rem D. Augustinus lib. I. de Civit. Dei cap. VIII. Placuit quippe Divinæ Providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona, & mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona cupidius adpetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum, qualis sit usus earum quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur adversæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideo hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc peccatum manifesta plecteret pœna, nihil ultimo judicio servari putaretur; rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum istas pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, & avaros. Hæc cum ita sint, quicunque boni pariter, & mali adflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod utrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem tormento, non est idem virtus, & vitium.

Animadvertendum porro hoc loco est, hominum fere omnes de Divina Providentia querimonias ex eo derivari, quod falsa & erronea tum sua ipsorum, tum Universi naturæ notio iisdem insit. Multi enim opinati sunt, Deum in eorum tantum gratiam Mundum creasse; itaque in eam abiere sententiam, ut crederent, nihil in hac rerum universitate esse debere, quod non ad eorum instaurandam felicitatem conferat. Cum vero id quoque falsum detegant, quia se multis naturæ malis affici sentiunt, ad vomitam proinde redeunt, garrientes, aut Mundum haud provide administrari, aut non a Deo bono procurari. In qua sane ratiocinatione turpiter hallucinantur. Est enim prorsus indubitatum, Deum velle omnium felicitatem; at Mundum nobis unice factum fuisse, id vero est, in quo superbe de nobis ipsis, ac de Universo stolide judicamus. Profecto si totam Mundum, ejusque universalem finem cogitatione complecti possemus, non adeo magnifice de nobis, neque adeo demisse de Divinis operibus sentiremus. Etenim probe perciperemus, ea omnia, quæ nos mala, & absona dicimus, omnino Dei sapientia, & bonitate constare. Super hoc negotio judiciam præferam, quod de Divina Providentia tulit acerrimus Divinitatis hostis; qui sane testis Divinæ Providentiæ impugnatoribus dubiæ fidei videri non poterit. Spinoza scilicet in Tractatu Politico cap. 2. §. 8. ita scribit: Quidquid ergo nobis ridiculum, absurdum, ac malum videtur, id inde est, quod res tantum ex parte novimus, totiusque naturæ ordinem & cohærentiam maxima ex parte ignoramus, & quod omnia ex præscripto nostræ rationis, ut dirigerentur, volumus; cum tamen id, quod ratio nostra malum esse dictat, non malum sit respectu ordinis, & legum universæ Naturæ, sed tantum solius nostræ naturæ legum respectu.

Proximus, propinquus. Significat I. consanguineum: *Solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo:* qui suo ipsius juri cedebat, calceum sibi detractum consanguineo tribuebat. II. Eos innuit, qui ex eadem regione, ex eadem Tribu sunt: *Propter fratres meos, & proximos meos:* ob eos nempe, qui ad Nationem meam pertinent. III. Designat eum, qui prope

prope est: *Dixitque alter ad proximum suum. Narrabat aliquando somnium proximo suo.* IV. Generatim pro omnibus hominibus sumitur, qui humanitatis vinculo conjuncti sunt, quosque charitatis Lex jubet se tamquam amicos, proximosque spectare: *Diliges proximum tuum. Qui despicit proximum suum, peccat.* V. Pro amico usurpatur: *Misit dona de præda Senioribus Juda proximis suis*: David prædam misit ad Seniores Juda, qui ejus amici erant. Christi tempore Pharisæi nomen *proximi* ita accipiendum volebant, ut tantum iis, qui ex eorum Natione essent, amicisque congrueret, tali se non prohiberi inimicum odisse; at Divinus Servator venit, ut falsam Pharisæorum doctrinam impugnaret, everteretque, & charitatis præceptum vi suæ pristinæ redderet, quæ ad inimicos ipsos extenditur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

Psalmus, canticum, seu canticum sacrum, quod in Dei honorem canitur: *modulamini illi psalmum novum*. Ejusmodi cantica sunt, quæ David in Dei laudem concinnavit, quæque libro, qui dicitur *Liber Psalmorum*, centum quinquaginta numero continentur. S. Hieronymus, aliique Patrum multi contenderunt, sanctum hunc Regem non nisi psalmorum septuaginta duorum Auctorem fuisse, qui ejus nomen præseferunt, ab eodem nonnullos alios ex variis Auctoribus, Mose scilicet, filiis Core, Asaph, Eman, Ethan &c. collectos esse, ejusque nomen universæ collectioni inditum, tum quia sanctus hic Rex maximum Psalmorum numerum elaboravit, tum quia eorum ordinem, & qua canerentur, rationem digessit. At S. Augustinus, & Interpretum plerique nixi titulo Cantoris Israel, quem huic pio Regi sacra Scriptura tribuit, usque perpetuo, & uniformi tum Synagogæ, tum Ecclesiæ, quæ semper ejus nomine Psalmos laudant, centum ipsos & quinquaginta, qui Psalterium conficiunt, Davidi vindicant; *Mihi*, ita D. Augustinus in libris de Civitate Dei, *credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum & quinquaginta psalmos ejus operi tribuunt*. Ut ut res habeat, de hujus libri authenticitate minime dubitatur, convenitque, tum septuaginta duos psalmos, qui Davidis nomine inscripti sunt, tum eos, qui nullum titulum præferunt, tum eos denique, qui varia nomina exhibent, Auctoribus a Deo inspiratis prodiisse, atque adeo vulgo creditur Esdras a captivitate reversus, cum sibi sacros libros expendendos sumpsisset, ad 150. psalmorum collectionem animum applicuisse, in eaque nullum secutus ordinem, psalmos ea tantum ratione, qua invenerat, congessisse, ex iisque volumen unum, quin in certas quasdam classes tribueret, confecisse. Volumen hoc Judæi deinceps secuerunt in partes quinque, quarum prima psalmo XL. altera LXXI. tertia LXXXVIII. quarta CV. clauditur, denique quod superest, postrema complectitur. Verum ab hac Psalterii in libros quinque divisione, tamquam sacræ Scripturæ contraria, quæ scilicet unum tantum psalmorum librum nominat, S. Augustinus recessit. Nec de psalmorum titulis convenit, quos alii tamquam divino instinctu afflatos spectant, quippe qui sanctorum Canticorum partem conficiant, ad eorumque notitiam ducant, quasique viam sternant, alii vero tamquam ad textum intelligendum prorsus inutiles, & forte fortuna additos rejiciunt. Inter has opiniones duas ea est media tuto tenenda via, ut nempe titulorum horum aliqui facem præferant ad id detegendum, quod edendo psalmo occasionem præbuit, definiendamque materiam, quæ in eo continetur, quin iidem tamquam inspirari spectentur. Psalmorum liber sacræ Scripturæ compendium merito habetur. Quicquid enim occurrit in cæteris sacris libris, S. Augustinus hoc uno contineri pronuntiat: *Psalmorum liber, quæcumque utilia sunt, ex omnibus continet*. Nos psalmi Deo laudes, & preces offerre docent. Nemo Davide dignius de Dei potentia, magnitudine, sanctitate, misericordia, providentia loquitur. Omnis historia populi Dei ab Abrahæ vocatione ad illud usque tempus, quo idem populus Terræ promissæ tranquillus possessor fuit, continetur in psalmis, & quidem iis omnibus ornamentis, quæ Poesis suppeditat, expolita *. In iis Auctor creationis prodigia, Mundi ordinem, tempestatum vices, astro-

astrorum splendorem, & numerum vividissimis Eloquentiæ coloribus exhibet. At facer psalmorum Scriptor eo peculiari privilegio gaudet, ut, quicquid pertractat, in preces vertat; historia, natura, miraculum, eventum, mysteria, prophetiæ, omnia in ejus ore preces evadunt. David non satis habet, facta referre, & veritatem nuntiare, efformat sensa ipsa, quibus animus imbuendus est. Cæteri Scriptores facri nobis id innuunt, quod nos credere, admirari, agere necesse est; David orare nos docet, animumque non jam præceptis, sed suomet exemplo movet. Ecclesia quoque probe à Sponso monita de thesauri pretio, quem ei reliquit, persuasum semper habuit, pietatis, unctionis, solatii, ipsi quasi fundum, quem in aliis libris non inveniit, in psalmis occurrere. Ergo fere versatur in psalmis, eos interdiu, eos noctu recinit; nullumque cætum agit, quin hæc ipsa cantica resonet, in quibus utile dulci mixtum comperit: *Certe in Psalmis doctrina cum gratia simul*. Ac per eorumdem melos erigitur, excitaque in filiorum suorum animis sublimes cogitationes, & sanctos impetus, quos S. Augustinus primis conversionis suæ temporibus sentiebat; se quippe in lacrymas effusum ait, cum Ecclesiam in Dei laudem hymnos, & psalmos concinentem audiens vehementissime commoveretur; adeoque dulcibus canticis aures subeuntibus, Dei veritatem menti illuxisse, & per eam singularis pietatis motus in animo excitatos fuisse; se quidem in lacrymas effusum repetit, sed eas ipsas lacrymas sibi consolationis, & deliciarum loco extitisse. At librum hunc Christiani vel ob id maxime in pretio habere debent, quod ad eos potius, quam ad Judæos spectat.

Psalmi Graduales dicuntur psalmi 15. quorum primus 119. postremus 133. est. Super hoc nomine multæ fuerunt conjecturæ; e quibus ea est vero simillima, cum eos primum ex alterius Templi gradibus quindecim, quo tempore ejus dedicatio peracta fuit, cecinissent, consuetudinem hanc in solemnibus Festis Legis vim obtinuisse; iisque ob eam causam gradualium psalmorum titulum servatum esse. At facti sane hypothesi, in posteriore Templo eum graduum numerum fuisse, & Levitas e gradibus canere consuevisse; solvenda semper superest præcipua quæstio, cur scilicet hi potius, quam alii psalmi, qui in Templi dedicatione canerentur, selecti fuerint; responderi potest, in eorum non paucis de Templo, redituque a captivitate mentionem fieri, eosque universim cæterorum aptissimos visos esse ad significandum eorum lætum, gratumque animum, qui Hierosolymam Babylone redierant, & post longam intermissionem tandem aliquando restitutum Templum intuebantur. Verum conjectura hac amplificata, neque ad Templi gradus, neque ad ejus dedicationem redacta, quæ ad veram rationem detegendam ducere posset; animadvertendum imprimis verit, Hebraica voce מעלות, quæ per *gradus* vertitur, *ascensionem* quoque significari posse, & cum Judæa esset montibus referta regio, unde unde Hierosolyma peteretur, omnino ascendendum fuisse. Præterea certum est, graduales psalmos fere omnes ad Urbem Jerusalem, ad Templum, & ad liberationem a captivitate referri; nec plerique aliter explicari possunt; ut proinde naturæ consonum sit credere, Israelitas, cum solemnibus festis diebus Hierosolymam se conferrent, jamque Urbi proximi ascendere inciperent, psalmos, qui maxime ad eum sanctum locum spectabant, recitasse, aut quod probabile est, cecinisse. At hic primus sensus ad sublimiorem alterum ducit, & in animum revocat cælestem Hierosolymam, ad quam vota nostra per hujus exilii tempus erigantur, & ascendant, necesse est, cujusque terrena non nisi figura erat.

* *Ad veterum Hebræorum poesim quod attinet, non una doctorum Scriptorum sententia est.* Flavius Josephus *ex Græca poesi de Hebraica judicans, exametros, pentametros, & lyricos versus se in sacro Codice nactum credidit. Ita enim de Davide loquitur:* δ' ἤδη πολέμων, ὁ Δαβίδης καὶ κινδύνων, καὶ βαθείας ἀπολάβων τὸ λοίπον εἰρήνης, ᾠδὰς εἰς τὸν θεόν, καὶ ὕμνους συνετάξατο, μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Cæterum David profunctus jam bellis, &

periculis, & in altissima pace degens, vario genere carminum, odas, & hymnos in honorem Dei composuit, partim trimetro versu, partim pentametro. *Ita Judaic. Antiquit. lib.* VII. *c.* X. *Jam vero lib.* II. *cap.* VIII. de Cantico loquens, quod Moses ob Pharaonem in Mare Rubrum submersum cecinit, ita scribit: *καὶ Μωΰσης ᾠδὴν εἰς τὸν θεὸν ἐγκώμιόν τε, καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συνέθηκεν.* Et Moses carmen, laudes Dei, & ob præsentem favorem gratiarum actionem continens exametro versu composuit. *Eamdem opinionem aliqui* Philoni *tribuunt*, *quam etiam* Eusebius *lib.* II. *Præparat. Evang. cap.* III. *&* Origenes *apud S.* Hieronymum *in Præfatione ad Eusebii Chronicon propugnarunt. Et quamvis* Julianus Apostata *apud* S. Cyrillum Alexandrinum *lib.* VII. *contra Julianum* §. II. *ob hanc ipsam causam Eusebium argueris, eam tamen sententiam* S. Hieronymus *in Epistola ad Paulinum, in Præfatione in Job, & ad Eusebii Chronicon ratam habuit; eoque progressus est, ut Davidicos versus cum Pyndaricis, & Horatianis conferret*: S. Isidorus *lib.* I. *Origin. cap.* XVIII. *addit, a Job ipso librum suum exametris, dactylic, & spondaicis versibus scriptum fuisse. At dubitari non potest, quin* Josephi *auctoritas eos omnes in errorem traxerit. Nec mirum videri debet, Josephum ita de Hebræorum poesi locutum esse, cum suam Hebraicæ linguæ inscitiam, summamque in asserendis rebus temeritatem satis ostenderit. Ac licet e Veteribus ii quos memoravimus, fidenter pronuntiaverint, Hebræorum psalmos, & cetera Cantica metro apud Græcos, & Romanos usitato concinnata esse, id aliquo tamen exemplo nullus eorum ostendit. Nec satis est, ut id evincatur, pentametrum aliquem, aut exametrum versum unde unde decerpi; verum ostendatur, necesse est, integrum aliquod canticum hoc ipso poeseos genere concinnatum occurrere.*

Quamobrem recentiores nonnulli, cum ejusmodi versus in Hebræo Codice non detegerent, & id quidem ex ignota Hebraicæ poeseos ratione, & indole derivari crederent, hanc inquirere, & assequi conati sunt. Quantum in hanc rem laboris, & diligentiæ contulerint Franciscus Vatablus, Andreas Masius, & Marianus Victorius Reatinus, Laurentius Fabricius, Theodorus Ebertus *paucis refert* dub. vexat. cent. III. loc. XLVI. *Sed omnes superasse videtur* Franciscus Gomarus, *Reformatæ Ecclesiæ Theologus in sua* Lyra Davidica, *seu nova arte poetica sacræ Scripturæ, an.* 1632. *in lucem edita, in quam congessit, quiquid ipse indefesso studio inquisierat, & cum eruditis Viris contulerat. Multis probatum fuit Gomari opus, & inter cæteros* Joanni Buxtorfio, Danieli Heinsio, Ludovico de Dieu, *&* Constantino l'Empereur. *Sed aliis aliter visum, qui scilicet animadverterunt, regularum ope, quas* Gomarus *excogitavit, facile sermonem quemlibet metrice reddi posse; quod ex professo demonstravit* Ludovicus Capellus *in suis ad Novam Lyram Davidicam animadversionibus, cujus sententiæ plauserunt in Critica Sacra* Corradus Danhaverus, *&* Augustus Pfeifferius. *At cæteros omnes audacia, ac temeritate vicit* Marcus Maibomius, *qui se nonnulla ad Hebræorum poesim spectantia detexisse jactans, eo arrogantiæ progressus est, ut diceret, hebraicum metrum cæteris omnibus ignotum sibi tandem innotuisse, cum post* Jeremiam, Danielem, *&* Ezechielem, *omnes deinceps latuisset. Verum absconditus thesaurus hic, quem inventor, non nisi ingenti oblata pecuniæ vi, prodere statuerat, cum inventore ipso sepultus jacuit. Quicquid in hanc rem scriptum reliquit, eo demum redigitur, Sacram Veteris Testamenti Scripturam metro quodam sibi uni noto constare, ejusque metri ope dignosci posse, quæ depravationes in textum irrepserint, quaque emendatione opus sit; quod ipse nonnullis exemplis illustratum voluit. Quin ergo metrum patefaceret, exhibuit specimina tria, quæ an.* 1698. *Amstelodami typis edita fuerunt una cum hoc titulo*: Davidis Psalmi duodecim, & totidem sacræ Scripturæ veteris Testamenti integra Capita, quæ novi speciminis loco, Biblicarum suarum emendationum, & interpretationum prisco Hebraico metro restituit, & tribus interpretationibus apponere voluit Marcus Maibomius. *At causam* Maibomius *jactantia ipsa vulneravit. Et quamquam nondum de hujus metri ratione constat, facile tamen intellectu est, quam infirmo fundamento nitatur. Si enim, quod ait* Maibomius, *esse* omni-

omnino certum, id vel ex revelatione proxime facta, vel e sacris Litteris ostendi posset; si primum, revelationis veritatem vel per miracula, vel per alia argumenta ostendat auctor, necesse est, ut sibi fidem concilíet. Alterum vero dici non potest; e sacra quippe Scriptura nequit ostendi, eam ob metri corruptionem corruptam esse. Sane si metrum pertinere dicamus ad Hebraicum Codicem, qui Christi tempore jam perierat, consequens sit, Christum ipsum, & Apostoloe dogmata ex corrupto Codice mutuatos esse; praeterea Christum, officii sui vi, metrum restituere debuisse, quod cum haud praestiterit, aut Christum suæ propheticæ missioni satis non fecisse, aut Maibomianum metrum rejiciendum esse; quemadmodum ipsum reapse confutarunt Joannes Henricus Majus *in Introductione ad studium Philosophico-Criticum cap.* VIII. & Brandanus Henricus Gebardus *in Disquisitione de metro Maibomii*,

Opinioni Maibomii affinis est ea, quam Hermannus Van-Der-Hardt *amplexus est, ratus, Prophetarum libros metrice scriptos esse, idque ex ipsa sermonis ratione, & ex remotissima antiquitate constare. Et quamquam non innuit, an sacrorum Prophetarum nomine omnes Veteris Testamenti Scriptores intelligat, e specimine tamen, quod exhibuit in libro de prioribus tribus Joelis Elegiis edito Amstelodami an.* 1706. *licet intelligi, eum loqui de libris, qui peculiariter prophetici nuncupantur. Affirmat porro, versus omnium primos Veterum sententia jamblicos fuisse, ac deinceps homines tetrametris, pentametris, & exametris uti cœpisse. Ita* Giraldo, *aliisque docentibus, jamblicorum usus ex Oriente in cæteras terrarum partes migravit:* Oriens, *inquit*, Occidente calidior; non tam sibillabarum numero, quam pondere, non æque litterarum multitudine, ac modulationis gravitate, totum implet sermonem. Indeque in carmine, & justa sententiarum mensura, pro metro modulatio indubitatus adfectus index, syllabas, vocalesve ponderosas inducit, proindeque suavi illa, & ardua repetitione numerorum elegantissime explet. Quæ Syllabarum, aut vocalium apta pro re nata, & digna intensio, tacitaque, frequens, & justa ingeminatio, pro inexplicabili adfectus movendi virtute, in omni cantilena, & apud nos vim adfert maximam. *Quamobrem in prima Joelis Elegia* Giraldus *exametros jambis compositos, pedibus nempe dissillabis, se nactum credidit, qui, eo teste, lectè, prout eidem placet, auditorum animos vehementissime permovent, & in effusas lacrymas trahunt. Equidem non inficior, hac ratione sacri textus verba ad metri, seu potius modulationis leges redigi posse. An vero ostendi possit, an ejusmodi metro, seu potius modulatione usus fuerit verborum Auctor, magnopere dubito; cum facile in quoque sermone inveniri possint varia modulationis genera, quibus quodnam præferendum sit, merito ambigas, immo vero ipsa soluta numeris oratio in hunc modum ad modulationis leges redigi potest, quin propterea consequens fiat, Auctorem quoque eas leges servasse, ligataque numeris oratione usum esse.*

Cæterum sententia, quam hactenus exposuimus, nempe veterum Hebræorum poesim metri leges secutam esse, atque ita Cantica, quæ in sacro Codice continentur, fuisse composita, multis improbatur; neque id solum, sed aliqui eo progrediuntur, ut in Hebraica quidem lingua nullum metri genus percipi posse contendant. Ejusmodi sane Scaligeri *sententia est in animadversionibus ad* Eusebii *Chronicon pag.* 6. *Ac fortasse* Scaliger *de metro loquitur, quo Græcorum, & Latinorum poesis uti consuevit; neque enim ausim asserere, in Hebraica lingua nullum metrum esse, cum e vocalibus, quæ insunt, longis, & brevibus longæ, brevesque syllabæ, & pedes alii ab earum ratione efformari possint. Verum ut ut res habeat, animadvertentes alii, frustra metricam poesim in veteribus Hebræorum canticis quæri, in iis potius rithmicam, seu rithmico-metricam inquirere statuerunt, & hanc quidem se nactos esse ipsi sibi persuaserunt. Eoque minus sententiam hanc rejici posse crediderunt, quod poesis genus hoc simplicitate, & antiquitate sacris versibus congruit, & apud Nationes cæteras, quin hoc tempore apud Hebræos ipsos maxime receptum est. Inter alios placuit sententia hæc docto* Joanni Clerico, *qui in adnotationibus ad cap.* Exod. XV. & *Deuteron.* XXXII. *Mosis canticum ita disposuit, ut ejusmodi numerum, rithmumque in versibus quisque*

legat. Opinionem hanc ipsam propugnavit Blasius Garofalus *in animadversionibus super Hebræorum, & Græcorum poesi, Italice scriptis impressisque Romæ an.* 1707., *quarum excerptum legitur in Actis eruditis Lipsiæ ad an.* 1708. mense Septembri *pag.* 397. *& Sed hactenus dictis repugnant multa, & imprimis duo; primum, ut rithmus in omni sacro Textu denegatur, verba mutari, ac transferri oportere; alterum, nondum evinci potuisse, atque adeo vix esse vero simile, poesim rithmicam penes Hebræos iis sane temporibus in usu fuisse. Et quamvis Hebræi nonnulli a vetustissimis temporibus hodiernam Hebraicum poesim rithmicometricam repetant; alii tamen eam recentiorem putant, & ad ipsos ab Arabibus derivatam, referente* Rabbino Abrabanele *in Exodi cap.* xv. *adeoque nonnulli censent, ejusmodi versuum rationem parum Hebraicæ linguæ dignitati, & gravitati congruere, ut inter alios Auctor libri* Cosri *part.* 2. *Quod si hæc omnia sedulo perpenderimus, facile intelligemus, ad veterum Hebræorum poesim quod attinet, nihil aliud dici posse, quam eam quidem tam in stili sublimitate, quam in verborum dispositione pro Musicæ ratione positam fuisse. Psalmos autem, & Cantica sublimiore stilo, & ab historicis libris alio constare, vel ex ipsa eorum lectione compertum fit. In iis porro, quæ Musicæ non inserviebant, mihi quidem videtur una stili sublimitas, & magnificentia poesim omnem constituisse. At quæ concinenda erant, ut psalmi, præter numerum, mensuramque verborum, ordinem quoque ad Musicen accommodatum servabant. Id certe postulabat ipsa Musicæ ratio, ut e psalmis aperte constat. Legantur in hanc rem* Julius Bartolaccius *in Rabbinorum Bibliotheca part.* II. Natalis Alexander *in Hist. Ecclesiast. Veteris Testamenti ad* IV. *Mundi Ætatem Dissert.* xxv. Augustinus Calmet *in Dissert.* de Veteri Hebræorum Poesi, *&* Fleury *in exercitatione, quam edidit in* Poesim universam, & Hebræorum potissimum, *quæque laudati* Calmet *Dissertationibus inserta est, ut alios taceam.*

Ptolemais, bellicosa, Phœniciæ Urbs ad Mediterraneum, non sine insigni portu, ad Carmeli Montis meridiem: *A Tyro descendimus Ptolemaidem*. Condita fuit a Ptolomæorum Regum uno, a quo nomen mutuata, deinde Romanorum Colonia evasit. Urbs hæc ab Hebræis Acco dicta, & a Josue tradita Tribui Aser, quæ incolas exterminavit. Qui sub Crucis vexillo bellum Saracenis intulerunt, ei nomen S. Joannis de Acre imposuerunt; eaque Urbium postrema fuit, quibus Christiani in Syria potiti sunt. S. Joannis Equites eam strenue propugnarunt contra Ægyptium Principem, qui longa obsidione pressam, ac demum captam diruit.

Ptolemais, seu *Rozzetta*, Urbs Ægypti Pentapolis, in quam ejus Regionis Judæi convenerunt, qui Philopatoris persecutionem evaserant. *Machab.* VIII.

Ptolomæus, bellicosus, Ægypti Regum commune nomen, a Ptolomæo Lagi filio, ad Ægyptum usque a Romanis captam. Nos hoc loco de iis tantum dicemus, quorum in sacris Litteris mentio fit, & qui ad Judæorum Historiam referuntur.

Ptolomæus, dictus *Soter*, Lagi filius, Ægypto potitus est post Alexandri Magni mortem, cujus signa secutus fuerat. Princeps hic, ut hujus Regni possessionem sibi firmaret, finitimis provinciis subactis, sibi Cælesyriam, & Phœniciam per Duces suos addidit, & ipse Judæam ingressus, Hierosolymam aggressione cepit die Sabbati, quo scilicet die Judæi sibi non licere putabant arma sumere, quibus se defenderent. Innumeros captivos, nempe 100000. & amplius in Ægyptum transtulit, e quorum numero 30000. selegit, quibus insigniorum suarum Urbium custodiam demandavit, quippe qui non ignoraret, quam accurate Judaicus populus obstrictam Principibus fidem præstaret. Judæos etiam accivit Alexandriam, ut ibi degentes Urbi fatis incolarum darent; & Civitatis jus iisdem concessit. Judæi bene multi Ptolomæi consilio paruerunt, confluxeruntque, ut non modo Alexandriam, verum etiam ejus Regni, atque adeo Lybiæ, & Cyrenaicæ complures alias Urbes incolerent. *Joseph. Antiq. lib.* XII.

Ptolomæus Philadelphus, Soteri filius, patri successit; qui vivens eum Imperii socium statuerat, regnavitque cum Cleopatra conjuge: *Regnantibus Ptolomæo, & Cleopatra*; in lib. Esther. Dictus fuit *Philadel-*

ladelphus, suorum fratrum amans, per antiphrasim, quia fratres duos e vivis sustulerat. Regnum suum insigne reddidit amore, quo litteras prosequebatur, & celebri Bibliotheca, quam Alexandriæ a patre institutam ipse maxime raris, curiosisque, quos in omnibus terrarum Orbis partibus invenire potuit, Libris locupletavit. Eam moriens 100000. Voluminibus cumulatam reliquit. Volumina hæc ad 700000. ejus successores auxere. Ptolomæus hic fuisse creditur, qui Græcam librorum Veteris Testamenti Versionem elaborandam curavit, quæ nota est nomine Versionis Septuaginta, de qua loco suo.

Philadelpho successit filius Evergetes, sive *Beneficus*; is nempe, cui Summus Pontifex Onias secundus, sordidi, imbecillisque animi homo, argenteorum viginti talentorum tributum solvere renuit, quod ejus Decessores, in obsequii argumentum, Ægypti Regibus semper solverant. Indignatus proinde Evergetes Judæos, ut sibi satisfieret, accitos voluit, minitatus, siquidem renuissent, se copias missurum, quæ incolas expellerent, & regionem inter se partirentur. Inibi Judæi erant, ut extremas calamitates subirent, nisi Joseph, Summi Sacerdotis nepos, qua erat prudentia, imminentem procellam avertisset. Cum ad Ægyptum se publice mittendum curasset, adeo se Regi, ac Reginæ gratum reddidit, ut in Cœlesyriæ, & Palæstinæ provinciis Regiæ pecuniæ Exactor renuntiaretur. Se per annos viginti, quorum spatio id muneris obiit, locupletavit; Regique tribuit talenta sex mille pro octo millibus, quæ fere exigebat. Obiit Evergetes an. Mund. 3783.

Philopatorem, Evergetis filium, & successorem execranda libido, & insignia flagitia subditis invisum reddidere. Ei per antiphrasim cognomen inditum *amatoris Patris sui*, quia scilicet eum morti addixerat. Antiochus cognomento Magnus, Syriæ Rex initio quidem Cœlesyriam, & Palæstinam occupavit, quæ Philopatori suberant; at Princeps hic obviam factus, eum Raphiæ prope Gazam assecutus, commisso prælio, profligavit, coegitque regionem, quam ceperat, universam reddere. Voluit victor, quam receperat, regionem invisere, Hierosolymitanam venit, Templumque ingressus Sacrificia obtulit, & haud parvi momenti dona; sed cum, reclamantibus licet, atque obsistentibus Sacerdotibus, in abditas Templi partes, atque adeo in Sancta Sanctorum pedem inferre voluisset, quo uni Summo Pontifici semel in anno ingredi licebat, in impium Principem Deus ultricem manum extendit, ac veluti infirmam arundinem vehementer exagitatum, quasi ventorum jocum, robore destitutum, ac motus omnis expertem susque deque vertit. Perterrefacti, qui ab eo erant, homines semivivum extulere; denique cum mentem recepisset, ne dum eum peccati sui pæniteret, abiens horrendas in Judæos minas exeruit; quas exequi, cum in Ægyptum rediisset, haud sane cunctatus est. Edictum enim vulgavit, quo Judæos Alexandriæ degentes suis omnibus privilegiis spoliavit, & ad infimam incolarum classem redegit; eos denique Regalium Ædium aditu prohibuit; nisi ejus Numinum mysteriis initiari essent. At ex tot Judæorum millibus, qui Alexandriæ versabantur, trecenti, non amplius, inventi sunt, qui Legem desererent, ut apud Principem gratiam inirent; cæteri satius ducentes quodvis potius discrimen subire, quam id violare, quod ab iis Religio postulabat, constantes firmique in officio perstiterunt, nullumque sibi cum Apostatis commercium esse voluerunt. Rex ita quidem auctoritatem suam in contemptum adductam ratus, Judæos, quicumque in Ægypto essent, capite plectere statuit, & undique ex Regno catenis onustos Alexandriam tractos voluit. Hyppodromo conclusi omnes, qui amplissimus extra Urbem locus, ubi equorum excursiones peragebantur; eosque Rex Elephantum pedibus conterendos damnavit. His belluis vinum exhibitum, ut in ferocitatem abirent; & cum universus populus convenisset, eo inhumano spectaculo diram curiositatem expleturus, Judæique, elatis in Cælum manibus, Omnipotentis Dei subsidium implorarent, dimissi Elephantes, ne dum Judæos impeterent, in eos invecti, a quibus educti fuerant, ingentem cladem ediderunt. Hoc prodigio permotus Rex ad

ad mentem rediit, statimque Judæos libertata donatos remisit, prohibitis Provinciarum Præsidibus, ne quid molestiæ in posterum iis afferrent. Abituri Judæi petierant a Rege, ut sibi liceret eos e sua Natione punire, qui a Deo defecerant; quod consecuti enecuere, quotquot detegere potuerunt. Id accidit an. Mundi 3788.

Ptolomæus Epiphanes, Philopatoris filius, non nisi quartum ætatis annum attigerat, cum in patris locum suffectus est, suorumque subditorum fidei, & Romanorum patrocinio diadema acceptum retulit; Antiochus enim Magnus, infirma Principis ætate ad usurpandum Regnum abusus, Syriam, & Palæstinam invasit, quas Ptolomæi Duces aliquanto post receperunt. Verum sequenti anno Syriæ Rex, profligato Ægyptiorum Exercitu, Cælesyriam, & Palæstinam recuperavit; Judæique omnium Urbium claves afferre festinantes, ei quoque opem tulerunt, ut Ægyptiorum præsidia expelleret, eique fidem servarunt, quoad eos Ægypti Regis obsequio reddidit matrimonium, quod iniit hic Princeps cum Cleopatra, Antiochi filia, qui Provincias duas in filiæ dotem concessit. Ptolomæus veneno periit; Ducum suorum opera, cum ad bellum Antiochi successori inferendum se compararet.

Ptolomæus, cui per antiphrasim *Philometoris* nomen inditum, quippe qui Cleopatram matrem odisset, triginta quinque regnavit annos ab Epiphanis patris morte. Hujus Principis tempore ædificavit Onias Templum, *Onion* dictum, quod celebri Judæos inter, & Samaritanos Alexandrinos disputationi occasionem præbuit. Asserebant Judæi, Hierosolymitanum Templum unum esse, in quo Deus sibi cultum ex Mosis Lege exhiberi vellet; contra Samaritani contendebant, ejusmodi Templum Garizim esse. Causa apud Philometorem, ejusque consilium acta fuit. Partes duæ jurejurando receperunt, se non nisi argumenta e patriis ducta legibus producturas, Regemque obsecrarunt, ut Oratorem morte damnaret, qui jusjurandum fregisset. Rex, auditis utrinque rationibus, Judæis causam adjudicavit, & Samaritanorum Oratores ad mortem damnavit. Obiit hic Princeps ex vulnere, quod in prælio susceperat, quo ab eo victus Alexander Bales.

Ptolomæus Fiscon, seu *crasso abdomine*, cum per aliquod tempus una cum Philometore fratre regnasset, post ejus mortem Ægypti Regno potitus est, quod cæteroquin ad Reginam viduam, & filium fratris spectabat. Hi quidem, Onia, exiguoque Judæorum Exercitu opem ferentibus, Alexandriam progressi sunt, ut cum usurpatore de sceptro contendereot. At Romanorum Oratore, qui tunc Alexandriæ versabatur, operam daote, ita convenit, ut Fiscon Cleopatram duceret, quam frater viduam cum filio reliquerat, quo Regni hærede renuntiato, Fiscon interea, quoad viveret, eo frueretur. Matrimonio statuto, Fiscon Rex declaratus, ipso nuptiarum die, juniorem Principem in matris sinu interfecit. Rex hic injustitiæ, perfidiæ, crudelitatis monstrum fuit. Ejus omnis vita non nisi teterrimam omnis generis criminum seriem exhibet, quæ sine horrore legi non potest. Cum viginti novem regnasset annos, e vivis excessit.

Ptolomæus Lathur, vix patri Fisconio suffectus, Cleopatram matrem a solio repulit, quam Alexander Jamnæus Judæorum Rex sustentabat, coegitque in Insulam Cyprum secedere. Ptolomæus, ex Alexandro vindictam sumpturus, innumeris copiis Judæam invasit, cumque Azotum cepisset, cum Alexandro, quem Asophi ad Jordanem obvium habuit, prælium commisit. Diu æquo Marte pugnatum est; at Lathur tandem fusum Judæorum Exercitum sævissima cæde miscuit. Ex Judæis 50000. periere; victorque in vicos irruens fœminas cum filiis jugulatas, & ferventibus ahenis injectas voluit, ut majorem hosti terrorem incuteret. Lathur in Ægyptum regredi frustra conatus, supremum diem obiit an. Mundi 3923., quin Majorum suorum solium conscendere potuisset.

Ptolomæus Macron, Borimenis filius, a Philometore Cyprum Insulam regendam acceperat, quam deinde tribuit Antiocho Epiphani, qui eum suis Phœniciæ, & Cælesyriæ copiis præfecit. Ptolomæus hic,

hic, pecunia expugnatus, ab usurpatore Menelao stetit, ejusque accusatores morte damnavit. Post Epiphanis mortem, tamquam Judæorum Fautor apud Eupatorem accusatus, venenum ipse sibi propinare coactus fuit.

Ptolomæus, filius Abobi, Simonis Machabæi gener, cum Oppidum Dog, & planitiem Jericho administraret, inhumanum consilium iniit perdendi socerum, ejusque filios, ut uni sibi Judæam vindicaret. Simon, tum quidem suæ ditionis Urbibus lustrandis addictus, Jericho cum filiis Marhatia, & Juda pervenit, & in Oppidum Dog apud geoerum se recepit. Ptolomæus, splendido parato convivio, per instructos homines, aulam ex improviso subeuntes, ipsas inter epulas, Simonem, utrunque filium, asseclarumque nonnullos vita spoliavit: *Cum inebriati essent Simon, & filii ejus, surrexit Ptolomæus cum suis, & sumpserunt arcua sua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus*. Statim Antiochum Sidetem de re tota monuit, auxilium petens, quo regionem a Machabæorum jugo subduceret, eodemque tempore Gazaram e suis misit, qui Joannem Hircanum, Simonis filiorum postremum, aliosque Hierosolymis interficerent, & Templi monte potirentur. At Deus ambitiosi hominis consilia disjecit; Hircanus opportune monitus sibi cavit, proditores e vivis sustulit, & Hierosolymæ Urbis aditu Ptolomæum prohibuit.

Pubertas, pubertatis ætas, ea scilicet, quæ apta connubio: *Si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant*: ad ætatem nempe matrimonio accommodatam perveniant. In libro Ruth. Hinc derivatæ loquendi rationes hæ: *dux pubertatis Virginis*, primus vir, is, qui puellam duxit. *Reliquit ducem pubertatis suæ*, eum deseruit, cui ab ineunte ætate nupsit; cui virginitatem suam dedidit. *Plange quasi Virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ*: veluti puella, quæ saccum induit, ut eum defleat, cui a prima ætate nupserat. *Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ*: violata est virginitas tua. Penes Hebræos pubertatis ætas, quo ad mares quidem, erat annorum tredecim, & mensium sex. Ad illud usque tempus vocabantur infantes; deinceps, virorum instar, omnibus Legis præceptis suberant, & matrimonium inire non modo poterant, sed jubebantur. In puellis autem pubertatis ætas anno decimo secundo incipiebat, & sexto post mense perficiebatur. Tum vero sui prorsus juris erant, quin a suorum consensu penderent. Id etiam erat in more positum, ut admodum florenti ætate nuptui traderentur.

Publicanus, publicæ pecuniæ, seu vectigalium exactor. Publicani nomen, officiumque horrori Judæis erat; qui enim eo fungebantur, pro arbitratu populum opprimere poterant, & fere homines erant ad avaritiam & crudelitatem facti; itaque Judæi, qui se liberos jactabant, *nemini servivimus unquam*, non nisi ægro animo Publicanos ferebant; qui sane summo jure tributa exigebant, quæ Romani imposuerant. Si quem e suis id officii amplexum videbant, eum pro Ethnico habebant: *sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*; eumdemque veluti infamem a Templis, a Synagogis, a publicis omnibus officiis arcebant. Penes eos impii ac sceleratissimi hominis notio huic eidem nomini suberat: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? Publicani, & Meretrices præcedent vos in Regnum Dei*. Haud aliter de hoc hominum genere sensere Nationes cæteræ; ac si Romanos exceperis, quibus officium hoc cum honestate conjunctum esse videbatur, quicunque eo functi sunt, nullo non tempore publicam exsecrationem subierunt, quippe qui publica potestate ad crudelitatem abuterentur. Verum tamen est, hanc vitæ rationem legitimam esse, neque ipsam per se ab honestate abhorrere; & quamvis, qui eam suscipiunt, æternæ salutis discrimini longe maximo subsint, eam tamen possunt in tuto ponere, siquidem officio suo, qua par est, ratione fungantur: *Venerunt autem & Publicani, ut baptizarentur; & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis*. Hæc nimirum iis servanda regula: ne quid exigant, prætorquamquod impositum fuit; id sane S. Joannes præscripsit, dum sapienter

ter conditionis abusus a conditione ipsa sejunxit. Si enim necessaria officia damnarentur, publica tranquillitas perturbaretur; satis est, eos, qui iisdem funguntur, cavere, ne quid agant contra jus fasque.

Publius, Melitensis Insulæ Præses, qui S. Paulum, eosque suscepit, qui Apostolum comitabantur, ac triduo perhumaniter habuit. Paulus, in grati animi argumentum, Publii patrem, febri laborantem sanavit.

Pudens, Viri nomen haud vulgaris inter Romanos, de quo S. Paulus in secunda ad Timotheum Epistola: *Salutant te Eubulus, & Pudens.* Erat e Senatorum numero, eumque S. Petrus ad fidem convertit, qui, ut in communi traditione est, apud eum divertit, in ejus ædibus Divina mysteria celebravit, Ecclesiamque dicavit, quæ Romæ prima fuit, & e qua deinde confecta Ecclesia, quæ S. Petri *in Vincula* dicitur.

Pulvis. Divinus Servator Discipulos jubet pedum pulverem in eos excutere, qui ipsis neque aures, neque hospitium præbere voluerint: *Excutite pulverem de pedibus vestris*; ut ostenderent, se nullo cum iis commercio misceri velle, ne in perniciem & ipsi ruerent, in quam se præcipites dabant, qui Evangelium rejiciebant. *Jactare pulverem in aera*, furoris impetum quemdam designat. Legimus in Actis, Judæos nonnullos in S. Paulum vehementius exacerbatos pulverem projecisse; quæ loquendi ratio capitale odium significat, quo abrepti Judæi volebant in pulverem Paulum redigere: *Vociferantibus eis, & pulverem jactantibus in aera. Spargere pulverem super caput*, luctus, & mæroris argumentum erat, ut & in pulvere jacere: *Sedet in pulvere filia Babylonis. Pulvis* sepulturam, & mortem designat: *Ecce nunc in pulvere dormiam*: ad mortem propero, inquit Job. Item Regius Psaltes: *In pulverem mortis deduxisti me*. Denique Ecclesia, Cinerum die: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Eadem vox hominem mortuum significat: *Numquid confitebitur tibi pulvis?* Multitudinem: *Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te*: eorum numerus, qui te dissipabunt, minimo pulveri similis erit. *Quis dinumerare possit pulverem Jacob?* Quis multitudinem filiorum Jacob recensere poterit? *Pulvis pedum Dei*, apud Nahum, significat, Dominum in Assyrios eam hostium multitudinem educturum, ut progrediens pulverem nubium instar in Cœlum extollat.

Purgatorius *locus*, *ut Ecclesia quidem id nominis accipit, is est, in quo justorum hominum Animæ, qui in hac mortali vita non satis diligentiæ contulerunt, ut a sordibus se purgarent, quas per humanam imbecillitatem contraxerant, vel sua ipsorum vitia dignis pœnitentiæ fructibus expiare neglexerunt, detinentur, quoad Divinæ Justitiæ satisfecerint, nihilque in iis reliqui sit, quod impediat, quominus Cœlum subeant, ubi æterna Beatitudine perfruuntur. Non id hoc loco agitur, ut de* Purgatorii *vocabulo disputetur, quemadmodum de* Trinitatis, Incarnationis &c. *nominibus, etsi non occurrant in sacris Literis. Itaque id ostendi satis est, quod* Purgatorii *nomine significatur, ut causa vincatur.*

Certo certius est, in Inferno nullum prorsus esse peccatorum remissioni locum; in Paradiso autem neminem esse, qui veniæ indigeat, quoniam nihil impuri, ac sordidi in Cœlum intrabit. Quamobrem si pro certo habeatur, aliquam peccati remissionem in altera vita reapse fieri, aut fieri posse, perinde est, ac pro certo haberi, necessario Purgatorium existere, ubi Anima per concessam peccati remissionem purgetur. Jam vero peccatorum aliquam remissionem in altera vita locum habere Christus Dominus pro certo ponit, dum apud S. Matthæum cap. XII. *ita loquitur*. Qui autem dixerit (*verbum*) contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Purgatorium ergo Christus tamquam certum ponit. Perperam autem quispiam reponeret, Christum non dixisse, peccata fore, quibus in altera vita venia tribueretur, sed id unum dixisse, peccatum quoddam esse, quod neque in hoc, neque in altero sæculo remittetur, nempe, quemadmodum explicat* S. Marcus cap. III. 19. *quod nunquam remittetur. Quamvis enim peccatum, de quo hic agitur, nunquam remitti debeat, ut loquitur S. Marcus, id tamen S. Matthæi verbis nequaquam repugnat, neque impedit, quominus existant, qui in altera vita quorumdam pecca-*

cato-

catorum veniam obtineant, quæ iis in hac præsenti vita remissa non fuere; ut enim S. Augustinus *lib.* XXI. *de* Civit. Dei *cap.* 24. *animadvertit*, non vere de aliquibus diceretur, peccatorum veniam iis non concedi sive in hoc, sive in futuro sæculo, nisi locus esset, ubi peccata in futuro sæculo remitterentur, facta hypothesi, eadem in præsenti seculo remissa non fuisse. *S. Paulus Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* XV. 29. *idem docet, dum ita loquitur*: Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis? *Quocunque tandem sensu textus hic accipiatur, liquido constat, eos, qui hanc cæremoniam servabant, persuasum habuisse, se aliquid solatii mortuis afferre, quorum gratia eamdem servabant. Hoc porro solatium neque ad damnatos omni spe destitutos, neque ad Beatos in Cœlis nullius opis indigentes spectare poterat. Reliquum est igitur, ut non nisi Animarum in Purgatorio existentium esse potuerit.*

Ne quis autem dicat, in sacris Litteris de igne Purgatorii sermonem non fieri, satis fuerit hoc S. Pauli testimonium in I. *ad Corinthios Epistola cap.* III. 10. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. *Quæ Apostoli verba ponderans* S. Ambrosius *hæc habet*: Cum S. Paulus ait, eum purum fore, quasi per ignem transierit, ostendit, eum proprie salvum fore; sed ignis pœnas subiturum, ut eo purgatus salvus fit, nec, perfidorum instar, æterno igne torqueatur. *Non aliter S. Augustinus Enarratione in Psalmum* 37. *sentit, dum ita Prophetam loquentem inducit*: Domine, non in ira tua me corripis, ut me purges in hac vita, & eum efficias, ut ignis vi, qua purger, non egeam .... Quia legitur, salvus erit quasi per ignem; & quia Scriptura dicit, salvus erit, hic ignis contemnitur. Acrior tamen erit, ac sævior hic idem ignis, quam quicquid homo in hac vita perpeti potest.

Ecclesiæ Patres haud ii quidem certe minus erant in Sacræ Scripturæ lectione versati, quam Protestantes; iidem tamen in hoc sacro Libro precem pro Defunctis, & Purgatorii ignem inveniunt, quæ Protestantium oculos effugerunt. Hæc idem Patres ut vera Populis nuntiant & in sua scripta referunt; iidem hortantur Fideles, ut ita vivant, ut, cum occubuerint, nihil in iis supersit, quod igne Purgatorii tergendum sit. Qui agrum suum, *inquit S. Augustinus de Genesi ad lit. lib.* II. *cap.* 20. non excoluerit, & spinis repleti passus fuerit, eum manet in hac vita maledictio, & in altera ignis Purgatorii, vel æterna pœna. *Idem S. Doctor lib.* XX. *de Civit. Dei cap.* 25. *de pœnis quoque Purgatorii loquitur, quas* Purgatorias pœnas *nuncupat. Et lib.* XXI. *c.* 16. *de Infante loquens* ait: Si Mediatoris Sacramenta suscepit, ea licet ætate moriatur, cum e tenebrarum potestate in Christi Regnum translatus fuerit, non solum æternis pœnis addictus non est, sed ne Purgatorii quidem tormentum ullum post mortem patitur.

Immo vero Christus ipse apud S. Matthæum carceris nomine Purgatorium nobis designat: ne differas cum Adversario tuo convenire, dum incedis cum eo, ne forte is quidem te Judici, & Judex tortori tradat, & in carcerem conjiciaris. Amen dico tibi, non exibis, nisi ad ultimum quadrantem solveris. *Per hunc carcerem vetustissimi Patrum Purgatorium intelligunt, ut ex* Tertulliani *verbis lib.* de Anima *cap.* 35. *licet intelligi, qui Christianos hortatur, ut, quæ in baptismo edidere, promissa exequantur*; ne vos, *inquit*, Dæmon ad Supremi Judicis Tribunal accuset, & Judex Executori Angelo tradat, & in Inferni carcerem trudat; e quo non antegrediemini, quam minimum quemque defectum in Resurrectionis expectatione expiaveritis. *Carcer hic, quem Tertullianus* Carcerem Infernum *vocat, Damnatorum Infernus non est; quoniam, docente ipso, nemo diutius in eo morabitur, quam ad generalis Resurrectionis tempus, & quidem purgationis causa. Is ergo locus alius, quam Purgatorius esse non potest, in quo Fidelium Animæ detinentur, quoad satis purgatæ fuerint, ut in Paradisum ingrediantur.* S. Cyprianus *Epistola* 52. *& lib.* de laude Martyrii *Tertulliano concinit. Silentio prætereo librum* Hermæ, *Apostolorum discipuli, quem veteres Patres, ac* Tertullianus *inter cæteros laudant; quandoquidem Protestantes ipsi, &* Blondellus *imprimis ultro fatentur, in*

eo prorsus ut hodie inter nos, *de* Purgatorio *sermonem esse*; *fassusque est sua ætate* Calvinus, *Purgatorii Dogma a tredecim omnino sæculis*, *seu*, *quod idem est*, *ab Apostolicis usque temporibus in Ecclesia obtinere*. *Jam vero* Calvinus *ipse Institutionum suarum lib.* IV. *cap.* 2. *fatetur*, *primitivæ Ecclesiæ Patres*, *ut* S. Cyprianum, S. Hilarium, S. Cyrillum, S. Ambrosium, S. Gregorium, S. Augustinum &c. *Hæreticos non fuisse*, *eorumque temporum Ecclesiam purissimam extitisse*, quoniam ab Apostolis ad horum Patrum tempora, *Calvini verba sunt*, nec Romæ, nec aliis in Urbibus ulla doctrinæ mutatio contigit; *id autem potiore jure de tempore sentiendum est*, *quo* Tertullianus, S. Justinus, Hermas, *Apostolorum Discipuli vixere*. *Hi porro Sancti Doctores precem pro defunctis*, *& Purgatorium docuerunt*. *Immo* S. Epiphanius, *&* S. Augustinus *in Hæraticorum numero* Aerium *ponunt*, *quod preces*, *& oblationes pro defunctis factas rejiceret*. *Quid ergo ex hactenus dictis inferri poterit*, *nisi Protestantes*, *ut jam dixi*, *doctrinam primitivæ Ecclesiæ*, *ac Patribus*, *quos ipsi tamquam Sanctos Doctores habent*, *contrariam obtrudere*, *ipsosque in errore versari*, *ac vere Hæreticos esse*.

Contendebat Lutherus, *omnem temporalem pœnam peccato debitam cum peccato ipso tolli*, *ac proinde Purgatorium negabat*; *atque ut Laicos in Clericos incitaret*, *impudenter garriebat*, *sacrificia*, *oblationes*, *omnesque preces pro mortuis nihil aliud esse*, *quam deliria ad Presbyterorum emolumentum inventa*. *Senonensis Provinciæ Concilium an.* 1528. *Parisiis celebratum errorem hunc singillatim damnavit*, *definitque*, *peccatorum culpa post baptismum remissa*, *fieri posse*, *ut peccatores temporalis adhuc pœnæ debitores sint*, *suosque defectus in altera vita expiare debeant*; *atque adeo sanctissimam*, *& saluberrimam esse consuetudinem orandi*, *& sacrificia offerendi pro mortuis*, *ut constat ex Machabæorum* II. *cap.* 12. *Legatur Articulus*, Machabæi; *præterea Concilia potissimum duo*, Florentinum *sess.* 25. *in* Definit. Eugen. IV. *&* Tridentinum *Sess.* 25. *in* Decret. de Purgatorio. *Ad extremum legi poterit celebris Tractatus de Purgatorio* Leonis Allatii.

Puritas, *purum*. Vocabula hæc tum pro externa, tum pro interna puritate sumuntur. Externa puritas I. personas spectat, quæ per aliquod transiens incommodum, aut per eventa nonnulla eam amittere poterant. II. Animalia spectat, quæ pura declarabantur a Lege, quibusque vesci licebat. III. Refertur ad vestes, domos, & familiæ supellectilem, quibus impuritas aliqua contingere poterat, quæ earumdem rerum usum impediret. Ad amissam puritatem hanc reparandam, purificationum genera plura Lex instituerat. Quod autem suapte natura impurum erat, nunquam purum evadere poterat, ut animalia vitio aliquo laborantia, aut quæ Lex talia declarabat. Verum aqua, igne, nonnullisve lustrationibus homines, vestes, domus purificabantur, quæ aliquam impuritatem contraxerant. Porro distincta, accurataque ratione super hac externa puritate se Moses exprimit, quia utpote Legislator potissimum eo spectabat, ut hominum manus cohiberet, & externam Reipublicæ formam moderaretur. Non adeo perspicuis verbis se super ratione explicat, qua reparetur interna puritas, quæ vitæ integritate, recta mentis habitudine, accurataque Dominicæ Legis custodia continetur; satis tamen dicit, ut significet, hanc puritatem non nisi per resipiscentiam, peccatorumque execrationem recuperari, ac siquidem his præparationibus sacrificia Lex addi volebat, hæc tamen nullius esse meriti, nulliusque roboris, nisi contritioni, in Deum fidei, & charitati jungatur. Id nimirum nos S. Paulus præsertim in Epistola ad Hebræos docet, in qua probat, Legis Veteris sacrificia ipsa per se nihil omnino ad depellendos animi morbos profuisse, & in Nova Lege ad injuriam Deo per peccatum illatam reparandam, Christianum hominem a Legalium impuritatum jugo liberum in animi innocentia veram puritatem collocare, easque tantum veras, & proprie dictas sordes censere, quæ animum inquinant: *purgationem peccatorum faciens*.

Purificatio. Erant apud Judæos purificationum genera plura in Lege præscripta, pro impuritatum varietate, quæ contrahi poterant, seu mortuorum contactu, seu ma-

matrimonii usu, seu lepra, seu gonorræa, seu denique involuntaria quacunque alia ratione. Erant iisdem innumeræ aliæ, & quidem arbitrariæ, ac superstitiosæ purificationes. Causa exempli, ad mensam non prius accedebant, quam manus lavissent, a summo digito ad cubitum effusa aqua. Manus etiam lavabant, statim ac domum rediissent; lavabant mensam ipsam, vasa, lectum, & quicquid apud eos usui erat, hac in re Majorum suorum traditionem secuti. Iis semper ad ejusmodi purificationes vasa capacia aqua plena præsto erant: *erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum.*

Purificatio Virginis. Festum hoc inter Christianos institutum fuit, ut ejus diei mysterium coleretur, quo die Maria Virgo Templum adiit, ut Legem impleret, qua dicebatur, mulier per dies quadraginta, si masculum, & per octuaginta, si fœminam peperisset, impura fore; tum vero jubebatur in Templum ingredi, ibique pro filio Agnum cum Turture, ac si pauper esset, Turtures duas tantum offerre: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ . . . . ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Levit. cap. XII. 2. 4. Nimirum per septem a partu dies mulier nihil tangere poterat, quin id pollueret, iis autem exactis, impuritas non impediebat, quominus ad domestica negotia mulier incumberet; sed eam tantum ab usu, & participatione sanctarum rerum arcebat. Quamvis autem Sancta Virgo huic Legi nequaquam subesset, quippe quæ per singulare miraculum concepisset, ea tamen humilitate fuit, ut hanc cæremoniam subire vellet, quæ ejus Divinæ Maternitati, & conceptus puritati detrimentum ac dedecus afferre videbatur *. Ecclesia porro, in hujus perfectæ humilitatis monumentum, Purificationis Festum die 2. Februarii celebrat. Festum hoc, quæ fere omnium opinio est, medio sæculo sexto Justinianus Imperator instituit, insignis occasione contagii, quod Constantinopoli grassatum est. Certum saltem est, hunc Principem statuisse, ut id Festi die 2. Februarii, & quidem ubique eadem ratione celebraretur. Addendum & illud, hoc idem Festum potius ad Filium, quam ad Matrem spectare, scilicet ad Christum Dominum, qui præsentatus in Templo, Deoque Patri suo oblatus fuit. Nullo non tempore Processio fieri consuevit, in qua Fideles accensos cereos ferentes incedunt. Eo spectavit hujus Festi institutio, ut profanorum sacrificiorum memoria deleretur, ab Ethnicis edi solita mense Februario, ut homines, agri, Urbes denique purgarentur, cerei vero facibus suffecti fuere, quas Ethnici in Lupercalium Festis gestabant, in quibus homines nudi per vias cum accensis facibus discurrebant.

* *S. Lucas Evangelii sui cap.* II. *mysterium Purificationis Virginis, & oblationis Christi Domini in Templo ita describit:* Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; & ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. *Deinde Evangelista justi, Deumque timentis viri Simeonis occursum refert, qui Christum in ulnas excepit, sacrumque Canticum cecinit. Nos, ut hoc Mysterium in congruo lumine collocemus, expendemus capita quatuor, quæ non levi difficultati subsunt.* I. *De quanam purificatione hoc loco sermo sit, Mariæ ne, an Christi, an utriusque.* II. *An legibus, quæ ibidem referuntur, summo jure Christus, & Maria tenerentur.* III. *Quis fuerit is Simeon, qui Christum suscepit; Sacerdosne, ut vulgo creditur, an Laicus, justitia, & prophetiæ dono illustris.* IV. *Fabellas nonnullas rejicimus quoad Virginem, quæ purificationis officium obiit.*

Non deerit profecto, qui prima fronte valde miretur, in controversiam vocari, quam demum purificationem, Christine, an Virginie, an denique amborum, S. Lucas intellexerit. Atqui nihil equidem video, de quo acrius inter Interpretes dissentiatur. Dubitationi locum præbet Latinus vulgatæ Versionis textus: Postquam impleti sunt dies purgationis ejus. *Pronomen enim ejus, cum utriusque generis sit, æque ad Christum fi-*

 lium,

lium, *ac Virginem matrem referri potest*, *& seu Christi*, *seu Virginis purificationem innuere*. *Immo vero*, *siquidem ex Grammaticæ legibus ad eam personam referendum pronomen est*, *de qua proxime factus est sermo*, *dubio procul ad* Christum *spectabit*, *de quo statim antea leguntur hæc*: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. *Ac nullis interjectis*, *atque adeo per copulam*, *quæ periodum conjungit*, *subditur*: Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus &c. *ut profecto non Virginis*, *sed Christi purificatio designari videatur*.

Græcus porro textus, *qui dubitationem omnem disjicere potuisset*, *ob lectionis in exemplaribus varietatem*, *longe solutu difficiliorem quæstionem reddidit*. *Nonnulli Codices legunt* αὐτοῦ ejus, *masculino genere*, *idque ad Christum referunt*, *perinde ac si ejus purificatio describeretur*. *Codices alii legunt* αὐτῆς ejus, *fœminino genere*, *idque ad Virginem referunt*, *quasi de ejus purificatione sermo esset*. *Alii denique legunt* αὐτῶν eorum, *idque ad ambos referunt*, *ut si Christi*, *& Mariæ Virginis ejus Matris purificatio commemoraretur*. *Hinc orta inter Patres dissensio*. *Et sane nonnulli Veterum*, *quos Adnotatione 37. in S. Lucam* Toletus *recenset*, *lectionem primam amplexi sunt*, *contendentes*, *de legali secundum hominum opinionem Christi Domini purificatione ibidem agi*. Venerabilis Beda, *& Recentiorum multi lectionem alteram adoptarunt*, *quæ ad Virginem tantum refertur*. *Suscepere lectionem tertiam* Origenes *Hom.* 14. *in Lucam*, *Auctor Homiliæ* de Occursu *apud S. Joannem Chrysostomum*, *&* Eutbymius *in Commentariis in S. Lucam*; *opinantur scilicet*, Evangelium *de purificatione plurali numero locutum esse*; *ita nimirum*, *ut per pronomen* αὐτῶν illorum Origenes *Christi simul*, *& Matris purgationem intelligat*. Eutbymius *denique Mariæ*, *Josephi*, *& Christi purificationem per id pronominis explicat*.

At quis non celebrem hoc loco Babelycam confusionem perspiciat? Quid interim nos in tanto oppositarum opinionum conflictu? Eam certe sententiam amplectemur, *quam Catholica Ecclesia*, *& recta ratio Sacris Litteris nixa recipit*, *& probat*; *eam nempe*, *quæ tuetur*, *hoc loco unius Virginis*, *non jam Virginis & Christi*, *multoque minus Christi*, *Mariæ*, *& Josephi purificationem recitari*.

Ita sane Catholica sentit Ecclesia, *digna Sacræ Scripturæ interpres*, *quæ in Missa dici Purificationis illud Evangelium recitans*, *loco pronominis* ejus, *distincte*, *& perspicue legit* Mariæ: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi &c. *illuaque solenne Festum tam in publicis precibus*, *quam in Martyrologio*, *Virginis*, *non jam Christi*, *seu Josephi Purificationem vocat*. *Iis*, *quæ diximus*, *suffragatur ratio*. *Et sane de Purificatione secundum Mosaicam legem edenda agitur*, *quæ purificatio Matris erat*, *cujus immunditiem*, *non autem Infantis*, *aut Viri detergi oportebat*. *En ipsa Legis verba*, *Levitici cap.* XII. Mulier, si, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur Infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies Purificationis suæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta diebus manebit in sanguine Purificationis suæ. *Hæc autem omnia dicta sunt de Matris immunditie*, *ac de ejusdem purificatione*; *nihil de Filio*, *nisi quod octavo die circumcidendus erat*; *certe de Viro nihil omnino*. *Errant igitur graviter*, *qui*, *ut nobis nati Pueri Legalem nescio quam immunditiem propinent*, *a qua per peculiarem purificationem liberandus erat*, *ajunt*, *Agni anniculi*, *& Columbarum oblationem ad Filii purificationem fieri consuevisse*. *Errant*, *inquam*, *prorsusque delirant*; *oblatio enim hæc ipsa ad Matris purificationem spectabat*. *Adeo clara sunt sacræ Scripturæ verba*, *ut id in dubium revocari omnino non possit*: Deferet Agnum anniculum in holocaustum, *subdit Moses*, & pullum Columbæ pro peccato, & tradet Sacerdoti, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profluvio sanguinis. *Quæ cum ita sint*, *Evangelium de Mariæ purificatione unice loquitur*. *Ac si qua in Græcis Codicibus varietas occurrit*,

rit, putos, sincerosque sequi debemus. qui lectionem vero, & germano Scripturæ sensui consentaneam retinent; ejusmodi profecto sunt ii, qui legunt αὐτῆς, ejus, fœminino genere, quod ad Virginem tantum refertur.

Nobis tamen opponunt scioli, in iis S. Matthæi verbis, postquam impleti sunt dies purgationis ejus, pronomen ejus ad eam personam referri debere, cujus mentio proxime facta occurrit, adeoque ad Christum esse referendum, de quo sermo proxime factus fuit: postquam consummati sunt dies octo, ut circuncideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. At hi Grammatices Magistri, quorum propria petulantia est, animadvertant, quæso, totam præcedentem periodum ad Christum spectantem, in qua ejus Circuncisio refertur, quadam veluti parenthesi conclusam fuisse; ut proinde pronomen ejus in Evangelico textu referatur ad eam personam, de qua ante parenthesim Evangelista locutus erat; jam vero ante parenthesim locutus erat de Virgine Matre: Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quare pronomen illud ad Mariam, non ad Christum referri debet. In Evangelico ergo textu de Virginis, non autem Christi purificatione agitur, quod subsequentia ejusdem Evangelii verba evidenter ostendunt.

Suo jam ordine sequitur altera quæstio de Mosaicis Legibus, quibus in ea purificationis Cæremonia Virgo, & Christus se subdere voluerunt: utrum scilicet iis stricto jure subessent, an vero essent ab iisdem soluti, prorsusque liberi. Porrò Leges hæ sunt omnino tres: priores duæ ad puerperam Matrem, tertia ad filium genitum unice spectant. Occurrit prima in Levitici Capite XII. 2. si nempe mulier masculum peperisset, quadraginta diebus immundam fore. Legem alteram exhibet idem Caput v. 6. oportuisse scilicet, ut mulier ita secundum Legem immunda, ad purificationem obtinendam, Agnum anniculum in holocaustum, & pullum turturis, seu columbæ in victimam pro peccato, siquidem dives esset, sin autem pauper, solummodo par turturum, aut duos pullos columbarum offerret. Continetur Lex tertia Exodi Capite XIII., ut nimirum si nata proles mascula sit, & primogenita, præsentetur, offeraturque Deo, tanquam ei propterea debita, quod Hebræorum primogenitos sospites, incolumesque servaverit, cum exterminator Angelus, Pharaonis, & Ægyptiorum primogenitos interfecit; ita tamen, ut Deo a Genitoribus oblata proles siclis quinque redimi possit.

Ab utraque Lege, ad puerperas spectante Beatam Virginem immunem fuisse unanimi sententia docuere Patres, quibus unus Origenes Hom. 14. in Luc. adversari visus est. Ac statim sane se offerunt rationes duæ. I. Memoratæ Leges afficiunt eas fœminas, quæ infantes virilis seminis ope conceptos peperissent: Mulier, ait Moses, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit. At Dei Mater absque seminali opera peperit; ab ea igitur Lege soluta erat. II. Ea legalis immundities, quæ a Genitoribus contrahebatur, quæque deinde purificanda erat, non nisi e fluxu menstruo contrahebatur: immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ; & paucis interjectis: mundabitur a profluvio sanguinis. Jam vero fluxus menstruus in Maria nullus fuit; tum quia virgo, & sine virginalis claustri fractura peperit; tum quia, cum Sancti Spiritus opera concepisset, is tantum sanguis in Virgine fuit, quo in Utero ad fœtus nutritionem opus erat, quo sane fœtu ex Utero egresso, is omnis sanguis ad mammas abiit, & lac evasit, quo natus puer aleretur. Non ergo supervacaneus extitit sanguis menstruus, ac proinde nulla Legalis immunditiès, nulla denique purificationis Lege præscriptæ necessitas fuit.

Majoris ergo momenti fuerit definire, an ipse Christus ab alia Lege liber fuerit, quæ præcipiebat, ut primogeniti Deo offerrentur, & dicarentur. Et sane jam prima fronte ab ea Lege videtur exclusus; ita enim Exodi cap. XIII. scriptum legimus: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel,

Israel, tam de hominibus, quam de Jumentis. *Porro Christus, dum in hanc lucem prodiit, maternam vulvam non aperuit, sed Uterum penetrans, non autem frangens egressus est. Ea ergo Lege non tenebatur. Nihilominus consultis Ecclesiæ Patribus, attentoque animo ponderatis, ut eos consuli, expendique necesse est, siquidem Theologi esse volumus, longe aliter rem se habere perspicio, eaque Lege obstrictum Christum comperio, a qua cæteroquin liberum vellem, nisi Patrum auctoritas repugnaret. Ita summa animorum consensione statuunt* Tertullianus *in libro* de Carne Christi, Origenes *Hom.* 14. *in S. Luc.* S. Ambrosius *lib.* 2. *in S. Luc.* S. Hieronymus *lib.* 2. *contra Jovinianum*, S. Gregorius Nyssenus, S. Amphilochius, S. Isidorus, Theophilactus, Euthymius, S. Joannes Damascenus. *Jam omnes hi Patres in eam sententiam conspirant, Christum non modo ea primogenitorum Lege comprehendi, sed potiore ratione, quam cæteros primogenitos, atque adeo ejus potissimum caussa constitutam eam Legem fuisse; eumque imprimis decuisse se Deo præsentare, & offerre, quippe qui vere, ac prodigiose Sanctus esset.*

At inquiet fortasse quispiam, cur Christus ei Legi subesse dicitur, quæ solis primogenitis masculis, vulvam aperientibus indicta fuit? Equidem, si meum hoc loco responsum postularetur, facile sponderem, sacram Scripturam fere hac loquendi ratione uti, quæ eos designat, qui e materno Utero primi egrediuntur, quocunque demum pacto contingat egressus, seu per apertam vulvam, quæ communis est nascendi ratio, seu per Uteri penetrationem, quod unius Christi Domini privilegium fuit. Mosem autem propterea dixisse, sanctificandum, hoc est, offerendum Deo esse non quemcunque primogenitum, sed eum, qui vulvam aperit, videlicet omnium primus e materno utero egreditur, quia potest aliquis esse primogenitus inter masculos, qui tamen vulvam non aperiat, si antea fœmina nata fuerit; & præterea potest aliquis esse primogenitus Viri, non Conjugis, quæ ex præcedente matrimonio filium genuerit. Hoc sane meum, siquidem exposceretur, responsum esset, quo propositam difficultatem solverem. At quia non mea, sed Patrum responsio petitur; quorum hoc loco sententiam expendo; ii contra respondent, tantum abesse, ut ex his Mosis verbis, primogenitum, quod aperit vulvam, *evinci possit, Christum ab ea Lege immunem fuisse, ut potius ex iis ipsis firmius argumentum deducant, cujus vi permoti hac eadem Lege Christum involvant. Christum enim ea loquendi ratione peculiariter designatum putant. Cæteri, inquiunt ipsi, tam Hominum, quam Animalium primogeniti, cum nascuntur, Vulvam non aperiunt, sed potius apertam inveniunt, per præcedentem nimirum copulam, quæ vulvam aperire cœpit, antequam nascentis infantis decensu penitus aperiretur. At Christus natus e Virgine, quin conjugalis copula præcessisset, nascens ipse quidem vulvam aperuit, quam clausam, & obsignatam invenit. Ita laudati Patres unanimi sententia memoratam Exodi Legem explicant.*

Absit porro, in ea opinione nos esse, ut Deiparæ Virginis puritati injuriosos tot sanctos, & doctissimos Ecclesiæ Patres judicemus, dum maternam vulvam a Christo nascente apertam dixerunt. Etenim aperire vulvam in eorum scriptis nihil aliud significat, quam penetrabilem reddere, ne scilicet Christo, qui egrediebatur, obstaculo esset; quod absque fractura, atque expansione uteri contigit, prodigiosa penetratione, quæ virginale claustrum intactum reliquit.

Cum ergo de puerperii, ac primogenitorum Lege satis hactenus dictum fuerit, ad eam quæstionem, quæ de Simeone est, accedamus; an scilicet Sacerdos fuerit, qui pro muneris sui ratione, e Parentum manibus Christum sumpsit, Deoque obtulit, pro ut Lex præcipiebat; an vero Laicus, qui pietate, ac religione gestiens, Christum in ulnas suscepit, Deo benedicens, qui tandem aliquando promissum Servatorem in Mundum.

dum misisset. Eum vulgus Sacerdotem putat, Pictoribus huic opinioni magnopere patrocinantibus, qui Simeonem, Pontificis in modum, Sacerdotalibus vestibus indutum depingunt; sed inconsulto prorsus, ac temere.

Occasionem fabulæ præbuit circunstantia loci, a quo pius, & religiosus Senex id officii persolvit. Cum enim legatur in Evangelio, puerum Jesum a Simeone in ulnas exceptum esse, dum a Parentibus in Templum induceretur, Deo offerendus; inconsiderate judicatum est, eum ipsum Simeonem Sacerdotali dignitate insignitum fuisse. At si leves homines attentius Evangelium legissent, animadvertissent, rem longe aliter contigisse, jactatumque Simeonis Sacerdotium inter Esopi fabulas retulissent. Sane Sacerdotes in intima Templi parte prope Domini Tabernaculum versabantur, ibique pro eo quod obibant, officio, Deo pueros offerebant, quos e Parentum manibus sumpserant. At Simeon puerum Jesum in ulnas suscepit, fortuito quodam occursu extra Templum, vel ad Templi fores; nempe dum Sanctus Senex ad Templum pergeret, obvios habuit forte fortuna Christi Parentes, a quibus in Templum, Domino offerendus inducebatur: Et venit *inquit S. Lucas cap.* 2. in Spiritu in Templum; cum inducerent puerum Jesum Parentes ejus, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum. *Quod adeo Græcæ Ecclesiæ persuasum fuit, ut a primis usque sæculis Simeonis Christum in ulnas suscipientis, & sacrum Canticum recitantis religionem celebraverit, eumque ipsum solemnem diem Festum occursus Domini, ὑπάπαντος appellaverit. Hinc apud Græcæ Ecclesiæ Patres Homiliæ plures, & Sermones* de Occursu Domini. *Quamobrem Sanctus Senex, Christo in ulnas suscepto, benedixisse Deo dicitur in Evangelio, non Christum Dominum Deo ipsi obtulisse, quod sane præstitisset, si umquam Legalis Sanctificationis Minister, & Sacerdos eum suscepisset. Eodem accedit, infantium oblationem in Templo non ante peragi consuevisse, quam Matres in remota Templi parte purificationis Legi satisfecissent, & præscripta dona obtulissent; nimirum ante id Tempus immunda censebantur:* Omne Sanctum non tangebant, *Levitici verba sunt,* nec ingrediebantur in Sanctuarium. *At Simeon illud pietatis officium edidit, cum Parentes puerum Jesum in Templum inducerent, nempe cum Mater nondum purgationis Legem implesset, sed ad eamdem implendam pergeret. Quod ergo Simeon egit, haud sane Sacerdotale oblationis officium fuit, quo Sacerdos puerum e parentum manibus susceptum Deo offerebat. Ceterum Evangelii, Ecclesiæ, omniumque tam Græcorum, quam Latinorum Patrum silentium evidentes ostendit, Simeonem in hoc facti specie nullam omnino Sacerdotalem functionem obiisse, atque adeo ne Sacerdotem quidem fuisse. Sane S. Lucas religiosi Senis elogium contexens, plures ejus titulos congerit, alte silens de Sacerdotio:* Homo erat, *inquit,* in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus expectans redemptionem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo; *cum idem Evangelista alibi Sacerdotis titulum, quoties decuit, ac res tulit, nunquam omiserit, immo vero primo loco posuerit. Ecclesia quoque tam in precum officio, quam in Martyrologio ad diem 8. Octobris, qua die S. Senis Simeonis Natale celebratur, Sacerdotis dignitatem silentio præterit, quam cæteroquin diligenter notat, ubi notanda erat. Omnes Ecclesiæ Patres S. Senem Simeonem commendantes, quemvis alium, quam Sacerdotis titulum adhibent, si opera nonnulla falso tributa Patribus, quorum nomen præferunt, excipiamus, quæ de Simeonis Sacerdotio mentionem faciunt, sed quæ tamen utpote ab impostoribus, & falsariis edita nihili facienda sunt.*

Quod ergo apud S. Lucam cap. 11. *v.* 24. *legitur, nempe Christi Parentibus Simeonem benedixisse, id non jam de Sacerdotali benedictione accipiendum est, sed laicali, qua in Veteri Testamento Seniores, Patresfamilias, Reges, Judices, Duces, & in aliis dignitatibus constituti ceteris benedicere solebant; cujus rei innumera exempla afferre possem, siquidem opus esset. Nec mirari desino, nonnullos Interpretes adeo infirmo argumento usos esse, ut evincerent, Simeonem Sacerdotem fuisse. Quod si ita esset, eos omnes Sacerdotes dici oporteret, qui in Veteri Testamento benedictionem aliis tribuisse referuntur; quod a vero maxime alienum est. Quæ quidem benedictiones auguria felicia fuere, per quæ Laici aliis etiam pro-*

spera

spera portendebant, *ac denique promittebant*, *siquidem Prophetiæ dono præditi erant*.

Flocci pendo fabulam aliam de Simeone vulgatam, *eum scilicet oculorum usui*, *quo præ senectute spoliatus erat*, *restitutum esse*, *statim atque in ulnas Christum suscepit*; *male quippe assuta fabella corruit ipsa per se*. *Si enim Sanctus Senex non modo Sacerdos erat*, *ut iis Scriptoribus placet*, *verum etiam Sacerdotali munere fungebatur*, *qui cæcus esse poterat*, *siquidem sacrum ministerium ob oculorum vitium obire minime potuisset*? *Neminem latet*, *cæcos*, *claudos*, *gibbosos*, *corpore mutilatos*, *& deformes Mosaica Lege ab Altari exclusos fuisse*. *Quid autem nugas plures sibi refcilenaat fumat*, *quæ super Sene Simeone*, *ac super Virgine*, *in ipsa purificationis executione*, *venditatæ sunt*? *Lectorem frustra delassarem*, *& paginas incassum implerem*, *quæ sunt in ejusmodi opere melioribus rebus*, *scituque digniotibus reservandæ*.

Purpura. Nomen hoc proprie piscem in concha significat, in cujus gutture albicans vena, e qua liquor, quo ad purpureum colorem Veteres utebantur. Color hic vividus erat, aspectuque jucundus, ac deinde ad pannos transfit: *Hæc sunt*, *quæ accipere debetis* . . . . . *hyacinthum*, *& purpuram*; ita Deus Tabernaculi opera, summique Sacerdotis ornamenta a Mose tincta vult. Purpura significat etiam indumentum, quo ad cæterorum discrimen Reges utebantur, ac Proceres, quibus id honoris Reges ipsi concedebant; ac proinde *purpurati* nuncupabantur: *Indutus est Daniel purpura*. Hujus vestis usus deinceps penes divites fuit: *Induebatur bysso*, *& purpura*, ita in Evangelio, ubi de improbo divite sermo est. Eadem veste Idola sua induebant Ethnici, quemadmodum apud Jeremiam legimus: *Hyacinthus*, *& purpura indumentum eorum*. Itaque Milites, qui Christum crucifixerunt, eum purpura induerunt, ut jactatum Regem deriderent: *Induunt eum purpura*.

Puteoli, Urbs in Neapolitano Regno, ubi S. Paulus septem dierum spatio moratus est: *Secunda die venimus Puteolos*. Urbs hæc, quam subactam Romani in Coloniam erexerunt, olim idoneo portu, magnificis ædibus, opulentisque Templis spectanda erat. Ejus balnea celebratissima ingentem hominum multitudinem undique convocabant; suburbia elegantibus ædificiis ornata, quæ Romani extruenda curaverant. Caligula pontis 3900. passus lati ibidem erigendi consilium inierat, qui Bajas attingeret (& quidem supersunt etiamnum Regii hujus operis columnæ duodecim) duplici Navium ordine, quas anchoræ sustentabant, tabulæque tegebant, quas ipse tum equo insidens, tum curru trajecit. Gravissimas vicissitudines passa Urbs jam nihil amplius, quam exigua veteris splendoris vestigia retinet. Legatur articulus *Puteoli* Tom. II. Dictionarii Geographici.

Puteus, profundus in terra locus, aquæ ad potum hauriendæ inserviens: *Non bibemus aquas de puteis tuis*. Puteus viventis, & videntis inter Cades, & Barne, is est, quem Angelus ostendit Agar in Deserto, e quo mater Ismaeli filio, siti propemodum pereunti aquam præberet: *Appellavitque puteum illum puteum viventis*, *& videntis*. In Arabia, ubi perrara aqua est, putei celantur, superinducto sabulo, ne advenæ conspicati aquam hauriant. Nonnunquam putei causa oriuntur inter pastores, & rusticos gravia dissidia. Hujus rei exemplum sacra Scriptura nobis suppeditat inter eos, qui ab Abimelech Geraræ Rege, & qui ab Isaac erant. *Puteus* etiam pro quovis profundo loco sumitur: *puteus interitus*, *corruptionis*, puteus mortis, sepultura, ubi cadaveria corruptio contingit, vel Infernus, ubi reprobi æternis pœnis addicti sunt, qui etiam *puteus abyssi dicitur*. Sumitur idem nomen pro calamitate, pro periculo: *Neque urgeat super me puteus os suum*: puteus, in quem me projecerunt, super me non claudatur; puteus hic vim maximam malorum designat. Christus nimirum hac loquendi ratione Patrem rogat, ne se a morte vinci, aut diu in sepulcro clausum jacere patiatur. *Puteus angustus aliena*: extranea fœmina veluti puteus angustus est, e quo non amplius exitus patet; ea quippe quos irretivit, ad certum perniciem trahit. Denique fontem bonis affluentem significat: *Puteus aquarum viventium*, *quæ fluunt impetu de Libano*. Ecclesia per sponsam significat

gnificat fons est aquæ vivæ, gratiæ scilicet, quam io eam Christus effundit. *Puteus bituminis*. Ejusmodi putei in planitie Sodomæ plures erant, antequam incolæ sceleribus longe gravissimis Divinæ iræ fulmina in se coocitassent. *Vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis*.

Putiphar, Dux custodum Pharaonis, cui Joseph a Madianitis Mercatoribus venditus fuit: *Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari Eunucho Pharaonis Magistro Militum*. Eunuchi nomen hoc loco nihil aliud quam militum in Pharaonis Aula Præfectum significat; Putiphar enim dubio procul conjugatus erat, & filios etiam susceperat, ex eorum sententia, quibus ipse Heliopoleos Sacerdos fuisse videtur. Cum ergo Putiphar Josephum emisset, perspiceretque, quicquid ei demandatum esset, e voto succedere, eum singulari amore complexus est, reique domesticæ omoi præfecit. At post annos aliquot Putipharis Conjux Josephum, quem cœco libidinis impetu abrepta frustra ad turpia sollicitaverat, tamquam honestatis suæ tentatorem apud virum accusavit; qui scelestæ fœminæ dictis leviter fidem adhibens, innocentem puniit, & in carcerem trudi jussit. At Deus, qui Josephum suo ipsius spiritu cumulaverat, eum Pharaoni notum voluit, a quo totius Ægypti Regno præpositus fuit, Aseneth quoque Putipharis filia in conjugem tradita: *Deditque illi* uxorem Asenet, filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Auctores nonnulli contendunt, Putipharem hunc non eundem ac primum Josephi Dominum esse, idque tum ex varia ratione probant, qua hæc nomioa in Hebraico textu scribuntur, tum ex Sacerdotis titulo, quo sacra Scriptura posteriorem insignit; sed ambræ rationes hæ adeo infirmæ sunt, ut non oisi præsumptionem efficiant. Non absonum fuerit credere, Sacerdotem Heliopoleos, militumque Magistrum fuisse unum eundemque hominem, qui obiret officia hæc duo, primum Heliopoli, alterum Tanis, ubi Pharaonis Aula versabatur. *Genes.* XXXVII. XLI.

Pygmæus. Occurrit id nomiois in Ezechielis Latino textu: *Sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum*. Erant hi Phœniciæ populi admodum strenui, qui *pygmæi*, *cubitales* nuncupabantur, propterea quod ad mare degerent in isthmo, cubiti formam exhibente; vel iis a *lucta* nomen, quippe qui in luctæ pugna fortes essent; non autem quia, ut est in fabulis, cubiti altitudinem non excederent.

Python. Nomeo hoc proprie Apollinem Deum significat, qui dictus *Python*, seu *Pythius* a Serpeote Pythone, quem interfecit, vel a verbo *interrogare*, quoniam reddebat iis oracula, qui eum interrogabant. Hinc factum est, ut, qui futura prædicendi dono pollerent, Pythonis spiritu pleni dicerentur. Septuaginta Interpretes, & Vulgatæ Versionis Auctor locutione hac usi sunt, ut Divinos, Magos, Ventriloquos, seu Dæmonem ventre gestantes significarent; hi quippe Divini, quo tempore furore quodam, vel enthusiasmo seu vero, seu ficto repleti erant, intumescebant, utris instar extendebantur, & verba e stomachi veluti fonte trahebant. Hinc Isaias Hierosolymam afflictam, depressamque, tamquam e terræ visceribus, veluti Pythonissam quamdam locuturam ait: *Erit quasi Pythonis vox tua de terra*: egrediens e terra vox tua Pythonissæ voci similis erit. Veruerat acriter Deus, ne id genus hominum Judæi consulerent: *Nec sit incantator, nec qui Pythones consulat*. *Deuter. cap.* XVIII. Et *Levit. cap.* XX. *Vir*, inquit, *sive mulier*, *in quibus Pythonicus*, *seu divinatorius fuerit spiritus*, *morte moriantur*. Eos e sua ditione Saul expulit, qui tamen ipse eo imbecillitatis postea devenit, ut se ad Pythonissam Endor consulendam conferret: *Divina mihi in Pythone*. Reges Juda, qui Dominum timebant, nugivendos Ariolos hos e Regni sui finibus extermioarunt. S. Paulus Philippis in Macedonia Puellam ethnicam nactus, quæ Pythonis spiritum possidebat, herisque suis non parum emolumenti, divinationis ope, afferebat, eam a malo spiritu liberavit: *Factum est*, *puellam quamdam*, *habentem Spiritum Pythonem obviare nobis* .... *& exiit eadem hora*. *Actor.* XVI. 16. *

* *Hoc loco me nihil abs re factum puto, si quid attigerim quoad Pythonissas, Magas, Veneficas, seu Veneficos, Fascinatores, ac si qua sunt id genus alia vocabula, quibus ii designantur, qui Artem magicam Diabolicam nigram, ut dicitur, profitentur, ad Artis Magicæ naturalis, & artificialis discrimen, quæ damnata non est, quia scilicet vel a systematis, cursusque planetarii cognitione, vel a Mathesi derivatur. Ac mirum sane, eos omnes, qui se doctos exhibent, veneficia ad fabulas amandare, contendentes, Diabolicam Artem Magicam, quæ Dæmonum cum hominibus commercio continetur, aut puram putamque vafritiem, ac fraudem esse, aut demum post Christi Domini adventum desiisse, ac penitus evanuisse, quæ clarissimi ceteroquin viri* Marchionis Maffeii *sententia fuit, in quadam Epistola, quam super hac re ad* P. Innocentem Ansaldium *e Prædicatorum Ordine scripsit. Haud equidem priorum opinionem dignam puto, in qua refellenda immorer; Deus quippe somniasse dicendus esset, cum expressis verbis c.* XIX. *Levitici vetuit Magos consuli:* Ne declinetis ad Magos; *cum etiam ejusdem Levitici cap.* XX. *jussit, ut Vir, seu Mulier, in quibus Pythonicus, seu divinatorius spiritus esset, lapidibus obruerentur:* morte moriantur, & lapidibus obruent eos; *cum preterea Exodi cap.* XXII. *Maleficos extremo supplicio affectos voluit:* Maleficos non patieris vivere; *cum denique Deuteronomii cap.* XVIII. *Pythonicis gravissimas ejusmodi pœnas imposuit. Somniarunt etiam Imperatores Ethnici, ut* Tiberius, Dione *referente, & Imperatores Christiani, ut* Constantinus, Constantius, Honorius, Theodosius, Valentinianus, *&* Valens, *qui gravissimas leges in Artem Magicam ediderunt, Judicum potestati traditis iis, qui eam docerent, ediscerent, eademve uterentur. Quamobrem sanæ Theologiæ documenta secutus, quæ nos cogit Divinæ auctoritati, non jam erroneis humanæ rationis inventis, & ludibriis fidem addere, quemadmodum Divus* Augustinus *lib.* x. *de Civit. Dei cap.* XXXI. *docet:* Divinæ auctoritati humana cedat infirmitas; *haud proinde Magicam Diabolicam Artem in dubium revocari posse puto, quippe quæ, meo quidem judicio, quotidiana experientia firmatur, omniumque sæculorum fide nititur. Et sane siquidem ad Dæmonum tum cognitionem, tum potestatem, quæ hominum seu scientiam, seu vim longe multumque superant, tum denique malitiam, hoc est, nihil non mali nobis inferendi voluntatem parumper animus referatur; haud video, qui fieri possit, ut quispiam Magicam ejusmodi artem negare audeat, per quam homines cum malis Spiritibus, ea, qua maxima pollent, notitia, & facultate ad ipsorum hominum detrimentum uti sane volentibus commercium ineunt.*

Videamus tamen, quænam argumenta cordati hominis animum movere possint, ut a communi sententia recedat. Ajunt primo loco, qui contra sentiunt, Medicos apud Petrum Apponensem in Probem. Arist. sect. 30. q. 1. *multa, quæ præter ordinem, & mirum in modum fiunt, melancholiæ, ac phrenesi tribuere, causa exempli, rusticum phreneticum nescioquem ad Medicum, aliosque de sua, conjugisque, ac filiorum salute satis ornate, & copiose dixisse; alium, qui Poesim nec e limine salutasset, ligata numeris oratione satis eleganter, & apposite locutum esse;* Maracum *quemdam, siculum Civem, & Poetam nunquam melius edidisse poemata, quam cum a mente alienatus esset; fœminam eorum nescioquam, cum phrenesi corriperetur, virtutes, & occulta vitia, qui eam inviserent, detexisse; nonnullos denique Latino, aliisque ignotis sermonibus locutos esse. Hæc, & ejusmodi alia, Medicorum judicio, secundum naturæ leges, ex atræ bilis, & melancholiæ motu, ac perturbatione contingere possunt. Ita enim comparati homines (inquiunt Adversarii) ejusmodi sunt, ut interdum loquaces, eloquentes, divini, poetæ esse possint, præsertim si a natura, vel ab arte ita facti, cum saperent, extiterunt.*

runt. Cum autem affirmant, id quoque fieri posse, ut quispiam peregrinis sermonibus ob phrenesim loquatur, ita rem explicant. Certum est, inquiunt, primos linguarum Inventores ita natura comparatos fuisse, ut iis congruerent, & consonarent ea nomina, quæ rebus imponebant; ac proinde si quem phrenesis, aut aliqua alia causa ita compararet, ei quoque eadem vocabula conformari possent; ut qui ita se haberet, iisdem haud ægrius uteretur, quam primi linguarum Auctores utuntur. Ac si Deus in rerum initio homines duos, quorum simillima esset naturæ ratio, creare voluisset, a quibus seorsim nomina rebus imponerentur, haud temere credi potest futurum fuisse, ut eadem uterque nomina creatis rebus imponeret; eadem quippe nomina utriusque Adæ naturæ congruissent. Quod si quis non eadem semper ratione comparatus fuisset, facile quoque contigisset, eum non semper ignota lingua loqui, quemadmodum laudatus Petrus Apponensis de Fœmina testatur, quæ maxima melancholia laborans tum solum Latine loquebatur, cum ita affecta erat, non deinceps, cum scilicet ab eo morbo libera esset.

Hæc tamen opinio, quæ nihil non eorum, quæ diximus, ad melancholiam, ad atram bilem, ad phrenesim redigere nititur, omnino a ratione, ac Philosophia aliena est, etsi Aristoteles, ad divinationem quod attinet, ei favere videatur; sed eum tamen eventa hæc melancholiæ tribuere conatum esse mirum videri non debet, qui cum in Divinæ revelationis ignoratione penitus versaretur, sibique propesuisset ea tantum memoriæ tradere, quæ cum naturalibus principiis congruerent, non aliam speciosiorem rationem invenire potuit. Et sane percipi omnino non potest, ea, quæ diximus, ex melancholia derivari. Melancholia sane, siquidem vehementer commota sit, mentis perturbationem, furorem, atque adeo insaniam afferre potest, & monstrosa phantasmata in phantasia, quam exagitaverit, excitare; ut eos proinde, in quibus tam absona, & insitata eventa cernuntur, Aristoteles insanos vocet. At enim Malefici, ac Maleficæ, qui dissitas res, ac futuras patefaciunt, profecto referunt, quæ dixerunt, & quibuscum egerunt; nihil non consulto agunt; apte respondent; nullumque insaniæ argumentum exhibent; ut palam fiat, eos nec melancholia, nec phrenesi laborare. Dum pariter aliquem Rusticum, aliena lingua loquentem audivimus, quam nunquam didicit, & qua lingua loquentem neminem unquam audiit, exempli gratia, Italum Rusticum, qui recte cogitationem aliquam Germano, vel Arabico sermone explicat; id dubio procul melancholiæ tribui non potest. E Philosophorum enim trita regula, eademque apprime veritati consona, nihil esse potest in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; ac proinde nihil in imaginatione reperitur, quin per externos sensus ad internos transierit. At in re nostra Rusticus, de quo sermo est, nunquam earum linguarum difficiles dictiones audiit, neminem unquam audiit, qui eadem idiomata pronuntiaret; fieri ergo omnino non potest, ut hæc ipsius locutio melancholiæ vi contingat. Potest enim melancholia phantasmata quidem, quæ in phantasia jam existunt, turbare, conjungere, segregare, & per ejusmodi perturbationem varias imagines exhibere; at inducere, vel aliis manifestare omnino non potest, quæ prius in phantasia non erant, earum præsertim rerum phantasmata, quæ ab hominum tantum institutione pendent; ea prorsus ratione, qua Cæcus a nativitate, qui nunquam colores vidit, nullam eorum phantasiam, vel imaginationem habere potest.

Ostendant præterea, quæso, qui fieri possit, ut imagines rerum, Idiomatum vocabula, derivata ex hominum arbitratu nomina, quæ nunquam ad sensum alicujus hominis pervenerunt, melancholiæ vi in ipsius imaginatione excitentur. Equidem ita sentio, eas imagines, eaque phantasmata prius in anima non existere, quia scilicet anima, docente Aristotele, est veluti tabula rasa, in qua nihil omnino depictum est; forinsecus ergo in

in phantasiam inducantur, necesse est; quod fieri non potest, nisi prius ab objectis cudantur, & ad externos sensus, deinde vero ad externos deferantur; ac demum in phantasia reponantur, quæ earumdem imaginum, seu phantasmatum reminiscentiam pro re nata perficiat. In sana philosophia modus alius assignari non potest. Quamobrem ii, quorum externi sensus non prius a sensibilibus externis rebus moti sunt, nullius rei imaginationem unius melancholiæ vi efformare possunt.

Præterquamquod experientia demonstrat, homines, & fœminas, qui vexantur a Dæmone, interdum extraneo sermone loqui, absque instrumentorum usu, quibus ad formandam vocem opus est; loquuntur enim haud raro, ore prorsus obstructo, immotaque lingua, vel ad mentum producta. At si hæc peregrinorum idiomatum pronuntiatio e melancholia derivaretur, naturalia instrumenta omnino adhibenda essent; quod argumento est, ejusmodi voces, & linguas ab aliqua superiore substantia efformari, quam nos Dæmonum nomine designamus.

Conveniat porro, necesse est, quædam interdum opera per Mathesim, ac per industriam, artemque Circulatorum facta inter fascinationes, & maleficia referri; non inde tamen inferri debet, mira omnia esse industriæ, atque artis effecta. Sane artificialis Magia potest non pauca facere, quæ admirationem excitent, sed quæ tamen rerum naturæ nequaquam repugnent; immo vero Geometriæ, Arithmeticæ, & Astronomiæ ope producit insolita, sed quæ tamen naturam imitantur; inter quæ Veteres apud Aulum Gellium lib. x. cap. 12. *ligneam Columbam volantem memorant, quam Archytas Pythagoricus effecerat; memorant* Archimedis *Sphæram, in qua omnes Cælestium Sphærarum conversiones, motusque distinctim exhibebantur; eas alius ingeniosas, sed formidandas machinas, quarum ope* Archimedes *ipse Romanas Naves, quas* Marcellus *ad expugnandas Syracusas ducebat, (referentibus* Plutarco *in* Marcello, *&* Zonara *in* Anastasii Imperatoris *vita) nescioquibus serpentibus radios reflectentibus incendit, aut acerrimis ferreis ungulis corripuit, aut susque deque vertit; aureas* Leonis Imperatoris *Aves, quæ concinebant;* Severini Boetii *metalla, quæ mugitus, æneos Serpentes, qui sibilos emittebant; Columbas ex eodem metallo confectas, quæ volitabant; æneos Homines, qui tuba sonabant. Legimus etiam,* Alberti Magni *arte factum caput, quod nonnulla verba protulit; editam a* Memnone *Statuam, quæ loquebatur, vel, ut alii dicunt, murmurabat. Recentiores in Eruditorum Ephemeride an.* 1680. pag. 12. *artefacti cujusdam Equi meminere ita elaborati, ut septem, atque adeo octo leucis unius diei spatio in planitie conficiendis par esset.* Alexander Tassonius (*variar. cogitation.* lib. x. cap. 26. *sibi visum currum testatur, musico insidente choro; qui absque Equorum ope, ac trahente, vel impellente nemine, ipse per se Romanum stadium, quod passus mille longum est, totum percurrit.* Regiomontanus *Muscam effecit, quæ suapte vi, ac sponte Convivas circum volabat, ac deinde ad Convivii Dominum rediens in ejus manu consistebat. Idem Norimbergæ Aquilam condidit, quæ, cum Imperator ad eam Urbem accederet, per aerem volitans, ei extra portam ad longum spatium occurrit; tum super eum volitans, reversa est. Quid de Adraulicis operibus dicam? Et sane non admirari non possumus, e lata fistula quasi aquæ flumen emitti, atque ita per aerem attolli, ut oculorum aciem perstringat, strepentesque, ac frementes undatim guttulas hac illac spargi, & mirandum in modum circumagi; torrentem e ficto monte præcipitem ruere, qui primo lacum, deinde in lacu Insulas, in Insulis denique fontes efficit; aquam saxeis in vasis absque igne misceri, atque ebullire; Leonesque, ac Dracones immensam pluvia vim vicissim evomere. Quid plura? Inanimatas Aves, aquæ vi, canere, & ea quidem arte canere, ut vix, ac ne vix quidem artem ipsam a natura secernas; denique ubi nihil est,*

est, quod amplius expectes, percelli aures organis, quæ sonitum ex aqua percipiunt, alternisque ex arte musica modis diu noctuque, tangente nemine, personant. Ostendant & illud recentiores Philosophi, e naturæ legibus, absque Circulatorum *illusionibus* (Regnault, *Animadv. physicar.* Tom. 2. pag. 205.) *sexcentarum librarum incudinem pectori impositam, malleique ictus per ferream laminam eidem incudini inflictos sustineri posse. Sibi quoque sumunt ostendendum radium, qui modo in aquam immergatur, modo supernatet, atque interim e mediis aquis flammam evomat, innumerosque ignitos serpenticulos jaciat. Atque his ipsis temporibus, ope Machinæ Electricæ, ex aqua Electrum passa egredientes flammulæ conspiciuntur. Cum vero iidem Philosophi de fermentationibus, & vegetationibus chimicis agunt, rationem tradunt, qua in lagenis, vasisque vitreis exhibeantur figuræ arboris, virgulti, vitis cum racemis, ruborum, nemorum, sylvarum, &c.*

Mira etiam edunt, per ingenium, industriamque, Circulatores, *quæ tamen ficta, non vera sunt, sensus nempe decipiunt, cujusmodi sunt, quæ nugigeruli,* Saltatores, *& id genus alii ad quæstum faciunt. Quamvis enim, quæ ab iis exhibentur, insitata, ac supra hominum captum posita videantur, nec desint, qui maleficiis ea tribuant; nihil tamen occurrit, quod naturam superet. Eorum omnis ars in pedum, & manum agilitate, in quibusdam instrumentis in eum finem effectis, in exercitatione, atque assuetudine sita est. Fieri tamen interdum potest, ut Circulatorum vafrities, nequitiesque ad majorem in spectatoribus admirationem excitandam, superstitionibus, & maleficiis utatur.*

Non sum nescius, quo tempore barbaries obtinebat, Mathematicos, & Circulatores pro Magis, & Veneficis habitos esse, quamvis ea gererent, quæ naturæ congruebant, quæ tamen ipsa mira, & naturæ viribus majora putabantur, ea nimirum de causa, quod scientiæ, & artes ignorarentur; ac probe novi, eorum non paucos in Sancti Officii Tribunali damnatos, & in vincula conjectos fuisse. Sed id quoque compertum habeo, ætate nostra, quæ se maxima scientia præditam jactat, naturæ, & arti nihil non tribui, ad fabulas amandata Dæmonum opera. Verum ut priores quidem inscitia, ita & posteriores peccarunt, eo tamen discrimine, quod eadem inscitia perfecit, ut priores omnia, posteriores nihil credant. Hi porro, qua se doctrina imbutos ostentant, scire deberent, quo demum hominum ars, & industria pervenire possit. Et sane qua demum Artificis, seu Mathematici vi, arte, industria, & sublime licet, ac perspicax ingenium adsit, effici potest, ut inanimata res vocem emittat, loquatur, respondeat pro interrogantium arbitrio? Hæc profecto vitam, spiritum, anhelitum, vitalium organorum perfectissimam conspirationem, mentisque discursum requirunt, quæ in Arboribus, Statuisque desunt. Eum proinde in iis loqui sentiendum est, qui quondam in Idolorum Simulacris Oracula pronuntiabat, Dæmonem scilicet. Ita de Ulmo quadam a Philostrato (lib. VI. cap. 5.) *memorata credendum est, quæ* Vespesionis, *apud Æthiopes Gymnosophistarum Principis jussu, clara quidem ac distincta, sed admodum tenui, quasique muliebri voce* Apollonium *salutavit. Consulendus in hanc rem* Pererius lib. 1. de Magia, *qui alia ejusmodi prodigia, per magicam diabolicam artem edita commemorat. Denique Venefici, & Fascinatores, suis edendis præstigiis, non solum agilitate, dexteritate, ac celebritate membrorum, ut Circulatores, sed superstitiosis illusionibus, & maleficiis utuntur, quibus objecta, media, organa mutant, pristinam rebus formam, figuram, & colorem adimunt, perstringunt oculos, & monstra ex improviso producunt.*

Nolo nocturnum Lamiarum, seu Veneficarum congressum, earumve in dissita loca, satisque conclusas domos tranlationem ad trutinam revocare; longius enim abiret oratio; satisque esse puto testimonia S. Clementis Papæ & Martyris *lib.* VI. *Constitut. Apostolic.* S. Cyrilli Hierosolymitani, *Catechesi* VI. Arnobii, *lib.* II. *contra Gentes,* S. Maximi Taurinensis, *Serm.* V. *de Natali Apostol.* S. Epiphanii, *lib.* I. *contra Hæreses,* S. Hieronymi, *in Vita S. Hilarionis,* S. Augustini *denique ac* S. Thomæ. *His accedant Bullæ, & Constitutiones*

nes Summorum Pontificum; Nationum omnium Theologi, jurisque consulti, atque inter cæteros Torrecremata *in Cap.* Episcopi, Remigius, *Lib.* I. *Dæmonolatriæ*, Grillandus, *de Sortilegiis q.* VI. Farinaccius, *de Hæresi q.* 185. Grillenzonius, *Consil.* 117. Felinus, *in Cap.* Sicut suis *de Simon.* Cæsar Carena, *de Officio S. Inquisit. Nocturnos congressus, & Maleficia propugnant recentiores Medici, ut* Rossæus, *lib.* 2. *de Morbis Venef.* Cæsalpinus, *Investigat. Dæmon. cap.* 2. Codronqus, *de Morbis Venef. aliique.*

Quod si hæc imaginationis perturbatione tantum, somniantiumque, atque amentium mulierculatum delirio contingerent, qui demum fieri posset, ut tot Veneficæ variis temporibus, & in locis invicem dissitis carceri addictæ in easdem depositiones, & confessiones perpetuo consentirent? Etsi Melancholici absona, & incredibilia ipsi sibi persuadere soleant, nunquam tamen eorum deliramenta, ac somnia conformia esse contingit; quin potius ita discrepant, ut plurim seculorum spatio vix duo reperiri possint, qui eadem phrenesi laborent. Quamobrem conveniat, necesse est, a veritate prorsus alienum esse, Maleficas choleræ, seu melancholiæ vehementiore quadam vi, fabulis tantum, & imaginationis ludibriis, vendicandis, desipere; alioquin ignorantiæ, credulitatis, atque adeo injustitiæ arguendi essent Judices omnes, & Magistratus, qui imaginarium nescio quid tam canonicis, quam Civilibus pœnis, & quidem gravissimis puniunt. Qui porro id assereret, nonne Reipublicæ, universo humano generi, Deo denique Optimo Maximo injuriam longe maximam irrogaret?

Sed eo jam devenimus, ut expendamus, quid ponderis argumento insit, quod utpote e Sacra Scriptura depromptum laudatus Maffæius *invillum judicat.* Ejusmodi potestatem, *inquit*, ante Christi Domini adventum obtinebat Dæmon, at maximo Redemptionis opere jam perfecto, eamdem non amplius obtinet. Ita perspicuis verbis docet S. Joannes Apocalyp. cap. xx. Vidi Angelum descendentem de Cœlo, in cujus manu clavis abyssi, gravisque catena; Draconem, antiquum Serpentem, Diabolus, & Satan est, aggressus, per annos mille vinxit; quibus elapsis, solvetur Satan. Quamobrem, docente Apostolo in *Epist.* II. *ad Thessalonicenses cap.* 2. magica rursus prodigia Antichristi tempore conspicientur, cujus adventum, Dæmonis opera, vis longe maxima, portenta, & prodigia mendacia comitabuntur. *His fundamenti veluti loco positis, ita quidem doctus Maffæjus ratiocinatur.* Triplici omnino ratione mali Spiritus nequitiem, ac potestatem suam in Homines exeruerunt; nempe tentarunt, & ad malum sollitarunt; invaserunt corpora, & obsessa detinuerunt; Magicis veneficiis obsecundarunt, exhibitis interdum prodigiis, ut debitum Deo cultum adimerent. Jam vero Dæmon, Divini Servatoris adventu, haud certe potestatem primam amisit; scimus enim, qua vi perstiterit, & adhuc persistat suis nos illecebris ad malum trahere. At ne altera quidem potestate spoliatus fuit; adhuc enim Dæmoniaci comperiuntur, & negari non potest, temporibus ipsis, quæ Redemptionem consecuta sunt, Dominum id permittentem haud semel ejusmodi monitis, pœnisque usum esse. Reliquum est igitur, ut Dæmon tertia tantum potestate penitus destitutus fuerit, alioquin Satan, quod S. Joannes ait, gravi catena vinctus dici non posset. Hactenus Maffæjus in Epistola *de Arte Magica distructa pag.* 28. & 29.

Quis tamen non videt, quam interpretatio, quam ipse S. Joannis textui adhibet, a communi distet, quam Patres suppeditant, scitique omnes, & eruditi Interpretes amplectuntur? S. Augustinus *lib.* xx. *de Civit. Dei c.* VII. & VIII. *ita laudatum S. Joannis textum explicat:* Diaboli ligamen significat, eum non omni, qua potest, tentatione uti, nempe Homines seu vi, ac fraude seducat, seu vehementer ad se pertrahat, seu denique per nequitiam, & calliditatem in errorem inducat. *Eumdem textum non alia ratione interpretantur* Origenes, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, *aliique.* Augustinus Calmet *eosdem Patres duces & Magistros secutus in ea & ipse sententia est; ut nempe Satana ad universam Ecclesiam turbandam, & pervertendam non amplius eo, quo prius, furore invehatur;*

non

non amplius, qua solebat, crudelitate Christi Regnum evertere, ac profligare nitatur; sed ita tamen, ut, cum sibi expedire perspexerit, & pro re nata, quicquid ei reliqui est, feritatis, & nequitiæ adhibere non desinat. Dæmon nimirum nullo non tempore idem est, callidus, & crudelis hostis, ad nocendum alteri, struendasque insidias semper intentus. Quamobrem seu tentationis, seu obsessionis, & illusionis ratione habita, imminuta est Diaboli in humanum genus potestas, qua longe maxima ante Christi adventum pollebat; ut nempe omnes homines ad peccatum traheret, suoque deinceps jugo, ac tyrannico dominio subderet. Cæteri omnes Interpretes, & nominatim Tostatus, Maldonatus, Cornelius a Lapide, Tyrinus, Du-Hamel, *in hanc ipsam sententiam conspirant.* S. Athanasius *in libro* de Humanitate Verbi, ejusque corporali adventu *loquens de potestate Dæmonis, quicquid hactenus dictum est, his verbis confirmat:* Dignum profecto, quod admirationi habeatur, nimirum a superventu Salvatoris, Dæmones non eodem modo falsis rerum imaginibus, hariolationibus, ac magicis fraudibus, imposturas facere, sed in primo conatu, ubi tale quid tentant, signo Crucis turpiter confundi. *Non ergo negari potest, etiam post Christi avenium Magiam existere, quamvis non ea, qua ante Christum, existimatione, ac fide polleat. Atque equidem lætor, Maffejum ipsum, cum post vulgatam Epistolam* de Magia disjecta *audivisset, eruditissimum virum* Muratorium *amicum suum contra sentire, datis litteris significasse, se nolle ab eo dissentire. En utriusque epistolas ab eo productas, qui clarissimi* Muratorii *vitam descripsit,* Maffæjus *ergo cum de oculorum cæcitate doluisset, quæ* Muratorio *contigerat, hæc subdit:* Scripsi nuper haud multo amplius manuali folio de Arte Magica. Vulgaris hac in re levitas, quæ passim obtinet, me, ut id facerem, impulit; & quia multi tua quadam Epistola nitebantur, eam perperam interpretantes, equidem dixi, si ita res habet, opinio mea in hoc negotio a tua discrepat; sit, a tabo te, dicto venia, certumque habeo, opinionem tuam hac etiam re sanam, & rectam fore. *Ei* Muratorius *ita respondit:* Tu quoque in eam opinionem ivisti, quæ Magiam rejicit. Eam ego si defenderim, neque, ut tu, animosus fuerim, haud tibi grave sit. Me terrent sacræ Litteræ; & quoniam nihil hactenus, quod scripserim, prohibitum fuit, ne in posterum quidem meum quicquam prohiberi vellem.

Haud equidem puto quempiam fore, qui Muratorium, *quod Magiam susceperit, credulitatis arguat. Satis enim ostendit in Tractatu de Phantasia, quam acute cerneret, quamque emunctæ naris esset, ut judicium suspenderet, nec vulgare, indoctum, ac præjudiciis abreptum genus hominum, pecudum more, inconsulto ac temere sequeretur. Necesse est ergo, nec Philosophiam, quam probe callebat, nec Historiam, quam penitus hauserat, haud tanti ponderis argumenta ejus animo suppeditasse, ut in contrariam sententiam traheretur. Quemadmodum igitur sapientissimus Vir nequaquam in extrema se abripi passus est, ut nempe vel Dæmoni, Artique Magicæ plus æquo tribueret, vel effectæ omnia ad Physices, & naturæ leges exigeret; ita nos quoque facere par est; ut enim ad Dæmonis, & Magiæ vim omnia referri perniciosum est; ita etiam Philosophiæ, illusioni, atque imaginationi, quicquid admirationem parit, adscribi.*

Qua-

Q

QUadragenæ. utitur hoc vocabulo Sanctus Paulus, ut virgæ triginta novem ictus exprimat, qui in Synagogis infligebantur iis, qui nonnullarum Legis transgressionum convicti erant: *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*: distinctis vicibus quinque a Judæis mihi trigiota novem inflicta verbera. Judæi porro, quempiam virgis cædentes, io eum numerum definebant, ut Mosis præcepto parerent, qui verberum oumerum ad peccati rationem exigi jusserat; Ita tamen, ut quadragenarium non excederet: *ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant*; ne, subdit Moses, coram vobis frater vester indigne dilaceretur, & conteratur. Id ex humanitatis sensu statutum creditur, ac oe percussores, abrepti quodam furoris æstu, ultra præscriptum numerum abireot; itaque Judæi satis habebant, ictus non 40. sed 39. tantum iofligere.

Quadragesima. Desertum quadragesimæ haud Jericho, ac Mari mortuo longe abest; in quem locum Dei Spiritus Christum post baptismum duxit; eo nihil magis horrandum visu. Locum hunc ita describit Rev. P. *No* e Societate Jesu, Viator, si quis alius, religiosissimus. Quadragesimæ Mons, inquit, altissimus est, ab Occasu ad Septentrionem vergit, & saxorum imagioem exhibet, quæ multifariam excavata, non ejusdem magnitudinis cavernas efformant. Ad ineundam Cavernam, in quam se Divinus Servator abdidit, per viam admodum erectam ascenditur, at quæ oulli ramen periculo obnoxia est, tum pervenitur ad aliam, quam facilem reddunt nonnulli gradus ibidem effecti; nisuque opus est ad ascensum per tramitem, duos tresve circiter pedes latum, atque etiam amplius nonnullis io locis. In hujus Montis jugo specus ingens occurrit, quam Providentia elaboravit, e qua in alias duas, easque aspectu pulcherrimas gradus fit. In hac specu Servator Mundi asperrimam pœnitentiam ob humani generis amorem edidit. Sanctus hic locus prope quadratus est, ejusque diameter duodecim, aut tredecim pedibus major creditur; magnopere assurgit naturalis vortex, quem Mons efformat. Cavea, loculo similis io fundo est, in qua Dominus noster jacuisse dicitur, cum diu noctuque Æterno Patri fervidas, quas pro nobis edebat, preces offerret. Cavea hæc olim undique picta erat; & adhuc nonnullarum imaginum reliquiæ conspicuntur cum inscriptionibus Græcis, quæ adeo consumptæ sunt, ut distingui non nisi admodum ægre possint. In ipso Montis cacumine antiquis temporibus erat Ecclesia in honorem, & monumentum insignis victoriæ condita, quam Servator ex Dæmone retulit, qui eum transtulerat, ostendens omnia Regna Mundi, eorumque dominium promittens, siquidem ei se flecteret, cultumque exhiberet. Ibidem Satan ipse ei lapides obtulit, extimulans, ut eosdem in panem verteret; at Christus statim meodacii & erroris Spiritum pudore suffudit, ac repulit. Porro probabilius est, Divinum Filium a Diabolo sollicitatum fuisse non in Montis vertice, sed in cavea, in quam se recipere solebat, & ubi jam dixi picturas etiamnum conspici; id enim satis clare designant ea Sacræ Scripturæ verba apud S. Matthæum cap. IV. *Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit; & accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*. Ex hujus Mootis vertice se in conspectum dat ingens, & ampla regio, claris referta locis, cujusmodi sunt campi Jericho, Jordanes, Moabitarum planities, nomine Salth. Hinc pro-

prospicitur Mons Nebo, e quo Deus Mosi, antequam moreretur, promissam terram ostendit; & alia plura loca, de quibus in Sacris Litteris. A Christi jejunio, quod in hoc Monte peractum est, derivatur Quadragesima nostra, pœnitentiæ, atque abstinentiæ tempus, quo ad Paschatis Festum quisque se comparet. Quadragesima porro ex Apostolica institutione est. *S. Hieronymus* in Epistola ad Marcellum, & S. *Leo* Serm. 6. *de Quadragesima* disertis id verbis docent. Ex alia parte quicquid in universa Ecclesia generatim obtinet, neque ab ullo Concilio institutum agnoscitur, pro Apostolorum instituto habendum est. Jam vero Quadragesimale jejunium ejusmodi est, de quo nempe, tamquam de generali, ac vetustissima re Patres omnes loquuntur. Denique ex Apostolicis Constitutionibus compertum fit, primitivæ Ecclesiæ Christianos ex præcepto jejunasse per id tempus, quod Pascha præcedebat, & hoc quidem jejunium produci ad Vesperas consuevisse.

Quadrans, alicujus rei quarta pars: *Cum venisset autem Vidua una pauper, misit duo mimitia, quod est quadrans*: venit pauper Vidua, quæ in capsulam misit nummulos duos, qui solidi dimidium valent. Apud S. Matthæum quadrans pro obulo sumitur, nummorum minimo, duodecima nempe solidi parte: *Usque ad ultimum quadrantem*, ad minimam usque solidi partem. Loquendi ratio, seu proverbium est, ad significandum, cum debitore agi summo jure.

Quadratus. S. Quadratus, Christianæ Religionis Apologista, Apostolorum Discipulus, &, nonnullorum sententia, Philadelphiæ Angelus, quem in Apocalypsi Christus alloquitur. Trajani jam tempore in Ecclesia clarus erat, & ubique Evangelici verbi semen spargebat. Quadratus omnium primus Christianæ Religionis Apologiam concinnavit, quam ipse Imperatori Adriano obtulit. Opus hoc vehementibus firmisque ratiocinationibus refertum, & Apostolorum Discipulo dignum non sine prospero successu fuit, & persecutionis flammam repressit, quæ jam in Christianos fervebat. *S. Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. Eusebius Hist. Eccl. lib.* IV.

Quadriga, currus equorum quatuor. Vocabulum hoc derivatur a *quatuor*, & *jugum*. *Faciet sibi equites*, & *prædecessores quadrigarum suarum*: Vestros sibi filios sumet, qui ejus Currum præcurrant. Sæpe vox hæc bellicum Currum significat, in quo præcipua vis Exercitus posita erat; hinc ea loquendi ratio: *Disperdam quadrigam ex Ephraim*: evertam Currus Ephraim, nempe decem Tribuum populum diruam. Cherubim exhibentur in sacris Litteris quasi Dei Currus: *Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit, ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubim*: aurum prætetea purum tribuit, e quo conderetur Altare incensi, & Cherubim quatuor, qui Currus similitudinem exhibebant. *Quadrigæ tuæ salvatio*: tu quidem populum tuum bellicis Curribus incolumem servas. Habacuc Deum e Curribus, ducum instar, pro populo pugnantem exhibet. Hoc ipso vocabulo Zacharias utitur ad Imperium significandum: *Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum Montium*: Videbam currus quatuor, qui e mediis duobus montibus egrediebantur. Deus per symbolum curruum quatuor ostendit Imperia quatuor, quæ Danieli per Animalium quatuor imaginem exhibuerat, quæque per quatuor metalla Statuæ Nabuchodonosor repræsentabantur.

Quartus, Apostolorum discipulus, de quo S. Paulus in Epistola ad Romanos: *Salutat vos Quartus frater*. Ejus diem festum Græci celebrant, & Beriti Episcopum dicunt.

Quia, particula, quæ in sacra Scriptura multas notiones habet. I. Significat *quoniam*: *Oblatus est, quia ipse voluit*. II. Significat *ob hanc causam*: *Non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper*: non reliquit me solum, & ob hanc causam ea semper facio, quæ eidem (Patri) maxime arrident. III. Significat *quod*: *Nonne scriptum est, quia domus mea, domus orationis vocabitur?* IV. Nonnunquam redundat: *Nisi quia Dominus erat in nobis*: nisi Dominus nobiscum fuisset. V. Ponitur pro *quamvis*: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. IV. Pro *sed*: *Quia apud te propitiatio est*.

Quinquagenarius, qui præest militibus quin-

quinquaginta : *Constitue ex eis Tribunos*, *& Centuriones*, *& Quinquagenarios* : aliis fubde homines mille, aliis centum, aliis denique quinquaginta. Unus erat ex iis Magiftratibus, quos in Deferto Moses inftituit, ut populum judicarent; id autem fecit ex Soceri Jethro confilio.

Quirinus, feu Cyrinus Quinctilio Varo fuffectus eft in Syriæ regimine, decem circiter annis a Chrifto nato; quod in S. Lucæ teftu difficultatem parit; ait enim Cyrini tempore numerationem contigiffe, feu cenfum, qui Sanctiffimam Virginem, & Sanctum Jofeph impulit, ut Bethlehem pergerent nomen daturi : *Hæc defcriptio prima facta eft a Præfide Syriæ Cyrino*. Certum eft; Syriæ regimen Cyrino demandatum non fuiffe nifi decimo poft Chriftum natum anno, qui ejus defcriptionis tempore in lucem prodiit. Interpretes multi S. Lucæ textum ita vertunt: Defcriptio hæc anteceffit aliam, quæ Cyrino Syriam adminiftrante contigit. Aut pro certo habendum eft, defcriptionem hanc, quæ nafcente Chrifto inchoata fuit, antequam Cyrinus in Syriam perveniret, habuiffe progreffus fuos, tandemque ab hoc Præfide, cujus nomen præfert, ad exitum perductam fuiffe.

R

RA

RAamias, *tonitru Domini*, eorum unus, qui ex Urbe Babylone cum Zorobabel redierunt. II. *Efdr.* VII. 50.

Rab, *Rabbi*, *Rabboni*, *Rabbinus*, hæc fingula nomina fignificant unam eamdemque rem, funtque apud Hebræos dignitatis nomina, & idem fonant, ac *Magifter*, feu qui fe infignem reddit. His titulis ii tantum infigniebantur, quos Synedrium dignos judicaffet; itaque Synedrii Patres per manuum impofitionem eos recipiebant, & magni faciebant : *Amant primos recubitus in cœnis*, *& primas Cathedras in Synagogis*, *& falutationes in foro*, *& vocari ab omibus Rabbi*. Chriftus Dominus his verbis arrogantiam folum, ac levitatem notat, quam hic Doctoris titulus Pharifæis infpirabat. Multi gradus erant, per quos ad Rabbini dignitatem perveniretur. Primus eorum gradus erat, qui ad Doctoris titulum afpirabant, fed dicebantur *Bachur*, feu *Electi*; alter eorum erat, qui *Chaber*, hoc eft, Rabbinorum collegæ nuncupabantur. Tandem perveniebant ad tertium, qui fatis in Legis, & traditionis fcientia verfatus erat, & Rabbini nomen in publicis cœtibus obtinebat. Rabbini elatas, humiles fedes Collegæ tenebant, Afpirantes denique, ad Magiftrorum fuorum fedes, humi fedebant. Quamobrem Jofeph, & Maria referuntur in Evangelio Chriftum inveniffe *fedentem in medio Doctorum*. Et in Actis S. Paulus ad Rabbini Gamaliel lis pedes ftuduiffe dicitur : *fecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ Legis*. Jam Rabbinorum erat de Religionis negotiis judicium ferre, ac fe rebus quoque civilibus immifcere; iidem in Synagoga conciones habebant, publicas preces edebant, & ibidem Legem interpretabantur. Nonnunquam Judæi nomen *Rabbi* tribuebant Divini verbi præconibus, ut Chrifto : *Rabbi*, *fcimus*, *quia a Domino exifti*.

Rabbanitæ. Nomen hoc Judæis inditum, qui anteceflorum fuorum, nomine *Rabbanim*, doctrinam fectabantur, iique proprie funt, qui veteribus Pharifæis fucceflerunt, quorum traditioni mordicus adhærebant. Ob hanc caufam diftinguuntur a Caraitarum fecta, qui ita dicti, quod fe potiffimum Scripturæ addicunt.

Rabbath, *patens*, Urbs, Ammonitarum Caput, ultra Jordanem fita, clara, & infignis erat Mofis tempore; qui ibidem ferreum cubile Regis Og confpicuum fuiffe

se refert: *Monstrabatur ejus lectus ferreus, qui est in Rabbath*. David, indicto Ammonitis bello, Rabbath a Duce Joab obsidione cinctam voluit, & ante hujus Urbis mœnia strenuum virum Uriam morti exponi, addicique jussit. Rabbath capta fuit, paruitque deinceps Regibus Juda, quoad Reges Israel ea potiti sunt cum universo Tribuum Regno, quæ ultra Jordanem erant; at sub Israelitici Regni finem, & postquam Teglatphalasar Israelitas maxima ex parte asportavit, Ammonitæ inauditam sævitiem in eos, qui remanserant, exeruerunt; quod in Rabbath eorum Metropolim formidandas minas jaciendi occasionem Prophetis dedit: *Ideo* (Jerem. c. 40.) *ecce dies veniunt, dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, & erit in tumulum dissipata, filiæque ejus igni succendentur ... clamate filii Rabbath, accingite vos ciliciis, plangite, & circuite per sepes*. Et Ezechielis cap. 20. & 35. *daboque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum, & scietis, quia ego Dominus; quia hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es toto adfectu super terram Israel, idcirco ego extendam manum super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram*. Hæc vaticinia dubio procul perfecta sunt, Antiocho Magno regnante, qui sub Mundi annum 3786. Rabbath cepit. Aliquanto prius Ptolomæus Philadelphus eidem Urbi Philadelphiæ nomen imposuerat; & ad hanc Urbem Philadelphiam S. Ignatius Martyr, paulo ante quam moreretur, scripsisse creditur.

Rabbath Moab, *Ar*, *Areopolis*, Moabitarum caput, apud Arnon fluvium sita, qui eam bifariam dividebat; quam proinde Urbem sacræ Litteræ vocant Leones duos Moab, adludentes ad ejus proprium nomen *Ar*, quod Leonem significat. Moabitæ Urbem hanc Amorrhæis possessoribus ademerunt, suique Imperii metropolim constituerunt. Eamdem initio Israelitæ ceperunt, quæ deinde non paucas vicissitudines passa est. Reges Juda, Israel, & Edom, eam aliquando obsidentes, inibi erant, ut caperent, cum Rex Achab e mœnibus filium immolaturus astitit. Qui Urbi minitabantur, Reges horrore capti ab obsidione recesserunt. Haud procul hac Urbe contigit, ut Jephte, subactis Ammonitis, temere voveret Domino, se, quem primum in reditu obvium habuisset, immolaturum; quod votum ejus filiæ adeo funestum fuit. Legatur Articulus *Jephte*.

Rabboth, *multitudo*, Urbs in Tribu Issachar. *Jos. cap.* XIX. 20.

Rabsaces, *juvencorum Dominus*; dignitatis nomen, ejus militaris Viri proprium, quem Sennacherib ad Ezechiam miserat, ut ei se dedere juberetur. Rabsaces, ejusque comites apud mœnia constitere, studentes Ezechiam alloqui. Princeps hic e primis Aulæ Ministris tres, ac mensæ Præfectum ad eos misit, quos excepit Oratorum temeritas, & arrogantia eorum propria, qui loquuntur bert nomine, quem vis formidandum exhibet: Ezechiam scilicet monendum esse, se nihil subsidii ab ab Ægypti Rege sperare posse, quippe qui esset infirmior, quam ut præsens discrimen averteret, ac ne a Judæorum quidem Deo, a quo Sennacherib ad Judææ perniciem missus erat: *Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ, hæc dicit Rex magnus, quæ est ista fiducia, qua uteris, &c.* Quia porro Rabsaces Hebraice loquebatur, eique populus e mænibus auscultabat, eum Ezechiæ Nuntii rogarunt, ut Syriaca lingua uteretur, quam populus assequi non posset. At petulans Minister acriter iis respondit, a suo se Domino missum esse, non ut Ezechiam, ejusve Ministros, sed ut populum alloqueretur, qui ad incitas redigendus quamprimum erat. Tum elata voce pergens Hebraice loqui, populo persuadere conatus est, ei jam nihil aliud consilii superesse, quam ut Urbis portas aperiret Assyriæ Regi, cum nihil expectare subsidii posset vel ab Ægypti Rege, qui siquidem advenisset, mala graviora faceret, vel a suo ipsius Deo, qui Regem Sennacherib miserat, ut Judæam puniret. Judæis edixit, at dolo malo, ne scilicet terrorem afferret, suo id Regi consilii esse, ut eos e patriis sedibus in Assyriam deferret: *Hæc enim dicit Rex Assyriorum; facite mecum, quod vobis est utile, & egredimini ad me, & comedet unusquisque de* vi-

vinea sua, *& de ficu sua*, *& bibetis aquas de cisternis vestris*, *donec veniam*, *& transferam vos in terram*, *quæ similis est terræ vestræ*, *in terram fructiferam*, *& fertilem vini*, *terram panis*, *& vinearum*, *terram olivarum*, *& olei*, *& mellis*, *& vivetis*, *& non moriemini*. Ac ne Judæi Ezechiæ cohortatione, exemploque firmati in eam spem adducerentur fore, ut Deus tandem eorum defensionem susciperet, e re esse credidit hanc iis spem adimere, proposito tot aliorum populorum exemplo, quos Dii sui defendere non potuerant; suæque orationi hac execranda blasphemia finem imposuit: *Nolite audire Ezechiam*, *qui vos decipit*, *dicens Dominus liberabit vos*; *numquid liberaverunt Dii gentium terram suam de manu Regis Assyriorum?*...... *Quinam illi sunt in universis Diis terrarum*, *qui non eruerunt regionem suam de manu mea*, *ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?* Impius Rabsaces, his contumeliosis prolatis verbis, suum ad Herum se contulit, in quem paulo post ultor Deus gravem manum extendit.

Rabsaris, *Eunuchorum Princeps*, aliud dignitatis nomen, quo insignitus erat eorum unus, qui cum Rabsace ad Ezechiam missi fuerant: *Misit autem Rex Assyriorum*, *& Horcan*, *& Rabsaris*, *& Rabsaces*. IV. *Reg.* c. XVIII. 17.

Raca, Syriacum nomen, quod Latine reddas, *inane*, *vacuum*; eo contemptus exprimitur, ut si quis diceret, *leve caput*. Vocabulum hoc Christi tempore usitatissimum erat: *Qui autem dixerit* (Matth. IV.) *fratri suo Raca*, *reus erit Concilio*: qui in alium contumeliam hanc evomuerit, dignus erit, qui a Concilio damnetur: nempe contumeliosum hoc verbum ex odio prolatum coram Deo homicidii locum habet.

Racemus, Græce *Botrus*, Hebraice *Eschol*. Erant in Palestina racemi inusitata magnitudine, ut ex eo racemo licet intelligi, quem in racemi Valle collegerunt, qui ad explorandam Terram promissam missi fuere. Ita quippe de eo loquitur Sacra Scriptura: *Pergentesque usque ad torrentem Botri*, *absciderunt palmitem cum uva sua*, *quem portaverunt in vecte duo viri*. Israelitis vetuerat Moses, ne vindemiæ tempore acinos, & grana, quæ decidebant, diligentius colligerent, ac ne in singulis decerpendis racemis, qui in vitibus erant, majorem, quam par erat, sollicitudinem exhiberent: *Si vindemiaris vineam tuam*, *non colliges remanentes racemos*. Volebat nempe Deus, quod supererat, quodque cadebat, pauperibus inservire: *Neque in vinea tua racemos*, *& grana decedentia congregabis*, *sed pauperibus*, *& peregrinis carpenda relinques*. Sacra Scriptura, ut extremum exitium designet, utitur vineæ similitudine, quæ ad ultimum usque racemum spoliatur: *Usque ad racemum colligent*, *quasi in vinea*, *reliquias Israel*. Hostes, Sedecia regnante, Judæos, qui ex aliis captivitatibus evaserant, omnes captivos traxerunt. *Sanguis racemi* vinum designat: *Lavabit*...... *& in sanguine uvæ pallium suum*: scilicet, regionem vineis refertam incolet: *Ligaturas uvæ passæ* sacra Scriptura siccos racemos vocat, qui in fasces congerebantur. *Patres comederunt uvam acerbam*, *& dentes filiorum obstupuerunt*. Hæc veluti proverbialis loquendi ratio significabat, patres deliquisse, eorumque delictorum pœnam filios subiisse. Erat hæc exprobratio quædam, qua apud Deum Judæi querebantur, qui in ipsis peccata puniret, quorum se minime reos esse contendebant. At Dominus effecturum se dicit, ut id proverbii non amplius in Israel locum habeat, sed unusquisque suæ ipsæ culpæ pœnam luat: *sed unusquisque in iniquitate sua morietur*.

Rachal, *Mercator*, Urbs in Tribu Juda, ad quam David prædam misit, quam ex hostibus ceperat, qui Siceleg devastaverant. I. *Reg.* cap. 30.

Rachel, *ovis*, Labani filia, & Liæ soror. Cum Jacob in Mesopotamiam pervenisset, haud procul Urbe Charra, seu Charan, seu demum Haran, in agro constitit, ubi puteum vidit, ad quem nonnulli Pastores erant, e quibus, an Labanum filium Nachor nossent, quæsivit. Pastores eum sibi notum esse responderunt, eique Labani filiam indigitarunt, quæ cum patris grege accedebat; ut enim Sacra Scriptura monet, ea ipsa gregem custodiebat: *Ecce Rachel filia ejus venit cum*

cum grege suo. Eam conspicatus Jacob ad puteum accessit, lapidem, quo obstructus erat, amovit, & Labani patrui sui ovibus potum praebuit; cumque Racheli dixisset, se ejus patris nepotem, & Rebeccæ filium esse, eam non sine lacrymis osculatus est. Rachel citato gradu de te tota patrem monuit, qui accurrens nepotem domum duxit. Jacob, elapso mense annorum septem servitium Labano obtulit, si Rachelem filiam secundogenitam, cujus perfecta pulcritudo erat, sibi in matrimonium concederet. Annuit Laban, & cum nuptiarum dies advenisset, Liam filiam primogenitam posuit in thalamo Jacob, Rachelis loco. Jacob, non nisi subsecuto mane, fraudem perspexit, & cum socero vehementer conquestus, alios præterea septem servitii annos exhibuit, ut Rachelem obtineret. Laban conditionem accepit, cum tamen primæ desponsationis hebdomada elapsa esset; quæ cum excurrisset, Jacob Rachelem duxit, quam majore quam Liam amore complectebatur. At Deus primogenitæ filios dedit, & secundogenitam sterilem reliquit. Eam proinde perceptus mærot in sororis invidiam traxit, ut diceret aliquando Jacob: da mihi filios, alioquin moriar. Excandescens Jacob: quid enim, inquit? Egone Deus? Nonne ille tibi fæcunditatem negavit? Quo gravi responso monitam voluit, oportere, ut, nedum sorori invideret, se Deo humilem exhiberet, a quo fæcunditatem, quam unus dare poterat, obtineret. At eum Rachel rogavit, ut ejus ancillam Balam duceret, e qua filios ipsa susciperet. Duxit ergo Balam Jacob, e qua susceptos filios duos Rachel Dan, & Nephtali nuncupavit. Dominus tandem Rachelis meminit, eam exaudiit, & fæcundam reddidit. Peperit ergo Rachel filium, quem Joseph appellavit, subdiditque: det mihi Deus alterum filium. Interea Jacob, reditum meditatus in terram Chanaan, abiit, Labano inscio, secumque conjuges, & filios duxit. Rachel discedens patris Idola rapuit, eaque ipsa, nemine conscio, ducebat; quamvis enim ejus furtum ex pio consilio excusari posset, quippe quæ crederet se bonum facere, idololatriæ argumento patri subducto, suum tamen virum Jacob justitiæ mordicus adhærere, & quicquid probitati contrarium videretur, aversari clarius intelligebat, quam ut putaret, ei rem suapte natura injustam probari posse. Laban, perspecta generi fuga, eum insecutus, & septimo post die in Montibus Galaad assecutus est. Ei inter alia, Deorum suorum furtum exprobravit; at Jacob, qui, quod Rachel egerat, ignorabat, haud renuit, eum, qui facti reus detegeretur, morte damnari. Laban ergo tentoria singula exploranda suscepit, & Rachelis tabernaculum subiit, quæ Cameli sellæ, cui proinde ipsa insidebat, Idola supposuerat. Ea vero patri non assurgens, haud satis firmam valetudinem incusavit, atque ita ejus sollicitudinem frustrata est. Et sane fieri poterat, ut reapse Rachel ægta jaceret, quin mendacii arguatur. Interim Jacob, torrentem Jabok prætergressus, primo Salem, tum Sichem, deinde Bethel petiit, cumque prope Ephratam, seu Bethlehem pervenisset, partus doloribus correpta Rachel, filium in lucem dedit, quem ipsa *Benoni*, *filium doloris mei*, & pater *Beniamin*, *filium senectutis meæ*, nuncuparunt. In partu ipso Rachel occubuit, & in via, quæ Ephratam ducit, sepulta fuit, ubi Jacob monumentum eidem erexit, quod multis post sæculis perstitit: *Erexitque titulum Jacob super sepulturam ejus: hic est titulus monumenti Rachel*. Ostenditur etiamnum tumulus quidam, quadratis quatuor columnis innixus, quæ totidem arcus efficiunt; & hoc ipsum sepulcrum esse perhibetur, quod Racheli Jacob erexit. At cum monumentum hoc adhuc prorsus integrum sit, difficile creditu est, illud idem esse, quod ab hoc Patriarcha erectum fuit. *Genes. cap.* XXIX. XXX. XXXV. XXXVI.

Rachel ponitur etiam pro Tribu Ephraim, & Manasse, quos Joseph Rachelis filius genuit: *Vox in excelso audita est lamentationis*, *luctus*, *& fletus Rachel plorantis filios suos*, *& nolentis consolari super eis*, *quia non sunt*. Apud Jeremiam. Id autem perfectum fuit, cum Tribus Ephraim, & Manasse ultra Euphratem in captivitatem ductæ fuerunt. Magnus is luctus ejus figura erat, qui Bethlehem ob Inno-

nocentium puerorum cædem editus fuit ; atque ad eventum hoc S. Matthæus Jeremiæ prophetiam retulit . Hæc eadem mater, quæ, Propheta teste, filios suos deflet, quos Chaldæi captivos Babylonem traxerunt, eosdem ab Herode jugulatos, ex Evangelio, conqueritur.

Radere. Apud Hebræos Levitæ, sua obituri munia, purificati esse debebant, & omnes sui corporis pilos radere jubebantur: *Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ*. Leprosos purificationis suæ die oportebat idem facere: *Et die septimo radet capillos, capitis, barbamque, & supercilia, ac totius corporis pilos*. Fœmina in bello capta, cum inibi erat, ut Judæo nuberet, capitis capillos sibi radebat: *quæ radat cæsariem*. In luctu, vel gravi aliqua calamitate populus se radebat: *omnis barba raditur*. Id autem Sacerdotibus tantum interdicebatur: *Non radent caput, nec barbam*. Interdum porro, qui in luctu, erant, sinebant sibi barbam excrescere; legitur, Miphiboseth haud sibi barbam abrasisse per id omne tempus, quo David extra Hierosolymam moratus fuerat, ab Absalone expulsus. Radere barbam, & capillos vel omnino, vel ex parte, ignominia erat, qua David vindictam sumpsit ex Hanon, Ammonitarum Rege, qui ejus oratores eadem injuria affecerat: *Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum*. Omnes corporis pilos radere est penitus profligare, summaque severitate excipere: *Radet Dominus in novacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam universam*: se Deus usurum ait novacula, quam mutuam accipiet, ut omnes Hebræorum corporis pilos radat, se videlicet Assyriorum gladio usurum, ut eos puniat. *Radere pulverem ex Urbe*, ita Urbem radere, ut ne pulvis quidem in ea supersit, hoc est, Urbem a fundamentis evertere, atque hæc comminatio est, quam in Urbem Tyrum Deus exerit.

Raddai, qui descendit, quintus filiorum Isai, & frater Davidis: *quartum Nathanael, quintum Raddai*. I. *Paralip.* 11. 14.

Radix pro alicujus rei fonte, causaque ponitur: *Radix omnium malorum cupiditas*; atque hoc in sensu Antiochus dictus fuit *radix peccatrix*; erat enim veluti radix, & planta, e qua multa delicta, & sacrilegia prodiere. Ita legitur in Deuteronomio: *Ne sit inter vos radix generans fel, & amaritudinem*: nemo inter vos existat, qui scandalum afferat, atque ita in vos ipsos Divinæ indignationis vim pertrahat. Radix designat posteros: *Radix justorum non commovebitur*: nempe bonorum virorum posteritas sospes incolumisque persistet. Christus Dominus dicitur radix male nutrita, & in arida terra consita: *sicut radix de terra sitienti*; quia scilicet in terris humilis vixit, contemptusque. Dicitur etiam radix Jesse: *Egredietur virga de radice Jesse*. Nimirum Jesse veluti radix fuit, e qua prodiit David, qui trunco similis ramos emisit, e quorum numero Sanctissima Virgo fuit; & ex hoc ramo excellens fructus, nempe Christus Dominus egressus est. Radix etiam pro pede sumitur, quæ rei pars infima est: *steterunt ad radices montis*.

Ragau, ejus amicus, magna planities, in qua Nabuchonosor Rex Ninive profligavit Arphaxad Medorum Regem: *Obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau circa Euphratem, & Tigrim*. Nonnulli putant, Ragau locum esse proximum Urbi Rages; alii vero Ragau positum volunt pro *Cragus*, quæ Montis Tauri pars est. *Judith. cap.* 1. 6.

Ragau, vel *Rebu*, filius Phaleg, & pater Sarug. Ab eo fortasse nomen mutuata planities, de qua dictum est. I. *Paralip. cap.* 1. *Luc. cap.* III.

Rages, fractura, Urbs Mediæ, in summis Ecbatanæ montibus sita, quam Gabelus incolebat, cui Tobias senior decem talentorum summam mutuam dederat: *Cum venisset in Rages Civitatem Medorum*. In Latino Tobiæ textu ea Urbs, in qua Raguel, pater Saræ versabatur, dicitur Rages: *Eadem die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages Civitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab una ex ancillis*. Sed hic error apertus est, legendumque *in Ecbatenis*. *Tobiæ cap.* 1.

Raguel, pastor Dei, idem ac Jethro, Socer Mosis. Vide Articulum *Jethro*.

Raguel, pater Saræ, arcto consanguinitatis, & amicitiæ vinculo cum Tobia seniore.

niore junctus, Ecbatenis versabatur, ubi bona non pauca possidebat: *Est hic Raguel nomine, vir propinquus de Tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram*. Raguel filiam suam septem deinceps viris dederat, quos Dæmon occiderat; at cum adductus esset, ægre licet, ut eam Tobiæ juniori conjugem traderet, Dominus hunc ultimum virum servavit; cui Raguel, laute ac splendide per dies quindecim habito bonorum suorum dimidium tribuit, eumque non sine certa hæreditatis spe in patriam remisit. *Tobiæ* VII. VIII.

Rahab, *latitudo*, mulier in Urbe Jericho degens, quæ apud se suscepit, celavitque exploratores, quos Josue miserat, ut de Urbe cognoscerent: *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab*. Hebraicus textus legit זונה Zonah (*Josue* II.), quo quidem nomine tum pravæ vitæ fœmina, scortum, meretrix, tum hospita significatur. Varia hæc ejusdem nominis significatio in causa fuit, ut Interpretes multi purgarent Rahab, eamque tamquam fœminam tantum spectarent, quæ advenas apud se recipiebat. Addunt & illud, parum probabile esse, futurum fuisse, ut Salomon, Princeps Tribus Juda cum Rahab matrimonium iniret, siquidem infamiæ nota eidem inusta esset; aut exploratores apud publicam fœminam se reciperent, cujus sane pravitas iis horrorem non inspirare non potuisset. Verum alii numero plures, Interpretum Septuaginta, S. Pauli, S. Jacobi, omniumque Sanctorum Patrum auctoritate nixi contendunt, Hebraico vocabulo fœminam significari, quæ ex libidine quæstum facit. Ut res habeat, exploratoribus Josue vix ejus domum ingressis, Rex Jericho de re certior factus, Rahab monitam voluit, ut advenas eidem traderet. At eos fœmina in nonnullis abditis domi locis celavit, respondItque eos quidem ad se divertisse, verum, cum Urbis portæ jam jam clauderentur, abiisse, nec longius abesse, quam ut eosdem assequi Regii Ministri non possent; qui fœminæ dictis habita fide, ex Urbe egressi sunt, ut Exploratores insequerentur. Interim Rahab locum conscendit, ubi advenæ delitescebant, eosque impulit, ut jurejurando promitterent, cum Israelitæ potiti essent Urbe Jericho, quam iis Deus jam obtulerat, se miseratione in eam, ejusque universam familiam usuros. Exploratores jurarunt, eam cum familia, iisque omnibus, qui in ejus domum se recepissent, ab omni damno immunes fore; conveneruntque, ut fenestrarum uni coccineum funiculum appenderet. Tum iis per funem e fenestra demissis, quæ erat ad Urbis mœnia, viam indicavit, quam inirent, ne in eos inciderent, a quibus inquirebantur. Exploratores id accurate executi, quod fœmina dixerat, tridui spatio ad Josue rediere, quem de officio, quod iis Rahab præstiterat, ac de suo ipsorum jurejurando monuerunt. Obstrictam ab Exploratoribus fidem præstitit Josue, & Rahab, ejusque omnem familiam ab anathemate exemit, quod in reliquos incolas pronuntiavit. Rahab Salomoni nupsit Judæ Principi, e quo genuit Booz; qui fuit pater Obed, a quo genitus Isai Davidis pater. Ita Christus ab hac Chananæa descendere voluit. S. Paulus, & S. Jacobus, texentes elogium fidei Rahab, nos admonent, in ejus historia, quæ prima fronte contemnenda videtur, magnum aliquid latere, quod nempe Sancti Spiritus opus est. *Fides*, inquit S. Paulus, *in causa fuit*, *ne Rahab*, *fœmina nequam*, *cum Exploratores Josue servasset*, *quos domum receperat*, *in incredulorum numero poneretur*. Et S. Jacobus, ut ostendat, fidem cum operibus conjunctam esse debere, hujus Chananææ exemplum adducit: *Rahab*, *prava fœmina*, *nonne ex operibus justificata fuit*, *Exploratoribus Josue domum recipiendis*, *& per aliam viam remittendis?* Quamobrem hujus luminis ope, in hac quidem historia mirandum Divinæ miserationis opus, & in hac fœmina Ecclesiam Gentium, a vero Josue servatam perspicimus, Rahab, e maledicta stirpe Chanaan, ex Urbe ad anathema damnata, infami arte, eligitur una, quæ misericordiam obtineat; ipsique Ethnici, quibus ad Dei dona nil juris erat, omnino ab Israelitarum societate segregati, & quoad ipsos extranei, denique promissorum bonorum spe destituti, se nulli non

non pravitati, nulli non impietati dediderant, momento temporis eos præveniente misericordia Dei, per fidem ei similem, quam Rahab exhibuit, benedictionum, quæ Abrahæ promissæ fuerant, hæredes evaserunt, & in Dei Domum recepti, in unum idemque cum Israelitis quasi corpus coaluerunt.

Rahab. Hoc nomine Psaltes utitur, ut Ægyptum designet, ejus arrogantia, vique spectata; ut proinde idem sit, ac fortitudo, seu superbia: *Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me*: ponam Ægyptum, & Babylonem in eorum numero, qui me norunt. Alibi quoque Hebraica vox hæc per *superbum* vertitur: *Nunquid non tu percussisti superbum? Ps.* 86. & 88.

Rahabia, *dilatatio Æterni*, filius Eliezer, Levita, & custos thesauri Templi, cujusmodi ejus etiam fratres erant: *Eliezer, cujus filius Rahabia*. I. *Paralip.* XXVI.

Raham, *misericordia*, filius Samma, & nepos Hebron, e stirpe Caleb: *Samma autem genuit Raham*. I. *Paralip.* II.

Rahelaja, *sopimentum Æterni*, e Sacerdotum stirpe, eorum unus, qui populum e Babylonica Captivitate Hierosolymam retulerunt: *Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Naaria, Saraja, Rahelaja*. I. *Esdr.* II. 2.

Rahuel, *pastor Dei*, filius Esau, & Basemath, filiæ Ismaelis: *Basemath quoque genuit Rahuel*. Ex eo nati Nabat, Zara, Summa, & Mesa. Fuit etiam ejusdem nominis unus e posteris Beniamin, Jebaniæ filius, & Saphatiæ pater. *Genes.* XXXVI.

Raja, *visio Domini*, a Juda originem ducens, filius Sebal, & pater Jobath. I. *Paralip.* IV. 2.

Ram, *elevatus*, filius Esron, & pater Aminadab e Tribu Juda: *Porro Ram genuit Aminadab* (Paralip. I. cap. 2.). Alter Ram, primogenitus Jeramuel: *Nati sunt autem Jeramuel, Ram primogenitus ejus*. Vocabulum hoc ipsum contractum, positumque pro Abraham legitur: *Eliu Buzites de cognatione Ram* (Job XXXII.). Hic Eliu e regione arat, cui Buz filius Nachor nomen dederat; quod credendi locum præbuit, Eliu fuisse e posteris Buz, & Ram positum esse, pro Abraham. Alii Ram sumunt pro Aram, quod Syriam significat, ad ostendendum, Eliu Syrum fuisse. *Rama*, *altitudo*, Palæstinæ Urbs in Tribu Beniamin, Gabaam inter & Bethel sita, decem circiter passuum millibus Hierosolyma procul. Mœnium, turriumque excidium ostendit eam maxime insignem fuisse. Nominabantur in sacris Litteris Gabaa, & Rama tamquam proxima loca duo: *Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama*: Saul in Urbe Gabaa commorans, positaque sede in Ramæ nemore, certior est factus, Davidem haud procul Hareth apparuisse. Nonnulli putant, Ramæ nomine hoc loco altitudinem tantum, quæ erat in Urbe Gabaa, significari. Explicatur id etiam iis Jeremiæ verbis: *Vox in Rama audita est lamentationis, luctus, &c. Rama in excelso*: clamoribus aer undique personat.

Rama, seu *Ramatha*, Urbs ad occasum Jerusalem in Tribu Ephraim, eadem atque Arimathia, Samuelis patria: *Venerunt in domum suam Ramatha*. Dicitur quoque *Ramathaim Sophim*, *excubiarum altitudo*: *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim*. I. *Reg. cap.* I.

Ramath Lechi, *altitudo maxillæ*. Ita locus nuncupabatur, ubi Samson maxillam in terram projecit, qua armatus Philistæos profligaverat: *Projecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramath Lechi, quod interpretabatur elevatio maxillæ*. *Judic.* XIV. 17.

Ramesses, *tonitru*, Ægypti regio feracissima, quam Joseph patri, & fratribus dedit: *Joseph vero patri, & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo loco terræ Ramesses, ut præceperat Pharao*. Idem nomen tribuitur Urbi, quæ satis munita in Ægypto erat, ab Hebræis condita, cum in ea regione versarentur: *Ædificaveruntque Urbes Tabernaculorum Pharaoni Phiton, & Ramesses*. Erant Urbes hæ in Ægypti finibus, & posterior quidem ponitur, pro Hebræorum statione prima: *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socchot sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis*.

Rameth, seu *Ramath*, *elevata*, Urbs in Tribu Simeon, in ejusdem meridionali parte. *Josue cap.* XIX.

Ra-

Ramoth, *elevata*, clara Urbs in regione Galaad, quæ spectabat ad Tribum Gad, Levitis in domicilium tradita fuit, & refugii Urbs evasit: *Ramoth in Galaa, quæ est in Tribu Gad*. Urbs hæc celebrata potissimum fuit, postremis Regibus Israel rerum potientibus, pluribusque inter hos Principes, & Damasci Reges bellis occasionem præbuit. Joram Rex Juda gravi vulnere in hujus Urbis obsidione affectus fuit, & Achab in prælio cum Syris commisso ad mænium pedes occisus jacuit. In eadem Urbe Ramoth Propheta, quem Elisæus miserat, Jehu Regem consecravit. Erat etiam ejusdem nominis Urbs in Tribu Issacbar, Levitis tradita, & filius Bavi. *Deuter. cap.* IV. *Esdr. cap.* X.

Rapha, *sanavit*. I. Bareæ filius, e posteris Ephraim: *Porro filii ejus Rapha, & Reseph* (I. *Paralip.*) II. Quintus e filiis Beniamin: *Et Rapha quintum* (I. *Paralip.* VIII.) III. Baanæ filius, e Saulis stirpe: *cujus filius fuit Rapha* (I. *Paralip.* VIII.) IV. Vir e Geth, qui e Gigantibus ortum trahebat: *Qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus* (I. *Paralip.* XX.) Is Gigas erat immani mole, quem Davidis nepos Jonathas interfecit. Ex eo prodiere Gigantes *Raphaim*.

Raphael, *medicina Domini*, unus e primis Angelis septem, qui nullo non momento temporis ante Dei solium stant, semper ab ejus nutu pendentes. In Tobiæ tantum historia ejus nomen occurrit, ubi legimus, cum Tobias pater ad Urbem Rages filium mittere vellet, hunc egressum, ut ducem quæreret, in justæ magnitudinis adolescentem incidisse, qui in viatoris ad abitum parati modum accintus, salutatusque se itineris comitem eidem obtulit. Tobias statim de re monito patre, domum induxit Angelum, qui Seni Tobiæ dixit, se unum esse filiorum Israel, Azariam dictum, magni Ananiæ filium, non semel in Mediam perrexisse, sibique notum Gabelum esse. Angelus, qui hujus Hebræi nomen, & figuram sumpserat, perinde atque ille agere, & loqui sine mendacio poterat, prorsus ut Angelus, qui Israelitas in Deserto ducebat, & qui eos e Sinai montis vertice alloquebatur, sumebat Dei nomen, quem exhibebat; vel ut in tragædiis nostris Regis nomen Actori tribuitur, qui eumdem exhibet; ut proinde qui Cyrum repræsentat, citra mendacium dicat se Cyrum esse. Cum etiam subdit Angelus, sibi notam viam esse, quæ ad Medorum regionem ducit, per eas se provincias profectum, & in Urbe Rages apud Gabelum versatum esse, verum adhuc enuntiat; is enim, quem exhibet, reapse Mediam peragraverat, & apud Gabelum diverterat. Potest etiam dici Raphael id itineris sæpe fecisse, ut Divina in electi populi gratiam mandata exequeretur, eumdemque apud Gabelum versatum esse, ut peculiaria jussa faceret, quæ a Deo quoad ipsum acceperat, ut eidem invigilaret, eaque curaret, quæ ad ipsum spectabant, Divinæque quoad eum providentiæ minister esset. Sanctus is ductor, cum juniore Tobia profectus, ejus sollicitam curam egit, eidemque insignia officia præstitit. Nimirum eum a monstroso pisce liberavit, a quo inibi erat, ut voraretur, cum se ad Tigrin flumen ablueret; eique jusso piscem ad ripam trahere, mandavit, ut cor, fel, jecur, aliquando usui futura, servaret. Cum vero Ecbatenæ proximi essent, eximia monita Tobiæ dedit, ad vinciendum furorem Dæmonis, qui Saræ, Raguelis filiæ, quam Tobias ipse conjugem ducturus erat, viros septem occiderat; cumque haud longe abesset Raguelis domus, Tobiam ibi reliquit Angelus, ut nuptiarum cæremonias perageret, unusque in Urbem Rages profectus est, ut, qui finis erat itineris, a Gabelo pecuniam exigeret. Cum porro rediisset, & matrimonii cæremonia peracta esset, ambo Niniven versus iter repetierunt, & cum, dimidio confecto itinere, Haran pervenissent, progressum Raphael Tobiæ persuasit, ut parentes, qui ejus absentiæ dies numerabant, a sollicitudine liberarentur. Una ergo abiere; cumque Niniven pervenissent, Tobias filius, ex Angeli consilio, patris oculis capti piscis fel imposuit, ac circiter horæ dimidio, Senex visum recepit. Tum vero Tobiæ ambo, ut officiis, quæ Raphael exhibuerat, qua demum poterant, ratione satisfacerent, in grati animi argumentum, bonorum suo-rum

rum dimidium ei obtulerunt. At Angelus nihil aliud iis curandum respondit, quam ut Deo benedicerent, ei gratias agerent, ejusdemque misericordiam magnifice prædicarent; commendatisque jejunii, & eleemosynæ emolumentis, aperuit, se Raphaelem Angelum esse, unum e septem, qui ad thronum Domini semper adstant, subditque, se apud eos esse Domini jussu; & cum videretur cum iis comedere, *se quidem invisibili cibo uti, potuque, qui ab hominibus videri non poterat*. Porro postrema hæc Angeli verba non illud sibi volunt eum non nisi specie tenus, deceptisque adstantium oculis, alimenta sumpsisse. S. Augustinus docet, Angelos, cum hominibus humani corporis visibili forma versantes, reapse bibisse, & comedisse, non tamen, ut nos, necessitate naturæ, sed solum ut se ad eorum societatem, & consuetudinem accommodarent, in quorum gratiam a Deo mittebantur. Evanuit deinde Raphael, & utrunque Tobiam in Divinorum prodigiorum admiratione reliquit. Notus erat Semejæ filius, qui Raphaelis nomen gerebat: *Filii ergo Semejæ, Ophni, & Raphael, & Obed*.

Raphaja. Sacra Scriptura Virorum hujus nominis quinque meminit, de quibus peculiare nihil refert.

Raphaim, *gigantes*, veteres Incolæ regionis Chanaan, e Raphæ stirpe, qui ultra Jordanem degebant, inter hoc flumen, & Montes Seir, & Galaad. Erant adhuc in Astaroth Carnaim Abrahæ tempore, quo Chodorlahomor iis bellum intulit: *Chodorlahomor, & Reges, qui erant cum eo, percusserunt Raphaim in Astaroth Carnaim*. Existebant etiam Mosis, & Josue tempore, ac Davide quidem regnante, morabantur in Urbe Geth. Goliath, Saphai, & Robochai erant & ipsi e Raphaimarum stirpe: *Percussio Robochai Husatites, Sophai de genere Raphaim*. Raphaimarum Vallis, in sacris Litteris celebrata, Hierosolymæ proxima erat, & inter Tribus Juda, & Ephraim sita; in ea David sæpe Philistæos profligavit: *Castra Philistinorum erant posita in Valle Gigantum*: In Hebraico textu: *Raphaim*. Genes. XIV. *Jos*. XII. I. *Paralip*. XX.

Raphidim, *lectus ad cubandum*, Israelitarum statio in Deserto, ad quam pervenerunt, cum e Sin exiissent: *Castrametati sunt in Raphidim* (Exod. XVII.) Populus, aqua deficiente, Mosi obloqui cæpit, qui miseros homines in aridam regionem duxisset, ut siti perirent. Ad Dominum confugit Moses, a quo jussus est ad petram Oreb populum ducere, eamdemque petram cum nonnullis Senioribus virga percutere; certo quippe aquam inde egressuram, & ea quidem copia, quæ non solum populi, sed armentorum quoque expellendæ siti satis esset: *En ego stabo tibi coram te supra petram Oreb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus*. Domini jussa fecit Moses, petram percussit, & aqua large effuseque prodiit. Eum locum Moses *tentationem* nuncupavit, ob Israelitarum querelas scilicet, qui de Mose, Deoque ipso conquesti fuerant: *Et vocavit nomen loci illius, tentatio, propter jurgium filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Aqua, ex Oreb egressa, torrentis instar per vias omnes excurrens, per quas Israelitæ progrediebantur, iisdem in aliis stationibus multis deserviit, quoad in ea loca pervenerunt, in quibus aqua suapte sponte effluebat. Quod in causa fuit, ut S. Paulus assereret, mysticam petram, e qua bibebant, eos subsecutam esse: *Bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra*; subdit autem idem Apostolus, eam petram Christum fuisse: *petra autem erat Christus*. Reapse petra hæc Christum Dominum significabat, fundamentalem, & angularem Ecclesiæ petram, quæ a Divino Patre in Judæorum, & Gentium gratiam percussa fuit, cujusque sacra vulnera pro nobis evasere fontes aquæ vivæ, quæ nos abluit, & ardentem sitim, quam in hujus Mundi Deserto patimur, prorsus extinguit: *Si quis sitit*, inquit Christus ipse, *veniat ad me, & bibat*. Statio Raphidim clara est etiam celebri victoria, a Josue ex Amalecitis relata, quæ accepta referri debuit precibus Mosis, qui Montem conscenderat, ut pugnæ testis esset, Deique opem imploraret. Dum sanctus hic Vir manus elatas tenebat, Israelitæ victores erant, at

at cum eas demittebat, Amalecitæ fecundo marte pugnabant. Itaque Aaron, & Hur coacti fuere Mosis manus sustinere, quoad hostes penitus subacti essent.

Raphon, *remedium*, Urbs in Tribu Gad ultra Jordanem, quæ in facris Litteris nota non est nisi Timothei clade, qui ibidem a Juda Machabæo fusus victusque fuit. Timotheus, cum ejus Exercitus ad arcem Dathman profligatus fuisset, novis, quoad potuit, copiis collectis, ad Urbem Raphon accessit, ibique castrametatus est: *Castra posuit contra Raphon*. Judas, cui tum quidem non nisi sexcenti viri præsto erant, initio statim missis, qui hostilem Exercitum explorarent, progressus, irruensque impetu facto, hostem fudit, & in fugam conjecit: *Judas autem vehementer instabat puniens profanos*, *& prostravit ex eis triginta millia virorum*. I. *Machab*. v.

Rapere; verbum hoc communi notione sumptum significat *per vim adimere*: *Rapuerunt domos*: ademerunt domos vi facta. Significat etiam fœminæ vim inferre: *Sichem rapuit Dinam*, *& dormivit cum ea*. In bonam quoque partem sumitur: *Spiritus Dei rapuit Philippum*: ea nempe celeritate transtulit, qua nullis humanis viribus transferri potuisset. *Raptus est in Paradisum*: S. Paulus ad tertium Cœlum elatus fuit, spiritu scilicet elevatus in statum supra naturam ad Paradisum usque, ubi eum Deus maximarum veritatum notitia perfudit. Christus Dominus ait Cœlorum Regnum vim pati: *Regnum Cœlorum vim patitur*, *& violenti rapiunt illud*: qui ipsi sibi vim faciunt, in illud veluti per vim pedem inferunt. Ducta est metaphora a militum festinatione, ac sollicitudine, qui omnes conatus edunt, ut in Urbem, quam obsident, ingrediantur.

Rasin, *excursor*, Syriæ Rex, qui, Phacae comitante, fœdus inierat, ut Achaz aggrederetur, Regnum Juda repente invasit, primo hujus Principis regni anno. Regem Achaz, & subditos terrore affecit irruptio hæc; Dominus enim, qui Reges eos duos in Judæam mittebat, iisdem horrorem ac formidinem præire voluit: *Cœpit Dominus mittere in Judam Rasin Regem Syriæ*. Eorum transitum nihil impediit, nihil eorumdem progressus retardare potuit. Momento prope temporis Metropolim obsidione cinxerunt; atque in summa, quæ Judæorum animos incesserat, perturbatione, nihil non felicem successum promittere videbatur. At Dominus, qui populum suum punitum quidem, non deletum volebat, Isaiam misit ad Regem Achaz, qui ei animos adderet: *Noli timere*, *& cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin Regis Syriæ*, *& filii Romeliæ*. In tuam perniciem conspirarunt, ajentes: *Egrediamur in Judam*, *ei bellum inferamus*, *ejus ditionem inter nos partiamur*, *&c*. Verum ait Dominus: *Consilium hoc e voto non cedet*, *sed evanescet*: *non stabit*, *& non erit istud*. Ergo fœderati Reges duo coacti fuere Hierosolymam obsidione liberare, & in suam uterque regionem regredi. At Achaz in impietate animum obfirmante, ejusque exemplum secutis subditis in omnem idololatriæ superstitionem temere prolabentibus, Deus insequenti anno justitiæ suæ ministros, Rasin, & Phacae in eos immisit, qui, e suis uterque finibus, in Regnum Juda irruperunt, illudque ad incitas redegerunt. Duorum Regum viribus obsisti non potuit, quibus Dominus Achaz tradiderat. Rasin eum profligavit, Regni intima penetravit, ubique cruenta transitus sui vestigia reliquit, immensaque onustus præda suam in ditionem rediit. Haud ei tamen victoria diu frui licuit; Deus enim qui suæ in Judæ Regnum justitiæ insigne exemplum per eum exhibuerat, alio ministro usus est, ut ipsum puniret. Theglatphalassar Assyriorum Rex, magna argenti vi corruptus, Regi Achaz opem tulit, Damascum Syriæ Metropolim captam evertit, traxit incolas in Urbem *Kir*, *Rasin autem interfecit*. IV. *Reg*. xv. *&* xvi. II. *Paralip*. xxviii.

Ratio nihil est aliud, *quam potestas & vis*, *qua instructus intellectus ratiocinatur*, *seu argumentatur*, *hoc est*, *unum ex alio*, *veritatem ex veritate*, *consecutionem ex principio*, *seu axiomate generali deducit*. *Facultas hæc est mentis nostræ primaria dos*, *per quam humana natura constat*, *& homo potissimum a brutis differt*. *Itaque in*

omnibus hominibus, cum ætate creverunt, naturalem Logicam animadvertimus, in qua hujus rationis usus positus est. Ac ne ipsi quidem Infantes hac facultate destituti sunt; at quoniam nihil habent, in quo eam exerant, utpote quibus ideæ, phantasmata, principia, ac veluti rudera ad ratiocinationem necessaria desunt; proinde dicimus, iis deesse rationis usum, quoad eum per ætatem, vel aliquod humanæ societatis experimentum adepti fuerint. Hanc autem ratiocinandi vim nos peculiariter Rationem *nuncupamus, cum de humanis actibus agitur, ac de iis, quæ in moribus suscipienda sunt, aut fugienda; quippe cum ad eam spectet nobis hoc in tramite facem præferre. His fundamenti veluti loco positis, nihil erit, quod in nonnullis veritatibus percipiendis, quæ hominis cognitioni maxime necessariæ sunt, laboremus; Rationem scilicet, intrinsecum decus nostrum, haud pro Magistra innata homini sumendam esse, cujus sit, statim atque ei res aliqua exhibita fuerit, cognoscere, ac decidere, verane, an falsa, bona an mala, pulcra an deformis, denique an melior pulcrior &c. habenda sit, quam res alia. Certe non desunt humani actus, quos statim ac puer, aut vir, ab omnibus procul, in nemore, aut carcere altus educatusque fuimet oculis viderit, absonos, vituperandos, & malos asserat, ut alteri injuriam, atque adeo mortem inferre, filium in patrem desævire, Deo, cujus omnipotentia conditi sumus, & providentia servamur, maledicere, servo probo calumniam impingere, aliena per vim rapere, &c. Idem ei contingit, qui certa quadam audit axiomata, ut* totum esse majus sua parte, fieri omnino non posse, ut idem sit, & non sit eodem tempore; *& id genus alia, quæ verissima, ac certissima statim habentur, ac proposita fuerint. At fere* Ratio *hæc ipsa studio indiget, ut nobis detegat, quid bonum malumve sit, quid hominem deceat, dedeceatve. Ea quidem ruralia nobis instrumenta prabet, quibus terram eruamus, ac tandem thesauros inveniamus, at nunquam thesauros hos inveniemus, nisi instrumentis his laborem nostrum, & operam addiderimus. Videlicet, ut verum detegamus, a falso caveamus, quid seu quoad animum, seu quoad corpus, nobis aut bonum, aut melius sit, perspiciamus, quid denique seu minus bonum, seu perniciosius; omnino necesse est, ut mentem intendamus, animadvertamus, examinemus, seu quod idem est, Ratione, seu Ratiocinio diligenter utamur, universa cum singulis, principia cum consecutionibus componentes; ita enim constare poterit, eligendumne aliquid, an vero respuendum sit, agendum, an omittendum.*

Ratio præterea statuit fundamenta scientiarum omnium, atque adeo ea ipsa, quæ ad res supra captum nostrum positas referuntur, cujusmodi sunt Fidei mysteria; solida quippe argumenta nobis suppeditat, quæ persuadeant, convincantque, oportere, ut Fidei jugo intellectum subdamus, & rationi consonum esse, ut mysteria credamus, etsi Rationem ipsam longe multumque superent.

Hoc tamen loco expendendum est, an, & quomodo, quibusque regulis Ratione uti Theologus debeat. Nihil est autem, quod quispiam dubitet, an Theologo necessarius sit Rationis usus, sine quo nulla Disciplina constare potest; ut qui Theologiæ omnem Rationis usum ademerit, Theologiam ipsam a fundamentis evertat. Et quia Rationis usus ad Theologiam bifariam spectare potest, I. ut per naturalia Rationis principia de Deo loquatur, II. ut ad revelatas res ratiocinandi artem accommodet, eas nempe confirmet, tueatur, amplificet; ajo proinde, utrumque usum Theologo non solum apprime utilem, sed etiam necessarium esse. Qua in re nos inter extrema duo incedere necesse est. Videtur enim Benedictus Spinoza *utrumque usum a Theologia penitus eliminare in suo Tractatu Theologico-Politico, ubi nec argumentis e Sacra Scriptura depromptis disputari vult, nec Philosophiam cum Revelatione conjungi. Contra vero* Antonius Collins *Anglus utrumque abusum in Theologiam inducere nititur, ut nempe non solum de Deo, Divinisque rebus ex naturalibus Rationis principiis libere disputetur, verum etiam quicquid Revelatione continetur, ad Dialecticæ trutinam, & quidem a quolibet a vulgo, revocetur, nihilque credatur, nisi cum ratio-*

ratione concordet, & congruat. Sane Spinozæ *doctrina videtur prima fronte magnopere pietati, ac Religioni consona, nec latum unguem distare a Sanctorum Patrum doctrina, quorum testimonia* Petavius *in Prolegomenis ad sua Theologica Dogmata c. 3. collegit; at si bene penitus introspiciatur, eo tendit, ut ad fanatismum purum putumque Christianam Religionem, & sacram Scripturam redigat, quam derisionibus, contumeliis, & contemptui profanorum exponit. Contra doctrina* Collins *ex quotidiano Scholarum usu firmari videtur, e quo factum est, ut Scholastici Theologicas controversias magis Philosophiæ principiis, & Dialecticæ regulis, quam Revelatione exagitent, finiantque. At ejus doctrina Revelationem de medio funditus tollit, cujus non aliam regulam, quam humanam Rationem statuere videtur, cum potius Divina Revelatio tamquam Rationis norma data fuerit.*

Et quia Franciscus Bacchonius *a Verulamio inter alia, quæ in Theologia desiderarentur, Tractatum enumeravit de Concordia Rationis, & Fidei; ex eo tempore docti plures, electique Viri in id operis incubuerunt. Inter eos principem locum tenent* Petrus Daniel Huetius, Sylvanus Regis, & Placetta. *Suum* Huetius *de quæstionibus Alnetanis eruditissimum opus elaboravit, in quo fuse simul, ac docte de Rationis & Fidei concordia disputat.* Sylvanus Regis *de Rationis, & Fidei usu Librum Gallico sermone in lucem edidit Gallica quoque lingua* Leibnitius, *ad Rationis, & Fidei concordiam quod attinet, eruditam Dissertationem texuit, quam* Theodiceæ *suæ præfixit. Extat etiam in eamdem rem* Placettæ *Dissertatio. In his omnibus Opusculis, si titulum unum exceperis, qui rei, qua de agitur, detrimento esse posset, Theologi res admodum doctas & præstantes inveniunt. Cæterum titulus,* de concordia Rationis, & Fidei *haud mihi quidem satis arridet; cum enim Fides expressus Divinæ auctoritatis assensus sit, quæ dubio procul Ratio summa est, cum Ratione ipsa pugnare non potest. Quoniam vero nonnunquam Revelationis principia, seu consecutiones ex iis derivatæ naturalis rationis principiis, vel consecutionibus ex ea deductis opposita videri possunt, is potius quæstionibus titulus ponendus erat:* Concordia Philosophiæ, & Revelationis, *seu, de Rationis usu in rebus Theologicis. Tria proinde nos ponderabimus.* I. *Quantum in Theologia per naturalis Rationis principia proficere, & quomodo ulterius progredi possimus,* II. *Quid nobis facto sit opus, si naturalis Rationis principia cum revelatis doctrinis pugnent, aut pugnare videantur,* III. *Quomodo disputandi ars in revelatis rebus adhiberi, & quomodo scholarum Theologi probari possint.*

Ut a primo ducam orationis initia, aliquanto fusius Rationis nostræ vim, ac naturam in bono lumine ponam. Humana ratio constat in homine duabus omnino rebus, quæ ambæ acquisitæ sunt, & quarum una si desit, Ratio dici non potest. Sunt autem res hæ duæ, rerum ideæ, quas equidem rationis principia nuncupo, ideasque expendendi, & per eas ratiocinandi ars. Quamobrem cui desunt ideæ, ars eidem, & ratio deest; ac si quis ideis multis instructus sit, arte autem careat, is etiam ratione caret. Porro utramque acquisitam dixi; ars enim exercitatione comparatur, nobisque non nisi intelligendi vis, & facultas a natura indita, & innata est; omnes quoque ideas, seu cognitionum nostrarum principia nos acquirimus, nec nobis ipsis impressa sunt. Tres præterea fontes sunt, qui nobis hæc principia suppeditant, conscientia, sensus, demonstratio. Conscientia *nobis præbet, quod in nobis est;* sensus *corporeas res, quæ circa nos sunt;* demonstratio, *quod cum rebus ipsis connexum est, nempe quod res seu præcedit, seu comitatur, seu demum subsequitur.*

Et sane conscientia, *&* sensus *haud proxime nos ad Dei, divinarumque rerum cognitionem perducunt; innatæ enim ideæ, animæque cum Deo substantialis unio, quæ Platonici prædicant, Fanaticorum,*

eorum, seu somniantium phantasmata sunt, Deusque, ac Divinæ res vim omnem sensuum excedunt. At demonstratio, *quæ* conscientiæ, *ac* sensuum *principiis innititur, bene multa non solum utilia, verum etiam necessaria Theologo præbet, & ad revelatam Theologiam, ut ita dicam, viam sternit. Ejusmodi sunt cognitiones existentiæ Dei, creationis Mundi ab eo factæ, ejusdem providentiæ, bonitatis, sapientiæ reliquorumque attributorum, sine quorum notitia Revelatio legi non potest. Quo sane sensu sæpe docet* S. Thomas, *Gratiam hac ratione supponere naturam, cui opitulatur, quemadmodum Fides Rationem supponit, quam regit, & perficit. Eodem pariter sensu* S. Justinus Martyr, & Clemens Alexandrinus *ajunt, Deum summa providentia præmisisse Evangelio Philosophiam, ut Fidei viam aperiret. Fallitur ergo* Spinoza, *qui ut a Theologia usum rationis amoveat, fingit, Philosophiæ, & Revelationis objectum aliud, aliumque finem esse; fallitur, inquam, totaque errat via; finis enim utriusque est hominis beatitudo, ac proinde utriusque objectum idem summum Bonum est, idemque inquirendi ejusdem summi Boni officium est.*

Verum huic doctrinæ temperamentum adhibendum est. Humanæ nimirum ideæ, tum quæ proveniunt a sensibus, tum quas nos ipsi cudimus, tamquam profecta rerum, quas exhibent, exemplaria spectari non possunt; omnes enim inæquales, & imperfectæ sunt. Quamobrem inter Philosophos omnes convenit, nihil a nobis per eas ideas decidi posse, ad corporearum substantiarum essentiam quod attinet. Quod si arrogantis hominis est, ex ideis nostris de corporum essentia judicare, tametsi corporeæ res proxima idearum nostrarum objecta sint; sane fuerit intolerandum, de æternarum, divinarumque verum essentia judicare velle, quæ idearum nostrarum objecta proxima esse non possunt, quasque nos non nisi per conjecturam assequi possumus. Non ergo solum inutiles, sed etiam audaciæ, ac temeritatis plenæ sunt Scholasticorum quæstiones, de constitutivo, ut ajunt, essentiæ divinæ, de natura divinæ scientiæ, voluntatis, decretorum Dei, libertatis, immensitatis, æternitatis, bonitatis, justitiæ; de constitutivo SS. Trinitatis, divinarum Personarum, de ratione, qua agit providentia, & gratia Dei, ne id genus alia plurima persequar. Quamvis enim ex ideis ipsi nostris possimus evidenter deducere, Deum esse infinite intelligentem, liberum, immensum, æternum, bonum, justum, &c. qualia tamen, aut quot attributa hæc in Deo sint, deducere nec possumus, nec debemus, nisi velimus Herculi, quod dici solet, pueri calceum aptare.

Hinc sæpe veteres Patres de Philosophorum confidentia queruntur, qui hæc omnia humanis rationibus explicare conati, ea perverterunt. Sed omnium maxime Scholastici se hac in re insignes exhibuerunt, qui dum præcipua Christianæ Theologiæ Dogmata per Aristotelicæ, & Arabicæ Metaphysices ideas in bono lumine collocare nituntur, omnia confundunt, ineptias in sacras doctrinas inducunt, latamque viam incredulis aperiunt. Increduli enim, ut S. Thomas *animadvertit, rati, non alia Fidei nostræ fundamenta, quam eas levissimas philosophantium Theologorum ratiunculas esse, firmius erroribus suis adhærent. At neque hi, neque vero alii, qui Trinitatis mysterium cum ideis nostris componere, & conciliare student, Theologi dici possunt; hoc enim Dogma ideas nostras, & quod inde consequitur, naturalem rationem excedit; ut proinde Trinitas, quæ per ideas nostras explicatur, non divina Trinitas, sed nostra chimæra sit.* Petavius *in Libris* de Trinitate *multas in hanc rem veterum Patrum sententias, & effata congessit. Nobis ergo in Theologia vitanda sunt duo, ne scilicet aut plus, aut minus, quam par est, seu nihil omnino naturali rationi tribuamus. Legi proinde poterunt* Petavii *Prolegomena, &* Melchior Canus *de Locis Theologicis lib.* IX. & X.

Verum id in quæstionem venit, quomodo se gerere Theologus debeat, si quando

do revelationem cum manifesta naturali ratione pugnare viderit. Sane cum recta & clara ratio nihil demum aliud, quam Dei lumen sit, ut egregie S. Augustinus *asserit, jure proinde ac merito omnes ad unum Theologi statuunt, divinam revelationem rectæ, claræque rationi adversari non posse; alioquin* lumen lumini, verum vero adversaretur, *ut Viennensis Concilii Patres loquuntur; idque argumentis multis demonstrat* S. Thomas *lib.* I. *contra Gentes. Et sane si res, quas ratio perspicue, & clare docet, revelatis rebus adversarentur, cum ea sit oppositorum natura, ut unum verum esse debeat, alterum falsum, necessaria consecutione fieret, ut vel Rationis Dogmata vera essent, & falsa revelatio, vel contra; & quoniam tum naturæ, tum revelationis lumen a Deo est, nos alterutra, vel utraque ratione Deus ipse falleret, quod ipsum cogitare impium fuerit. Quare cum hæc duo lumina invicem pugnare non possint, si quando contraria videantur, ob oculos habenda est aurea* Sancti Augustini *regula, quam Epist.* 143. *novæ Editionis in hæc verba proponit:* Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem reddirur, quamlibet ea sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ, certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potest, sed suum potius objicit veritati, nec quod in iis, sed quod in se ipso, velut pro iis invenit, opponit.

Qui ergo (ut Petrus Bayl *in suo Dictionario Critico, Articulo* Pyrrhus) *objiciunt, nonnulla Christianæ Religionis capita cum recte Rationis principiis ex diametro opponi, gravissime hallucinatur, & ea ipsi cum recta ratione pugnare dicunt, quæ, qualia sint, minime intelligunt. Fuse hæc explicat* Sylvanus Regis *in laudato Opere* de usu Rationis, & Fidei. *Nos id unum aperiemus, Christianæ Religionis mysteria supra, non contra naturalem rationem esse, videlicet, ea, quæ intelligi nequeunt, nullamque cum ideis nostris analogiam præseferunt, supra rationem nostram posita esse, ac si nequeunt intelligi, rationi contraria dici non posse. Legi poterit citata* Leibnitii *Dissertatio.*

Illud quærendum superest, quousque tandem ratione, & Logica Theologus uti possit, ut sacram Scripturam interpretetur, in eaque latentes consecutiones deducat; nempe quo usque liceat in sacris Litteris philosophari, & quo usque probandi, vel damnandi Scholastici sint. Sacra Scriptura data est homini, scilicet animali ratione prædito, non jam bruto; supponit ergo Rationis usum, quam Scriptura ipsa moderatur, & perficit. Homo igitur intelligere debet, ac si primo quasi intuitu non intelligit, accurate divinorum verborum sensum, amplam significationem, usum, consecutiones quærere debet: Ac tantum abest, ut id in Theologia probibeatur, ut potius hac ipsa re Theologia contineatur. Legatur Origenes *lib.* VI. *contra Celsum, qui ad id ostendendum, loca sacræ Scripturæ duo, unum e Proverb. cap.* X. *v.* 17. *alterum ex Ecclesiast. c.* XXI. *v.* 18. *in medium adducit.*

Nos porro ex his oraculis id evincimus. S. Paulus *Epist.* I. *ad Corinth. cap.* XIV. *v.* 20. Ne sitis pueri intelligentia, sed malitia parvuli estote, intelligentia autem perfecti. *Et in eadem Epist. cap.* X. *v.* 15. Ut prudentibus loquor; vos ipsi judicate, quod dico. *Id ipsum confirmant ea sacræ Scripturæ loca, in quibus non solum ab Apostolis, sed etiam a Christo ipso Judæi increpantur, & ad Scripturarum scrutinia remittuntur. Ex iis præterea locis ostenditur, quæ eos arguunt, qui in* Religione *non ita, ut par est, ratione utuntur.* Deuteronomii *cap.* XXXII. Gens absque consilio est, & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligeren, & novissima providerent. *In Evangelio* S. Marci *cap.* VIII. Nondum cognoscitis, nec intelligitis, aut cœcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes, non videtis. *Hinc* S. Paulus *in Epistola ad Romanos cap.* XII. *cultum, quem Deo nos exhibemus, rationi consonum dicit. Præterea e gravissimis pœnis, quas homini Deus minitatur, ea est, ut, cum nobis ad æternam salutem obtinendam sacra Scriptura præsto sit, eam intelligere nequeamus.* Isaiæ

cap.

cap. VI. *leguntur hæc*: Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude ; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. *Jam vero* S. Matthæus *cap.* XIII. *&* S. Marcus *cap.* IV. *vaticinium hoc in Hebręis perfectum fuiſſe teſtantur*. Eodem *accedit*, *ſcrutinium hoc a Patribus omnibus commendari, quorum ſententias* Petavius *loco laudato collegit*.

At ne forte nos ambiguitas in errorem trahat, animadvertimus, tria eſſe ſacrę Scripturę ſcrutinia. Primum eſt, quo nihil non ratione explicatur ; alterum, per quod inquiritur, idne ſit in ſacris Litteris, de quo controvertitur ; tertium, quo exploratur, quid e Scripturę ſententiis derivetur, & quę ſint ea, quę contra ſtant. Primi generis ſcrutinium vel in eum ſenſum accipitur, ut demonſtretur, in ſingulis revelatis doctrinis nihil eſſe, quod cum rectę Rationis principiis pugnet ; vel rectam Rationem earum rerum regulam primam eſſe, quæ nobis in Sacris Litteris credenda ſunt, aut non credenda, quæ ſententia eſt anonymi Auctoris Libri inſcripti: Philoſophia Scripturæ interpres ; *& in quam propendere videtur* Collins *in libertate cogitandi. Scrutinium hoc, priore ſignificatione ſumptum, Theologo dupliti ex cauſa neceſſarium eſt; primo quidem ut rationis ſcrupulos cobibeat, & tutiorem Fidem reddat. Neque enim eſſe poteſt tranquilla mens, quæ putat ſe aliud intelligere, & aliud debere credere; & quocunque demum pacto voluntas Deo per Fidem ſubdatur, ſi qua ratio ſpecie tenus repugnet, animus certe tranquillitate frui nequie. Eos præterea refelli neceſſe eſt, qui Chriſtianam Theologiam rectæ rationis principiis adverſari docent ; hujue autem generis homines hactenus extitere non pauci, ut Ethnici, & Arabes, & adhuc ſunt, ut Deiſtæ. Itaque tum veteres Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, tum* S. Thomas, *aliique Scholaſtici, atque hoc ipſo tempore Theologi plures ſuum eſſe potiſſimum crediderunt, oſtendere, Ethnicorum, Arabum, ac Deiſtarum argumenta fallacia eſſe, neque in Theologia quicquam occurrere, quod recte rationi repugnet, tametſi non deſint, quæ eamdem excedant. Qua in re* D. Thomas *ſe in utraque Summa inſignem exhibuit. Quamquam, ſi verum fateri volumus, Fidei Dogmata non tam cum rectæ rationis, quam cum Arabicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ principiis conciliare ſtuduit; in quo ſane reprehenſione dignus eſſet, niſi eo quidem tempore una eademque res habita eſſet recta ratio, & Arabica Philoſophia*.

Sed quod Philoſophiæ Scripturæ interpretis *Auctor contendit, id vero nec Theologus, nec quivis alius non Theologus ferat. Chriſtianus enim Theologus probe novit, Sacram Scripturam eſſe rationem Dei per prophetiam cum homine communicatam; ſtultique proinde hominis eſſe, humanam rationem, infirmam eam quidem & limitatam tamquam infinitæ Divinæ rationis regulam ſtatuere; quoniam ratio ipſa nobis dictat, regulam ea re, quæ ad ipſam exigitur, tutiorem eſſe debere. Addendum & illud, ſiquidem ratio non ſolum inſtrumentum fuerit, cujus ope res ad Fidem ſpectantes intelligantur, verum etiam earumdem norma, dubio procul divinam Revelationem inutilem fore, cum omnia per rationem percipi poſſint. Denique repugnat id ſacris Litteris, in quibus Philoſophia præ ſacra Scriptura fallax ſophiſma, & prudentia dititur, quam Deus damnavit. Idem ſentiendum de homine, qui Theologus minime ſit; huic enim probari poteſt, naturalem rationem unam haud ſatis eſſe, ut homo ſalvus fiat, adeoque opus eſſe divina revelatione ; quemadmodum legi poſſunt in hanc rem Chriſtianæ Religionis noſtræ recentiores omnes Apologiſtæ. Hinc illud fit, ſacræ Scripturæ divinitate ſemel expoſita, humanam rationem, veluti ejuſdem regulam ſuſtineri non poſſe. Jam anonymus Scriptor ipſe ſecum reputet, quem Theologum malit, ut perſpiciamus qua demum ratione cum eo diſputare debeamus*.

. Scrutinium alterum Eccleſiæ eſt, prout ea Paſtores, Magiſtros, Theologoſque complectitur. Nobis quidem utrumque probatur; at Eccleſiæ ſcrutinium genuinum, propriumque eſt; Theologorum autem, ut & Magiſtrorum, ex indulgentia. Et ſane diligenter expendere debet Eccleſia, an in ſacris Litteris, vel Apoſtolicis traditionibus ea Dogmata reperiantur, quæ nobis credenda proponit; atque in hoc examine omnes rationis, & critices fontes adire debet ; ut enim Theologi

logi dicunt, Spiritus Sanctus adsistit Ecclesiæ, quæ prudenter agit, non temere, & inconsulto. Quocirca in omnibus generalibus Conciliis sacri Codices in medium producebantur, & Patres in unaquaque controversia Scripturas, & Traditiones diligenter investigabant. Cum vero Episcopi ipsi sibi fidere noluerunt, Theologos adhibuerunt, qui libere prorsus, & ingenue res hinc inde in Conciliariis Congregationibus ad trutinam revocabant, ut ita quidem facile veritas affulgeret. At cum olim Hebræis Deus, Christianis denique Christus Dominus sacræ Scripturæ lectionem proposuerit, & commendaverit, ut veritates ad salutem necessarias ex ea quisque perciperet; veteres Patres, omnesque posteriores Theologi id officii, nempe sacros Codices legendi, & explicandi, sibi demandatum esse crediderunt. Hinc Homiliæ, Commentaria, Tractatus, Polemici Libri, Theologica Systemata. Nos quidem Deus singulari beneficio Turcarum tyrannidi subesse noluit, penes quos omne scrutinium vetitum est. Hoc ipsum tamen scrutinium in Theologis nostris prudentiæ multum, & circumspectionis requirit. Ut enim scite monet Eutychius *in Leviticum lib.* II. *cap.* 6. *Quicunque de Deo disputat, haud aliter se gerere debet, ac qui se calefacit, ut ita scilicet ad ignem accedat, ne comburatur. Apposite pariter* S. Joannes Chrysostomus *Homilia in Epistolam ad Hebræos:* Cum ubique religiosa, circumspectaque mente opus est, tum maxime, cum de Deo loquimur, vel audimus. *Quibus concinit* Salvianus *lib.* I. de Gubernatione Dei *in hæc verba*: Cum grandi metu, ac disciplina etiam pro Religione dicere debemus.

Ad postremum quod attinet, in quo proprie sita est Scholastica Theologia; *multifariam agitata est in Ecclesia ejusmodi quæstio. Veterum Patrum multi Dialecticæ usum a Theologia removerunt.* Tertullianus *in suo de Præscriptionibus libro hac de re fuse loquitur, & potissimum cap.* VII. *ubi hæc habet*: Inferunt Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit .... Quid ergo Athenis, & Hierosolymis, quid Academiæ, & Ecclesiæ? Quid Hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est; qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum. Viderint, qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt. S. *etiam* Ambrosius *lib.* I. de Fide *cap.* III. *de Arianis loquens:* Omnem vim, *inquit*, venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ Philosophorum sententia definitur, non adstruendi vim habens, sed destruendi. Sed non in Dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate Fidei est, non in contentione sermonis. *Haud dissimiles locutiones apud* Petavium *loco citato cap.* III. *legi possunt.*

Jam acria quidem & vehementia dicta hæc multo acrius vehementiusque in Scholasticam Theologiam recentiores Hæretici protulerunt. Lutherus *enim in libro contra Jacobum Latomum nihil demum aliud Scholasticorum Theologiam esse pronuntiat, quam veritatis inscitiam, vanumque sophisma, quod Apostolus ad Colossens. cap.* II. *vitandum monet. Et lib.* de abroganda Missa privata, *furore abreptus asserere non dubitat*, Academias esse Christi lupanaria: *impuro sane homine digna locutio. Nec desunt ex eruditis inter nos Viris, ut* Erasmus, Ludovicus Vives, & Melchior Canus, *qui in Scholasticorum Theologiam stilum acuant, tum quia sæpius Aristotelis, quam sacræ Scripturæ auctoritate nixi disputant, tum quia inutiles, difficiles, & periculosas controversias plerumque agitant. Ita scribit* Canus *lib.* VIII. *cap.* I. Intelligo autem fuisse in Schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis, invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione Anicularum. Et eum in iis sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Concilorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philosophia quidem, sed fere e puerilibus disciplinis; Scholastici tamen, si Superis placet, Theologi adpellantur. Nec Scholastici sunt, nedum Theologi,

logi, qui Sophistarum fæces in Scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum.

Equidem arbitror ita negotium componi posse; ut nempe laude dignum, atque adeo necessarium habendum sit, in Theologia per sacros Codices, & Traditiones, quæ propria Theologiæ nostræ principia sunt, argumentari. Qua enim alia ratione generales sacræ Scripturæ doctrinas ad singula, de quibus agitur, accommodare, quod in iisdem doctrinis occultum est, in apricum proferre, revelatorum dogmatum harmoniam ob oculos ponere, Hæreticorum cavillos disjicere, nisi argumentationis ope, possumus? Id qui præstat, non qui ex Aristotelis Philosophia garrit, is demum Theologus Scholasticus dicendus est. Quem vero intelligimus, *subdit apte sapienterque laudatus* Canus, Scholasticum Theologum? Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de Deo, rebusque Divinis apte, prudenter, docte, e litteris, institutisque sacris ratiocinetur. *Certe Christianæ Religionis principia sacris Codicibus, & Traditione continentur; consecutiones autem, ac discrepantiæ, quas Theologus cognoscere debet, per argumentationem deducuntur. Non ergo negligenda argumentatio est, sed ejus vitia abolenda sunt, ut ad rem idem* Canus *libro cap.* II. Potest esse quicquam absurdius, quam sola Disciplinæ principia habere definita, conclusiones vero, quæ certo, atque evidenti Syllogismo, ex illis conficiuntur, aut ignorare velle, aut in ambiguo relinqui? Quod si in Geometria, Physica, Astrologiave quisquam assereret, vere, & jure stultissimus haberetur. *Legantur* Petavius *in Prolegomenis lib.* I. *&* Constantinus Grimaldi *in suis Epistolis Apologeticis.*

Rationale, unum e Summi Pontificis ornamentis, quod Ephod apponebatur. pretiosus lapillus erat, auro ad pollices decem in quadratam formam ornatus, & affabre acu expolitus, quem Summus Judæorum Pontifex gerebat in pectore, additis gemmarum ordinibus quatuor, quarum unicuique nomen unius e Tribubus Israel insculptum erat. Erant in medio Rationali caracteribus auro contextis expressa hæc duo vocabula: *Urim*, & *Thummim*, nempe, *doctrina*, & *veritas*. Ornamentum hoc nuncupabatur Rationale judicii: *Rationale quoque judicii facies*; eo quippe se Summus Pontifex exornabat, ut Deum consuleret, vel cum in gravi negotio judicia pronunciabat. Rationale hoc, quod totius Israelitici populi veluti compendium erat, utpote quod omnes ejus Tribus complecteretur, super Pontificis corde positum erat, ut nunquam oblivisceretur sapientiæ, gravitatis, & justitiæ, quæ in ejus omni agendi ratione enitere debebant, quidque ipse deberet populo, cujus pater, & patronus erat. *Exod. cap.* XXVIII. 15. 30.

Razias, *secretum Domini*, unus e præcipuis Hierosolymæ Doctoribus, apud Judæos in summa existimatione habitus, quem patrem vocabant, amoris causa, quo eosdem prosequebatur. Is sane ex longo jam tempore in Judaismo integerrimam, & ab omnibus ethnicæ superstitionis sordibus immunem vitam agebat. In Antiochi Epiphanis persecutione maximum animi robur ad Dei Legem propugnandam contulerat, iisque strenue restiterat, qui idolatriam in Israel inducere contendebant. Raziam Demetrius apud Nicanorem Judææ Præsidem accusavit: *Razias quidem de Senioribus ab Hierosolymis delatus est Nicanori*; qui ut odii, quo in Judæos flagrabat, publicum specimen exhiberet, in Raziæ perniciem quingentos milites misit. Razias intelligens se ex eorum manibus elabi non posse, se stricto ense interemit, quippe qui fortiter mori mallet, quam peccatoribus subesse, & contumelias suis natalibus indignas pati. At cum lethale vulnus non esset, statim ac milites turmatim domum subire conspexit, murum citato gradu conscendit, alacriterque se se præcipitem dedit. Cum ne eo quidem casu mortus jaceret, novum conatum fecit, se in pedes erexit, sibique abstracta viscera, suis ipse manibus in populum jecit: *invocans Dominatorem vitæ, ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, atque ita vita defunctus est*. Judæi Raziam in maxime insignium Martyrum suorum numero ponunt, ejusque mortem tamquam singularem Divini Numinis afflatum spectant. Hoc item judicium est, quod de eo In-

Interpretes nonnulli ferunt, quem cum Samsone comparant. At S. Augustinus, ac præstantiores Theologi asserunt, cum Razias esset e vulgari hominum genere, nullumque in eo, ut in Samsone, divini instinctus argumentum unquam antea extitisset, ejus proinde facinus, quod ex arrogantia, ac temeritate originem duxit, Dei opus esse non potuisse. Id sane sacra Scriptura tantum commemorat, non commendat omnino; non laudat hujus Judæi seu sensa, seu mortis genus; ea solum exprimit, quæ in causa fuere, ut adeo inhumanum, ac barbarum consilium caperet: *Eligens nobiliter mori potius, quam subditum fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi*. Momenta hæc nihil habent nisi humani, & in ethnicum quoque Heroem congruunt. At vera Religio illustrata Divino spiritu eum tantum vera fortem agnoscit, qui secundum regulas pugnat, & ordinem non pervertit. Jam vero postulabat is ordo, ut Razias invicte suæ legi addictus persisteret, mortisque genus humiliter expectaret, quo ejus fidem experiri Deo placuisset. Concludamus ergo cum *Augustino*, Raziæ mortem a Sapientia commendari non potuisse, quippe quam patientia non comitatur, quæ veros Dei famulos decet: *Dictum est, quod elegeris nobiliter mori; melius vellem*, humiliter; *sic enim utiliter; illis autem verbis Historia Gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi, non Martyres Christi*. II. *Machab. cap.* XIV. 37.

Razon parvus, filius Eliadæ, servus Adarezer Regis Soba. Davide cum Adarezer bellum gerente, Razon herum deseruit, & latronum coacta manu, in Damasci regionem excursiones agere cæpit. Damasci potitus est, cujus se Regem renuntiatum voluit, ei se legi subdens, ut Davidi tributum solveret, qui Syriam subegerat. Tributum hoc Salomoni solvere non destitit, ad ejus usque regni finem, a quo defecit: *Suscitavit ei quoque Deus adversarium Razon, filium Eliada, qui fugerat Adarazer Regem Soba Dominum suum*. III. *Reg.* XXI. 23.

Rebe, quartus, unus e Madianitarum Regibus, qui occisi fuerunt in prælio, quod cum his populis Phinees Mosis jussu commisit, in delicti pœnam, in quod Israelitas per fœminarum illecebras, & lænocinia traxerant: *Occiderunt Reges eorum, Eri, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe. Numer. cap.* LXXI. *Josue: cap.* XIII. *

* *Multi putant, Josue huic prælio non interfuisse; quia scilicet in sacris Litteris nulla fit ejus mentio, ac solum legitur, eam expeditionem Duci Phinees demandatam fuisse. Creditur tamen sacræ Scripturæ super hac re silentium nihil obesse, quominus admodum probabile sit, Josue adfuisse, supremumque Ducem Exercitus extitisse, Phinees autem, tamquam Eleazari filium, eique in Sacerdotalibus officiis suffectum ea tantum curasse, quæ ad Religionem spectabant; cujusmodi erant preces, & vota pro exercitu, & Arcæ, sacrorumque vasorum custodia; Tribus enim Levi a bellicis expeditionibus immunis erat, & Josue jam antea Israelitici exercitus supremus Dux renuntiatus erat. Cæterum si minus Josue pugnæ interfuisset, cur eum sacra Scriptura cum Mose, & Eleazaro non posuisset, cum Exercitui, gloria, prædaque onusto redeunti obviam profecti sunt?*

Rebecca, pinguis effecta, filia Bathuel, & neptis Nachor, fratris Abrahæ. Eliezer, qui apud Abraham domesticæ rei præerat, in Mesopotamiam profectus, ut domini sui filio sponsam quæreret, Rebeccam agnovit, quæ e fonte haustæ aquæ plenam amphoram humeris deferens, Haran redibat. Abrahæ servus eam puellam, quam hero suo a Domino statutam compererat, a Bathuel obtinuit, duxitque ad Isaac, qui tum quidem Bersabeæ in Terra Chanaan morabatur. Ea per annos viginti cum viro versata est, prolis expers, quibus elapsis, preces Isaac ei concipiendi vim obtinuerunt; itaque geminos concepit duos, qui in ejus sinu invicem contendebant. Consuluit ea Deum super hac re, percepitque, filios eos duos fore duorum ingentium populorum capita, mutuo dimicaturas, ita tamen, ut minor majori prævaleret. Cum ergo partus tempus advenisset, Geminorum Mater evasit, quorum primus, qui ruber erat, dictus Esau, qui statim prodiit, fratris pedem

manu tenens, Jacob, nempe *Supplantator*, appellatus fuit. Rebecca majore semper amore, ac studio Jacob, quam Esau prosecuta est; Divini quippe quoad Jacob consilii certior facta, sui proinde animi sensa ad supremæ, æternæque justitiæ decreta conformabat. Porro per revelationem edocta, minorem filium primogenituræ jure fruiturum, ob eam fidem sedulo eventa omnia, occasionesque spectabat, quas providentia ad id, quod statuerat, præstandum induceret. Cæpit id perfici, cum huic juri Esau ob lenticularum edulium cessit; sed hanc cessionem necesse erat Patris benedictione firmari; atque id quidem Rebecca opportune assecuta est. Dum enim Isaac se comparare intelligit, ut Esau benediceret, Esau vestibus indutum Jacob fratri substituit, cui in Divinis consiliis benedictio tribuenda non erat. Ergo se a fratre minore supplantatum videns Esau, in desperationem actus, vindictam juravit, cum Isaac obiisset; eumque Rebecca reformidans impulit Isaac, ut Jacob in Mesopotamiam mitteret, ubi unam e Labani avunculi filiabus uxorem duceret. Ex eo tempore de Rebecca nihil amplius in sacris Litteris, quam Isaac in ejusdem Rebeccæ sepulcro positum fuisse. *Genes.* XXIX.

Rebla, seu Reblatha, *querela*, Syriæ Urbs in regione Emoth, in qua Babylonis Reges, ob cœli clementiam, libenti animo residebant. Ibi Pharao Nechaus constitit, cum e sua Carchemisæ expeditione rediret, spoliavitque Regnum Joachaz Regis Juda, quem eodem venire jusserat. In hac etiam Urbe contigit, ut Nabuchodonosor erui Sedeciæ oculos, ejusque miseri Principis filium, & præcipuos ministros interfici, se ipso spectante, præciperet. Rebla creditur eadem fuisse, atque Antiochia Syriæ. IV. *Reg.* XXV. *Jerem.* XXIX. v. 11.

Rebmag, *dissolutionis signifer*, unus e Nabuchodonosor Regis præcipuis ducibus, qui ad Hierosolymam capiendam Nabuzardano operam suam locarunt: *Serefer*, *& Rebmag*, *& omnes Optimates Regis Babylonis*. *Jerem.* XXXIX. 3.

Recem, *vacuus*, unus e Principibus Madian, quos Phinees in prælio contra Madianitas morte damnavit: *Occiderunt & Recem*. Occurrunt ejusdem nominis filius Hebron, filius Pharez, & Urbs in Tribu Beniamin, *Numer.* XXXI. I. *Paralip.* II. I. *Paralip.* VII. *Jos.* XVIII.

Rechab, *currus*, filius Remnon, & frater Baana, qui ambo excubiarum Isboseth Duces erant: *Duo viri principes latronum erant filio Saul*; *nomen uni Baana*, *& nomen alteri Rechab*. Duces hi duo suum dominum Isboseth occiderunt, ejusque caput ad Davidem attulerunt, qui ambos tamquam proditores occidi jussit. Fuit alter Rechab, Pater Jonadab, amicus Jehu: *Ingressusque Jehu*, *& Jonadab filius Rechab in Templum Baal*. Tertius denique Rechab extitit, cujus filius Hierosolymis portam sterquilinii dictam extruxit: *Portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab*. II. *Reg. cap.* IV.

Rechabitæ; Judæorum Secta ita dicta a Jonadab, filio Rechab, qui vivebat regnante Jehu, cujus intimus amicus erat. Descendebat hic Jonadab a Jethro, Mosis Socero, e Cinæorum stirpe, qui Israelitis in terram promissam contendentibus se comites addiderunt, ibique cum iis sedem posuerunt *. Præscripsit posteris suis asperioris vitæ genus, & acerba nonnulla, quæ Lex nemini præcipiebat, sed quæ tamen ipsa ad diligentiorem, perfectioremque Legis custodiam tendebant. Iis nempe vinum, domos, agriculturam, omnisque fundi proprietatem prohibuit, mandavitque, ut in tentoriis habitarent. Discipuli Jonadab ei regulæ per annos trecentos & amplius adhæserunt. Anno postremo Regni Joakim Regis Juda, cum Nabuchodonosor Hierosolymam obsidione cinxisset, coacti Rechabitæ, relictis agris, se in Urbem recipere, suam tamen in tentoriis versandi consuetudinem retinuerunt. Obsidionis tempore, Jeremias jussus est Rechabitas inquirere, in Templum inducere, iisque bibendum vinum offerre. Jussa fecit Propheta, cumque vinum iis obtulisset, ita responderunt: *Non bibemus vinum*, *quia Jonadab filius Rechab*, *pater noster præcepit nobis*, *dicens: non bibetis vinum vos*, *& filii vestri usque in sempiternum*. Hinc acerrime Judæorum pertinaciam increpandi occasionem Propheta [illegible]

psit, eorumque in Dei Lege violanda facilitati maximam sollicitudinem opposuit, qua, Hominum mandata Rechabitæ servabant. Eos Chaldæi, capta Hierosolyma, captivos traxerunt; cum autem populus a Captivitate redisset, Templi servitio addicti fuisse putantur, ibique janitorum, atque adeo cantorum, sub Levitis, munia obiisse. Nonnulli credunt, Assidæos, de quibus in Machabæorum libris, Rechabitarum successores, & imitatores fuisse. *Jerem.* xxxv.

* *Quinam fuerit hic Jonadab, filius Rechab, certo non constat. Celebris* P. Boulduci Cappucini *sententia est*, Rechabitarum *nomine nihil aliud, quam Prophetarum filios significari, eorum Institutorem primum Eliam fuisse, ejus Discipulum Elisæum hoc præclarum institutum prosecutum esse, firmasse, auxisse, Jonadab in hujus ordinis præcipuum munus Elisæo successisse, dictumque fuisse filium Rechab, quia scilicet* רכב recheb *Hebraice* currum *Latine significat.*

Id autem huic nomini occasionem dedit, quod Elisæus Eliam patrem igneo curru in Cælum transferri videns, exclamare cœpit: Pater mi, Pater mi, currus Israel, ejusque ductor: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & aurigæ ejus, vel equites.* IV. *Reg. cap.* XIII. 14.

Joas Rex Israel, cum se ad Elisæum Prophetam, qui graviter ægrotabat, contulisset, apud eum flere cœpit, ac de gravi jactura dolere, quam ejus Regnum subiturum erat, plus scilicet ad ejus incolumitatem, & propugnationem unius Elisæi sanctitate, ac precibus, quam regiis copiis omnibus conferentibus: Pater mi, *ita is Princeps*, pater mi, currus Israel, & auriga ejus.

Concludit Bouldücus, *hinc Rechabitas nomen traxisse, quia scilicet eorum institutum a Prophetis Elia, & Elisæo originem duxit, & Rechab hoc ipsum non aliud, quam appellativum nomen esse; quod* currum *significat, nomen, quod Elisæo inditum, cum ejus Magistro translatus esset, & Joas Rex Elisæo ipsi id nominis accommodasset. Cæterum Jonadab hic non jam Elisæi filius, sed discipulus tantum erat.*

Redemptio. Mandaverat Moses, ut neque Hebræi, neque eorum prædia in perpetuum vendi possent; sed anno Sabbatico, & Jubilæi anno ad bonorum, & libertatis possessionem quisque rediret: *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Haud tamen gratiosis annis bis expectatis, si quando consanguineus dives is esset, qui fratris bona, seu libertatem redimeret, id ei per Legem licebat; quod proinde redemptionis jus dicebatur. At *Redemptionis* nomen ei tantum tribuitur, quam Christus nobis per suam ipsius mortem obtinuit, effuso sanguine, ut nos ab hostibus, quorum tyrannidi subdimur, liberaret: *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio:* per eum firmati estis in Christo Domino, qui nobis tamquam sapientia nostra; justitia, & sanctificatio, & redemptio datus fuit.

Redemptor. Id nominis per excellentiam Christo tribuitur, qui nos a peccato, a morte, & a Dæmonis captivitate redemit: *Cum venerit Sion Redemptor*: cum Redemptor Ecclesiæ advenerit. Is quoque Redemptor dicitur, qui ab aliquo malo nos liberat: *Hunc Deus principem, & redemptorem misit cum manu Angeli*: Moses, quem Hebræi rejecerant, is fuit, quem Deus principem, & redemptorem misit, Angelo duce, qui ei in ardenti rubo apparuerat. Populi sui redemptor dicitur Deus, qui scilicet ab Ægypti, & Babylonis captivitate eum liberavit: *Hæc dicit Dominus, Rex Israel, & Redemptor ejus*. Hæ purto liberationes nihil aliud erant, quam ejus figura, quæ nos a peccati, Dæmonis, & mortis servitute per Crucem Christi Domini liberavit. *

* *Hominum redemptionem Christus perfecit, eorumque ipse unus & unicus Redemptor est. Id evincunt multa sacrarum Scripturarum oracula:* Justificati gratis (*ad Rom.* III.) per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo ejus. *Electi in Apocalypsi ita Christum Dominum alloquuntur:* Redemisti nos Deus in sanguine tuo. *Fuit præterea Christus cumulate, & omnino Redemptor; quod ostendunt potissimum tria.*

I. *Deus Pater pœnas peccato debitas in Divinum Filium rejecit:* Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum...... Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus

tritus est propter scelera nostra. *Isaiæ c.* 53. Traditus est propter delicta nostra... Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *S. Paulus ad Romanos* VIII. 32. Qui non noverat peccatum (II. *Corinth.* V.), pro nobis peccatum fecit.

II. *Christus pœnas peccato debitas ipse sibi sumpsit, ut Homines ab iis liberaret.* Hebr. II. Joan. XI. *Pro hominibus enim mortuus est, & pro ipsis moriens, se in eorum loco posuit.*

III. *Pœnæ peccato debitæ in eas mutatæ fuerunt, quas Christus Dominus sponte subiit. Landati textus id probant; ejus enim passio, & mors fuere propitiationis loco pro peccatis hominum, qui per ipsius mortem in gratiam cum Deo redierunt:* In quo habemus (*ad Ephes.* I.) redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.

Reema, seu *Regma*, *magnitudo*, filius Chus, qui Arabiæ regionem, e cujus Urbe Tyro aromata, lapilli pretiosi, & aurum transferebantur, incolis cumulavit: *Venditores Saba, & Reema ipsi negotiatores tui*. Regio hæc fuisse creditur Arabia Felix ad ingressum Sinus Persici. *Ezech. cap.* XXV.

Refugium, Urbes refugii, quas numero septem Deus a Mose statui præceperat, in quas se tuto recipere possent, qui forte fortuna, & nil tale cogitantes Hominem occidissent, ut se per tempus apud Judices purgare, ac tueri possent, quin iis quicquam a defuncti consanguineis timendum esset. Ejusmodi tres Urbes erant in Terra Chanaan citra Jordanem, scilicet Hebron Juda, Cades Nephtali, & Sichem Ephraim; ac tres ultra flumen, nempe Bozor in Tribu Ruben, Ramoth in Tribu Gad, & Golam in Tribu Manasse. Quamvis autem homicida in his refugii Urbibus ab ejus, qui occisus fuerat, familiæ persecutionibus tutus esset, a justitiæ tamen vi, ac potestate liber non erat. De eo scilicet inquirebatur, probandumque erat, homicidium, quod patraverat, involuntarium esse. Quod si reus detectus esset, ex Legis severitate puniebatur; at si ejus innocentia e solemni judicio constitisset, captivus detinebatur in Urbe refugii ad usque Summi Sacerdotis mortem, a qua unice ejus libertas pendebat. Nimirum Deus, ut homicidii horrorem electo populo vehementius inspiraret, homicidam etiam involuntarium quedam exilii genere puniebat. Si enim ante præscriptum tempus egressus esset, ejus, qui occisus fuerat, sanguinis ultor eum impune occidendi jure gaudebat. At post Summi Pontificis mortem ei licebat, quocumque voluisset, se conferre, quin ei quisquam injuriam, seu contumeliam inferre posset. Hoc evidenter mysticum Dei consilium nobis veteris Testamenti justos homines post mortem exhibet. Ii quidem apud Deum innocentes erant, quemadmodum homicidæ involuntarii apud Judicem, iisque peccata non semper in cælestem patriam aditum intercludebant; sed ut Lex in refugii Urbibus occisores captivos, a patriis sedibus, & Concivibus distitos detinebat, ita Divinum consilium eos sanctos viros exilio, & captivitate mulctabat, cujus eo major acerbitas erat, quo vehementius Concivibus suis conjungi cupiebant. Hujus felicitatis expectatio nunquam interruptis suspiriis eos addicebat ad momentum usque, quod eorum exilio finem impositurum erat; hoc autem momentum fuit, quo Summus Pontifex Christus Dominus in Cruce expiravit.

Regeneratio. Vocabulum hoc in sacra Scriptura bifariam sumitur. Primo quidem spiritalem nativitatem significat, quam in Baptismo suscipimus, cujusque ope a peccato ad gratiam resurgimus: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Aquæ in corpus effusio, quæ in baptismate fit, Spiritus Sancti in Animam effusionem, & inundationem significat, ut nempe novus homo efficiatur, & Dei filius evadat. Præterea sumitur pro nova vita, quam in generali Resurrectione expectamus. Hæc secunda regeneratio nos æternæ vitæ possessione donat, ad quam nobis ipsis jus prima tribuerat: *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel*. Ubi sane Chri-

Christus de generali resurrectione, æternaque sanctorum hominum vita, & gloria loquitur.

Regina. Significatur hoc nomine I. ea, quæ Regnum obtinet, rerumque potitur, ubi fœminæ regnare possunt: *Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus*. Ea porro Austri Regina nuncupatur, quoniam ejus Regnum, quod Arabia fuisse creditur, Hierosolymæ ad meridiem erat. II. Regis conjux, ut multæ fæminæ principes, quas Salomon conjuges duxerat *quasi Reginę septingentę*. III. Regis Mater: *Regina autem domum convivii ingressa est*; ubi sacra Scriptura de Nitocri loquitur, quæ Balthassaris Avia, seu Mater erat. IV. Nomen hoc ipsum eam quoque significat, quæ per dignitatem elata est, ut Synagogæ, in quibus vero Deo cultus exhibebatur: *Sexaginta sunt Reginę*. Ecclesia Christi sponsa ejus dexteræ adstare dicitur: *Adstitit Regina a dextris tuis*. Regina Cæli; nomen hoc Judæi prævaricatores Lunæ tribuebant: *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginę Cęli*. Altaria nequam homines ex Judæis huic Deæ in domorum solariis erigebant, eique offas oleo, & melle conditas offerebant.

Regnum. Id nominis præter commonem significationem sumitur etiam I. pro suprema potestate, qua Deus creatas res omnes administrat, & regit: *Regnum tuum, regnum omnium seculorum*. II. Pro peculiari regno, quod Deus ipse in Judaicum populum obtinebat: *Statuam eum in domo mea, & in regno meo in sempiternum*. Judæorum porro regnum dicebatur regnum Dei, tum quia Deus peculiariter illud statuerat, tum quia Ecclesiæ figura erat. Regnum Dei illud etiam est, per quod in Electis suis regnat, postquam Dæmonis regnum per Evangelii enuntiationem evertit: *Regnum Dei intra vos est*. Jam *Regnum Cęlorum* in novo Testamento communis locutio est, qua Christi Domini Regnum, populorum ad fidem vocatio, Evangelii propagatio significantur. III. Pro primo adventu Divini Filii, pro ejus temporali nativitate, & per universum terrarum Orbem manifestatione: *Porro si in digito Dei ejicio Dęmonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei*. IV. Pro vindicta, quam Deus e Judæis incredulis sumet: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cœlorum*. V. Pro Beatorum statu in æterna gloria post hanc mortalem vitam: *Beati pauperes spiritu; ipsorum enim est Regnum Cœlorum*. VI. Pro Christi Ecclesia per Evangelii promulgationem congregata: *Simile est Regnum Cœlorum sagenę missę in mare, & ex omni genere piscium congreganti*; quod ostendit, Ecclesiam semper bonis, malisque Christianis hominibus in hoc Mundo mixtam esse. VII. Denique Inferni Regnum significat imperium illud, quo Dæmon in hac vita Peccatores premit, quoque eorumdem Animas in Inferis vexat.

Regulus, per diminutionem ductum a Rege nomen, parvus Rex, Princeps ab alio pendens: *Terra Chanaan, quę in quinque Regulos Philisthim dividitur*. Ponitur etiam pro militari viro, Regi deservientre; pro aulico, eoque primario Ministro: *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum*; militari nempe dignitate insignitus Vir, dubio procul, in Herodis Aula. Id etiam nominis cuidam serpenti, vulgo *Basilisco* tribuitur: *Sicut Regulus venena diffundet*: vinum, quod initio quidem gratum, jucundumque videbatur, lethiferi serpentis instar, venenum effundit.

Rehum, *misericors*, Banæ filius, unus ex eorum primoribus, qui cum Zorobabel a Captivitate Babylonica redierunt. I. *Esdr. cap.* II. 2.

Rei, *socius*, seu *comes*, unus e Davidis Regis Ducibus: *Semei, & Rei, & robur exercitus David non erat cum Adonia*. Nonnulli putant *Semei*, & *Rei* nomina ex eorum numero esse, quæ dicuntur appellativa, significantque *audientes*, & *videntes*, eos nempe, qui non sine circumspectione agebant. III. *Reg. cap.* I. 8.

Reja, *visio Domini*, filius Mica, pater Baal e Tribu Ruben. I. *Paralip. cap.* V. 5.

Religio, *Tributum*. Nomen hoc in sacris Litteris multiplici significatione usurpatur. I. Pro Judaicæ Religionis externo,

no, & cæremoniali cultu: *Quæ est ista religio?* Nempe religiosus cultus. *Ista est religio victimæ*: en victimæ cæremonia. II. Pro vera Religione, pro perfectissima scilicet, optimaque servitium, & honorem Deo præstandi ratione: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est*: Religio pura, & omnis maculæ, vitiique expers &c. III. Pro superstitione: *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum* &c. Ne eos imitemini, qui affectant Angelis se humiles exhibere, iisdemque superstitiosum cultum præstare. Priorum temporum Hæretici ajebant, Mundum in Angelorum gratiam a Deo creatum fuisse, ac necesse omnino esse, ad eos unumquemque confugere, ut in gratiam cum Deo redeat. Denique Relionis nomen pro institutione sumitur: *Eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua*. Sacerdotium porro, quod in Aaron familia Deus instituerat, perpetuum dicitur, quia Sacerdotii Christi Domini figura erat. *

* *Religio virtus est adnexa Justitiæ, Deoque debitum cultum præscribit. Religionis actus sunt hi: pietas, fervens Deo serviendi desiderium, adoratio, sacrificium, oblatio, jusjurandum, Sanctificatio diei Dominicæ, oratio, votum.*

Religio, tamquam Deo debitus cultus spectata, commercium est Deum inter, & hominem, per quod homini se Deus manifestat, & homo Deum glorificat. Jam vero Deus operibus suis, prodigiisque, præter Revelationem, quam Judaicæ Nationi contulit, se hominibus patefecit; ut proinde facta hypothesi, Deum existere, homo suapte natura, & ineluctabili jure gloriam Creatori suo exhibere debeat. Id nempe fecit Deus, quod nos ipsi sumus, id nobis dedit, quod habemus; ipse nobis bene facere potest, & ea tribuere, quibus egemus; eidem ergo laudes, ei fidentiam, ei preces, ei gratiarum actiones debemus. Cum enim eo naturali lumine, quam Rationem *nuncupamus, homo præditus sit; eodem lumine bene uti, Deoque proinde obedire debet. Hujus luminis ope naturalem legem percipit, videlicet, probe novit esse quædam, quæ facere debeat, ac ni fecerit, se male agere; hæc nimirum vera naturalis Legis fundamenta sunt.*

Christiana Religio una vera est. Ejus Auctor est Christus ipse; is eam fundavit Evangelii promulgatione, quod Apostoli Nationibus omnibus ejus jussu nuntiarunt, institutaque Ecclesia, cui S. Petrum præfecit, præterea miraculis, Prophetiarum executione, innumerorum Martyrum testimonio, uno verbo, iis argumentis omnibus, & caracteribus, quibus eadem Religio divina, vera, authentica, omnibusque hominum, ac Dæmonum conatibus par, & longe major exhibeatur.

Religionis fundamenta sunt: Existentia Dei, Creatio Mundi in tempore facta, & ita quidem, ut sacri Codices referunt, quorum probata veritas est, Hominis Creatio, humani Animi immortalitas, originale peccatum, promissio Liberatoris nuntiata populo, quem Deus elegit, ut veræ Religionis custos esset, ac veluti Depositarius, Revelationis, quæ huic Nationi facta est, sacræ Scripturæ authenticitate nixa veritas, Mosis miracula, Prophetiæ, adventus Messiæ, infiniti notis iis omnibus, quas Prophetæ exhibuerant, ejusdem Messiæ Divinitas, prædicatio, mors, resurrectio, eorum, quæ promiserat, executio, ipsiusque Ecclesiæ sic mainstitutio.

Ut verbo expediam, Christiana Religio ita demonstrata est, ut nihil magis. Mathematicorum probationes ejus evidentia superat. Ecclesiæ doctrina a Christo Apostolis tradita est, per eos ad Successores, Discipulosque transmissa, eorum sanguine obsignata, per consecutionem non intermissam exposita, cum docilitate suscepta, per trium sæculorum spatium a potentissimorum Principum persecutionibus propugnata, victrix erroris, aggressionumque, quas semper novas, & vehementiores tum Schisma, tum Hæresis intulerunt; ejus Moralis doctrina in tuto, & in usu posita a Christi temporibus ad nos usque, per homines singulari scientia præstantes. Quamobrem Christiana Religio quoad auctoritatem, durationem, perpetuitatem, doctrinam, agendi rationem, effecta denique, divina est. Ut id certo constet, satis fuerit Opera legere, quæ pro Christiana Religione tum Veteres, ut S. Justinus, Athenagoras, Origenes, Eusebius, *aliique, tum Recentiores, ut* Grotius, Houteville, Badias, Klarke, Buddæus, *aliique plurimi concinnarunt.*

Re-

Religiosus, *pius, devotus, qui Religionem suam longe maxima veneratione prosequitur, & ita vivit, ut Deum timeat, ejusque praecepta studiose servet*. Daniel *cap.* III. 90. *ita juvenes Principes tres in Babylonis fornace loquentes inducit: Vos, qui religiosi, Deique timentes estis, Domino, supremo Deo benedicite, eique gratias agite, cujus miseratio per omnia prorsus saecula extenditur*: Benedicite omnes religiosi Domino Deo Deorum; laudate, & confitemini ei, quia in omnia saecula misericordia ejus.

In Apostolicis Actis legimus, e Judaeis religiosos, Deique timentes viros ex omnibus, quae in universi terrarum Orbe sunt, Nationibus Hierosolymis extitisse: Erant autem in Jerusalem (*cap.* II. 5.) habitantes Judaei, viri religiosi, ex omni Natione, quae sub Coelo est. *In eodem Libro cap.* X. *legimus Caesarea fuisse hominem, nomine* Cornelium, *qui in Legione* Italica *dicta, Centurio Cohortis erat, religiosus, Deique timens cum universa familia; eleemosynas multas in populum erogabat, & numquam non Deo preces fundebat*: Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius. . . . religiosus, ac timens Deum cum tota domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. *Et cap.* XIII. 50. *Judaei, in S. Paulum, & S. Barnabam invidia, & indignatione flagrantes, quod ubique Dei verbum disseminarent, religiosis, piis, & primariis feminis, necnon Civium primoribus extimulatis, persecutionem moverunt, & Apostolos expulerunt*: Judaei autem concitaverunt Mulieres religiosas, & honestas, & primos Civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum, & Barnabam; & ejecerunt eos de finibus suis.

S. Jacobus Apostolus in sua Epistola cap. I. 26. 27. *ita loquitur*: Si quis autem putat, se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem haec est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

Inter Christianos ii Religiosi nuncupantur, qui a communi hominum societate recedunt, in Monasteria, seu peculiaribus institutis addictos caetus se se recipiunt, ubi vitam Deo penitus dicatam, & in Evangelicorum consiliorum exercitatione positam profitentur. Eorum varia genera sunt, pro Regularum, & Statutorum varietate, quae singuli Fundatores proposuerunt.

Reliquiae, quod ex magno hominum numero reliquum est: *De Jacob erit, qui dominetur; & perdet reliquias Civitatis*: dominator exibit e stirpe Jacob, qui, quod Civium superent, in nihilum rediget; nempe litterali quidem sensu David, spiritali autem sensu Christus, qui in adventu primo reliquias idololatriae Romani Imperii destruxit, & in altero Daemonis Urbem reliquam aeternum damnabit. *Reliquiarum* nomen ponitur etiam pro posteritate: *sunt reliquiae homini pacifico*; qui paci studet, longa posteritate gaudebit; at peribit peccatorum posteritas: *Reliquiae peccatorum interibunt*. Annonam quoque in opportunum tempus reservatam significat: *Benedicta horrea tua, & benedictae reliquiae tuae*. *

* *Reliquiae apud Christianos ossa, vestes, vel aliquam aliam sancti alicujus corporis partem significant. Nullo non tempore peculiaris cultus Sanctis Reliquiis exhibitus fuit, etsi nonnulli Haeretici, seu potius Athei omnia moliti fuerint, nihilque intentatum reliquerint, ut iis debitum honorem adimerent; at tantum abest, ut eorum impietas, & calumniae a Divino auxilio per Sanctorum Virorum in Caelis cum Christo regnantium intercessionem implorando Fideles averterint, ut eos potius extimulaverint ad iterandas preces apud eorum sepulcra, quorum ope, ac vim in gravissimo quoque discrimine experti sunt. Nullum finem dicendi facerem, si prodigia per sanctas, de quibus sermo est, Reliquias edita referre vellem; ne quam tamen impiis dubitationem relinquam, nonnulla producam ex veteri ac novo Testamento deprompta, iis ut os obstruam, ipsosque de invicta veritate convincam.*

Reg. lib. IV. cap. II. 14. *de insigni prodigio ab Elisaeo Propheta per Eliae pallium patrato mentio fit in haec verba*: Et pallio Eliae, quod ceciderat ei. . . . percussit aquas, & divisae sunt huc atque illuc, & transiit Elisaeus.

Eodem lib. cap. XIII. II. *legitur, nonnullos, qui cadaver sepeliebant, cum accedentes latrones vidissent, mortuum corpus in Elisæi sepulcrum dejecisse, quod, cum S. Prophetæ ossa tetigisset, eorum vi ad vitam rediit, statimque ambulavit*: Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit, & stetit super pedes suos.

A veteri Testamento ad novum progrediamur. Fœmina quædam sanguinis fluxu laborans ex annis duodecim, tacta Christi Domini veste, pristinam valetudinem recuperavit: Et ecce mulier (*Matth. cap.* IX. 20.) quæ fluxum sanguinis patiebatur, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimentis ejus, &c.

Cum idem Divinus Servator, quacumque transiret, suis se concionibus, & miraculis proderet, insigniretque, finitimorum locorum incolæ, qui alicui morbo suberant, convenientes, obsecrabant, ut vestis suæ fimbriam ab iis tangi pateretur; & qui id obtinebant, statim convalescebant: Et rogabant eum (*Matth.* XIV.), ut fimbriam vestimenti ejus tangerent; & quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

Divina omnipotentia non solum in S. Pauli verbis, operibusque, quibus Judæi, Ethnicique audientes ad fidem perducebantur, verum etiam in ejus vestibus elucebat, quibus ea vis inerat, ut ab iis, quibus impositæ fuissent, omnis generis morbos expellerent: Virtutesque (*Actor. cap.* XIX. 10.) non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Apostolorum Princeps ubique locorum eam sanctitatis famam sibi comparaverat, ut, quocumque se contulisset, oblatos infirmos sua tantum umbra sanaret, immundosque præterea spiritus a corporibus, quæ possidebant, expelleret: Ita ut in plateas ejicerent (*Actor. cap.* V. 15.) infirmos; & ponebant in lectulis, & grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemcumque illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo Civitatum vicinarum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. *Quod evidenter potestatem ostendit, qua Sancti Viri cum Christo in Cœlis regnantes apud Deum pollent, siquidem invocentur; ea quippe ipsa, quæ iis deservierunt, adeo singulari, miraque vi prædita sunt.*

Denique Reliquiarum cultus, seu veneratio in Ecclesia & semper, & ubique viguit. Eumdem cultum tamquam antiquissimum omnes ad unum Patres spectarunt. De eo, tamquam de praxi, quam per Traditionem acceperant, locuti sunt. Ex Actis Martyrii S. Ignatii, *quem ut vetustissimorum Martyrum unum colit Ecclesia, compertum fit, Reliquias a Fidelibus non sine religiosa observantia susceptas fuisse. Pietatem erga S.* Cypriani *Reliquias confirmat* Pontius, *qui Sancti Episcopi, cujus Diaconus erat, vitam descripsit. Idem, quod attinet ad hanc rem, de S.* Polycarpo *legimus. Idem de SS.* Gervasii, *&* Protasii *corporibus Historiæ suæ lib.* IV. *refert* Eusebius. *Legantur non uno in loco SS.* Ambrosius, *&* Augustinus. *Veneratio hæc adeo constans, ac certa est, ut Tridentinum Concilium tamquam impios Sess.* XXV. *eos damnet, qui renuunt honore afficere Sanctorum Reliquias*, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti.

Remeja, sublimitas Domini, filius Pharos, e Cantorum numero, qui a Babylonica captivitate rediit. I. *Esdr. cap.* X.

Remissio I. ex veteri Lege æris alieni condonationem, & bonorum restitutionem significat. Nimirum anno quoque quinquagesimo Israelitæ ab æris alieni servitute liberi erant, & omnes in bonorum suorum possessionem redibant. Quo spectant ea Legis verba: *Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ*: Annus hic Jubilæi nomine designabatur. Præterea quovis anno septimo, qui Sabbaticus nuncupabatur, debitoribus, qui solvendo non erant, omnia debita remittebantur, apud Hebræos quidem, & Captivis, qui origine Hebræi essent, libertas concedebatur. Ita Lege præceptum erat: *Septimo anno facies remissionem*. II. Significat vacationem, tempus, quo non erat actioni locus: *Omnes dies solemnes, & Sabbata, & Neomeniæ . . . . sint omnes immunitatis*,

tis, *& remissionis*. III. Exemptionem a contributionibus, & vectigalibus: *Et elegit Simon viros*, *& misit ad Demetrium Regem*, *ut faceret remissionem Regioni*. IV. Liberationem a carcere, libertatem: *Prædicare captivis remissionem*, *dimittere confractos in remissionem*. V. Peccatorum veniam in Lege veteri, quæ per sanguinis effusionem obtinebatur: *Omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur*, *& sine sanguinis effusione non fit remissio*. At venia hæc non nisi Legalis remissio erat; nec nisi cæremonialem impuritatem delebat. Reapse peccatum non tollebatur nisi per contritionem, quam Fides, & Spes in venturum Christum comitarentur. VI. Denique *Remissio* sumitur pro condonatione peccati, quam sui sanguinis effusione Christus nobis obtinuit: *Ubi autem horum remissio*, *jam non est oblatio pro peccatis*. *

* *Peccatorum remissio decimus Symboli articulus est*, *per quem credendum*, *penes Ecclesiam peccata remittendi potestatem esse*, *potestatis ejus vi*, *quam Apostoli habebant a Christo*, *& a Deo Christus ipse*; *quandoquidem in S. Lucæ Evangelio cap.* XXIV. *leguntur hæc*: Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. *Et in Evangelio S. Matthæi cap.* IX. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait Paralytico: surge, & ambula. II. *Peccatorum remissio nostræ cum Deo conciliationis argumentum est*; *is enim Mysteriorum Christi fructus est*, *qui æternæ salutis causa*, *& nexus evasit*; *qui nos Ecclesiæ copulat*; *quia nempe Christus voluit*, *ut*, *quo arctius Ecclesiæ Fideles jungeret*, *existeret in Ecclesia peccatorum remissio*, *facrie quibusdam aptatis signis*, *quæ Sacramenta vocantur*, *& sunt*, *Baptismus*, *Pœnitentia*, *& Extrema Unctio*, *sed cum aliquo tamen discrimine*.

Per hanc remissionem intelligi debet animi justificatio per Gratiam, *quæ sanctificans dicitur*, *infusasque virtutes*, *quarum nomine venit Christiana justitia*. *Interim tamen etsi Sacramenta hæc præsto sint*, *Sacerdotes*, *& Doctores*, *Sacris Scripturis innixi ajunt*, *semper hominem ob peccata*, *quorum remissio percepta est*, *in timore quodam versari debere*: De propitiato peccato (*inquit Ecclesiast. cap.* V.) noli esse sine metu. *Et S. Paulus* I. *Corinth. cap.* IV. Nihil enim, *ait*, mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. *Sua enim vitia perfecte cognoscere homo non potest*, *vita enim est*, *quæ recta videtur homini*, *sed eum tamen aliquando ad mortem trahit*. Prov. XIX. *At timor hic in causa esse non debet*, *ut animos despondeamus*, *quin potius nos adigit*, *ut vocationem nostram bonis operibus confirmemus*: Hæc enim facientes (2. *Pet.* I.) non peccabitis aliquando.

Remmon, *altitudo*, Damasci populorum Idolum, quod creditur a Saturno non discrepasse, quod Numen Orientales maxima veneratione prosequebantur. Alii Solem esse contendunt, qui ita quidem a sublimitate appellatus fuerit. Naaman Syrus Elisæo professus est, sæpenumero contigisse, ut Dominum suum ad hujus Numinis Templum comitaretur: *Hoc solum est*, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo*, *quando ingredietur Dominus Templum Remmon*, *ut adoret*, *& illo innitenti super manum meam &c.* Remmon etiam Urbs est in Tribu Simeon, vicus Hierosolymæ proximus, Oppidum, in quod filii Beniamin, cladem passi se receperont: *Qui remanserant de Beniamin*, *fugerunt in solitudinem*, *& pergebant ad petram*, *cujus vocabulum est Remmon*. Sumitur etiam pro hominis nomine, qui Rechab, & Baanæ pater fuit: *Filii Remmon Berotb*. *Jos. cap.* XV. *Judic.* XX. II. *Reg. cap.* IV. *Zach. cap.* XIV.

Remmon Phares, *amethistus divisionis*, Israelitarum statio in Deserto, ad quam venerunt, cum e Rethma discessissent: *Profecti de Rethma*, *castrametati sunt in Remmon Phares*. Locus hic commemoratione dignus est ob hominis punitionem, qui lapidibus obrutus ibidem fuit, quod arbusta nonnulla die Sabbati collegisset.

Remphan, Idoli nomen: *Et suscepistis Tabernaculum Moloch*, *& Sydus Dei vestri Remphan*. In Actis Apostolicis hæc S. Stephani in Judæos exprobratio ex Amos Propheta ducta est, qui Hebræos arguit, quod *Moloch sui tabernaculum*, *Idoli*

sui imaginem, *& Dei sui sydus* in suscepto per Desertum itinere detulissent. Nomen *Remphan* Ægyptium est, & Saturnum significat, qui syderis imagine colebatur. *Amos cap.* v. *Act. Apost. cap.* VIII.

Renes. Vocabulum hoc significat I. corporis partem: *tolles duos Renes*, *atque adipem*, *qui super eos est*. Sacerdos has immolatæ victimæ partes sumere debebat, quas super holocausti Altari combureret. II. Sumitur pro generationis fonte: *Filius tuus*, *qui egredietur de renibus tuis*, *ædificabit domum nomini meo*. III. Accipitur pro vi, & robore corporis: *Defectio in cunctis renibus*: vis eos deficit, in imbecillitatem incidunt. IV. Animi cupiditates, seu affectiones significat: *increpuerunt me renes mei*: me cordis abditi motus edocuere, noctis tempore; *scrutans corda*, *& renes Deus*: hominis intimas cogitationes, ac sensa Deus perscrutatur, *Exultant renes*; animus nempe lætitia gestit; *misit in renibus meis filios pharetræ suæ*: videlicet, suis me telis confodit, suum in me arcum tetendit.

Repræsentatio. Deus in Lege veteri damnat omnes hominum, belluarum, aliarumve rerum repræsentationes, vel imagines ad superstitiosum cultum propositas; prohibetque, ne Israelitæ ejusmodi simulacra edant, ut eadem adorent: *Non adorabis ea*, *neque coles*; postrema verba generalem prohibitionem ad certos limites redigunt; repræsentationum scilicet idololatricum tantummodo cultum vetat; alioquin ipse sibi repugnaret; siquidem haud ita multo post præcepit Mosi, ut Imagines Cherubin conficeret, ut alis Arcam tegerent; ab eodem Mose in Deserto æneum serpentem erectum voluit; nunquamque figuras sibi improbari significavit, quæ in Salomonis Templo boves, & alia animalia repræsentabant. Quo ergo tempore nullum idololatriæ periculum aderat, figuras, & repræsentationes, ornamenti tantum gratia factas Deus non vetabat.

Reprobatio. Vocabulum hoc significat, a quopiam rejici rem, seu personam, qua prius usus erat: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*, *propter infirmitatem ejus*, *& inutilitatem*: prima Lex, tamquam infirma, & inutilis abrogata fuit. *Lapis*, *quem reprobaverunt ædificantes*, *hic factus est in caput anguli*. lapis nempe, quem Architecti rejecerunt, præcipuus anguli lapis evasit. Lapis hic Christus est, rejectus a Legis Doctoribus, qui Fidelium Synagogam ædificabant; hic angularis lapis Ædificii parietes duos, nimirum populos duos in unum jungebat; sed eumdem lapidem Judæi rejecerunt, quia socium nolebant. Verbum hoc *reprobare* sumitur etiam pro condemnare, sinistrum de aliquo judicium ferre: *Si dicebam*, *narrabo sic*, *ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*. Æternum denique decretum designat, quo Deus eos æternæ damnationi tradit, quos in perditionis massa relinquit, in qua omnes nascimur, & e qua pro sua voluntate nonnullos eligit, cæteris in ea derelictis; qua in re S. Paulus satis habet ejus judiciorum inaccessam altitudinem admirari, omnibusque sermonibus, quos hominis arrogantia inspirare potest, silentium imponere.

* *Distinguunt Theologi reprobationis genera duo; reprobationem unam positivam dicunt*, *negativam alteram*. *Ut accurate*, *apteque loquamur*, *nulla positiva reprobatio est*, *quia Deus positive neminem reprobat*; *quod evincitur e sacris Litteris*: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua mala, & vivat. *Ezech.* XXXIII. 11. Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. II. *Petr. cap.* III. Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. I. *Timoth.* II. *Quamobrem cum Christus omnium hominum Servator sit*, *quicumque damnantur*, *peccatorum suorum causa damnantur*; *& negativæ quidem reprobationis decretum eorumdem peccatorum pravisione nititur*.

Bonus, *& justus Deus*, *inquit* S. Augustinus, *lib.* I. *contra Julian. c.* VII. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. *Valentini Concilii Patres*, *quod an.* 855. *celebratum fuit*, *eamdem doctrinam tradunt Canone III.* Fatemur .... in damnatione periturorum, meritum malum præcedere justum judicium.

Alii

Alii Theologi reprobationis decretum aliter explicant. Eorum quippe sententia, Deus, cum futurum pravidetit, ut Adæ posteritas originali peccato, quo divinæ indignationi subditur, inficeretur, efformat Decreta duo, quorum primo ab hac massa certum quemdam hominum numerum liberat, in quibus ejus misericordia splendeat, & media parat, quibus ad eum gloriæ gradum pervenire possint, ad quem eos pervenire vult; Decreto altero justitiam suam elucere vult, easdem gratias Reprobis minime conferens; atque ex pravisis eorum peccatis, tametsi generalibus multis auxiliis, non tamen specialibus adjuti fuerint, eos pro merito puniendi decretum efficit. Suam porro sententiam tum eo confirmant, quod Deus nemini quicquam debet, tum eo, quod æterna gloria gratia est, quam Electis suis Christus promeruit: Gratia Dei (*ad Roman.* VI.) vita æterna in Christo Jesu; *tum eo, quod S. Paulus nos certo facit, Esau reprobatum fuisse, antequam mali quicquam faceret; tum eo, quod Deus per gratiam omnino gratuitam ex damnationis massa sumit certum quemdam hominum numerum, quos vasa misericordiæ faciat; tum eo denique, quod ita solum reddi potest infantium ante baptisma morientium damnationis ratio, quippe quæ originali peccato nititur.*

In hoc negotio certa sunt duo. I. *Quamvis Deus easdem Reprobis, atque Electis gratias non tribuat, quarum ope profecto bonum facerent; non inde tamen sequitur, Reprobos necessario peccare; credendi enim sunt libere peccare, damnarique, non quod bene agere non potuerint, sed quod noluerint; at proinde suæ ipsi damnationis causa sint, prout apud Oseam Prophetam legitur cap.* XIII. Perditio tua ex te, Israel; *alioqin sentiendum esset, hominem a Dei potestate ad peccatum prædestinari, quæ exeranda blasphemia foret.. Deus iniquitatem non vult · Non Deus volens iniquitatem tu es. Psal.* V. *Nemini præcepit, ut peccatum committeret, inquit Ezechiel cap.* XV. Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi. *Ac fatendum est cum Arausicano secundo Concilio Can.* XXV. *non modo neminem esse ad peccatum a Dei potestate prædestinatum, sed nos quoque prorsus ex animo sententiam hanc exetrari:* Aliquos vero ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus. II. *Quicumque Christianus in hoc Mundo cum fide vivit, ut ait* S. Augustinus *ad Sixtum Epist. in nova Editione* 105. *satis habere debet certo scire, Deum a generali damnatione neminem liberare nisi ex meræ misericordia, cujus Christus Dominus fons, & origo est, eademque ratione neminem in eadem relinquere nisi ex justissimo judicio, veritate ipsa nixo, eodem scilicet Christo Domino. Quod si quis scire velit, cur unus potius, quam alius liberetur, divinorum judiciorum abyssum, si potis est, penetret, at caveat, ne præceps ruat; quoniam in Deo demum injustitia non est, quamvis ejus judicia, & consilia percipi nequeant:* Cur autem illum potius, quam illum liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium &c.

Reptilia sumuntur in sacris Litteris I. pro terrestribus animalculis, quæ per terram repunt, aut repere videntur, quæ pedibus carent, vel adeo breves habent, ut corpusculum trahere potius, quam progredi videantur, II. pro piscibus: *Illic reptilia, quorum non est numerus.*

Repudium, divortium, *libellus repudii*. Etsi divortium fini contrarium esset, quem primum Deus propositum habuit, ut nempe insolubili vinculo vir fœminæ copularetur, illud tamen, ob Judæorum cordis duritiem, Mosis Lex tolerabat. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu sua.* Legislator hic, dum Hebræis ad tempus a primitiva Lege dispensationem concessit, indulgentia laude digna, quæ parva mala prudenter tolerat, ut majora impediat, eodem tempore iisdem præcepit, ut repudiationis actum scriberent, quo per tempus secum ipsi, quid agerent, sedulo reputarent, & repudium ipsum difficilius redderetur. Necesse etiam erat, ut Legis Doctores acta hæc Hebraicis caracteribus exararent. At Christus, qui

qui venerat, ut omnia in integrum restitueret, Pharisæis respondit, eum, qui uxori, excepto adulterii crimine, repudii libellum dederit, adulterium patrare, & eum quoque, qui dimissam duxerit, adulterii reum esse: *qui uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qi dimissam duxerit, mœchatur.* Christi verborum is sensus est, non licere viro conjugem in reliquum vitæ tempus ejicere, sublata omni reditus spe, nisi adulterii convicta fuerit, & ne in hac quidem facti specie, eidem licere alteram ducere, eumque, id si fecerit, adulterii reum fore. Lgatur Articulus *Divortium*.

* *Liceat hoc loco nobis ad jactatum* Mariæ *repudium digredi*. P. Lamy *explicans ea Matthæi verba cap. 1. 19.* Joseph autem vir ejus cum esset justus, *ait, eo loci vocabulum* Justus *non modo probum, humanum, rectum, misericordem . . . hominem significare, sed acrem justitiæ executorem, qui reos puniri velit, nemini parcens, summoque jure pœnis per Leges statutis subdi, absque ulla veniæ spe*: Ibi justus dicitur Joseph, quia justi tenax; & ea vis est hujus vocis; quia autem justi tenax, non poterat accipere in conjugem, quam leges damnabant pro adultera.

In eo scilicet Auctor hic justitiam Joseph positam vult, ut severius ageret, effusum sanguinem vellet, propriamque conjugem, tamquam ream sævissimæ, & ignominiosissimæ morti traderet; quoniam perspexerat eam ventrem gerere, quo auctore, nescius. Quia vero leges mandabant, ut quæ ex alio, quam ex legitimo viro concepissent, lapidibus obruerentur, Mariam *quoque conjugem suam morte damnatam volebat, quam prægnantem videbat, ex quo, inscius, at probe certus, se auctorem non esse; at ab Angelo de mysterio non monitus, qui semper magnam virtutem in Maria perspexisset, ægre adduci poterat, ut eam enuntiaret, extremoque supplicio addicendam curaret; effugium ergo aliquod invenire volebat, ut legis severitatem molliret*: Inde tamen revocabatur a severitate, quia procul dubio expertus erat, summam esse virtutem Mariæ.

Libenter equidem ex P. Lamy *quæsierim, qua demum ratione S. Joseph eam, cujus elogium texit, singularem Mariæ virtutem cognoscere, ubinam, & quando potuerit, cum ea quidem ante Divini Verbi Incarnationem neque ejus domi, neque apud eum fuerit; is enim Virginum mos apud Hebræos erat, ut in patria domo delitescerent, & perraro prodirent; iisque egredi tum solum liceret, cum ad viros ducerentur; parentibus nunquam non ob oculos calamitatem ponentibus, quæ Dinæ filiæ Jacob propterea contigit, quod in publicum prodire voluisset.*

Ergo necesse erat, Mariam per aliquod tempus apud Joseph versatam esse, antequam in Judæam pergeret; ut proinde Joseph, qui experientia edoctus noverat, eam raro domo egredi, & a virorum societate abhorrere (quæ nostrorum temporum fœminis pergrata est), certo crederet, eam non alio tempore concipere potuisse, quam dum ex Judæa in Hebron ad cognatam profecta fuerat, quippe qui per iter ei vim ab obvio quopiam illatam fuisse sibi persuaderet: Poterat enim suspicari vim illi illatam ab aliquo. *Quæ secum reputans Joseph justitiæ suæ summum jus temperabat; idque in causa erat, ne apud Senatum conjugem accusaret, atque adeo ne infamiæ quidem notam eidem inureret.*

Huic Auctori non placet (Interpretum plerisque contra sentientibus) verbum traducere idem esse, ac famam adimere, infamiæ notam inurere; sed significare contendit, reum prodere, alicujus delictum exponere, & ex legibus puniendum Judicibus exhibere: Cum nollet eam traducere, hoc est, deferre, ut in ea exemplum ederetur, & subiret mortis supplicium juxta legem, ut decebat virum boni, & æqui amantem.

Ac nonne parum justus fuisset Joseph, si Mariam florenti ætate puellam ducturus, quippe quæ vix annum decimum quintum attigerat, aptaque totius oris, & corporis habitudine cæteras superabat, eam

eam quatuor, aut quinque dierum iter conficere passus esset, quin vel ipse sponsam Hebron usque comitaretur, vel ei prudentem Matronam adderet, quæ usque ad Elisabeth cognatæ domum ab ejus latere nunquam discederet? Quis non eam, quam unam a Galilæa in Judæam, per centum circiter passuum millia, proficiscentem videret, e popello fœmellam, atque adeo parum honestam dixisset? Id vero nonne a S. Joseph justitia, & virtute magnopere alienum est? Nobis quidem probabile videtur, sanctum Joseph eam comitatum, & apud Zachariam consanguineum per aliquot dies commoratum, Nazareth *rediisse, Mariam vero ibidem trium mensium spatio constitisse.*

In reditu sane sanctus Joseph sponsam prægnantem videns, obstupuit; cumque ejus rei causam assequi mente non posset, nesciretque, innocensne, an rea esset, ægre admodum adduci poterat, ut ad Judices sponsam deferret, vel impunitum delictum relinqueret. Eum quidem amor justitiæ in eam sententiam trahebant, ut punitione dignam crederet, quæ ejus oculis ream se prodebat; at virtus, quam semper in ea perspexerat, dubitandi locum præbens, in causa fuit, ut consilium suspenderet, & ad repudium confugeret: voluit occulte dimittere eam. Satius proinde duxit matrimonium solvere, atque ita ejus vitæ cavere, quam impudica, vel adultera domi detenta, Deum lædere.

Id ergo consilii cepit, ut, quam occultissime posset, duobusque tantum, aut tribus e proximis utrinque consanguineis adstantibus, repudii libellum ederet, eique nubendi, ex quo conceperat, libertatem Mariæ relinqueret; quis enim alius eam ducere voluisset? Contendebat nimirum Joseph sponsalia mutuo consensu dissolvi, quin causa, nempe zelotypia, dedecus, aut fornicatio Mariæ palam fieret.

Ita porro visum est Patri Lamy *in sua Harmonia Evangelica matrimonium Joseph, & Mariæ solvere. Vellem equidem, hunc solutionis actum omnino in Josephi potestate fuisse; magis enim, quam P.* Lamy *putat, dubio procul occultus fuisset; at vix quisquam fuerit in Judæorum, tum veterum, tum eorum, qui his ipsis temporibus vivunt, legibus, & moribus ita parum versatus, ut nesciat, Repudium non ita facile factu fuisse. Nempe difficillimum reddebant a Rabbinis servandæ formæ, ne Viri eo privilegio abuterentur; ac tot difficultates inducebantur, ut sæpe eum, qui repudium proposuerat, suscepti consilii pœniteret, conciliatæque partes redintegrarentur.*

Non eadem fuisset Mariæ ratio; supposito enim, aut arrogato delicto nullum repudio locum relinquente, ad mortem ob leges apertius violatas damnata fuisset: Ejicient eam (*Deuter.* XXII. 21.) extra fores, & lapidibus obruent .... quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui.

Ut ut res habeat, illud est certo certius, acta repudii non nisi coram Rabbinis duobus, & quidem e sapientissimis, probatissimisque, de re tota judicaturis, peragi potuisse; opus etiam fuisse tum Scriba, qui allegatam repudii causam exponeret, tum testibus omnino decem, qui utriusque partis assertionem subscriptione firmarent; denique decem hos testes, Judices, & Scribam non modo cum partibus, sed ne invicem quidem ulla cognatione junctos esse debuisse, ne cui suspicioni in tam gravi negotio subessent.

Quoniam vero repudium in fœminæ dedecus semper vergebat; quippe cui veram, aut falsam occasionem præberet, necesse proinde erat, ut in querela vir exprimeret, repudii causam fœminam ipsam esse: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudii; & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.

Vocabulum fœditas *non maculam solum, aut deformitatem significat, qua deturpari fœminæ vultus possit, sed impuritatem, ac turpitudinem omnem designat,*

fignat, quam nupta mulier cum alio viro fubire poteft.

Repudii, feu folutionis actus inter duos, qui nonnifi fponfalia edidiffent, facillimus erat; inter eos tantum de folutione convenire oportebat, ut jurejurando firmatus actus per ea demum tolleretur, per quæ initus fuerat. At in Mariæ negotio non ita fe res habebat. Non de fufpicione tantum agebatur; patebat ejus prægnatio; nullus erat dubitationi locus; formas omnes fervari oportebat; omnes ejus feparationis producendæ caufæ, quæ impedirent, quominus domi detineretur; & quia feparationis caufa legitima erat ob prægnationis menfes tres, quæ non celari, nec porro excufari poterat; Mariam oportebat fifti Judicibus, & palam facere, quis ejus prægnationis Auctor fuiffet.

At, quæfo, fi Maria dixiffet, non hominis, fed Spiritus Sancti opera fibi ventrem intumuiffe, fidemne obtinuiffet? Quis enim illo tempore crediffet Virgini, de Sancto Spiritu eam concepiffe, veniffe ad eam Angelum Gabrielem, Dei detuliffe mandatum; ac non magis quafi adulteram, juxta exemplum Sufannæ, fententiæ omnium condemnaffent? *Ita* S. Hieronymus *in libro, quem de perpetua Mariæ virginitate contra Helvidium confcripfit.*

Hac tamen ratione contendit Lamy repudii actum hunc tranfigi potuiffe: Jofephus cogitabat, ut ea omnia occulte fierent, non in jus vocando, fed pro ut cuique licebat, fine ftrepitu legis denuntiando per libellum repudii, jam nolle pro uxore habere Mariam. *Debebat Jofeph id unum aicere, fe nolle cum Maria connubium inire, quin ad judicium accederet, vel Magiftratui fe fifteret*: Hoc non inurebat ullam notam infamiæ Virgini repudiatæ; neque obftare poterant repudio parentes, cum abeffet accufatio pudicitiæ violatæ.

Potuiffet fane Jofeph uxoris fuæ famæ confulere, haud detecta divortii caufa, fiquidem id ad eum unum fpectaffet; at Mariæ parentes de injuria per eum actum filiæ illatam conqueri jure potuiffent, cum in eo nihil de ejus prægnatione dictum effet; at cum penes Jofeph gravis hujus negotii jus, & poteftas non effet; neceffe proinde fuerat, ut feparationis caufa detegeretur a Jofeph, quem ipfi Judices, ut id faceret, adigere potuiffent; ne illud addam, rumorem jam per Urbem Nazareth diffeminatum fuiffe.

Id autem reapfe contigiffet, nifi Angelus Gabriel dormientem Jofeph de Mariæ puritate, virtute, innocentia monuiffet; eum quippe ita allocutus eft: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.

Primum quidem dubitabat, ne Maria domum ingreffa pollueret, & immundam redderet: Jofephus Mariam, quam habebat fufpectam, volebat deducere in domum fuam; *fed ab Angelo de myfterio edoctus a fententia ftatim recedit*: A propofito revocat eum Angelus, quafi dicat: contrahe nuptias, quas vis diffolvere, & quod reftat faciendum, conjugem tuam reduc domum. *Statim ab Angeli fermone* Conjugem Jofeph recepit, & domum duxit: Exurgens autem Jofeph (*Matth. c.* 1. 14.) a fomno, fecit, ficut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem fuam.

Reputare fignificat I. fedulo animadvertere: *Reputans, ne forte interficerent eum propter illius pulcritudinem*; Ifaac fecum ipfe cogitabat fieri fane poffe, ut a Geraræ incolis ob Rebeccæ pulcritudinem occideretur. II. Judicare: *Rifum reputavi errorem*. III. In numero ponere: *Et cum iimpiis reputatus eft*: in fceleftorum hominum numerum relatus fuit. IV. Imputare, tribuere: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eft ei ad juftitiam*: Abraham id certum habuit, quod ei Deus dixerat, eique fides fuit juftitiæ loco; nempe., ut S. Paulus docet, Abrahæ fides in ea facti fpecie prodibat ex animo, qui jam juftus erat, & ob hujus etiam adeo præftantis, Deoque grati facinoris meritum juftior evafit. Juftus eft habitus, non imputatione quadam, fed ob veram, & germanam juftitiam, quæ tamquam perfectæ juftitiæ exemplar proponitur. Hac fignificatione Regius Pfaltes cum dixiffet, Phinees, eo Ifraelita interfecto, qui turpe delictum cum Madianitide perpetrare aufus fuerat, divinæ indignationi fatisfeciffe, ftatim fubdit. *Et reputatum eft ei ad juftitiam*. Id nempe veram juftitiam confequebatur; Deus enim ipfe fignificavit,

vit, eem unam in causa fuisse, ut itam cohibens, a populo puniendo abstinerer.

Requies, *quies*. Vocabulum hoc significat I. cessationem: *Nec erat ulla quies morientium*: non cessebatur ab occisione. *In die septimo Sabbatum est*, *requies sancta Domino*. Die Sabbati, quæ Deo sacra erat, ut ob perfectum creationis opus ei gratiæ referrentur, ab omni opere, ac labore cessandum erat. II. Sumitur pro remissione, solatio: *lassis non dabatur requies*. III. Pro liberatione a malis: *Cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo*, *& a concussione tua &c.* Cum Deus malis tuis tuæque vexationi finem dederit. IV. Pro habitatione, commoratione stata, tutaque, domicilio: *vidit requiem*, *quod esset bona*: Tribus Issachar perspexit, eum esse commorationis suæ locum, in quo tranquillam vitam ageret. *Surge*, *Domine*, *in requiem suam*: Domine, in locum veni, quem elegisti, ut quiesceres. Ita David de Arca loquitur, quam Dei requiem vocat, quia ejus præsentiæ symbolum erat. V. Pro Cælo, in quo Deus perpetuo, & visibiliter commoratur: *Festinemus ingredi in illam requiem*.

Resa, *caput*, filius Zorobabel, pater Johenna, unus e Christi Proavis: *Qui fuit Johanna*, *qui fuit Resa*. *Luc.* III. 17.

Resen, *frenum*, Urbs Assyriæ ad Tigrin flumen, a Nembrod ædificata: *Resen quoque inter Ninive*, *& Chale*. *Hac est Civitas magna*. *Genes.* x. 12.

Reseph, *avis*, filius Raphæ, & nepos Saræ filiæ Ephraim. Erat etiam hujus nominis Urbs in Syria, cujus in IV. Regum libro occurrit mentio: *Numquid liberaverunt Dii Gentium singulos*, *quos vastaverunt patres mei Gozan videlicet*, *& Haran*, *& Reseph?* I. Paralip. VII. IV. Reg. XIX.

Respha, *carbo*, Ajæ filia, Saulis concubina, scilicet ordinis secundi conjux: *Fuerat Sauli concubina nomine Respha*. Princeps hic duos ex ea filios suscepit, Armoni, & Miphiboseth, quos ad omnem humanitatem secta Mater singulari amore complexe est. Cum porro Saul, qua oblata occasione, non constat, ingentem Gabaonitarum numerum e vivis sustulisset, in jurisjurandi contemptum, quod eos incolumes, tutosque servabat; Deus, ut eem cædem, ante annos quadraginta perpetratem puniret, in Israel gravem caritatem immisit, quæ triennium grassata est. David, consulto Domino, intellexit, Regnum suum ea calamitate vexari ob Seulis crudelitatem, quam Deus, justa æque atque occulta judiciorum suorum ratione in iis, qui delicti participes minime fuerant, ulciscebatur: *Consuluitque David oraculum Domini*, *dixitque Dominus*: *propter Saul*, *& domum ejus sanguinum*, *quia occidit Gabaonitas*. Ergo Devid Gabaonitas accivit, quæsiitque, qua demum ratione satis sibi factum vellent, ut Deus maledictioni, quam in Israel pronuntiaverat, finem imponeret. Hoc eorum responsum fuit, se quidem Principis, a quo oppressi fuerant, filios septem sibi traditos velle, quos coram Domino suspenderent, Gebaæ Saulis, hoc est, eo ipso in loco, in quo Saul suum ipse solium statuerat, ut ejus amplitudinis, & gloriæ sedes, ejusdem ignominiæ theatrum esset, tragicumque ipsius posterorum finem testaretur. Iis David Resphæ filios duos, aliosque præterea quinque concessit, quos Merob Seulis filia ex Hadriel pepereret; quos singulos Gabaonitæ in monte Gabaæ proximo, sub initium messis hordei, cruci addixerunt. Tum vero Respha, sumpto Cilicio, & petræ imposito, ab ineunte messe ibidem constitit, quoad aqua in suspensos filios e Cœlo caderet, quoad nempe Deus eorum supplicio contentus caritati finem imponeret, reddita terræ fertilitete per copiosas pluvies, quas reepse tendem demisit: *Tollens Respha filia Aja cilicium*, *substravit sibi supra petram*, *ab initio Messis*, *donec stillaret super eos aqua de Cœlo*. Eem mensibus prope sex apud filiorum corpora maternus amor detinuit; eademque sedulo cevit, ne avibus lacerarentur interdiu, ac ne a feris noctu vorarentur: *Et non dimisit aves lacerare eos per diem*, *neque bestias per noctem*. In hac facti specie derogetum est Legi, quæ prohibebat, ne Reorum corpora post Solis occasum in Cruce relinquerentur: *Non permanebit cadaver ejus in ligno*, *sed in eodem die sepelietur*; at id singulare fuit, Erant ea corpora veluti expiationis victimæ,

mæ, quibus Divini Numinis ira leniretur; & Gabaonitæ, quibus eadem corpora tradita fuerant, non ante suismet oculis subducenda putarunt, quam Deus sibi satis factum esse significasset. Cum vero David, quicquid Respbæ maternus in filios amor egerat, intellexisset, officii meminit, quod amico Jonathæ jam debebat. Hanc occasionem sumpsit, ut eum non amplius sepultura carere pateretur. Ergo Jonathæ, ac Saulis ossa in Jabes Galaad quæsita voluit, collectosque hujus miseri Regis familiæ dispersos cineres in sepulcro Cis collocavit. Annis aliquot a Saulis morte, Abner Respbæ amore captus, eadem abusus est; quod indigne ferens Isboseth, Saulis filius, qui per hujus Ducis existimationem, bellicamque virtutem regnabat, eum gravissime increpuit. Ira abreptus Abner id consilii cepit, ut Isboseth nempe desereret, eosque e populo, qui ab eo erant, Davidi subderet, II. *Reg. cap.* XXI.

Respondere significat I. quæsitis responsum dare: *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat*. II. Aliquem in judicio accusare, vel defendere: *Respondebit mihi cras justitia mea*: mea mihi innocentia testimonium perhibebit. *Respondebit arrogantia Israel in facie ejus*: impudentia, quam Israel præseferet, in eum testimonium reddet, eum accusabit. III. Contra dicere, contra stare: *Quantus ego sum, ut respondeam ei? Tu quis es, qui respondeas Deo?*

Ressa, *rae*, loci nomen, ubi Israelitæ in Deserto castra posuerunt, & quo a Lebna se contulerunt. *Numer. c.* XXXIII. 22.

Restituere I. significat id reddere, quod ablatum est: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem . . . . quinque boves pro uno restituet, & quatuor oves pro una ove*. Se Zacchæus quadruplum iis redditurum recipit, quibus in suo Publicani officio damni aliquid attulisset: *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. II. Pro meritis compensare: *Restituet mihi Dominus secundum justitiam meam*. III. In integrum restituere: *Restituet te in gradum pristinum*. Judæi Eliam expectabant, qui omnia redditurus erat: *Elias venturus est: & restituet omnia*. Propheta hic in in altero Christi adventu in pristinum statum omnia restituet, suorumque Majorum fidei Judæos redintegrabit. *

* *Restitutio justitiæ actus est, quo bonum alteri reddimus, quod eripuimus, seu damnum illatum reparamus. Id autem ad salutem necessarium est, medii quod Schola dicunt, necessitate*. I. *Id ostenditur e sacris Litteris*: Si dixero impio (*Ezechiel.* XXXIII.) morte morieris, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, vita vivet, & non morietur, Reddite ergo (*Matth.* XXII.), quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Nemini (*S. Paulus ad Roman.* XIII.) quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Sacris Litteris concinunt Sancti Patres, e quibus* S. Augustinus *Epist.* 54. *pronuntiare non dubitat, iis pœnitentiam inutilem fore, qui bonis contra jus fasque acquisitis usi fuerint*: Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. *Hæc omnium Theologorum sententia est. Quod si quis restituere reapse nequeat, ei saltem sincera, cum primum potuerit, restituendi voluntas necessaria est*. II. *Quicunque ad illatum damnum vel directe, vel indirecte contulerunt, illud reparare tenentur æque ac qui operam suam furto locarunt*. III. *Qui bona fide Usurarii fuerunt, usurarios fructus perceptos restituere debent, non eos tamen, qui bona fide consumpti sunt, siquidem proinde ditiores evaserint, secus, si secus. Bona fides, jure Gentium, possessionis titulus est, qui eximit a consumptarum rerum restitutione; at quæ supersunt, omnino restitui debent*. IV. *Restitutionis obligatio non eum tantum afficit, qui damnum attulit, sed etiam ad ejus Hæredes, & Donatarios migrat; alienum enim bonum in cujuscumque manus devenerit, ad suum semper dominum spectat. Hæc de re nos dubitare non sinit Canonicum Jus* Extra de usur. Cap. Tua nos: Filii ad restituendas usuras ea sunt restrictione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur; id ipsum etiam contra hæredes extraneos credimus esse exercendum. *Hæc Alexandri* III. *Summi Pontificis decisio est. Idem statuit Civile Jus, dum eos, qui ab aliquo quicquam accipiunt, damnis, quæ is*

attulit, *subdit*: Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet; ff. de Reg. Jur. V. *Cum res usurpata, vel adempta existit ipsa, restituenda est, ut se habet; at si non amplius in rerum natura sit, cujusmodi usuræ sunt, satis est valorem restitui cum fructibus ex re perceptis, si quos ea producere poterat*. VI. *Qui bona fide rem alienam possidens, eam consumpsit, vel amisit, bona fidei tempore, non tenetur eam restituere. Ita Theologi sentiunt, Juris Civilis decisione nixi* ff. de pet. hæred. L. Utrum autem. *Addit tamen Lex id unum expendi oportere, isne in rei possessione ditior evaserit*. VII. *Si bonæ fidei possessor justo carius ablatam rem vendidit, statim ac novit, eam ad se non spectasse, quod ultra justum pretium percepit, proprietario reddere debet*. VIII. *Beneficiarii, qui Beneficiorum suorum redditus dissipant, eidem restitutioni, eidemque damno atque ii subsunt, qui bonum dissiparunt, quod ad eos minime pertinebat; siquidem Beneficiarii non nisi Ecclesiasticorum proventuum Depositarii sunt; eos enim Sancti Patres Administratores, & Æconomos vocant, jubentque Concilia, ut Beneficiorum fructibus utantur, non tamquam rebus ad se spectantibus, sed tamquam rebus sibi concreditis, cum eam sibi partem sumpserint, quæ eorum congruæ sustentationi respondet. Sane iis ipsis bonis possunt consanguineis, & amicis opitulari, si tamen indigeant; idque puri putique subsidii loco; prohibentur enim Ecclesiæ bonis consanguineos, & amicos locupletare*: Ne ex redditibus Ecclesiæ (*ita Tridentinum Concilium Sess.* xxv. *de Reform.*) consanguineos familiaresve suos augere studeant. IX. *Debitor restitutionem differre potest, quandiu eam exequi sine gravi damno non potest, nisi tamen Creditor ipse ob hanc restitutionis dilationem damnum patiatur, alioquin Debitor eam exequi teneretur; ex quo illud consequens fit, neminem a restitutionis obligatione liberari, quamvis ipse cum familia ob restitutionem ad gravem necessitatem redigeretur, vel a suo statu decideret, vel denique de existimatione, ac fama periclitaretur; si cui malorum horum Creditor ipse subesset, qui proinde creditum exigere potest, atque adeo debet*. X. *Quoties non cognoscuntur, nec detegi possunt ii, quibus restitutio facienda est, seu rei proprietarii sint, seu Hæredes, quæcumque tandem rationi consona diligentia adhibita fuerit; res in pauperes distribuenda est, vel in piis operibus collocanda. Hæc Canonum decisio est. Quod si res haud parvi momenti sit, in nullum prorsus usum sine Episcopi consilio conferri potest*. XI. *Restitutionis defectus nec eleemosynis in pauperes, nec donis in Ecclesias erogatis compensari potest; restitutio quippe actus est commutativæ justitiæ quæ præscribit, ut suum cuique reddatur. Nemo putet*, inquit S. Gregorius Magnus, *eleemosynam esse, quod iniqua ratione acquisitum pauperibus datur*: Non est putanda eleemosyna, si pauperibus datur, quod ex illicitis rebus accipitur; *L. 9. 1. cap.* Non est putanda. XII. *Si quis pecuniæ summam restituere cum debeat, ad eum miserit, ad quem pertinet, per aliquem, qui eam sibi retinuerit, aut amiserit, aut cui res ipsa ablata fuerit, adhuc eamdem summam Proprietario restituere tenetur*.

Resurrectio, a morte ad vitam reditus. Mortuorum Resurrectionis Dogma adeo perspicue tum in Veteri, tum in Novo Testamento expressum est, ut incredulitas frustra conetur veritati dubitationes offundere, quam omnium, quæ Spiritus Sanctus exhibuit, testimoniorum conspiratio prorsus indubitatam reddit. Prophetarum antiquissimus Job rotundis eam verbis nuntiat, diserte futurum docens, ut cum iisdem corporibus, quæ in hac mortali vita habuimus, singuli resurgamus: *Scio enim*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*. Psaltes: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: animam meam in Inferno, seu Sepulcro non relinques, nec patieris sanctum tuum corruptioni subesse. In secundo Machabæorum libro veritas hæc singulari ratione firmatur. Unus enim e septem fratribus, qui Antiochiæ coram Epiphane mortem subierunt, conjectis in Tyrannum oculis, ita eumdem allocutus est: *Tu qui-*

dem, sceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis; ſed Rex Mundi defunctos nos pro ſuis Legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. Hos ipſos ſanctos Martyres pia fortiſque Mater, ejuſdem reſurrectionis propoſita ſpe, ad certamen extimulabat; iique ſtrenui milites, hujus felicitatis deſiderio incenſi, tormenta, mortemque expetebant. Ejuſdem rei probationem, ac certitudinem arida, quæ vidit Ezechiel, oſſa nobis ſuppeditant. Oſſa hæc, inſufflante Spiritu Domini, conjungi cæperunt, & carne, nervis, ac pelle contegi; quæ ſane eorum imago eſt, quæ per miraculum, quod humana ratio comprehendere omnino non poteſt, in generali Mortuorum Reſurrectione futura ſunt. Jam Chriſtus Dominus, cum primum in Judæa prodiit, Reſurrectionis Dogma a Judæis omnibus receptum comperit, Sadducæis tantum exceptis: *Sadducæi dicunt, non eſſe reſurrectionem*. Pernicioſum errorem hunc Divinus Servator expreſſis verbis rejecit; & juſtis quidem hominibus futurum promiſit, ut poſt generalem Reſurrectionem perfecta beatitudine fruerentur: *procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*; peccatoribus vero æternam damnationem minitatus eſt: *qui mala egerunt, in reſurrectionem judicii*. Reſurrexit Chriſtus ipſe, ut in ſe nobis futuræ Reſurrectionis noſtræ argumentum, pignus, exemplar, & ſpecimen exhiberet: *Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis, primitiæ dormientium, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Ac per Dominicæ Reſurrectionis veritatem Apoſtolus in ſua ad Corinthios Epiſtola reſurrectionem noſtram oſtendit adverſus eos, qui nullam mortuis reſurrectionem fore garriebant. Ut enim a Fidelibus tam noxium errorem avertat, initio ſtatim ex Apoſtolorum teſtimonio, ſcilicet ex oculatis teſtibus probandum ſuſcipit, Chriſtum Dominum reſurrexiſſe. Hac autem veritate ſemel poſita, concludendum, Reſurrectionem certam eſſe, quia *ſi reſurrectio*, inquit, *mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit*. At ſi conſtans, firmumque eſt, Chriſtum reſurrexiſſe, quemadmodum dubitari omnino non poteſt; quicumque mortuorum reſurrectionis fidem rejicit, futuræ quoque vitæ ſpem de medio funditus tollat, neceſſe eſt; ut proinde, ex Apoſtoli principiis, qui Chriſti myſteria, ejuſque præſertim Reſurrectionem ex animo credit, de generali Reſurrectione dubitandi nullus eidem locus ſupetſit. Fidei caput in ſacris Litteris perſpicue propoſitum, a Chriſto contra Sadducæos, & a S. Paulo contra impios homines contra ſententes propugnatum, omnium noſtrum ſolatium, ſpemque conſtituit: *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Conticeſcat igitur arrogans ratio, aut ex Deo, quærat, quomodo ipſe prodigium hoc ſit patraturus; nos ſane, quos minime latet infinita diſtantia, quæ inter divinæ poteſtatis amplitudinem, & humanæ mentis anguſtias intereſt, gloriæ ducimus, Omnipotentiſſimo Deo officium, ac tributum eo dignum perſolvere, dum æqualitatem quamdam inter ejus inacceſſam Majeſtatem, noſtramque longe maximam docilitatem ponimus. Divinum verbum nos docet, neceſſe eſſe, ut corpus hoc noſtrum, quod corruptioni obnoxium eſt, incorruptibilitate induatur: *Oportet enim, corruptibile hoc induere immortalitatem*. Ergo in tam jucundæ veritatis fide firmi, conſtanteſque permaneamus: *ſtabiles eſtote, & immobiles*. *

Eſt Reſurrectio prima, per quam juſtorum hominum animæ, ante generalem Reſurrectionem, Dei facie fruuntur: *hæc eſt reſurrectio prima*. Altera eſt beata reſurrectio, in qua eædem animæ corpora ſua recipient, ut in gloria vivant. Porro de tempore, circumſtantiis, & ratione, qua Reſurrectio futura eſt, itemque de natura, menſura, ætate, ſexu reſurgentium magnopere diſputatur; at quicquid in hoc rerum genere dicitur, ad conjecturae redigitur; is unus ſcite facit, qui non ulterius progreditur, quam Deus in hoc quidem myſterio nobis innoteſcere voluit, & humiliter momentum expectat, quo nobis illud omnino detegere Deo ipſi placuerit. Illud e ſacris ſane Litteris certum eſt, momentum hoc tum fore, cum minime hominum animis obverſabitur: *Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis, qua hora Filius hominis venturus eſt*. Quamobrem homines poſt Reſurrectionem erunt

ſicut

ficut Angeli Dei, fcilicet immortales erunt, incorruptibiles, diaphani, leves, lucidi, & quodammodo fpiritales, quin tamen corporeas qualitates exuant: *In refurrectione enim neque nubent, neque nubentur, fed erunt ficut Angeli Dei in Cælo . . . . tunc Jufti fulgebunt ficut fol in regno Patris eorum.*

Sanctorum Virorum Refurrectio, qui tempore mortis Chrifti e tumulis fuis exierunt, non nifi poft Divini Servatoris refurrectionem contigit; certiffimum enim eft, eum primum fuiffe, qui refurrexerit, non amplius moriturus: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, furrexerunt; & exeuntes de monumentis poft refurrectionem ejus, venerunt in fanctam Civitatem, & adparuerunt multis.* At hi fancti Viri furrexeruntne non amplius morituri? Id nimirum eft, in quo Veteres difcordes video. Nos id unum cum Sancto Matthæo dicemus, eos fanctos Viros, cum refurrexiffent, multis apparuiffe, non jam omnibus; ut eorum ad vitam revocatio fimilior refurrectioni Chrifti, quam Lazari fuiffe videatur; eorumque corpora gloriofa fuiffe, non hominum oculis confpicua, eos denique una cum Chrifto in veram Dei Civitatem ingreffos effe fentiendum fit. Porro temere quifpiam quæfierit, quinam fuerint fancti Viri, qui cum Chrifto refurrexerunt; conjecturæ omnes (alte filet hac de re Spiritus Sanctus) incertæ forent. Si cui conjecturæ locus, in Adæ gratiam fuerit. oppofitio primum inter & alterum Adam evidens eft, & quam Chriftus de peccato, ac morte retulit, victoria maxime infignis, & ad noftrum folatium accommodata, quippe quæ in ejus refurrectione, qui mortem nobis attulit, nobis ipfis certum refurrectionis noftræ pignus exhibeat.

* *Multæ difficultates funt, quas Deiftæ, & Increduli ad impugnandum, evertendumque Refurrectionis Chrifti miraculum afferre folent. Earum prima ex ipfa miraculi natura ducitur. Pugnat, inquiunt, unum eumdemque Hominem ipfum per fe refurgere. Vitam aliis tribuere dubio procul prodigium eft, quod percipi nequit. Humana mens, etfi conjecturis affluat, occultum principium, quod calore, motuque deftituta corpora ad vitam revocat, nondum detegere, aut affequi cogitatione potuit, quafcumque demum hypothefes finxerit; fupra ejus captum pofitus eft fermo de fuprema vi, atque omnipotenti voce, quæ diffolutæ machinæ motum reftituit, ejusque habitudines, & organa in ordinem redigit, denique feparatas fubftantias duas naturalibus legibus rurfus confociat. At aliquem refurgere ipfum per fe, propria poteftate e tumulo exire, iterum oculos aperire lumini, quos mors claufit; uno verbo, eum, qui amplius non eft, effe per fe rurfus incipere; id vero non modo ejusmodi eft, ut comprehendi non poffit, verum etiam aperte repugnat. Qui porro dixerit, quicpiam e nihilo tamquam e principio effe poffe; is profecto humanum fermonem inverterit, aut notiones, quæ cæterarum clariffimæ funt, impugnaverit; nihil enim, & effe duo extrema funt, quæ infinite diftant. Jam vero mors, ut ita dicam, nihilum vitæ eft. Fieri ergo omnino non poteft, ut qui in fepulturæ nocte jacet, ad vitæ diem per fe ipfum exiliat, aut nihilum evadat alicujus rei efficiens caufa. Hoc pofito, neceffaria rerum confecutione fieri contendunt, ut quæcumque argumenta fuppetunt ad oftendendum, reapfe Chrifti Refurrectionem contigiffe, frivola fint, nulliusque momenti; ac fiquidem graviffima fuerint, idearum noftrarum evidentiæ ea cedere neceffe fit.*

Difficultatem hanc haud equidem levem dixerim; at ex brevi refponfo compertum fiet, Incredulos fpeciofa ratiocinatione fucum facere poffe, convincere omnino non poffe. Non fum nefcius, per propriam poteftatem Refurrectionem Hominis fupra omnem captum noftrum pofitam effe; concedo etiam, & ajo, eam repugnare. Qui enim vitam amifit, quomodo in fuo ipfius fundo eamdem inveniat? Subftantiæ duæ femel fejunctæ nullum invicem amplius mutuum dominium obtinent; ac fi illud obtinerent, cum animus actionem, motumque corpori fua ipfe virtute non tribuat, haud faci-

facilius intellectu esset, qua demum ratione substantiæ hæ duæ in societatem redire possent. At quod humanas vires longe multumque superat, idne Divina quoque virtute majus est? Id pronuntiare quis audeat? Jam vero haud sane contendimus, Christi corpus ab ipsius animo ad vitam revocatum esse, aut corpus hoc per se ipsum resurrexisse; miraculum hoc uni Divinitati tribuendum dicimus. Itane vero explicari non poterit? Qui enim hominem fecit, ejusque vitæ limites posuit, eam, siquidem voluerit, breviorem reddere, aut in omne tempus protrahere non possit? Quod si potest, proposita difficultas nullum nobis negotium facessere debet, eamque opponentes Increduli nihil amplius faciunt, quam aerem verberant.

Alia difficultas sane speciosior, & quam Deistæ sæpe recoquunt, Christianos nonnullos haud satis in Fide firmos turbare videtur. Quæritur nempe, cur tandem Christi Resurrectio, si vera est, non perinde atque ejus mors evulgata fuerit? Ita quidem facto opus erat; id enim maxime, si quid aliud, Christianæ Religionis interest; cujus probatio prima est ea Resurrectio*; ut proinde Judæi omnes ejus testes esse debuerint. Necesse ergo erat, ob oculos universi populi, qui auctor supplicii, mortisque fuerat, & Judicibus ipsis spectantibus, Christum e sepulcro vivum exire, & se videndum omnibus, qui miraculum hoc expectabant, ut ejus dictis crederent, exhibere. Substantia infinite bona, & infinite sapiens methodo uti debet, quæ ipsius gloriæ amplitudinem, & ad hominum bonum maxime faciat; id non minus ejus intererat, quam nostra, itaque opus erat evidentia, quæ contra stantibus os in omne tempus obstrueret. Verum enim vero tantum abest, ut Christus insignem hanc veræ suæ Resurrectionis probationem nobis præbuerit, ut potius suis tantum Discipulis videndum se dederit, cæteros omnes ancipites, dubiosque reliquerit. Ac tanti momenti eventum, arcanum veluti mysterium, sollicite custoditum, paucorum Hominum fidei concreditur, quos seductos esse probabile fit, quique tandem fraudis suspicioni subesse possunt. An vero non satis id fuerit, ut Christi Resurrectio revocetur in dubium, si minus ratio subsit, quamobrem aperte negetur?*

Respondeo nihil esse, cur hac in re dubitari proinde possit, & argumentum hoc, quod in nemine tolerandum fuerit, multo minus in Deista tolerari posse. Nonne intelligit, Atheo eadem principia præsto esse, ut parem argumentationem contra Dei existentiam conficiat? Potest enim ita in Deistam insurgere: si Ens infinitum existeret, adeo apertum, ac publicum existentiæ suæ argumentum præberet, ut eam veritatem nulla dubitatio infirmare posset. Ita nemo negare posset existere, quod existere probe nosset. Interesset sane Dei evidentiam hanc nobis præbere, quam præbere proinde deberet. Per eam omnia meliore cum ordine in terris fierent; delicta, si minus eliminata prorsus, certe rariora essent; puriores, communioresque virtutes, homines feliciores; Religio magis unanimis; & quod inde consequitur, Divinitas ipsa majore obsequio, votisque melioribus coleretur. Ita nimirum Athei reponere possent, quemadmodum reapse repetere nunquam desistunt. Quid autem esset, quod hac in re Deistæ Atheis opponerent, nisi argumenta suppetere, quæ Dei existentiam cuivis homini ratione utenti, mentisque compoti satis persuadeant? Nostrum non esse quærere, cur nobis major probatio non suppetat, sed ea nos uti debere, quæ præsto est? Denique amentis esse, ab ente perfectissimo postulare velle, quod non dat, ejus agendi rationem, quam mens non assequitur, censoria virga notare, oculos lumini propterea claudere, quod splendidius esse posset? Qui unam tantum facem haberet, qua ipse sibi per nocturnas tenebras iter monstraret, sapetne, si ob eam causam, quod Sol deesset, illud infirmum lumen extingueret, periculum subiturus, ne aberraret a via, vel se præcipitem daret? Atheus ergo, qui in eo se discrimine positum putat,

putat, expetere sane non debet, ut infinitum Ens majoribus argumentis se manifestet. Ejus est ea expendere, quæ tot rationibus eidem proposita sunt, satisque virium habent, ut eum absque ullo erroris periculo determinent.

Hoc Deistæ responsum esset, & quidem solidum, ac firmum. At responsum hoc ipsum in eum recidit; ac mihi quidem licet in ipsum ejus argumenta omnia retorquere. Eum ergo monitum volo, Resurrectionis Christi probationes, quæ historicæ, & facti probationes sunt, ejusmodi esse, ut persuasionem efficiant, cui cordatus nemo repugnet; præterea his probationibus ipsis satis evidentiæ confici, ut se quisque determinet, quin ei alia argumenta quærenda sint; ad hæc, ejus consilium excusatione prorsus indignum fore, qui in eo animum obfirmaret, ut rei notæ existentiam negaret, prætexens, eam ipsam rem posse notiorem esse; ad extremum, a justitia alienum esse, providentiam in eo, quod non egit, accusari, quod autem egit, pro nihilo haberi, ea, quæ hominibus in mentem veniunt, iis opponi, quæ sunt, chimerisque, ac somniis impugnari acta publica, quibus tantum in rebus quidem historicis standum est. Alioquin omnia susque deque vertuntur, & nihil equidem video, quantumvis authenticum sit, quod oppugnari non possit. Qui ad arbitratum suum nihil non exigit, quæcumque voluerit, incerta reddet; clarissimis licet, evidentissimisque rationibus non permovebitur. Nova semper argumenta quæret, nullumque alia deinceps, & alia quærendi finem faciet. Ut factum aliquod certum reddatur, provideatur, necesse erit, quidquid allatis argumentis addendum videri posset iis, qui præpostera contra dicendi prurigine abrepti curiosius inspiciunt; recedendum erit ab omnibus rationis, & Critices regulis, oberrandum incerto tramite, nulloque fine proposito, quocumque cœcus impetus traxerit. Jam vero nonne patet, eum nescire, quid ipse sibi velit, qui difficultates proponit, quibus eo demum redigitur, ut imaginationis omnia phantasmata consectetur?

Equidem Christi Resurrectioni fidem adderem, reponit Incredulus, si publice Judæis omnibus exhibita fuisset. Proh illusio, quæ nulla impudentior, nulla crassior! Atqui ne hac quidem hypothesi facta, ei fidem adderet. Et sane, eo quidem judice, authenticitas una huic facto deest. Ita ergo comparatus sit, oportet, ut ea credat omnia, quæ hoc caractere insignita sunt. Quid ergo est, quod non cætera omnia Christi miracula suscipit, quæ adeo vera, ac certa sunt? Ea quidem in Hierosolyma conspectu ipsa, & ob universæ Nationis oculos edita fuere. Quid ni Apostolorum miracula credit omnia? Atqui ea non Judæa solum, sed universus terrarum Orbis testatur. Apostoli publicam omnium populorum admirationem in se traxerunt, & quod majus est, Ecclesiæ hostes ipsos fatentes habuerunt. En suismet principiis convictum Incredulum. Cum ergo de Christi, ac de ejus Discipulorum miraculis etiamnum dubitet, quamvis eadem omnes authenticitatis notas obtineant, id mihi juris est, ut fidenter asseram, eum ne Resurrectionem quidem crediturum, cujus oculati testes çoævi omnes homines exstitissent.

Sed ut hæc omnia missa faciam, ubinam Incredulus didicit, ad positivum factum evertendum, mere negativa argumenta satis esse? Quod non est, nullius rei probatio esse potest; si res non est, quia circumstantia deest, ejusmodi est, ut eventum sine ea percipi nequeat. Jam vero non ita res habet in quæstione, quæ præ manibus est. Omnino conveniat, necesse est, Christum e sepulcro vivum egredi potuisse, quin se Judæis omnibus in conspectum daret. Hac in re publici facti ratio non ea est, ut a facto ipso sejungi non possit, ac sane sine ea factum constare potest. Ea ergo negativa circumstantia positivas rationes, quæ ex alia parte stant, evertere, vel in dubium revocare non potest. Allatas rationes non rejicit circumstantiæ defectus, quæ adesse poterat, & non adfuit. Sine ejus sub-

subsidio firmæ stant, eæque sunt, quas opposuimus; dum Incredulo non nisi accessorii privatio suppetit, nempe nihil, quod nihil impugnat, & nihil probat.

Quod si quæratur ex me, cur Resurrectionis miraculum haud publicum fuerit, cum esse posset, respondeo, ad hanc rem quod attinet, me nihil scire; at in hac ipsa re Divina consilia vereor, etsi me lateant. Id unum pono, quod quivis e Deistis amplecti debet. Quid ita? Quia scilicet inter nos convenit, Ens infinite sapiens id semper facere, quod optimum est. Jam vero noluit Christi Resurrectionem publicam esse. Evidens ergo est, non decuisse, eam publicam fieri. At enim pauci jam essent adversarii. Non pugno, atque adeo fidenter ajo paucos fore. Verum adversarii ipsi ad Divinæ Sapientiæ consilia pertinent, & Christianam Religionem ipsam perfectiorem efficere videntur. At qui demum major perfectio dici potest, reponit Deistas, quod potius vitii speciem præsefert? Id nimirum hominis est temere judicantis; est enim de universo judicium ferre, cujus exigua tantum pars in comperto est; infinitam extensionem metiri velle, quæ imbecillem, brevibusque limitibus circumscriptam oculorum aciem longe multumque superat.

Judicet, per me licet, quicumque voluerit: uter ad principium, quod nobis commune est, accommodatius, egone, an Deista, ratiocinetur? Deista quidem contendit, siquidem Christus a mortuis resurrexisset, omnino necesse fuisse, ut Ens infinite sapiens miraculum hoc splendidius, evidentiusque redderet. Is ait, ego vero nego. Neque enim vel ejus interest, vel mea, judicare, quid Deus facere debeat, vel non debeat, cum, ut in presenti negotio contingit, de re agitur, quæ ad ejus naturam minime spectat. Omnino contra ajo ego, Christum resurrexisse; ajo autem? Immo probo. Deista vero probationibus meis nihil objicit, quod cum iis ex diametro pugnet. Stat igitur a me victoria; is enim e meis rationibus nullam enervat; ego vero principio nixus, quod ipse recipit, ejus omnia argumenta funditus everto. Et sane quæratur ex eo, quidni Deus multis ante sæculis Mundum creaverit? Ens infinite bonum, sapiens, potens ea negligere non debebat, quæ citius, promptiusque ejus magnitudinem insignirent, eique creatas res, in quas sua effunderet beneficia, compararent. Quid igitur causæ fuit, ut tam sero Mundum crearet? Ut in æternitate momentum unum potius, quam aliud, ut ita loquar, ad creationem eligeret? Diuturnum hoc otium, quod innumeras creatus res ejus beata cognitione privavit, estne Dei, qui, quicquid potest, boni facit? Quid ad hæc Incredulus? Sane se Dei consilia ignorare, & in hac ipsa ignoratione persuasum habere, nihil in iis non justum, non sapiens, non sanctum esse, quippe quæ Entis infinite perfecti sint. Jure igitur ac merito in simillima facti specie mihi licuit idem in eum dicere; atque adeo responsum meum per ejus responsum ipsum in se firmari, se nimirum suismet armis confodi patiatur.

Denique Spinozæ *argumentum, qui in Epist. 23. & 25. ad Oldeburgium contendit ostendere, Resurrectionem non nisi allegoriam esse, per quam Apostoli pœnitentiam significare volebant, qua homo ad gratiam resurgit, non autem corpoream, & proprie dictam a morte ad vitam revocationem, paradoxum est, quo nullum unquam magis absonum impia incredulitas excogitavit; ut indignum putem, quod longa oratione refellatur. Id unum dico, S. Paulum, cujus auctoritate* Spinoza *passim abutitur, vel si obiter legatur, ei impudentissimum os Apocalypseos sigillis septem obstruere. Ait ergo S. Paulus in I. ad Corinthios cap. xv. 4. Christum resurrexisse tertia die, pro ut ipse prædixerat; eumdem post resurrectionem apparuisse Cephæ, ac deinde cæteris undecim Apostolis; una eademque vice se videndum exhibuisse quingentis, & amplius, fratribus, quorum multi adhuc in vivis erant. Denique de se ipso loquens, ait, a se quoque post cæteros omnes Christum Dominum visum fuisse, statuitque corpoream*

Mor-

Mortuorum resurrectionem in Mundi fine per corpoream ipsius Christi resurrectionem. Hoc posito, judicet nunc prudens Lector de Spinozæ *ratiocinationibus, seu potius deliramentis, edicatque, an turpius, impudentiusque Philosophia quispiam abuti possit.*

Rethma, juniperum dicas, Israelitarum statio decima quinta, ad quam post stationem Aseroth pervenerunt. Est locus hic in Deserto Pharan apud Urbem Cades-Barne. *Numer. c.* XIV. 33.

Reu, socius, filius Phaleg, idem ac Ragau. Ætatis annum tricesimum agente patre, lucem aspexit: *Vixit Phaleg triginta annis, & genuit Reu. Genes.* XI. 18.

Revelatio. Præter hujus vocis communem significationem, revelatio dicitur, quicquid ratione supra naturam posita Deus hominibus detegit. Id autem fit modis pluribus. In visione, ut cum S. Petro linteum animalium plenum apparuit. In somniis, ut cum Macedo quidam se stitit S. Paulo, moniturus, ut in Macedoniam transiret. In extasi, seu raptu, ut cum idem S. Paulus ad tertium Cælum raptus fuit. Denique per internum sermonem, quo animum Spiritus Sanctus alloquitur, ut cum S. Petrum cum Cornelii servis pergere jussit. Sumitur etiam *revelationis* nomen ad Christi manifestationem Judæis, & Gentibus factam significandam: *Lumen ad revelationem gentium*. Christus nempe lumen erat, quod Nationibus affulgere debebat. Ejusdem quoque Divini Reparatoris in altero adventu manifestationem significat: *ita ut nihil nobis desit in ulla gratia expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi*. Denique ad gloriæ, qua Electi fruentur, exprimendum tempus accipitur: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*: corporeæ ipsæ res felicem eam diem quamprimum, ac sollicite expectant, qua die Filii Dei, Electi scilicet ab hoc miseriæ, & doloris statu ad gloriæ, ac fruitionis statum, qui nunquam finem habiturus est, transitum faciant. *

* Revelationis *nomen sermonem significat, quem cum homine Deus habuit. Hominis enim Ratio, per peccatum, animique depravationem obtenebrata, naturalem Religionem corruperat, multiplicata per Idolorum adorationem Divinitate. Quamobrem Deus, ut hominem ex imis tenebris, in quibus jacebat, educeret, eum officiis imbutum voluit, quæ ejus Divinæ Majestati debebat, ut, quid sibi credendum esset, cultusque Deo exhibendi regulam probe perciperet. Testimonia porro, quæ* Revelationem *continent, Sacræ Scripturæ sunt, & quidem tam Veteris, quam Novi Testamenti, itemque Traditio. Hi sunt* Revelationis *fontes, quemadmodum Ecclesia nos hac de veritate suis authenticis Decisionibus certos facit.*

Reumbelsum, sapientiæ Magister, Samariæ Procurator, qui Judæis Hierosolymam reparare volentibus obstitit: *Reumbelsum, & Samsai Scriba, scripserunt Epistolam unam de Jerusalem*. I. *Esdr. c.* IV. 8. *& c.* IX. 17.

Rex, supremus Princeps, absolutusque Dominus, ut Deus, qui Rex, summusque Creator est Cæli, ac Terræ: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Fere nomen hoc pro terrarum Regibus sumitur: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Significat Magistratus, qui rem publicam administrant: *Non erat Rex in Israel*: nullus erat, qui præesset, cujusque mandatis populus pareret. Sumitur quoque pro duce, seu ductore: *Regem locusta non habet*. Pro iis omnibus, qui potestate instructi sunt: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum*. Pro Fidelibus, quos Christus Dominus sui spiritalis Regni participes esse voluit: *Fecisti nos Deo nostro Reges*. Pro iis, qui supra cæteros sunt: *Ipse est Rex super universos filios superbiæ*.

Deus, cum electum populum a Pharaonis tyrannide liberasset, ejus Rex ipse esse voluit, eumque per se ipsum administrare; at in Monte Sinaï, ut Deus Israelitis quamdam Reipublicæ formam dare cœpit, ii quidem fulgura, & tonitrua veriti, inter quæ Deus se videndum præbuerat, Divinæque presentiæ splendori ferendo impares, eum obsecrarunt, ut oe eos alloqueretur ipse per se, sed Mosis ministerio uteretur, qui ejus voluntatis Interpres esset. Hunc ergo sanctum Virum Deus sibi ministrum statuit, qoi ad populum Divina jussa perferret, suboriente aliqua difficultate, Deum ipsum consuleret, nihilque nisi Dei nomine ageret. Ut in

in regimine adjutores haberet, e quaque Tribu ætate provectos, & prudentia præstantes Viros elegit, quibus officia, pro ut a Deo jussus fuerat, singulis demandavit. Post sapientis hujus Legislatoris mortem, Josue, quem Deus elegerat, aristocraticam, quam Moses Judæorum regimini dederat, formam servavit: *Et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus, ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quæ agis*. Judæi, quod ad eos spectabat, se Josue obsecuturos receperunt: *Omnia, quæ præcepisti nobis faciemus, & quocumque miseris, ibimus; sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi*. Sanctus hic Ductor, antequam mortem obiret, accitum populum ad obstringendam fidem impulit, fore, ut Deo parere pergeret; ac populus quidem promissis stetit sub eorum regimine, quos Deus elegit, a quibus ejus nomine regeretur: *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, & Seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel*. Præsides hi sanctitatis, & miraculorum laude præstabant, quos Deus tamquam Legatos suos, & Interpretes suscitabat: Nemo populo præfuit, nisi ut ejus Servator esset, eumque ab idololatria revocatum, ad pietatem, & veri Dei cultum redigeret. Sub omnium postremo, Samuele scilicet, ingratus populus, immediatum Dei semper latentis regimen ægre ferens, insignemque; qua uni Deo suberat, prærogativam respuens, turpi, injustaque permutatione, se homini mancipatum voluit. Ergo a Propheta Regem petiit, a quo judicaretur, quemadmodum apud cæteras Nationes fieri consueverat: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut universæ habent Nationes*. Samuel, antequam populo responderet, Deum consuluit, ad quem unum hæc injuria spectabat, jussusque est id facere, quod populus postulabat; cum enim Dei sui dulce ac suave imperium detrectaret, sane dignus erat, qui eadem facilitate, qua obtinuerat, quod petebat, puniretur: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. At eodem tempore Samueli mandavit, ut Israelitis aperiret, quodnam jus Regis foret, qui eos administraturus erat, eum nempe filios iis ad-empturum, quos sibi servos faciat, eorum servos, & armenta sumpturum, optima quæque prædia invasurum, frugum partem decimam exacturum, ut ministris suis gratificetur, ipsosque ejus mancipia fore &c. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis &c. vosque eritis ei servi*. Samuel vocat *Jus Regis* id, quod Reges facere solent, cum auctoritate abutuntur, quam Deus iisdem concredidit, & cum populorum suorum parentes, & patroni esse debeant, eorum oppressores, ac Tyranni fiunt. Impune quidem hæc omnia contra jus fasque, spectata humana justitia, patrare possunt; at rationem redituri sunt Divinæ justitiæ, cui eo magis subsunt, quo minus ab hominum justitia pendent. Israelitæ nequaquam incommodis territi, quæ eorum postulatum consequebantur, in suscepto consilio perstiterunt, coactusque est Samuel Regem eligere. Ergo Regum primus Saul fuit, cui per aliquod tempus quoad Regni partem successit Isboseth; quo vita spoliato, David universum Israel redintegravit. Davidi suffectus Salomon, quo fato functo, Regnum divisum fuit. Tribus decem Jeroboamum secutæ sunt; duæ tantum remansere Salomonis filio, Beniamin, & Juda. Tum vero extitere Regna duo, Juda nimirum, & Israel: quod posterius per annos 253. quibus constitit, Reges undeviginti numeravit, qui omnes, nullo prorsus excepto, in impietate, ac peccato perierunt.

RE.

REGES ISRAEL.

I. Jeroboam.
II. Nadab.
III. Basa.
IV. Ela.
V. Zamri.
VI. Amri.
VII. Achab.
VIII. Ochozias.
IX. Joram.
X. Jehu.
XI. Joachas.
XII. Joas.
XIII. Jeroboam.
XIV. Zacharias.
XV. Sellum.
XVI. Manahem.
XVII. Phaceja.
XVIII. Phacee.
XIX. Osee.

Regnum etiam Juda novemdecim Reges habuit a Roboamo ad Sedeciam usque, quo regnante capta Hierosolyma, combustum Templum, Judaicusque populus ulra Euphratem in captivitatem ductus. In hac longa Regum serie tres tantum occurrunt, qui idololatræ, vel idololatriæ fautores non fuerint: *Præter David, Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt; nam reliquerunt Legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei*.

REGES JUDA.

I. Roboam.
II. Abia.
III. Asa.
IV. Josaphat.
V. Joram.
VI. Ochozias.
VII. Joas.
VIII. Amasias.
IX. Ozias.
X. Joatham.
XI. Achaz.
XII. Ezechias.
XIII. Manasse.
XIV. Amon.
XV. Josias.
XVI. Joachaz.
XVII. Eliakim,
XVIII. Jechonias.
XIX. Sedecias.

Post reditum a Babylonica captivitate, quæ 70. annorum spatium occupavit, Judæi ad Aristocratiam redierunt, & sub Persarum dominio vixerunt ad usque Alexandrum Magnum, qui an. Mundi 3672. Hierosolymam ingressus est. Post ejus mortem, Judæa in Ægypti primum, deinde in Syriæ Regum potestatem devenit, quoad Judæis ab Antiocho Epiphane coactis in Religionis defensionem arma sumere, Asmoneorum familia insignis evasit, & Hebræos in libertatem restituit. Porro qui ex hac familia rerum potiti sunt, non nisi Principis nomen sumpserunt, quo eorum quinque insigniti, Mathatias, Judas Machabæus, Jonathas, Simon, & Hircanus; at Aristobulus sibi Regis titulum vindicavit, quem in successores quinque, Alexandrum Janneum, Salomen ejus conjugem, Hircanum, Aristobulum, & Antigonum derivavit. Herodem deinde Regem statuit Romani Senatus auctoritas; a cujus morte, Judæa Etnarchiæ titulo tribus ejus filiis, Archelao, Herodi Antipæ, & Philippo paruit, ac tandem in Romanam Provinciam redacta fuit.

Libri Regum. Quatuor in Veteri Testamento Libri sunt, qui id nominis præferunt; Judæorum enim Regum res gestas complectuntur, & singula, quæ in eorum regimine præcipua fuerunt. Hi Libri quatuor olim in Hebraicis Codicibus non nisi duos conficiebant, quorum primus gerebat Samuelis nomen, Regum, seu Regnorum alter. Liber primus uno & triginta capitibus constat, continetque centum circiter

annorum spatium, a Samuele nato ad Saulis mortem, ab anno scilicet 2849. ad 2949. In eo legitur Samuelis nativitas, & consecratio in Templo Domini, Summi Sacerdotis Heli quoad filiorum depravationem vituperanda indulgentia, Divinæ in eumdem comminationes, earumdem executio per Philistæorum bellum, qui Arcam Domini ceperunt commisso prælio, in quo Ophni, & Phinees occubuerunt, ejusdem Heli mors ad infaustum allatum nuntium; mala, quibus Deus Philistæos ob Arcæ sacrum pignus violatum punit; ejusdem Arcæ remittendæ necessitas, in qua Philistæi se positos vident; Samuelis electio in Judicem Israel, ac deinde Saulis in Regem; ejus Regni fausta principia, ex Ammonitis, & Philistæis relatæ victoriæ, ejusdem Principis infidelitas, & inobedientia, ac proinde reprobatio; Davidis initia, qui a Samuele Rex consecratur, occidit Goliath, a Saule ad necem quæritur, de fuga cogitat, ut hujus Principis iram evitet; denique Saulis mors, qui in prælio cum Philistæis inito perit.

Secundus Regum Liber non nisi Davidici Regni historiam continet 40. capitibus circiter, ab ejus unctione altera, quæ in Hebron contigit an. 2949. ad an. 2988. quo mandavit, ut Salomon in Regem consecraretur; in eo primum legitur David renuntiatus Rex Tribus Juda, dum cæteræ Tribus sequerentur Isboseth, Saulis filium. Mors Isboseth Tribus omnes ad Davidem redigit, qui Regiam unctionem tertio suscipit. Hierosolymam capit, Jebusæis expulsis, non semel Philistæos, Moabitas, Syros, Idumæos fundit, profligatque. Arcam in sanctam Urbem illatam vult, Templique Domino ædificandi consilium capit; at monetur a Deo, id honoris ejus filio reservari. Ejus Legatis ab Amon Ammonitarum Rege crudeliter habitis, mittitur a Davide Joab, illatam injuriam ulturus; hujus belli tempore cum Bethsabea peccat David; ejusque virum Uriam morti tradit. Ei Nathan a Deo missus duplex delictum exprobrat, & pœnam nuntiat, cui David se subdit. Dei dexteram sentit, quæ Regiam domum turbis implet; Ammon contaminat Thamar; eum occidit Absalon, qui in patrem insurgit; Joab eum redeuntem interficit. David ad novas indignationes Deum excitat, Subditorum numero recensito. In ejus vanitatem Dominus animadvertit, Regno peste vastato. Denique Princeps hic parat omnia ad Templi constructionem necessaria.

De duorum horum, quos hactenus expendimus, Librorum Auctore non constat. Eos nonnulli Samueli tribuunt, cujus nomine in Hebraico exemplari inscribuntur; saltem est valde probabile, eum Auctorem esse Capitum 24. Libri primi, quibus continetur historia ejus Vitæ, eorumque narratio, quæ Saul, & David, quoad Samuel vixit, egerunt; cum enim Cap. 25. ejus mors referatur, id sane argumento est, eum nec reliquorum hujus Libri Capitum, neque vero insequentis libri Auctorem fuisse: *Mortuus est autem Samuel, & congregatus est universus Israel; planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha*. Primum perfectum, alterum confectum a Gad, & Nathan Prophetis ajunt. Nonnulla porro, quæ neque ad Samuelis, neque ad Nathani tempora spectare possunt, conjecturæ locum præbent, Esdram, cum Samuelis, & veterum, qui Davide regnante vixerant, Scribarum exemplaria præ manibus haberet, eos in ordinem redegisse, & concinnasse, quod ea conciliat, quæ in eorumdem Librorum textu specie tenus pugnantia videri possent.

Tertius Regum Liber annorum 126. historiam capitibus duobus & viginti complectitur, a Salomonis unctione scilicet, ejusque in Regnum associatione, quæ an. Mundi 2988. contigit, ad mortem Josaphat Regis Juda, quæ in an. 3115. incidit. Adonias Regalem conditionem affectat, & Nathan Davidi auctor est, ut sibi successorem nominet. Post hujus sancti Regis mortem, Salomon solium conscendit, Adoniam, Joab, & Semei e vivis sublatos vult, Pharaonis Nechao filiam ducit, litem inter matres duas de puero coortam dirimit, Domino Templum ædificat, divitiis cumulatur, secundis rebus affluit, sui nominis famam longe lateque propagatam videt, ab Æthiopiæ Regina invisitur, se ab ingenti conjugum nu-

numero, quas Regiis in ædibus detinebat, seduci patitur, atque adeo in idololatriam prolabitur, omnia in se flagella trahit indignationis Dei, qui tamen ei malorum aspectum subtrahit, quibus ejus domum pressurus est. Moritur, eique Roboam filius succedit; Princeps hic asperitate, ac duritie avertit a se subditorum animos, ac Tribuum decem schismati occasionem præbet, quæ sibi Jeroboam Regem eliguut. Denique Liber successorum Roboam, nempe Arabiæ, Asæ, & Josaphat, & successorum Jeroboam, nempe Nadab, Baasæ, Elæ, Zamri, Amri, Achab, & Ochoziæ historiam continet.

Quartus Cepltibus 25. annorum 227. historiam exhibet, a morte Josaphat an. 3115. ad initium Regni Evilmedorac Babyloniæ Regis, qui Jechoniam e carcere eduxit ann. 3442. In eo delicta, & execrationes Regum Israel, Ochoziæ successorum, propheticæ quoque res gestæ Addo, Obed, Abiæ, Eliæ, Elisæi, Oseæ, Amos, Jonæ, aliorumque multorum accurate, ac distincte commemorantur. Regnum Juda flagitia repræsentat, quæ Regum plerique perpetrarunt, a Chaldęis captam Hierosolymam, incensum Templum, captivum populum Babylonem tractum, Godoliæ mortem, e qua Judæorum in Ægyptum fuga derivatur. Ibidem occurrunt etiam Prophetæ plures, quos Deus ad populum suum misit, Addo, Abias, Semejas, Hanani, Azarias, Jehu, Isaias, Jeremias, Sophonias, Holda, Michæas, Joel, aliique non pauci.

Duo quoque postremi Regum Libri quo tandem Auctore prodierint, controvertitur. Eos nonnulli vel Jeremiæ, vel Isaię, vel Prophetarum cuipiam tribuunt; putant alii, Davidem, Salomonem, aliosque nonnullos historiam Regni quemque sui descripsisse, Prophetas Regum ad sua tempora pertinentium vitam exarasse; atque hæc quidem monumenta esse, quæ veluti fundum constituunt historiæ sacræ, tertio, & quarto Regum Libris contentę, quos Esdra composuit, pro ut ad nos pervenerunt. Sententia hęc probabilitate non caret, occurrentibus notis, e quibus Esdra hujus historiæ continuator appareat; quod si nonnulla sunt, quæ in ejus ætatem minime congruunt, id proinde factum, quod ad verbum monumenta descripserit, quę prę manibus habebat, quin ea sibi concilianda sumeret.

Rhamnus, spinę genus; prunum nigrum vulgo putant: *Dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: veni, & impera super nos:* Plantę ad spinam: esto Rex noster. Hoc loco vox hęc aliquid contemnendum significat. Jonathan ea similitudine monitos voluit incolas Sichem, eos admodum inconsulto fecisse, qui sibi Regem Abimelech elegissent. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ Rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.* Hoc loco pro firma, acutaque spina sumitur: priusquam cognoscer possint, ad arbusculæ robur spinas suas pervenisse, ea erit irę Divinę vis, ut tamquam viventes absorbeat; nempe violenta morte peribunt, quin ipsius mortis dolorem sentiant. *Judic. c.* IX. 14. *Ps.* 57.

Rheghium, *ruptura*, ulterioris Calabriæ Urbs in Neapolitano Regno, ad quam appulit S. Paulus, cum Romam pergeret: *Inde circumlegentes devenimus Rhegium. Actor. cap.* XXVIII.

Rheum, e Sacerdotum stirpe, Babylone rediit an. Mund. 3468. II. *Esdr. c.*XII.3.

Rhinocerotis, animalis feri, nomen a cornu sumptum, quod ei suppetit e supera nasi parte: *Cornua Rhinocerotis, cornua illius.* Balaam, ut Dei vim exprimeret, eam cum ferocis hujus belluæ robore contulit, cui cum Elephante contentio pertinax, & odium æternum est: *Hujus fortitudo similis est Rhinocerotis.* In sacris Litteris hoc animal, & Leocornu per idem Hebraicum vocabulum exhibentur. *Numer.* XXIII. 22. *Deuter.* XXXIX. 17. *Jud.* XXXIX. 9.

Rhode, seu Rosa, Christianæ puellæ nomen, quæ apud Mariam, Joannis Marci matrem versabatur. Domi fores pulsante Petro, accurrit Rhode, auditaque Petri voce, quem in carcere detentum putabat, ea se lætitia perfusam sensit, ut eos, qui eodem convenerant, de re certiores facturа properaret, quin de janua Petro aperienda cogitaret: *Pulsante eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode, & ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro cur-*

currens, nuntiavit stare Petrum ante januam. Eam, qui aderant, somniare putatunt, nec ante ejus dictis fidem addere potuerunt, quam Petrus ingressus esset. Id unum sacra Scriptura de hac Rhode commemorat. *Acta Apost. c.* XII. 13.

Rhodus, Ægæi maris insula, & Urbs magni nominis, ita dicta a rosarum pulcritudine, quæ ibidem nascuntur. Eam S. Paulus pertransiit: *Recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum*. Clara erat Urbs hæc æneo Colosso, centum & quinque pedes alto, uno e septem Mundi prodigiis, cujus ad portus aditum crura Arcum efficiebant, sub quo Naves facile prætergredi poterant. Statua hæc adeo magnifica erat, ut justæ molis homo manus pollicem complecti non posset. Trecentis talentis, & annorum duodecim opera constitit. Post annos non amplius quinquaginta sex terræmotus vi corruit. Ptolomæi Evergetis, Ægypti Regis tempore, sub annum Mundi 3758. Saraceni penitus eam fregere, Constantino imperante; atque ex ejus fragmentis nonaginta Camelos onerarunt. Interpretes Septuaginta, legentes *Rhodanim*, pro *Dodanim*, inter filios Javan Rhodianos ponunt. Eosdem filios Javan in Rhodum Insulam incolas intulisse nonnulli putant. Alii, *Rhodanim* suscipientes, contendunt, hac voce Rhodios significari non posse, quippe qui recentiores sint, quam ut ab aliquo filiorum Javan originem duxerint; sed potius hoc loco Mosem designare voluisse Galliæ populos, eam Regionem incolentes, ad quam Rhodanus, haud Massilia procul, se in mare Mediterraneum exonerat. *Actor.* XXI.

Rhodocus, *rosarum currus*, proditoris nomen, e Judæ Machabæi militibus, qui ad Syri Regis exercitum perrexit, suorum consilia Antiocho Eupatori detecturus: *Enuntiavit mysteria hostibus Rhodocus quidam*. Detectus tandem fuit, punitusque pro merito. II. *Machab. cap.* XIII. 21.

Rhomphea, Græcum nomen, quod magnum, longumque ensem significat: *Quam gloriam adeptus est in tollendo manus ferreas, & jactando contra Civitatem Rhomphæam*. Sumitur ad severam punitionem, ad insignem vindictam significandam: *Qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad Rhomphæam*: eum Deus in gravem vindictam reservat, qui a justitia deficiens, in peccatum ruit. *Eccles. cap.* XXI. *Apoc. cap.* II.

Risus ad plura, & varia spectat animi sensa; est enim externum signum, quo lætitia, contemptus, irrisio, admiratio, denique securitas exhibetur: *sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*. Scilicet spinæ in ignem conjectæ obstrepunt, quin calefaciant; eadem inepti, absonique risus est ratio, qui nempe omnino non prodest. Risus Abrahæ, cum Deus ei filium promisit, fuit ejus grati animi, singularisque lætitiæ effusio quædam: *cecidit Abraham in faciem suam, & risit*. Non eodem modo risit Sara: *Quo audito Sara risit*; eam enim increpuit Angelus; quod ipsa negare volens, ostendit, ex diffidentia se risisse.

Roboam, *platea populi*, Salomonis, & Naamæ Ammonitidis Matronæ filius, cum ætatis annum quadragesimum primum ageret, Patri successit an. Mundi 3029. Post hujus Principis mortem, in Urbem Sichem se contulit, quo universus Israel convenerat, ut eum Regem crearet; eodemque tempore Jeroboam, qui se in Ægyptum receperat, ut Salomonis justitiam vitaret, universo comitante populo, Roboamum adiit, rogaturus, ut a gravissimis tributis, quæ pater imposuerat, subditos liberaret. Triduum petiit Rex, ut responsum daret; illudque temporis spatium in consilium impendit. Seniores primum consuluit, qui Salomoni a consiliis fuerant, qui rerum publicarum rationem, populique ingenium non ignorantes, auctores fuerunt, ut suavi quidem, sed parum utili sermone postulatis annueret: *Petitioni eorum cesseris, locutusque fueris verba lenia ad eos, erunt tibi servi cunctis diebus*. At ejus cogitatis non respondente consilio, Adolescentes adhibuit, quibuscum altus, educatusque fuerat; qui temeritatis impetu abrepti, prætexentes Regiam auctoritatem propugnari oportere, nec posse Regem sine periculo tumultuanti multitudini morem gerere, consilium dedere, ut non sine duris verbis prorsusque intolerandis minis postulata respue-

pueret: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei; & nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos Scorpionibus.* Roboam porro, iique, quorum sententiam secutus est, tam gravi, atque arroganti responso satis significarunt, se supremæ potestaris nec vim, nec justos limites cogitatione complecti. Nempe qui ejus Depositarii sunt, eam a Deo non alia de causa acceperunt, quam ut subditorum suorum felicitati prospicerent, non ut eos libertate spoliarent. Doceantur exemplo Roboam, populorum amore nil satius ad solium esse, Principem ita semper comparatum esse debere, ut subditorum querimoniis faciles aures præbeat, eorumque miseriam elevet; violenta consilia periculo non carere, ac si poplorum patientiam ad extrema redegeris, nihil non in discrimen adduci. Hujus rei luctuosum specimen Salomonis filius exhibuit. Jeroboam, omnique populo triduo post reversis Rex ab adolescentibus propositum responsum dedit. Nullam eorum postulati rationem habuit; Deus enim, qui volebat id exequi, quod per Ahiam Silæum dixerat, se Tribus decem Salomonis filio adempturum, quas Jeroboamo tribuerer, ab eo recesserat. Id ut perficiat, Principem patitur perniciosum consilium amplecti, cujus duritie subditorum animi ad excutiendum jugum extimulantur, quasique communis tumultus facilem Jeroboamo viam ad solium sternit. Tribus enim decem, a Davidis familia deficientes, & ad Jeroboamum accedentes, Divinum consilium perfecerunt, ut nempe Principis posteri, qui a Deo defecerant, reprimerentur; quod sane contigit, duobus tantum Tribubus Roboamo remanentibus, Juda, & Beniamin. Ergo Aduram vectigalium exactore, quem ad perduelles revocandos miserat, lapidibus obruto, exterritus Roboam currum conscendit, & Hierosolymam fugit; quo cum pervenisset, duabus coactis Tribubus, quæ ab eo steterant, armatisque hominibus 180000. ad Israeliticum populum oppugnandum, & in ordinem redigendum se contulit. At ei Propheta Semejas se stitit Dei nomine, duasque Tribus prohibuit, ne in fratres suos dimicarent; eorum quippe segregationem, & in onum regiminis quasi corpus Jeroboamo duce, conspirationem, Dei jussu, contigisse, omnemque hominum conatum inutilem fore: *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israel; revertatur vir in domum suam; a me enim factum est verbum hoc.* Dei verbis audiris, in Jeroboam progredi audente nomine, suam quisque domum redire. Ita Regnum Israel in duo sectum, Jeroboam in Urbe Sichem Tribubus decem, Roboam Hierosolymis, tantummodo Tribubus duabus, Juda & Beniamin imperantibus. At Roboam eo studium, & operam contulit, ut contra hostium impetum Regnum muniret. Multas suæ ditionis Urbes mænibus cinxit, iisque Præsides dedit, arma, & annonam suppeditavit. Auctum etiam subditorum numerum vidit non sine Sacerdotum, ac Levitarum copia, qui ob Jeroboami idololatriam in Israelitico Regno sacra munia obire prohibiti, in Judaicam regionem se receperunt, ut in Hierosolymitano Templo Deo deservirent, & se veræ Ecclesiæ, in qua legitimum ministerium erat, redintegrarent. Et quicumque veræ Religioni addicti erant, neque omnino Tribuum decem schismatis participes fuerant, magnanimo capto consilio, bona, & domicilia, secundum Legis præcepta, Divino servitio devoverunt. Triennium Dominicis viis Roboam institit; at se tuto solium tenere videos, sibique nihil amplius timendum ratus, a Lege defecit, ejusque depravationem dociliores subditi secuti sunt, eo non minus in idololatriam, & morum pravitatem effusi, ut brevi temporis spatio Regnum Juda insignium flagitiorum theatrum evaderet, quibus ab Israelitarum aditu in Terram Chanaam graviora nunquam extiterant. Ea Deus inique ferens, ut sceleltos homines eorum pœnis afficeret, quorum impietatem imitabantur, in Judæam accito Sesac Ægypti Regi in mandatis dedit, ut sue in Roboam, ejusque populum vindictæ minister esset. Ergo Princeps hic innumero stipatus exercitu Regionem ingressus vastavit, ejusque arces omnes brevi occupavit. Hierosolyma, in quam se

Rex

Rex cum Aulicorum præcipuis receperat, jam inibi erat, ut obsideretur; & ne quid iis spei superesset, a *Deo* missus Propheta Semejas edixit, eos, qui Deum deseruissent, jam a Deo ipso in Regis Sesac potestatem tradi. Judæi comminatione permoti, se Dei dexteræ subdiderunt, ejusque judiciorum justitiam professi sunt. Itaque placatus Deus justi decreti severitatem remisit; eos nempe hostili furori subduxit. Sed ut intelligerent, inter Dei, hominumque servitium, quantum discriminis interesset, eos Regis Sesac imperio subesse voluit: *Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii...... verumtamen servient ei, ut sciant differentiam servitutis meæ, & servitutis Regni terrarum*. Hierosolymis igitur recessit Sesac, cum thesauros tum in Domini Templo, tum in Regiis ædibus positos diripuisset. Dei beneficiis ingratus Roboam haud destitit male agere, & cum septemdecim regnasset annos, e vita migravit, Regni successore Ahia relicto, filiorum uno, quos ex Maacha, Absalonis filia susceperat. Ea fuit Roboam Regis impietas, ut ab ipso Spiritu Sancto vituperaretur, qui Salomonis patris occasione ita in Ecclesiastico de eo loquitur: *Reliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutum a prudentia Roboam, qui evertit gentem consilio suo*. III. *Reg. cap.* XV. II. *Paralip.* XIII.

Rogel, *pes*, fons Rogel, seu purgatoris, Hierosolymæ proximus, ad radices montis Sion, idem est, ac fons Siloe. Hic se Summi Pontificis Sadoc filii celarunt, quo possent Davidem de omnibus certiorem facere, quæ Hierosolymæ futura essent, cum in eam Absalon pedem intulisset: *Jonathas autem, & Achimaas stabant juxta fontem Rogel*. III. *Reg. cap.* XIII. II. *Esdr. cap.* II.

Rogelim, *pedes*, loci nomen in regione Galaad, ultra Jordanem, e quo Berzellai, Davidis amicus: *Berzellai Galadites de Rogelim*. II. *Reg. cap.* XII. 27.

Rogommelech, & Sarasar erant Judæorum proceres, qui ultra Euphratem degebant. Hi Hierosolymam Legatos miserunt, qui a Sacerdotibus, & Prophetis quærerent, sibine jejunandum esset anni Sancti mense quinto, in memoriam excidii, & incendii Templi, quod flammis a Chaldæis addictum fuerat: *Et miserunt ad domum Dei Serasar, & Rogommelech, & viri, qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini*. Zacharias Propheta Legatis respondit, haud sollicitum Deum esse de eorum jejuniis, quæ cum justitia, & charitate conjuncta non erant: *Judicium verum judicate, & misericordiam, & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo*. At directe non respondit eorum quæstioni de mensis quinti jejunio, quod etiamnum Judæi servant. Zachar. VII. 2.

Rohob, *latitudo*, Urbs Tribus Aser, Levitis e familia Gerson in domicilium tradita, in Syria ad viam Emath sita erat: *Exploraverunt terram a Deserto Sin usque Rohob intrantibus Emath*. Idem nomen erat patri Adarezer Regis *Soba*. *Jos.* XIX. II. *Reg. cap.* VIII.

Rohobia, *platea Domini*, primus e filiis Eliezer, & nepos Mosis: *Fuerunt autem filii* Eliezer, Rohobia primus. I. *Paralip.* XXIII. 17.

Rohoboth, *platea publica*, Urbs ad Euphratem sita, e qua Saul, Idumæorum Rex: *Regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth*. Saul, qui erat e regione fluminis Rohoboth, seu ex Urbe Rohoboth ad flumen posita (Euphrates per excellentiam flumen dicitur, ob magnitudinem scilicet). Hanc nonnulli putant Urbem esse, quam Assur una cum Ninive ædificavit: *Ædificavit Ninivem, & plateas Civitatis*; in Hebraico textu, *Rohoboth Urbem*. *Genes.* XXXVI. I. *Paralip.* I.

Roma, *elevata*, concubina, seu secundi ordini conjux Nachor, fratris Abrahæ, quæ mater fuit Tebee, Gaham, Tahas, & Maacha: *Concubina illius, nomine Roma, peperit* Tobee. *Genes.* XXII. 24.

Roma, *Urbs in Historia notissima, longeque clarissima, cujus proinde visum hoc loco ab ejus conditione ad hoc usque tempus compendiosam descriptionem afferre. Ei nomen a Romulo, qui ejus fundamenta jecit ad Tiberim an. Mundi* 3301. *Initio quidem erat ambitu perexiguo; at in eam deinde amplitudinem excrevit, ut jam montes septem ejus mœnibus inclusi numerarentur, scilicet*, Palatinus, Capitolinus, Aventinus,

nus, Cælius, Esquilinus, Viminalis, & Quirinalis. *Præter ejus circuitus magnitudinem, quæ in præsentia quidem septendecim, aut octodecim passuum millia complectitur, cum* Tarquinii superbi *tempore ad quinquaginta protenderetur, magnificæ ædes erant, & splendidae ornatæ, egregia, & opulentissime apparata Templa, affabre, apteque constructa ædificia, rectæ, incolisque refertæ viæ, aptæ munitiones, externa quæque oculos alliciebant; Urbis amplitudini respondentes portæ, quæ Romuli ætate quatuor erant, hodie octodecim recensentur, occurrunt ad vias aquaductus, per quos aquæ in Urbis balnea, quæ* Thermæ *dicebantur, & in Fontes ad publicum usum inferebantur. Ea denique pulcritudine erat Urbs, ut, quicquid in universo terrarum Orbe singulare, & ad curiositatem accommodatum est, Natura ipsa peculiari quodam studio in eam unam conferre voluisse videretur; ut proinde Roma Mundi prodigium, seu potius novus Mundus apud Veteres habita fuerit:* Novus Orbis in Orbe.

Haud facile intellectu fuerit, quam accurate Romæ Religio, falsa ea quidem, & Leges custodirentur. In ea florebant scientiæ omnes, atque adeo eminebant. Perhonorifice, & eleganter excultæ artes, ea vero imprimis militaris disciplinæ ratio, quam cætera Nationes assequi minime poterant. Longius, ac sane molestum esset, hoc loco singulos commemorare, qui inter Romanos, Cives ingenii, solertiæ, prudentiæ, probitatis, bellicæ virtutis laude præstiterunt. Id unum in eorum commendationem universim dicam, eos religiosissimos, acerrimosque Legum custodes, prudentes, politos, honestos, beneficos, operarios aptissimos, perfectos Artifices, fortes, animosos, incorruptos, belli peritissimos fuisse; quin audeo dicere, complures his omnibus animi dotibus præditos extitisse.

Fuere Romæ Reges septem, qui eam per annos 221. *seu* 222. *administrarunt;* Romulus, *omnium primus, & Urbis conditor,* Numa Pompilius, Tullus Ostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Senior, Servius Tullius, & Tarquinius Superbus. *Postremi crudelitas, quæ ad estrema devenerat, ad excutiendum Monarchiæ jugum Romanos impulit.*

Ab ejus filio sexto Tarquinio castæ Lucretiæ illata vis satis justam causam præbere visa est, quæ eorum facinus honestaret. Petiere sibi jus, rationesque, & querimonias non audientem patrem, vi facta, turpiter expulerunt; ajebant enim, Regem, qui cum virtutis contemptu, vitium, & infamiam foveret, & ad triumphum eveheret, indignum esse, qui iis imperaret.

Ut a crudeli Tyranno se liberos senserunt, nihil aliud cogitarunt, quam ut libertatem servarent, & ne in grave aliquod imperium inciderent, ex Regno Rempublicam effecerunt, cujus administrationem Consulibus duobus, & regimen demandarunt. Quoniam vero insignes hi Viri duo (tametsi rerum peritia, & experientia cæteros antecellerent) universæ Reipublicæ curandis negotiis impares erant, imperio in dies succrescente, minores alii plures Magistratus in subsidium creati, & peculiaria singulis addicta munia. Ejusmodi erant Prætores, Tribuni, Quæstores, Ædiles, Censores, Præfecti, Centuriones, *aliique multi. Cum sustinendum, aut indicendum difficilis, vique pollentibus hostibus bellum esset, Dictator eligebatur, suprema potestate eidem collata, quæ cum dignitate ipsa non amplius vigebat, quam Reipublicæ necessitas postulasset. Quotannis novi Consules, novique Magistratus cæteri creabantur.*

Omnium florentissima Romana Respublica fuit; ejus fines erant Mundi partes omnino quatuor, in quas frequentes colonias mittebat, ut eas incolis cumularet, sibique subderet. Ubique terrarum personabat ejus armorum strepitus, eaque, ut ita dicam, se Universi dominam esse sentiebat. Omnes denique Nationes singulari gloriæ ducebant ejus se Legibus subdere, & Religionem sectari.

Hic amplitudinis gradus Romæ constitit ad annum usque ab ea condita 708. *vel* 709. *quo tempore a Magno Pompejo, & Cæsare divisa fuit. Illustres hi Viri duo, æque ducti ambitione, & gloriæ studio, quam amici fuerant, tam pertinaces hostes evaserunt. Cæsar Pompejum, se absente, in Consulatu sibi prælatum ægre ferens, ac se adactum ratus, ut injuriam ulcisceretur, armis rationem petiit.*

Sane haud multo post perceptum odium exerens, neque animo reputans, quis consilium

lium maneret exitus, Gallias deserit, & Romam redit, exercitum, cui preerat, secum trahens. Pompejus de ejus progressu, & consilio certior factus, milites legit, factionem struit, nihilque non agit, ut sibi caveat. Indictum ergo cruentum, & civile bellum; filius a patre recedit, a filio pater; vota quisque fundit in ejus gratiam, cujus signa sequitur. Nemo non felix aut, funestum momentum expectat, quod extremum litigium dirimat. Is tandem infaustus dies advenit, quo Pompejus in Pharsalico prelio fusus, profligatusque, se cum asseclis fuge dare coactus fuit, & hosti terga vertere, qui sibi victorię fructu gaudendi occasionem elabi passus non est.

Victor Cęsar, jamque unus Romę, ejusque virium dominus se primo Dictatorem, tum Romanorum Imperatorem renuntiatum voluit; at ei non diu suprema hac dignitate frui licuit; eum quippe Brutus prodidit, declaratus ab ipso filius, & successor in Senatu die 13. *Martii, an.* 710. *ab Urbe condita.*

Romani post hujus Tyranni mortem (ita enim vocabant) non proinde libertatem recuperarunt. Auguftus, Marcus Antonius, & Lepidus *de hac suprema dignitate diu contenderunt; quam tandem adjudicavit* Augufto *victoria, quam ex Antonio retulit in Actiaco praelio, in quo Marcus Antonius ipse sibi mortem conscivit, ne in Æmuli manus incideret, qui totius Universi tranquillus possessor evasit.*

Porro tantum absfuit, ut Imperator hic sua potestate uteretur, & ex iis, qui Antecaium secuti fuerant, vindictam sumeret, ut potius nemini non se benevolum, & beneficum exhiberet; quod ei Augufti *titulum comparavit. Quamvis tamen ut privatus potius, quam ut Princeps regnaret, ejus absolutum, monarchicumque dominium nequaquam Romanis placebat, quos libertate jam spoliatos ad turpe servitium redegit Imperatorum Regimen, qui ad annum usque Ærę nostrę* Christianę 475. *Romę regnarunt.*

Haud is equidem sum, qui varias, & absonas vicissitudines referam, quę horum Principum tyrannicam administrationem, vel, ut melius dicam, arbitrium, ac temeritatem consecutę sunt. Quis accurate calamitates recenseat, quas Romanus populus ab amissa libertate, atque amplitudine perpessus est ad Conftantinum *usque, qui Constantinopolim sedem transtulit? Id unum dicam, haud ita multo post, quam pius Imperator hic ex Italia egressus fuerat, Romanum Imperium, quod universum terrarum Orbem suis legibus, suęque potestati subdiderat, prędam, ac theatrum miserum evasisse barbarorum plurium populorum crudelitatis, qui eo potiti, vastatum, & a fundamentis eversum inter se partiti sunt. Hoc extitit infelix fatum ejus insignis Urbis, quæ in se unam omnium admirationem trahebat.*

Deplorandam Romæ conditionem reputans quisque ejus omnem memoriam prorsus extinctam, & nomen oblivione penitus obrutum dixerit. At tantum abest, ut a pristino splendore exciderit, ut contra ad novam in dies amplitudinem progredi videatur, qua multo, quam antea, gloriosior fiat.

Ea sane alias id honoris obtinuit, ut universi, quam late patet, terrarum Orbis caput esset; at in præsentia id ei gloriæ conceditur, ut Magistra, primumque fundamentum Christianæ Ecclesiæ sit; ac si olim ex antiquissimis, splendidissimis, ditissimis, & potentissimis terrarum Urbibus habita fuit, hoc jam tempore omnium Christiani Orbis Urbium Sanctissima habetur; utpote quæ insignita fuerit duorum inter Apostolos Principum, S. Petri, & S. Pauli *martyrio, multorumque invictorum Martyrum sanguine, qui ibidem vitam dederunt, ut Catholicam Fidem assererent:* Sancta eft Sanctorum pretiofo fanguine Roma. *Uno verbo, si Roma quondam fere Imperatorum sedes extitit, in præsens Christi Domini Vicarios ostentat; quo titulo haud sane minus quam veteri gloriatur.*

Necessarium duco tantisper hoc loco digredi in Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiam, quam S. Petrus ipse ex Urbe Antiochia Romam transtulit, ejusque institutionem adversus Calvinistas ostendere, qui contra stare non dubitant, & per inepta, ac præpostere opinionis portentum, adeo glorioso titulo hanc Urbem spoliare contendunt. Equidem memini, me super hac re in Adnotationibus ad Articulum Petrus *argumenta multa attulisse; non possum tamen, quin hoc loco vetu-*

tuftissima, *eademque gravissima monumenta producam*, *quibus os pertinacibus Adversariis penitus obstruam*.

Monumentum primum duco ex Historico Ægesippo, *Apostolorum contemporaneo*. *En hujus fidelis Scriptoris verba lib.* III. *de Hierosolymæ excidio cap.* II. Hoc ipso tempore, *inquit*, Petrus, & Paulus Romæ versabantur; erant autem hi duo sancti Viri Christianorum capita. *Et eodem capite S. Petri cum Simone Mago contentionem describens*: Petrus, *inquit*, Romam rediit, ubi *Christianæ Religionis Persecutorum jussu*, *ad Crucem vinctus fuit*.

Monumentum alterum nobis suppeditat S. Clemens I. *in sua prima Epistola ad S. Jacobum fratrem Domini*, *in qua S. Petrum refert charitate vere Christiana pro hominum salute permotum*, *cum in Provinciis bene multis Evangelium nuntiasset*, *Romam se contulisse titulo Pastoris universalis Gregis Christi Domini*, *& in hac insigni Urbe cum esset*, *ea*, *quæ singularem ejus sollicitudinem decebat*, *alacritate publice Evangelium Idololatris inspirasse*. *Subdit idem Auctor*, *S. Petrum de proxima morte certum*, *coactos Fideles his verbis allocutum esse*, *quæ ipsa refero*, *ut eorum sensus*, *visque constet*: Audite me, Fratres, & conservi mei, quoniam, ut edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino, & Magistro meo Jesu Christo, dies mortis meæ instat; Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis doctrinam, & Cathedram trado, a Domino mihi traditam potestatem ligandi, atque solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris, hoc decretum sit & in Cælis &c.

Si minus his testimoniis se Calvinistæ *convictos fatentur*, *legant*, *si lubet*, S. Dionysium Areopagitam *in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap.* VII. *par.* III. Tertullianum *adversus Hæreticos*, *& in lib. contra Marcionem*, S. Cyprianum *in ipso exordio Tractatus de Episcoporum simplicitate*, Eusebium *Cæsariensem lib.* II. *Hist. Eccles. cap.* XIV. *aliosque non paucos*.

Romani, Romæ Urbis Incolæ: *Venient Romani*, *& tollent locum nostrum*, *& Regnum*. De Romanis in Machabæorum libris sermo est tamquam de potenti populo, qui nominis sui famam per universum terrarum Orbem diffuderat, suoque imperio omnes terrarum Reges subdiderat, quos pro arbitratu a solio dejiciebat, & ad solium evehebat. Hæc Romanorum existimatio Judam Machabæum impulit, ut Legatos duos Romam mitteret, quorum opera cum iis fædus iniret, eorumque oopem imploraret adversus Assyrios, qui Judæos opprimere, eorumdemque Religionem evertere nitebantur. Legati humaniter, & honorifice Romæ excepti; istumque inter utrumque populum fædus, quo mutuum in hostes subsidium promittebatur. Aliquanto post Jonathas, Judæ frater, fædus hoc renovavit, & Junathæ successor Simon ejusdem confirmationem a Senatu obtinuit. Romani Hierosolymam ter cepere, bis ante Christum natum, postremo, imperante Tito, qui funditus Urbem, ac Templum evertit. *Romanorum* nomen significat etiam in sacris Litteris Romanarum Coloniarum Cives: *Annuntiant morem*, *quem non licet nobis suscipere*, *neo facere*, *cum simus Romani*. Sumitur quoque pro Romano Cive, qui Romanæ Civitatis jus acquisivit: *Timuerunt auditio*, *quod Romani essent*: S. Paulus Tarsis natus erat, in Urbe scilicet municipali, quæ Romanæ Civitatis jure gaudebat.

Epistola S. Pauli ad Romanos.

Epistola hæc cæteris omnibus ab Apostolo scriptis præit, non jam temporis ordine, sed ob Romanæ Ecclesiæ dignitatem, ad quam missa est, vel ob rei magnitudinem, ac sublimitatem, de qua in eadem agitur. S. Pauli in hac Epistola is finis est, ut quibusdam disputationibus, Judæos inter Ethnicosque, ad Fidem conversos coortis finem imponat. Judæi tum natalibus, tum, quæ eorum Majoribus facta fuerant, promissis intumescentes contendebant, Legem sibi tantum datam fuisse, Messiam non nisi in ipsorum gratiam venisse, Ethnicos autem ex mera solum gratia in Fidelium societatem receptos esse. Ethnici contra, Judæorum exprobrationibus exacerbati, Sapientum, & Philosophorum meritum extollebant, suæ moralis doctrinæ puritatem, & in naturalis Legis custodia incorruptam fidem jactabant. Eodem tempore in Deum perfidiæ, rejecti-

que, & in crucem acti Messiæ Judæos accusabant, meritoque proinde factum ajebant, ut, exclusis ipsis, ad fidem Ethnici vocarentur. S. Paulus, ut hoc litigium dirimat, eo primum intendit animum, ut utrisque proprii meriti ostentationem adimat. Ethnicis quidem silentium indicit, Philosophorum, quibus gloriabantur, cæcitate, & impietate proposita; Judæos autem pudore suffundit, ostendens eos id facere, quod in Ethnicis ipsis damnabant. Utrisque demonstrat, cum neutris meriti quicquam suppetat, nihil esse, quod vocatione glorientur, quæ pura putaque Dei gratia est. Ostendit exemplo Abrahæ, neminem justum fieri, quod Judæi contendebant, ex Legis operibus gratia destitutis; sed unumquemque justum evadere per fidem in Jesum Christum, quam charitas excitet, & bona opera comitentur. Profundam quæstionem explicat de vocatione gratuita, de Judæorum, Ethnicorumque incredulorum reprobatione; & cum Fidei Dogmatis morum conformationem conjungens, Christianæ vitæ, ac pietatis omnia principia, & officia statuit. Scripta fuit hæc Epistola an. Christi 58. Corinthi, qua ex Urbe S. Paulus illico discessurus erat, ut Fidelium eleemosynas Hierosolymam perferret. Eam Tertius græce scripsit, & Phæbæ, quæ Cencrensis Ecclesiæ Diaconissa erat, ejus Romam afferendæ munus demandatum fuit.

Romelius, *elevatio Domini*, pater Phacee, Regis Israel. IV. *Reg*. xv. 25.

Ros, *caput*, filius Beniamin. *Genes*. vi. 21.

Ros, tenuis imber qui mane in terram decidit, quique nocturnę frigiditati, humiditatisque causa est. In Palæstina copiosissimus in deficientis pluviæ locum sufficitur: *Sicut nubes roris in die messis*. Sumitur hæc vox pro manna, quod manna erat rori simile: *Mane ros jacuit per circuitum castrorum*; scilicet manna ipsum. Significat ubertatem: *Operiemus eum, sicut solet ros cadere super terram*: noster eum numerus opprimet, ut cum ros in terram decidit. *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*: per Cœli rorem, & terræ fœcunditatem producat Deus rerum omnium abundantiam, quibus ad vitam opus est.

Rota, macchina, quæ in in curru in orbem vertitur: *Rotæ ejus quasi impetus tempestatis*: ejus curruum rotæ, æque ac tempestates, rapidæ sunt. Isaias de Chaldæis loquitur, Judæam invasuris. Rotæ currus Domini, quem vidit Ezechiel, inusitatæ magnitudinis erant, magnumque splendorem emittebant; vivæ erant, & animatæ: *Spiritus vitæ erat in rotis*; injectæque invicem videbantur: *Et opus earum, quasi sit rota in medio rotæ*. Spiritus Sanctus harum rotarum imagine ostendit, quemadmodum minores creatæ res a sanctis Dei Ministris ad nutum pendere debeant, a quibus eo motu imbuuntur, quem ipsi a Divino Spiritu, qui eos animat, acceperunt. *Rota* etiam significat eam currus rotam, quæ terendis granis inservit: *Nec rota plaustri super cuminum circuibit*; per allegoriam hanc Isaias Deum non perinde imbecilles, ac robustos habiturum significat. Nomen hoc denique *cursum*, *vicissitudinem* innuit. Inflammat ejus vita totum vitæ nostræ cursum: *inflammat rota nativitatis nostræ*; nempe nostræ vitæ cursus rotæ in orbem actæ rapiditatem exæquat.

Ruben, *filius visionis*, Jacob, & Liæ primogenitus filius, natus est an. Mundi 2246. *Vocavit nomen ejus Ruben, dicens: vidit Dominus humilitatem meam*. Dum Jacob in Terra Chanaan apud gregis turtim moraretur, Ruben ejus thalamum polluit, abusus Bala, ejus concubina; atque ob hoc horrendum facinus, in adeo sancti patris domo commissum, dignus fuit, qui maledictione perculsus, primogenituræ jus amitteret. Filii Jacob, in gregis custodia Dothain occupati, Joseph fratrum minimum advenientem conspicati, interficere statuerunt. Ruben, miseratione permotus, a consilio fratres abduxit, iisque persuasit, ut eum potius in cisternam conjicerent; habebat autem in animo, clam eum extrahere, ac patri reddere. At cum recessisset, Madianitarum Mercatorum caterva illac transeunte, fratribus Judas proposuit, ut Joseph iisdem venderent, & venditio, antequam Ruben rediret, executioni mandata est. Josephum in cisterna haud nactus Ruben vestes conscidit, acerbissimo dolore correptus. At fratres

Mer-

Mercatoribus in Ægyptum proficiſcentibus a ſe venditum Joſeph ajentes ejus animum tranquillarunt. Jacob moriturus, filiorum primogenitum Ruben alloquens, ei delictum exprobravit, & futurum dixit, ut, quia paternum torum fœdaverat, nequaquam ejus auctoritas augeretur: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio, effuſus eſt ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui & maculaſti ſtratum ejus*. Tribus Ruben imprecationis hujus conſecutiones experta eſt; nec magni unquam habita, nec frequens in Iſraël fuit. Ei pars obtigit ultra Jordanem, inter torrentes Arnon, Montes Galaad, & Jordanem ipſum. *Geneſ. cap.* xxxv. *Levit. c.* xviii.

Rufus, Simonis Cyrenæi filius, cujus, utpote dubio procul inter primos Chriſtianos celebris ſacræ Litteræ expreſſam mentionem faciunt: *Angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum, patrem Alexandri, & Rufi*. Nihil autem prohibet, quominus hic ipſe Rufus fuerit, de quo S. Paulus in Epiſtola ad Romanos loquitur: *Salutate Rufum electum in Domino. Marc. c.* xv.

Rutha, genus herbæ, quæ gratum odorem emittit. Chriſtus Dominus Phariſæos increpat, qui, ut ſe cæterorum religioſiſſimos exhiberent, ſtudebant decimam ſolvere menthæ, ac ruthæ, quæ in eorum hortis naſcebantur, quæque proinde decimæ ſtricto jure non ſuberant: *Decimatis mentham, & rutham*. Chriſtus Dominus non hanc religioſiorem ſollicitudinem arguit, quæ ſane nihil mali conjunctum habebat, ſed Phariſæos notat, qui, cum eas ineptias ſervarent, legis tamen graviora præcepta negligebant: *Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Luc. c.* xi. 42.

Ruth, *ſocia*, Moabitis Fœmina, quæ nupſit Mahalon, uni filiorum Noemi, & Elimelech, cujus filius alter Chelion Orpham, ſororem Ruth, conjugem duxit. Pro certo ponitur, Noemi non ignorantem matrimonia cum Idololatris vetita a Deo eſſe, jam detexiſſe, puellas ita eſſe animos comparatas, ut filii poſtulabant, antequam in nuptias conſentirent, eamque nunquam iis matrimoniis aſſenſuram fuiſſe, niſi Ruth, & Orpha ſe ab idololatria receſſuras promiſiſſent. Ut ut ſe res habuerit, cum Noemi, utroque filio morte ſublato, in patriam redire vellet, eam Nurus ambæ ſequi voluerunt, patriæ, quoad viverent, vale dicto, ut in eam unam regionem contenderent, in qua verus Deus colebatur. Verum in ipſo itinere, Noemi, ut earum animi periculum faceret, exploraretque, an earumdem cogitata conſtarent, ſignificavit, ſe non eam eſſe, quæ ſatis iis ſua in regione proſpicere poſſet, hortata proinde, ut ad parentes redirent, a quibus novos ſponſos reciperent. At illæ, his auditis, conclamarunt, & Socrui teſtatæ ſunt, eam ſe ſubſequi velle, ut cum ipſa, ipſiusque populo vitam agerent. Sed ad novum, & quidem vehementius experimentum, Orpha, utili, glorioſaque ſocietate poſthabita, quam cum Dei populo inierat, Socrum amplexa, domum rediit; Ruth vero in firma voluntate perſiſtens, ne veram Religionem defereret, addixit ſe Noemi, quin eam derelinquere vellet: *Ruth adhæſit Socrui ſuæ*. Cum Bethlehem perveniſſent, Noemi ſe ad extremam paupertatem redactam vidit; itaque coacta Ruth ad ſpicilegium edendum pergere, quo ſuæ ipſius, & Socrus vitæ conſuleret. Contigit porro, ut ager, in quo ſpicilegium edebat, ad Booz, virum ditiſſimum, & Elimelech conſanguineum ſpectaret. Is ad videndam meſſem profectus, conſpicatuſque Ruth, in qua ſuæ charitatis exerendæ occaſionem ſibi a Deo oblatam credidit, eo ſtudium ſuum contulit, ut eam retineret. Eam præveniens ad edendum, & bibendum cum meſſoribus invitavit; iiſque edixit, ut de induſtria ſpicas poſt ſe relinquerent, quas illa colligeret. Ruth, tanti beneficii ratione perſpecta, Booz ipſi admodum verecunde gratias egit; & ſatis grani ſecum afferens reverſa veſpere Noemi retulit, quicquid acciderat, eique ſingularem Booz humanitatem ſignificavit, qui etiam hortatus erat, ne alio, quam in ejus agrum, ſpicilegii cauſa, ſe conferret. Noemi Deo benedixit, monuitque Ruth, Booz tibi ſanguine junctum eſſe; eamque hortata eſt, ut in eum agrum porro pergeret; quod illa

illa ad messis finem exequi non destitit. Tum vero Noemi, collocationis animo, id ei consilii dedit, quam posset, ditissimis ornata vestibus sequenti nocte Booz adiret, qui granum in area cribro subditurus erat, & ad ejus pedes accumberet. Consilium hoc, quod prima fronte videtur absonum, nihil tamen reprehensione dignum continet, neque arguendæ vel Noemi, quæ illud dederit, vel Ruth, quæ datum secuta fuerit. Utriusque nihil aliud obversabatur animo, quam castum matrimonium, a Lege præscriptum, quæ viduæ conjugi mandabat, ut vel cognato, vel ei nubens, quo nemo defuncto viro propinquior esset, viro ipsi defuncto posteritatem daret. Obsecuta Ruth, & locum conspicata, quo Booz cubitum ierat, ut probabile fit, sub aliqua sui prædii arbore, tacite accessit, & ad ejus se pedes posuit. Sub mediam noctem expergefactus forte Booz, haud levi cum admiratione quempiam ad ejus pedes accubantem sentiens: quid hominis es, inquit? *Ego*, respondit illa, *sum Ruth ancilla tua, extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es*. Quibus verbis ei significare volebat, se cupere ab eo conjugem duci pro Divinæ Legis præscripto. Eam probe intellexit Booz, recepitque, eam se ducturum, siquidem propinquior consanguineus, si quis compertus esset, nuptiarum juri cederet: *Nec abnuo*, inquit, *me propinquum, sed est alius me propinquior.... si te voluerit propinquitatis jure retinere, res bene acta est; sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam; vivit Dominus, dormi usque mane*. Ergo Ruth ad pedes Booz ad primum mane dormiit; tum vero surrexit reditura. Quamvis autem nihil inter eos esset, quod non pudoris regulis omnino congrueret, quia tamen non defuissent iniqui rerum æstimatores, quos ea facti species in suspicionem adduceret, Booz silentium ei commendavit: *Cave, ne quis noverit, quod huc veneris*. Ea ipsa die Booz ad Urbis portam se contulit, ubi cœtus habebantur, sumptisque Senioribus decem, eum vocavit in jus, qui Elimelech consanguineus omnium proximus erat, ut agrum emeret, qui ad eum spectabat, & consanguinitatis jure eam conjugem duceret, quam Mahalon ejus filius viduam reliquerat; qui ad agri usumfructum ex sua parte jus obtinens, in venditionem non consentiebat nisi ea lege, ut emptor cum Vidua matrimonium iniret. Subdidit Booz, eo renuente, se usurum jure, quod sibi per legem erat; primo quidem lex præcipiebat, ut defuncti frater Viduam duceret: *accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui*; deinde vero prohibebat, ne unius familiæ fundus in aliam deduceretur: *Ne commisceatur possessio filiorum Israel de Tribu in Tribum*. Hujus ergo posterioris sanctionis vi, ager Elimelech ab eo tantum possideri poterat, qui ex eadem familia esset, omniumque proximus in jure primus erat. Libenti quidem animo proximus assensus est, ut jure suo ad emptionem agri Elimelech uteretur; at cum conditio, quam Booz addebat, & obligatio, quam lex imponebat, haud ejus rebus congruerent, suo juri cessit: *Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor*; sibique calceum in suæ cessionis signum ademit. Tum vero Booz, consilium suum ad alias regulas exigens, abducto ab omnibus humanis rationibus animo, suas tantum obligationes perspexit, nec reputans, quid sua, vel posteritatis interesset, Seniores, & populum voluit testes esse, se cum Ruth Moabitide matrimonium inire, ut Defuncti nomen in hæreditate ad vitam revocaret. Booz ergo duxit Ruth, cui nuptæ concessit eam Deus gratiam, ut conciperet, ac filium in lucem ederet, qui dictus Obed: *Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen ejus Obed; hic est pater Isai, patris David*.

Liber Ruth, qui hujus sanctæ Fœminæ historiam continet, inter Judicum librum, & Regum primum, locum obtinet, quippe qui prioris continuatio, & ad posteriorem introductio est. Quo potissimum tempore contigerit historia hæc, distincte non constat. Est conjecturæ locus, caritatem, quæ Elimelech ad patriam deserendam impulit, a Deboræ ætate non abfuisse. Historiam porro, quod spectat, ea sane non nisi Davide regnante scripta fuit, cujus Auctor de eo loquitur ad libri calcem; quem probabile est ei coævum.

vum esse, qui primum Regum librum scripsit. Liber hic, stili ratione habita, inter eorum, quibus sacra Scriptura constat, pulcherrimos referri potest. Res gestæ, sententiæ, mores, omnia denique ad vivum, eaque simplicitate in eodem descripta sunt, ut legentis animus non commoveri non possit.

S

SAal, *qui petit*, Banoi filius, eorum unus, qui Esdræ tempore fœminas deseruerunt, quas contra Legis mandatum conjuges duxerant. I. *Esdr. c.* x. 29.

Saanamim, *commotiones*, Urbs, seu tenuis regio, in finibus Tribus Nephtali: *Cæpit terminus de Heleph*, *& Elon in Saanamim*. *Jos. c.* xix. 31.

Saaraim, *tempestas*, Urbs Tribus Juda, quæ deinde Tribui Simeon concessa fuit. I. *Paralip.* iv. 31.

Saba, *requies*. Vox hæc in sacra Scriptura distinctas quatuor personas significat, quarum duæ sunt e stirpe Cham, reliquæ duæ e stirpe Sem. I. Saba filius Chus, qui Sabæ Insulæ incolas dedit, quæ postea Meroes nomine nota fuit: *Filii Chus*, *Saba*, *& Hevila*. Ex eo prodiere Sabæi, de quibus Isaias loquitur: *Dedi propitiationem Ægyptum*, *Æthiopiam*, *& Sabam pro te*: Io tuam quasi redemptionem dedi regiones has. II. Filius Jecsan, nepos Abrahæ, cujus posteri ipsum Arabiæ Felicis aditum prope Nabathæos incoluerunt: *Jecsan quoque genuit Saba*, *& Dadan*. III. Saba filius Rhegmæ, & nepos Chus, qui hanc Arabiæ partem, felicem dictam, Sinui Persico proximam occupavit: *Filii Rhegma*, *Saba*, *& Dadam*. IV. Filius Jectan, nepos Heber, qui in Arabia felici ad Mare Rubrum & ipse ponitur. Saba pro universa Arabia felici sumitur: *Omnes de Saba venient*, *aurum*, *& thus deferentes*.

Hujus regionis Regina, cum audisset de Salomonis sapientia, se ipsa ad eum contulit, ut rei periculum faceret, e Salomonis ipsius ore veritatem perciperet, ei quæstiones proponeret, ab eo denique edoceretur: *Sed & Saba*, *audita fama Salomonis*, *in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus*, *& ingressa est Jerusalem multo cum comitatu*. Ergo Regina hæc Salomonem adiit, eique proposuit, quicquid in animo habebat. Ejus quæstionibus omnibus Rex satis fecit, propositasque difficultates solvit; & Reginam sapientiæ amplitudo, Aulæ magnificentia, rectus ordo, quibus omnibus famam ipsam minorem comperit, in summam admirationem traxerunt: *Non credebam*, inquit, *narrantibus mihi; donec ipsa veniens vidi oculis meis*, *& probavi*, *quod media pars mihi nuntiata non fuerit*: *major est sapientia in opera tua*, *quam rumor*, *quem audivi*. Itaque magnificis muneribus mutuo datis, acceptisque, ac persolutis omnibus urbanitatis officiis, in ditionem suam rediit. Reginæ hujus exemplo Divinus Servator in Evangelio contra Legis Doctores, & Pharisæos utitur, qui ejus verbis aures præbere nolebant. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista*, *& condemnabit eam*, *quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis*. Reginam hanc sparsus de Salomonis sapientia rumor ad longum iter suscipiendum impulit, ut verba audiret, quæ ex ejus ore prodibant; & Pharisæi, qui eum intuebantur, cujus umbra tantum, & figura Salomon fuerat, qui cum eo versabantur, qui ejus miraculorum oculati testes erant, quos ipse officiosissime præveniebat, in eo animum obfirmabant, ut ab eo pertinaces aures averterent. Variæ circumferuntur opiniones super regione, e qua Regina, de qua loquimur, venerit; sed eam potissimum alii in Arabia, alii in Æthiopia regnasse contendunt. Qui posterio-

riorem sententiam sequuntur, ajunt, Sabam esse vetus nomen Urbis Meroes, ita dictæ a Cambisis sorore, Insulam Meroen nonnunquam in Æthiopia collocari, eamdemque cum Palæstina collatam ad meridiem positam esse, denique Eunuchum a Philippo baptizatum Reginæ, quæ eidem regioni imperabat, ministrum fuisse. Qui vero eam ex Arabia deducunt, cum alia multa ad id ostendendum argumenta proferunt, tum auri, argenti, pretiosorumque lapillorum donis nituntur, quæ Regina ad Salomonem attulit, quæque facilius, copiosiusque in Arabia, quam in Insula Meroe reperiuntur. *Dedit ergo Regi centum talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas; non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.*

Sabacthani, Chaldaica, seu Syriaca vox, quæ significat, *dereliquisti me*. Christus in Cruce positus exclamavit: *Eloi, Eloi, lammasabacthani*: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? *

* *Hæc satis justa, & amoris plena Servatoris e Cruce pendentis, & jam jam morituri querimonia fuit, perinde ac si Æterno Patri dixisset: quid est, Pater mi, quod me scelestorum hominum furori tradis, & perpeti finis, quicquid acerbi, ac duri secum affert ignominiosa mors, quin de me, non dicam, liberando, sed vel minimo solatio afficiendo cogitare videaris, etsi filius tuus sim, in quo dulcissimas delicias tuas tum in tempore, tum in æternitate posuisti? Hæc derelictio est, de qua Christus queritur, quamque ante eum prophetico spiritu David expresserat in Psalmo* XXI. *ubi increpationes, & injurias omnes commemorat, quibus Judæi eumdem oppresserant.*

Servatoris ignominiis horrendum in modum a Propheta descriptis una deerat blasphemia, quam per summam impietatem Calvinus in hanc sanctissimam, Divinamque Majestatem evomere non est veritus, ea scilicet Christi verba, desperantis, Divinæque iræ omnino immolati hominis fuisse, qui Dei gratiam amiserat, & Inferni pœnas perpeti jam incipiebat; ut proinde Hæreticorum nequissimus asserere non dubitaverit, Divinum Magistrum, cum in horto Getsemani sanguinem, & aquam sudasset, eo demum redactum esse, ut damnatorum calicem exsorberet, eorumque pœnas ferret ad extremum vitæ spiritum, quem in Cruce *exhalavit.*

Hisne, quas impius Calvinus evomuit, magis exsecrandæ blasphemiæ proferri possunt, Dei nempe Filium se damnatum timuisse, gratia caruisse, denique reproborum pœnas perpessum esse? Impium hominem animadvertere necesse erat, ea occasione Humanitatem tantum cum Divinitate conquestam esse, quod hostium furori laxatis habenis, omnia sensibus accommodata solatia suspendisset. Quamobrem querimonia hæc non desperantis hominis est, sed potius filii, qui patri significat se immodicis doloribus angi, & expetere, ut quamprimum ab iis liberetur. Videtur præterea supplicii sui causam scire velle, quippe qui se nihil unquam egisse noverit, quamobrem Pater extrema asperitate in ipsum utatur, patiaturque hostes in ejus Divinam personam nullo non crudelitatis genere desævire.

Quod si Christus in hunc modum locutus est, nihil aliud sibi voluit, quam nonnullorum Hæreticorum, & Mahumedis blasphemias antevertere, qui eo temeritatis progressi sunt, ut dicerent, Christum nihil passum esse, ejus corpus phantasticum fuisse, & præstigiarum vi contigisse, ut reapse alius in ejus locum crucifigeretur. Verum allata Christi verba evidenter ostendunt, Christum vere suomet in corpore passum esse, & quamvis Dei Filius esset, non proinde tamen ab omnibus perferendis suppliciis, quibus homines ob patrata flagitia digni erant, immunem esse voluisse. Matth. XVII. Marc. XV.

Sabaim. Hoc nomine Sabæi veniunt originem ducentes a Saba filio Chus: *Sabaim viri sublimes ad te transibunt*: Homines hi procero corpore, omnes hi populi ad te venient, Israel. Horum Isaiæ verborum litteralis sensus ad Cyrum refertur, cui Propheta futurum prædicit, ut potentes homines ejus imperio subdantur; at mysticus sensus ad Gentium vocationem spectat.

Sabama, seu *Sebama*, *converso*, Urbs a posteris Ruben ædificata: *Filii vero Ruben ædificaverunt . . . . Nabo, & Baelmeon, versis nominibus, Sabama quoque*. Loquitur Isaias de hujus regionis vineis, quæ a Moa-

Moabitarum hostibus succisæ fuerunt. Moabitæ scilicet Sabamæ, aliarumque Urbium ad regionem Ruben spectantium potiti fuerant; at eos Teglatphalassar in captivitatem conjecit. *Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama Domini gentium exciderunt*. Urbs hæc ipsa *Sabam* dicitur in alio Sacræ Scripturæ loco. *Numer*. XXXII. *Jos*. XIII. *Isa*. XXV. *Jer*. XLVIII.

Sabaoth, *Exercitus*, *Jehovah Sabaoth*, Dominus Exercituum. Hinc Hebraicum vocabulum retinuit Vulgata Versio, septuaginta Interpretes imitata, qui nonnunquam eam reliquere, quin verterent. Deus porro dicitur Exercituum Dominus, in Angelorum gratiam, qui semper jussa facere parati sunt.

Sabarim, *rupturæ*, locus inter Hai, & Bethel, ita dictus, quia incolæ Hai eo usque Israelitas non sine ingenti clade insecuti sunt: *Persecutique sunt nos Adversarii de porta usque ad Sabarim*. Erat Urbs alia ejusdem nominis in Tribu Nephtali, quæ Terram promissam ad Septentrionem finiebat: *Hic est terminus terræ*, *Emath*, *Rerotha*, *Sabarim*, *quæ est inter terminum Damasci*, *& confinium Emath*. *Ezechiel*. XLVII. 56. *Jos*. VII.

Sabbat, Hebraicum vocabulum, quod *requiem*, *cessationem* significat. Deus cum per dies sex in Mundi creationem incubuisset, die septima requievit, nempe novas extra se positas res producere destitit *. In hujus quietis, cui se dederat, monumentum septimam hebdomadæ diem suo peculiariter cultui addixit, voluitque homini quietis, & benedictionis diem esse, qua scilicet a corporalibus laboribus, externisque occupationibus liber, quibus per hebdomadam totam distrahitur, animum ad se revocare, mira Dei opera meditari, ei pro beneficiis gratias agere, æternæque potissimum quieti vacare posset, ad quam vocatur, & ad quam ejus omnia cogitata, & vota contendere debent: *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat; & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum*. Hujus sanctæ diei religiosus cultus institutus fuit a Mundi exordio, viguitque per traditionem ab Adam ad Legem usque, non secus, ac Diluvii, aliorumque eventuum memoria, quorum Moses historiam texuit. Deus ergo cum Hebræo populo Legem dedit, nihil aliud fecit, quam veterem consuetudinem renovavit, additoque præcepto firmavit: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Præter quietis causam, qua institutionem hanc nixam voluit: *Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui*; aliam Israelitis peculiarem addidit: *Memento, quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti....Idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati*. Quamobrem septimæ diei requies Israelitis mandata fuit, tum ut Dei rerum omnium Creatoris mysticam requiem, tum ut suum ex Ægypto exitum, qui per Divinæ Omnipotentiæ miraculum contigit, sibi in animum revocarent. Festum hoc Judæi cæterorum omnium accuratissime semper servarunt. Ea die non solum, quod comedendum erat, parari, verum etiam ignem accendi Lex prohibebat: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati*. Pridie coquendum erat, quidquid Sabbato inserviebat, iique mortis pœnæ suberant, qui hac die laborassent: *Custodite Sabbatum meum; sanctum est enim vobis. Qui pollucrit illud, morte morietur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui*. Pœnæ hujus horrendum exemplum in eo perspicimus, qui die Sabbati ligna colligens deprehensus fuit. Moses dubio procul veritus, ne nimia severitate uteretur in culpam, quæ specie tenus levis videbatur, siquidem Legis præceptum ad litteram exequeretur, Dominum consuluit, qui eum lapidibus obruendum respondit: *Morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*; necesse enim erat, illud inobedientiæ primum exemplum haud impunitum evadere, & per eas formidandas imagines Israelitas percipere, quas Deus pœnas Legum transgressoribus in altera vita paraverit. Itaque Judæi sanctum hunc diem adeo sunt veriti, ut ne in justo quidem bello, gravissimaque necessitate se se tuerentur. Hujus rei exemplum nobis occurrit in primo Machabæorum libro: *Et intulerunt illis bellum Sabbatis, & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum, usque ad mil-*

le animas hominum. Ii quidem se legitime tueri potuissent, cum haud magis Sabbati sanctitati contrarium esset, injustam aggressionem repellere, ut propria vita defenderetur, quam edere, & bibere, ut vita ipsa incolumis servaretur; at per animi simplicitatem, commendatione cæteroquin dignam trucidari maluerunt, quam facere, quod Divina Lege prohibitum, dieique Domini sanctitati contrarium putabant. At Mathatias, ejusque consanguinei, Sabbati sanctificationem æquius explicantes, nihil obesse censuerunt, quominus ea ipsa die in aggressores arma sumerent: *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum, & non moriamur omnes, sicut patres nostri in occultis*. Ergo se tantummodo defendebant, quin hostem aggrederentur, quin ejus operibus obsisterent, quin in hostilem demum regionem ea unquam die pedem inferrent. Atque id quidem in expeditione contigit, quam Syriæ Rex ultra Euphratem instituit. Joannes Hircanus, qui eum Principem cum Judæorum manu comitabatur, in causa fuit, ut Exercitus per integrum Sabbati diem consisteret; eademque de causa Judas Machabæus non potuit Nicanorem persequi, quem vicerat, ne forte Sabbato congrederetur: *Sed reversi sunt hora conclusi . . . . Nam erat ante Sabbatum, quam ob causam perseveraverunt insequentes*. Id etiam innuunt in Evangelio ea Christi verba: *Deum rogate, ne fugere debeatis in die Sabbati &c.* Nihilominus iis licebat certum quoddam viæ spatium peragere, quod S. Lucas vocat *Sbabati iter*, cum de distantia loquitur, quæ ab Urbe Hierosolyma ad Olivarum montem est; ea porro distantia erat stadiorum quinque.

Dominica, seu *Domini dies* apud Christianos Judæorum Sabbati locum sumpsit. Cum enim Creatoris quies, & exitus ex Ægypto non nisi quietis æternæ, & gloria plenæ figura essent, in quam Verbum caro factum post mortalis vitæ curas ingressum est, nostræque redemptionis a Dæmonis tyrannide per Divinam potestatem, quæ sob humanitatis infirmitate latebat, cum veritas in umbræ locum successit; Apostoli proinde primam hebdomadæ diem Judæorum Sabbato substituerunt in duorum insignium Mysteriorum memoriam, quæ hac ipsa die perfecta fuerunt, & sunt, Christi Domini Resurrectio, & Spiritus Sancti descensus. Quapropter salva & incolumi remanente præcepti substantia, quod tam ad Novam, quam ad Veterem Legem pertinet, Apostoli per auctoritatem, quam a Christo Domino acceperant, se primæ diei quietem in primam hebdomadæ transtulerunt. Christianus ergo Dominicam diem sanctificare tenetur, quia dies hæc est, quam sibi Deus reservavit. Hebdomadæ dies reliquæ ipsius Christiani hominis sunt, utpote eidem concessæ, ut ad temporalia negotia incumbat. Quod non ita accipi debet, ut Christianus iis ferialibus diebus ita sibi vacare possit, ut nec de Deo cogitet, nec eidem sæpe cultum exhibeat, sed ita, ut cum his necessariis officiis, artis, quam profitetur, exercitationem per eos dies conjungere possit; quod facere Dominico die probibetur, quo Deo prorsus vacare debet per opera, quæ ad eum proxime referuntur, ad honorem ejus nomini exhibendum, & ad ea obtinenda, quæ ad æternam salutem faciunt. Ac si reapse Deus levem Judæi culpam puniit, qui ligna die Sabbati colligebat; qua tandem pœna Christianos afficiet, qui per apertam Dominicæ diei profanationem a Dei servitio susceptis laboribus avertuntur, & ad commercium, ad temporalia negotia, atque adeo ad oblectamenta, & voluptates, quæ hujus diei sanctitati summopere adversantur, incumbunt?

Sabbati nomen pro tota hebdomada sumitur, quia ab eo incipit, & in ipsum desinit: *Vespere Sabbati, quæ lucessit in prima Sabbati. Jejuno bis in Sabbato*.

Sabbatum secundo primum. Hæc loquendi ratio, quæ apud Sanctum Lucam occurrit, Interpretum torsit ingenia, qui eam alii aliter explicuerunt. Alii nimirum eam de die Pentecostes intellexerunt, alii de secundo, aut postremo Azymorum die; at ea vero similior explicatio est, Sabbatum secundo primum illud intelligendum esse, quod secundam azymorum diem consequebatur, qua die novarum frugum fasciculus offerebatur; Lex autem mandabat, ut ab hac die ad Pentecosten hebdo-

domadæ septem numerarentur ; ut proinde primum Sabbatum, quod post hanc secundam azymorum diem adveniebat, secundo primum, quod autem hoc sequebatur, secundum, tum secundo tertium diceretur, & sic porro ad septimum usque.

Sabbatum magnum, *seu magnus dies Sabbati* is erat, in quem festus dies Paschatis incidebat.

Parasceve Sabbati, seu feria sexta, seu dies Veneris, qua die parabatur, quicquid necessarium erat ad nutritionem diei Sabbati, quod a Solis occasu incipiebat, & in occasum alterum desinebat.

Judæorum quoque Festa Sabbata nuncupabantur, quia eorum præcipuum Sabbatum erat, & quia in iis homines, ut in Sabbato quiescebant : *Mense septimo, prima die mensis erit vobis Sabbatum*.

Sabbatum etiam anni septimi requiem significat : *Sabbatizes Sabbatum Domino* : fac, ut Domini Sabbatum serves. Quemadmodum hebdomadæ dies septima Hominum, & Animalium quieti addicta erat ; ita præceperat Deus, ut anno septimo terra quiesceret, quo ea fertilior evaderet, & populus assuesceret Dei Providentiæ acquiescere, cujus evidens specimen anno quoque sexto præbebat copiosa messis, quæ requiem compensabat, in qua agri anno septimo relinquebantur : *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum*. Mansit in hac requie tellus septuaginta annorum spatio, cum Judæi captivi Babylonem delati essent : *Cunctis diebus desolationis egit Sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni*.

* *Haud equidem tolerari posse nonnullorum Veterum opinionem puto, qui Mundi creationem non, ut Moses refert, sex naturalium dierum spatio, sed momento temporis factam contendunt. Ita Philo Allegoriarum suarum lib.* I. *asserit, sex dies a Mose commemoratos non pro totidem temporis spatiis, sed pro rerum jam creatarum dispositione explicandos esse; cui sententiæ subscripsit etiam allegoriarum pater* Origenes *lib.* IV. *contra Celsum. Huic opinioni favere dicitur ipse* S. Athanasius, *cujus in lib.* III. *contra Arianos pag.* 233. *hæc verba sunt* : Nulla ex creatis rebus ante alteram extitit ; verum confestim simul omnia genera uno eodemque Creationis imperio substiterunt. *In eamdem sententiam summopere propendere videtur* Procopius *suo in Genesim Commentario* : *Atque ea quidem ob Assertores parum firma haberi possent, nisi ei magnum pondus* S. Augustini *auctoritas addidisset, qui lib.* IV. *de Genesi ad litteram cap.* XXII. *lib.* XI. *de Civitate Dei, & aliis in locis, Creationis dies sex ad Angelorum cognitionem refert, quia scilicet omnia opera a Mose descripta primum in Verbo, deinde in ipsis operibus agnoverunt ; quæ Angelorum cognitio, prout creatas res viderunt in Verbo, dicitur* matutina, *pro ut easdem in ipsis viderunt*, vespertina *nuncupatur ; qua significatione dictum legimus* : Factum est vespere, & mane dies unus, secundus, tertius &c.

Verum etsi S. Augustino maxime addicti essemus, multa sunt tamen, quæ ab ejus sententia nos avocant. Nos primo permovet omnium Patrum auctoritas, eorum etiam, qui in S. Augustini verba jurarunt, cujusmodi sunt S. Gregorius Magnus *lib.* XXXII. *cap.* X. Beda, Rupertus ; *ac recentiorum omnium Interpretum, si* Melchiorem Canum, *&* Cajetanum *exceperis. Præterea S. Augustini opinio ipsis ejus principiis opponitur, per quæ monet, in sacræ Scripturæ interpretatione semper* litteræ *standum esse, dummodo nihil absurdi sequatur, ut proinde secus fieri necesse sit. Denique S. Augustinus ipse lib.* I. *de Genesi ad litteram, dierum sex litteralem explicationem non contemnit ; immo vero in lib.* de Cathechizandis Rudibus *communem opinionem probat*.

Neque vero Ecclesiastici textus a S. Augustino productus communem sententiam lædit : Qui vivit in æternum, creavit omnia simul ; *græcus enim textus habet* κοινῇ, pariter, æque, *ut verba hæc idem sonent, atque ista* : Omnia per ipsum facta sunt ; *ne dicamus, eadem verba*, creavit omnia simul, *id etiam significare posse, materiam omnem in ipso initio a Deo momento temporis creatam esse. Jam argumentum aliud, quod* Origenes *lib.* IV. *contra Celsum ex Geneseos cap.* II. *v.* 4. *depromptum in medium affert* : Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ .... in die, qua fecit Dominus Cœlum, & Terram ; *quam leve sit*,

sit, *nemo non videt ; eo enim loco dies pro tempore , vel singularis numerus pro plurali sumitur , pro Hebræorum more .*

Præterea memoratæ allegoriæ cum Mosis simplicitate non congruunt . Quis enim sibi persuadeat , Mosem , ut se ad vulgi captum conformaret , per matutinas , & vespertinas Angelorum cognitiones , quæ vix Theologis notæ sunt , Cosmogoniam *describere voluisse ? Quid ? Quod , matutina cognitione vespertinam antevertente , dicendum erat :* Factum est mane ; & vespere dies primus , secundus &c.

Ad hæc quid causæ fuisset , cur Sabbati cultus institueretur ? Atqui hujus institutionis ratio traditur Exodi cap. xx. Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum , & Terram, & Mare, & omnia , quæ in eis sunt , & requievit in die septimo ; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati , & sanctificavit illum . *Idemque repetitur cap.* xxxi.

Ad extremum allegoricorum sex dierum sententia difficultatibus , quæ solvi non possunt , obnoxia est . Neque enim tenebræ , & lux , aquæ confusæ , & divisæ per Firmamentum, vespere , & mane *simul esse potuerunt . Præterea cum Moses narret , rerum alias ex aliis , ut pisces , & volucres ex aquis , arbores , herbas , & animalia ex terra , producta fuisse , si hæc omnia momento temporis esse cæpissent , eadem quoque omnia ex nihilo creata fuissent . Non ignoro , S. Augustinum respondere , pisces , aves , plantas , animalia momento creata dici , in causa scilicet , seu potestate , pro ut terra , & aquæ producendi facultatem obtinuerunt . At quis unquam sibi in animum inducat credere , materiam ea vi donatam fuisse , ut sine maris , & fœminæ conjunctione animalia generaret , ac non potius Deum ipsum fuit quæque diebus ex terra , & aquis ea produxisse ? An vero hominem quoque ex terra , tamqnam ex causa sua , ac potestate efformatum dixerimus ? Deinde quomodo momento ipso temporis , quo lux , scilicet , S. Augustino docente , Angeli creati fuere , boni etiam a malis divisi sunt , & gloria insigniti ? Quomodo uno eodemque momento efformatus extra Paradisum homo , in eumdemque aelatus , & Heva in Adæ sopore ex ejus costarum una efformata ? Est omnino necesse , Cœlum , & mare misceri , pugnantia multa componi , innumera absurda suscipi , siquidem naturalium dierum spatia de medio tollantur .*

Verum etsi S. Augustini sententia minus probabilis , minusque rationi consona sit , non tamen tamquam absurda , erronea , ac propemodum hæretica notanda est , ut audacter eam traduxere nonnulli Theologi , qui eam sibi gloriam vindicarunt , ut gratiæ systemati ab eodem S. Patre proposito repugnarent . Qui porro Pontifices , quæ Concilia , quæ Accademiæ ita unquam de hac sententia judicarunt ? Non ita certe Sanctus Thomas *locutus est in* II. *Sentent. Distinct.* xii. *Q.* 1. *art.* ii. *ubi cum ambas super Mundi creatione sententias exposuisset , ita demum concludit :* Sed prior est rationabilior , magisque ab irrisione Infidelium Scripturas defendens. *Paucisque interjectis , subdit :* Hæc opinio plus mihi placet. *In eumdem modum loquitur* Albertus Magnus *II. Part. tract.* xi. *q.* 46. & S. Bonaventura, *ut missos faiam* Ægidium Romanum , Dionysium Carthusianum , Melchiorem Canum , Dominicum Bannes , Vincentium Contensonium , Emmanuelem Cerdam , Fridericum Guardium , Henricum Cardinalem Norisium , *aliosque , qui Augustinianam interpretationem vel tuentur , vel cum laude referunt .*

Ea ergo non est certa , at ne erronea quidem , aut propemodum hæretica est ; ut summum , est minus probabilis , quam communis , & litteralis , quemadmodum nos ipsi diximus , qui eam impugnavimus . Et sane S. Augustinus ipse de hac sua opinione non aliter judicavit , eamque referens edixit , se alteri oppositæ sententiæ detrimenti nihil afferre , ut ita quidem in antecessum adversus malevolos se muniret , si unquam eum hac in re notassent . En ejus verba lib. iv. *de Genesi ad litteram cap.* xxviii. Quisquis ergo non eam , quam pro nostro modulo indagare , vel putare potuimus , sed aliam requirit in illorum dierum creatione sententiam , quæ non in Prophetia figurate , sed in hac creaturarum conditione proprie , meliusque possit intelligi , quærat , & divinitus adjutus inveniat . Fieri enim potest , ut etiam ego aliam his Divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam . Neque enim ita

hanc

haoc confitmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniti non posse contendam.

Sabbatha, *circuitus*, tertius filiorum Chus, qui felicis Arabiæ partem, in qua Urbs Sabta, & Sabbaıæi populi occurrunt, incolis locupletavit: *Filii Chus Hevila*, *&* *Sabbatha*. *Genes.* x. 7. I. *Paralip.* I.

Sabbathaca, *qui circumdat*, alius filius ejusdem Chus, qui creditur incolas Caramaniæ dedisse, ubi ejus nominis vestigia nonnulla supersunt. *Gen.* x. 7.

Sabee, *Sarmentum*, Urbs Tribus Simeon: *Fuit hereditas eorum in medio possessionis filiorum Juda Bersabee*, *&* *Sabbee*. Urbes hæ duæ non sunt nisi una tantum, cui nomina duo. *Josue cap.* XIX.

Sabbæi, Arabiæ populi, originem a Saba trahentes. At cum sacra Scriptura hoc nomine plures homines innuat, qui omnes extitere populorum capita, proinde cum de Sabæis est sermo, distinctione opus est. Qui invaserunt armenta Jacob, iis ortum dederat Saba filius Jectan, & Abrahæ ac Cethuræ nepos: *Irruerunt Sabæi*, *tuleruntque omnia*. Sabæi, qui descendebant a filio Chus, Insulam Meroen, vel, aliorum sententia, felicis Arabiæ partem thure affluentem incolebant; ac de iis in Psalmis legitur: *Reges Arabum*, *&* *Saba dona Domino Deo adducent*; & apud Isaiam: *Omnes de Saba venient*, *aurum*, *&* *thus deferentes*. Qui erant ex patre Saba, filio Regma, Arabiæ partem & ipsi Persico sinui proximam habitabant; eosque designasse videtur Ezechiel, quos ait ad Tyri nundinas ventitasse: *Venditores Saba*, *&* *Regma ipsi negotiatores tui*. Denique qui a Jectan orti erant, ad mare Rubtum degebant.

Saber, *ruptura*, quem Caleb ex Mancha concubina susceperat. I. *Paralip. cap.* II. 48.

Sacci nomen omnes fere linguæ, & quidem eadem significatione, suum fecerunt, cum Hebraicum sit. Præter consueram notionem, quæ notissima est, pro cilicio sumitur, seu rudi indumento, cujus usus erat I. in luctu: *Accingimini saccis*, *&* *plangite ante exequias Abner*. II. In mærore, ad abjectum animum significandum: *Accinxerunt saccis lumbos suos*. III. In pœnitentia: *Dormivit in sacco*, *&* *cinere*. IV. In publicis calamitatibus: *Quem cum audisset Mardochæus*, *scidit vestimenta sua*, *&* *indutus est sacco*, *spargens cinerem capiti*. Contra qui ob faustum nuntium, aliamve ob causam lætitia gestiebant, saccum lacerabant, quo induti erant: *Conscidisti saccum meum*, *circumdedisti me lætitia*. Prophetæ fere sacco vestiti incedebant; itaque ad Isaiam Deus: *Solve saccum de lumbis tuis*. S. Joannes in Apocalypsi futurum ait, ut ex Prophetis, quos sub Mundi finem Deus suscitabit, mille ducenti septuaginta vaticinentur saccis induti: *Prophetabunt amicti saccis*.

Sacerdotium, Sacerdotalis dignitas. Quatuor in sacra Scriptura Sacerdotum genera distingui possunt. I. Sacerdotes dicuntur Reges, familiarum capita, primogeniti, quorum erat offerre Deo sacrificia; Patriarchæ quoque Sacerdotes erant, eorumque primogeniti in hoc augustum officium succedebant. II. Melchisedech Sacerdos fuit, qui præterea eam prærogativam obtinuit, ut Christi Domini Sacerdotium repræsentaret: *At vero Melchisedech*, *Rex Salem*, *proferens panem*, *&* *vinum*, (*erat enim Sacerdos Dei altissimi*,) *benedixit ei*. III. Aaron Sacerdos fuit, eaque dignitas per omne Judaicæ Religionis tempus in ejus familia viguit: *Dedit illi Sacerdotium gentis*. IV. Denique Sacerdotium Christi, & novæ Legis æternum est, & successione caret: *Eo quod maneat in æternum*, *sempiternum habet sacerdotium*: quia Christus in omnem æternitatem vivit, ejus proinde sacerdotium ad alium neminem migrat. Sacerdotium Melchisedech ad æternum Divini Filii sacerdotium intime referebatur; & Apostolus, ad Hebræos scribens, inter hunc Sacerdotem, & Christum Dominum detegit similitudinis notas quinque, quas mirum in modum ostendit. Primus nimirum Rex justitiæ, & pacis est, altissimi Dei Sacerdos, nec decessorem, nec successorem novit, semel se videndum præbet, ut fungatur officio suo, bene dicit Abrahæ, a quo decimam eorum recipit, quæ præcipua erant in ejus præda. Sacerdos alter, nempe Christus in se caracteres hos quinque mirifice copulavit. Rex erat, ut ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo*,

lo, *& in terra*. Rex quidem *justitiæ* tum quia ejus ipse fons eſt, tum quia omnes homines pro operibus judicabit; Rex quoque *pacis*, quia expiato per mortem peccato, homines cum Deo conciliavit. Chriſtus ipſe per excellentiam Sacerdos eſt, cujus ceteri omnes figura fuerunt: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Corporis, & ſanguinis ſui ſacrificium in Cruce ſemel obtulit, & in Altari offerre pergit. Non alia cauſa, quam ut ſacrificium ſuum offerret, ſe Mundo humana carne indutum exhibuit, ſuoque auguſto miniſterio defunctus, ſtatim in Cælum rediit, ſe in æterni Patris ſinum immergens, quin ullum ſenſibus obvium in terris ſignum relinqueret. Benedictio, quam Melchiſedech tribuit, & decima, quam percepit, id innuunt, omnia nos a Chriſto accipere, ac ſperare, cui nullam non obſervantiam debemus, & per quem unum nos Deo gratias agere de victoriis neceſſe eſt, quaſcumque per ejus firmiſſimum patrocinium referimus.

Sacerdotium Aaron non niſi imperfecta ſacerdotii Chriſti Domini imago erat. Nobis Apoſtolus in eadem Epiſtola palmare utriuſque diſcrimen ob oculos ponit. Sacerdotium hoc temporale tantum erat, ac terrenorum bonorum erat Pontifex, qui eo fungebatur. Ejus miniſterium, cujus vita præſens finis erat, neceſſario deſervire, quippe quod homines ad finem ducere non poterat, qui earum naturæ dignitati reſponderet, & dare locum debebat ſacerdotio Chriſti Domini, *Pontificis futurorum bonorum*, cæleſtium, æternorumque, quæ ſuapte morte nobis promeruit, ac de quorum poſſeſſione per Spiritum Sanctum nos certos reddit: *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum .... per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*. Sacerdotium ejuſdem Aaron conditione ſuſpenſum erat; pendebat enim ab ejus filiorum fide, quos Deus ob peccata eo indignos aliquando fore certo noverat. At æternitas Sacerdotii Chriſti immutabili veritatis ipſius jurejurando nititur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum*. Novi Pontificis immortalitas & ipſa Sacerdotio Chriſti ſingularem dignitatem affert. In veteri Lege multi deinceps Sacerdotes fuere, qui, cum locum per aliquod tempus occupaſſent, deſinebant, iiſque alii ſuccedebant: *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere*. At Chriſtus per omnem æternitatem manens, ſacerdotium ſuum unus implet, ſemper, ubique, in terris, in Cœlis: *Hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*. Ipſe nemini, ei nemo ſucceſſit; ejus enim miniſtri, qui apud nos agunt, & loquuntur ipſius nomine, non niſi Vicarii ſunt, idemque cum eo, & in eo miniſterium conficiunt, ea tantum inſtructum vi, quam ex hoc immortali Pontifice percipit. Infirma & imperfecta Lex homines imbecilles, & peccatores Pontifices inſtituebat, qui opus habebant pro peccatis ſuis victimas offerre, antequam pro populi peccatis offerrent: *Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes*. At verbum Dei, jurejurando firmatum, quo ſe poſt Legem obſtrinxit, unicum Filium ſuum Pontificem ſtatuit, in quo nullum, quod expiet, peccatum eſt, infirmitas nulla, cujusque ſanctitas perfecta eſt; quique ultro ſemel in ſacrificium oblatus, per hanc oblationem unam, omnium ſæculorum, populorum omnium, & omnium conditionum peccata delevit, eoſque in omne tempus perfectos reddidit, quibus ſanctitatem contulit: *Sermo autem juriſjurandi, qui poſt Legem eſt, Filium in æternum perfectum .... qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*. Ejuſmodi autem Pontifex eſt, quo indigemus, ut purgemur a ſordibus, a morbis ſanemur, & cum Deo conciliemur, *Pontifex ſanctus, innocens*, omnis ſanctitatis fons, *ſine macula, ſegregatus ab hominibus nequam, & in Cœlum evectus*, *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior Cœlis factus*. Porro Sacerdotii Chriſti participes Fideles ſunt; ſe quippe ipſos, ſuaque opera offerre Deo poſſunt, tamquam ſpiritales hoſtias, quæ utpote a Chriſto, cujus ii membra ſunt; oblatæ Deo gratæ ſunt: *Ipſi tamquam la-*

pides viri superædificamini domus spiritualis sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo. Ob hanc proinde causam Christiani dicuntur a S. Petro *genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta*. Et S. Joannes in Apocalypsi, ait, nos Deo patri Sacerdotes, & Reges a Christo Domino factos esse: *Fecit nos regnum, & sacerdotium Deo patri suo*.

Sachacha, tegumentum, Urbs Tribus Juda in Deserto: *In Deserto Bethbaraba, Modin, & Sachacha. Josue. cap.* xv.

Sachar, merces, pater Ohiam, unus e strenuis viris in Davidis Exercitu: *Obiam filius Sachar ararites*. Sachar altet, filius Meselemias, pater Core. Sachar quartus. I. *Paralip.* xi.

Sacramentum, græce μυστήριον significat in sacris Litteris I. arcanum: *Sacramenta Dei*. II. Latentem, & mysticam rem, cujusmodi somnium fuit, quod Regi Nabochodonosor ex animo exciderat, quodque Danieli revelatum fuit: *Vere Deus vester, Deus Deorum est .... quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum*. III. Demum sumitur ad sacramentum, & rei sacræ signum exprimendum: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Viri, conjugisque conjunctio mysterium est, seu sacramentum, quod Christi cum Ecclesia admirandam conjunctionem significat. Signa, seu sacramenta, in veteri Lege instituta, cæremoniæ sunt, sacrificia, expiationes, consecrationes, quæ Moses instituerat. Hæc omnia mysterio, & figura constabant. Circumcisio, causa exempli, Baptismum significabat; panes propositionis sanctam Eucharistiam; unctio Sacerdotum eam, quæ fit in Ordinis Sacramento; expiationes, & lustrationes sacramentum Pænitentiæ; Sacrificia, & oblationes Sacrificium Christi Domini, quod quotidie incruentum in Altari renovatur; cæremoniæ, quarum in Templi ministerio usus erat, eas exhibebant, quæ Sacramentorum novæ Legis administrationem comitantur. Sed omnia hæc signa, & sacramenta, quæ, docente Apostolo, non nisi *egena, & infirma elementa* erant, ob eorum infirmitatem, & quia prorsus inutilia erant, deleta fuerunt: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adducit Lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum*. Multo quidem pauciora, sed longe præstantiora, quam antiquæ Legis Sacramenta Christus instituit; scilicet *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, quam antiqua*. In novæ Legis Sacramentis tria distinguuntur, materia, forma, & Minister. Materia res est, vel actio, ut aqua, & impositio manuum. Forma continetur verbis, quæ hanc rem, vel actionem comitantur. Minister denique is est, qui materiam applicat, & verba pronuntiat. Sacramenti effectus est gratia sanctificans, quam omnia Sacramenta producunt, vel augent, si nihil obsit. Præter effectum hunc qui omnium communis est, eorum tria in suscipientium animo spiritalem, & indelebilem characterem imprimunt, cujus causa iterari non possunt. Catholica Ecclesia, sacris Litteris, & peculiariter traditione nixa, in quam unanimi consensu Orientales Ecclesiæ conspirant, Sacramenta septem agnoscit, quæ sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Baptismus, qui nos Christianos, & Dei filios efficit, a Christo Domino institutus fuit, cum ita Apostolos allocutus est: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Atque hæc quidem est Baptismi forma; naturalis autem aqua materies, denique Sacerdos, & si necessitas urgeat, quilibet e populo Minister est; effectus est originalis, & in adultis, etiam actualis peccati remissio, Spiritu Sancto cum ejus gratiarum plenitudine Baptizatis collato.

Confirmatio nos perfectos Christianos efficit. Eam Christus instituit Apostolis futurum promittens, ut virtute ex alto imbuerentur; quod Pentecostes die contigit, quo spiritum Sanctum acceperunt, quem deinde per manuum impositionem cum Fidelibus communicarunt, qui Baptismum susceperunt: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Episcopi Sacramenti hujus ordinarii Ministri sunt, cujus materia est manuum impositio cum

sa-

sacri Chrismatis unctione, forma vero verbis constat, quæ Minister pronuntiat: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Eucharistia Sacramentum est, & sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini, quod offertur ab Episcopis, & Sacerdotibus, ac sub speciebus panis, & vini distribuitur. Eam Christus instituit pridie, quam pateretur, post ultimam cœnam, quam cum Discipulis celebravit: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite, & comedite. Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes; hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Pœnitentiæ Sacramentum Christus instituit, cum ita Apostolos allocutus est: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Peccata remittenda Sacramenti hujus objectum sunt, confessio, & satisfactio sunt ejus essentiales partes, Sacerdotis absolutio veluti complementum ejusdem est.

Extrema Unctio instituta fuit ad infirmorum corporale simul, & spiritale solatium; ejus praxis occurrit in S. Marco: *Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Et in S. Jacobo: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ordo institutus fuit ad consecrandos Ecclesiæ Ministros, iisque conferendam facultatem obeundi publica munia, quæ ad Dei cultum, & ad animarum salutem referuntur. Hoc Sacramentum Christus instituit, cum sui Corporis, & Sanguinis consecrandi, & offerendi potestatem Apostolis tribuit, & cum in eos insufflans, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Matrimonium est legitima societas inter virum, & fœminam, quam Deus ipse ad humani generis propagationem instituit. Ante Christum civilis tantum contractus erat, qui virum inter, & fœminam conjunctionem non nisi morte solvendam suapte natura firmabat; repudium enim Hebræis ob cordis tantum duritiem concessum fuit. Contractum hunc Christus ad Sacramenti dignitatem extulir, revocata divortii Lege, tamquam primirivæ matrimonii institutioni contraria: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

Sacrificium, cultus, quem homo debet Deo non sine alicujus victimæ oblatione, ut supremam Dei majestatem profiteatur, Divinæque justitiæ, peccatis irritatæ satisfaciat. Cum homo tum vitam, qua ob peccatum spoliandus erat, tum bona, quæ possidet, Deo debeat, strictaque grati animi lege teneatur utrumque ei devovere; sacrificia proinde, per quæ Deo tributum hoc exhibetur, ipsi Mundo coæva sunt; etenim nullo non tempore homines extitere, qui fideliter id officii executi sunt. Et sane Abel, ut sacræ Litteræ nos docent, Deo sui gregis primitias obtulit; ex Arca egrediens Noe erexit Altare, in quo ex omnibus animalibus puris Domino obtulit holocausta; Abraham, omnesque sancti Patriarchæ consuetudini huic institerunt, nempe religiosum cultum divina institutione nixum retinuerunt. Re quidem vera nihil aptius excogitari poterat, ut debitus honor, & cultus Deo redderetur, ejusque justitiæ satisfieret, quam Sacrificium; quia scilicet per destructionem, seu mutationem, quæ in victima oblata contingit, homines Deo testantur, eum tamquam supremum rerum omnium dominum a se spectari, atque adeo suæ ipsorum vitæ, quam ipsam, si jusserit, æque ac victimam, quam offerunt, ei sacrificare parati sunt; se quidem morte dignos esse, cum tamen eam ipsi sibi inferre non possint, in locum suum aliam victimam substituere, ac rogare, ut ejusdem victimæ mortem in divinæ justitiæ satisfactionem accipiat. Quamobrem homo per sacrificium publice profitebatur se a Deo pendere,

dere, ejusque servitio addictum esse, ac se quidem ob peccatum morte dignum evasisse, at Deum tamen satis habuisse, ut insontium rerum creatarum sanguis locum teneret sontis hominis sanguinis, quem ceteroquin exigere debuisset. Verum hæc sacrificia ipsa per se Deo grata esse, hominisque peccatum expiare non poterant. Ei tantum placebant, pro ut figura erant magni sacrificii Messiæ, victimæ puræ, & sine macula; qui non renuit se in hominis locum offerre, quique unus honorem Deo exhibere, qui eo dignus esset, ejus indignationi satisfacere, & per peccatorum veniam, justitiæ donum hominibus obtinere. Interea dum hujus victimæ in Mundum adventus expectabatur, Deus animalium sacrificiis contentus erat, quibus homines monebantur, ut ante Dei majestatem se ad extremam humilitatem componerent, ejus tamquam bonorum omnium Auctoris opem implorarent, ejus justitiæ pœni dignos se faterentur ejusque miserationem ex animo exposcerent; at eadem Sacrificia naturam tantum, effectus, & proprietates Sacrificii Crucis significabant. Ante Legem, sacrificiorum materia, qualitas, circumstantiæ, Minister omnia denique arbitraria erant. Offerebantur terræ fructus, animalium adeps, aut lac, victimarum sanguis, aut caro. Quilibet Sacerdos erat, suorumque sacrificiorum minister; vel pro arbitratu senioribus, patribusve familias, & probitate insignibus Viris id honoris conferebatur. Lex autem Judæos docuit, quid, quantum, & quomodo offerre deberent; & Aaron familiæ tantum sacrificandi jus tribuit. Erant apud Hebræos cruentorum sacrificiorum genera duo. Primi generis erant tria. I. Holocaustum, II. Hostia pacifica, III. sacrificium pro peccato. Porro in Holocausto, de quo diximus loco suo, victima omnino comburebatur, quin Sacerdos, aut offerens ullam sibi ejus partem retinere possent: *Et oblata omnia adolebit Sacerdos super Altare in holocaustum, odorem suavissimum Domino*; hoc enim sacrificium institutum erat, ut supremum Dei dominium homines publice testarentur, docerenturque, a quo demum habeant, quicquid possident, & sunt. Hostia vero pacifica offerebatur, ut Deo gratiæ pro acceptis beneficiis referrentur, vel nova peterentur, vel alicui denique voto satisfieret. Adeps tantum, & renes victimæ adurebantur. Sacerdotis erant pectus, & humeri, cætera ad eum spectabant, qui victimam suppeditaverat. Hujus sacrificii nullum statum tempus erat, offerebatur, cum visum esset; nihilque Lex de animalis electione statuerat. Id unum opus erat, ut victima ab omni omnino vitio libera esset: *Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio . . . . immaculatum offeret coram Domino*. Tandem in sacrificio pro peccatis, Sacerdos antequam victimæ sanguinem ad Altaris pedes effunderet, eo digitum aspergebat, & Altaris angulos quatuor tingebat. Is, in cujus gratiam sacrificium offerebatur, nihil ex eo recipiebat; adeps super Altari comburebatur, caro prorsus ad Sacerdotem pertinebat, eamque in loco sancto, scilicet in Tabernaculi Porticu comedi necesse erat: *Immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*. Quod si Sacerdos pro suis, totiusve populi peccatis offerret, ante Sanctuarii velum septies aspersionem sanguinis victimæ peragebat, & ad pedes Altaris Holocaustorum, quod supererat, effundebat: *cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarii . . . . Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim Altaris holocausti in introitu Tabernaculi*. Inserviebant his sacrificii animalium genera quinque: vaccæ, tauri, seu vituli, oves, vel agni, capræ, vel arietes, hirci, columbæ, seu turtures; addebaturque immolatæ victimæ, quæ super Altari comburenda tradebatur, oblatio offæ in furno, vel crate coctæ, vel in patella frictæ, seu certa quædam quantitas similæ cum oleo, incenso, melle, & sale. Oblatio hæc fere semper cruentum sacrificium comitabatur; at ipsa tantum fieri poterat, quin eam sanguinis effusio præcederet; ac tum quidem sacrificium incruentum nuncupabatur; quod Deo, tamquam principio, & Auctori bonorum omnium offerebatur; adhibebatur autem incensum, cujus flamma, ob gratum, quem spargit, odorem, semper tamquam precis, & sanctorum ani-

mi desideriorum symbolum spectata est. Vetuerat Deus, ne quid fermenti, seu mellis admisceretur; ea quippe sunt rerum figura, quæ animum per peccatum corrumpere, ac per delicias mollire possunt. Sacerdos hujus farinæ oleo dilutæ manipulum & incensum omne in Altaris ignem fundebat; quicquid supererat, ejus erat. Ei farina sine fermento comedenda erat in Tabernaculo; ac penes Sacerdotes tantum id juris erat: *Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco sancto atrii Tabernaculi*. Erant & sacrificia, in quibus victima viva & integra remanebat, ut sacrificium Hirci Emissarii, quod Expiationis die peragebatur, & sacrificium passeris ad leprosi purificationem.

Jam vero sacrificium perpetuum illud est, in quo super Holocaustorum Altari quotidie immolabantur Agni duo, unus mane cum Sol horizontem illuminare cœpisset, alter vespere, cum umbræ terram obtegere inciperent: *Hoc est, quod facies in Altari; Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter: unum Agnum mane, & alterum vespere*.

Hæc nimirum Hebræorum sacrificia erant; imperfecta ea quidem, & ipsa per se purgando a sordibus animo prorsus inepta; nec nisi ejus umbra, quod in Christiana Ecclesia offertur, & figura effectuum sacrificii Agni Dei, qui Mundi peccata deleturus erat, quique, ut sacra Scriptura loquitur, ab ipso Mundi exordio occisus fuit; quæ loquendi ratio nos monet, ex eo pretium, & meritum in omnia sacrificia derivatum esse, quæ tum in naturæ Lege, tum in Mosaica offerebantur: *Agnus occisus est ab origine Mundi*. Quicquid in victimæ seu electione, seu immolatione servabatur, adeo peculiariter ad Christi mortem refertur, ut nihil magis. Eligebatur imprimis victima sine macula, nempe absque ullo naturali vitio, sana, & quoad partes omnes apte disposita: *Omnis macula non erit in ea; si cæcum fuerit si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis eam Domino*. Victima hæc Chistum Dominum significabat, Agnum sine macula, electum, & a peccatoribus segregatum, offerendum Deo in sacrificium, quod unum eo dignum erat, unumque, ob ineffabilem Verbi in Incarnatione cum homine conjunctionem, ad perfectam sanctitatem evectum: *sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati*. Qui victimam offerebat, manum imponebat ejusdem capiti, ut ostenderet, eam a se oblationem fieri, ut victima in ipsius locum immolaretur, Deumque ex mera gratia animalis vitam in offerentis vitæ locum accipere. Ita Christus, qui probe noverat, sibi a Patre corpus non alia de causa datum fuisse, quam ut esset vera Victima antiquis suffecta, eidem Patri se sistit; tum scilicet, cum paulo post quam natus erat, ad Templum ex primogenitorum lege delatus fuit: *Ideo ingrediens Mundum, dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Victimæ sanguis ad Altaris basim, & circum Altare ipsum effundebatur, nullamque ejus partem homo in proprium usum convertere poterat, quia scilicet animalis vita, quæ in sanguine est, veluti pretium erat, quod Deus pro hominis, vita, cujus exigendæ jus obtinet, accipiebat: *Quia anima carnis in sanguine est; & ego illum dedi vobis, ut super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit*. In eumdem modum Christi sanguis effusus est, cum ejus immolatio perfecta fuit. Ejus mors injuriam Divinæ sanctitati per peccatum illatam cumulatissime reparavit, statuitque homini peccatori gratiarum fontem, qui eum sanctificat, unitque Deo per omnem æternitatem: *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Comburebatur super Altari victima vel omnino, vel ex parte, ut Cœlum versus ascendente fumo, Deus ostenderet, se quidem oblatum sibi sacrificium accipere; ut proinde in Christi gloriosa Resurrectione Divinitas per ignem significata, qui legalium victimarum carnem absumebat, in suo corpore tandem destruxerit, quicquid terreni, & corruptioni obnoxii supererat, & Christus ipse Ascensionis die gloria insignitus ad Patrem ascenderit. Duo quidem certe ad hujus com-

ple-

plementum desiderari videbantur. In veteris Legis sacrificiis ab eo victima præsentabatur, in cujus gratiam offerebatur, ejusdemque victimæ ipse in sacrificio pacifico particeps erat; itaque quoniam Christus victima nostra est, nostrum erat eamdem victimam ad Crucis Altare ducere; & quoniam ipse hostia nostra pacifica est, necesse quoque erat, nos ejus participes esse. Neutrum porro in Crucis sacrificio perfectum fuit; at Servatoris nostri sacrificium non una, eaque transeunte, quæ in Calvario contigit, immolatione finitur, immo vero super Altaribus nostris nunquam intermissum viget, in quibus Christus offertur æterno Patri per Sacerdotum manus, totius Ecclesiæ nomine, quæ Sacerdotibus ipsis se jungit. Ibi Christus evadit nutrimentum populi Dei, qui hanc immolatam carnem comedit, effusumque in Cruce sanguinem bibit, tamquam suæ cum Deo conciliationis pretiosum pignus. Quamobrem Altaris sacrificium est renovatio sacrificii Crucis; & hoc sacrificium ipsum, ab omnibus Judæorum sacrificiis, quæ abolevit, significatum omnes sancti Viri, omnesque Prophetæ Veteris Testamenti suam omnem spem retulerunt: *Munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Malachias.

Internum contriti, & ad humilitatem compositi animi sacrificium id unum est, quod cætera Deo grata reddit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet*. Judæi, sine præparatione animi, qui se ante infinitam Dei majestatem abjicit, suamque gloriam, & felicitatem in eo collocat, ut omnino eidem obediat, ei nullam, quæ placeret, oblationem præsentare poterant; omnis enim pietas, quæ verbis, externisque praxibus limitatur, falsa est. Una Deo grata est Crucis religio; ea scilicet una est, quæ externis operibus vitam, pretium, & meritum tribuit: *Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum*. Ob has sanctitas præparationes, quarum fides initium est, factum fuit, ut sacrificium Abel Deo gratum esset; & ob earumdem præparationum defectum contigit, ut sacrificium Cain a Deo ipso rejiceretur: *Fide plurima hostiam Abel, quam Cain obtulit, per quam testimonium consecutus est, esse justum, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*. Abel, qui fide vivebat, in externo sacrificiorum apparatu non nisi signa videbat, quibus admonebatur, ut se coram Deo per longe maximum cultum prorsus abjiceret, & imagines magni sacrificii Servatoris, quem expectabat. Atque Abel quidem per hunc divinum Servatorem vera bona petebat, se se offerebat, consecrabatque, ut Dei voluntatem perficeret; cum contra carnalis homo Cain suam omnem pietatem in offerendis Deo muneribus poneret, quin de justitia cogitaret, animo fallacium bonorum amori semper addito. Ejus ergo sacrificia efficere non potuerunt, quominus semper injustus esset; at Abel ob vivam fidem apud Deum justus erat, cui proinde ipsius sacrificia probabantur: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain vero, & ad munera illius non respexit*. Quamvis autem Christianorum sacrificium, ipsum per se sanctum, atque ita quidem, ut ejus sanctitas ab hominis dispositionibus omnino non pendeat, summopere præstet Legis veteris sacrificiis, quæ ipsa per se Deo placere non poterant; qui tamen victimæ oblationem ab animi religione sejungunt, dubio procul ejusdem sacrificii fructum percipera nequaquam possunt. Frustra per externum cultum se Deo honorem præstare gloriantur, ejusque oculis sacrilegii, & idololatriæ rei sunt, quippe qui in Dei locum ipsi sibi cupiditatis idolum erigunt, cui sacrificant, quicquid supremo rerum omnium Opifici, ac Domino detrahunt. Hoc internum sacrificium omnia complectitur, cogitata, motus, opera, quæ Deo consecrat animus, ut ei uni vivat: *quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocausto arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui . . . . . ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi . . . . lavamini, mun-*

di estote, auferte malum cogitationem vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene facere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Sacrilegium. Nomen hoc conflatum est ex *sacra*, & *legere*, diruere, furari res sacras, & primo quidem hoc sensu in sacris Litteris sumitur: *Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho admissis Menelai consilio*: cum Lysimachus sacrilegia multa in Templo patrasset, ex eo scilicet aurea vasa non pauca transtulisset. At præterea pro rei, loci, personæ sacræ violatione, ac profanatione, pro idololatria, aliisque delictis sumitur, quæ proxime Divinitati injuriam irrogant. Sacrilegium quoque sacra Scriptura nuncupat Israelitarum facinus, qui se a Madianitarum fœminis seduci passi sunt, ut Beelphegor adorarent: *Percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phegor*.

Sacrilegus. I. Is sacrilegus dicitur, qui sanctas res suffuratur: *Ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt*; Lysimachum, de quo supra, designant verba hæc, qui Templum vastaverat. II. Impius, qui sacra profanat: *Andronicum per totam civitatem jubet circumcidi, & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, vita privari*.

Sadoc, *justus*, filius Achitob, summus Sacerdos ex Eleazari stirpe, qui in locum Achimelech suffectus fuit. Cum apud Davidem se recepisset, ab hoc Principe sacerdotio insignitus fuit, cum apud Saulem Sacerdotali munere fungeretur; quo vita functo, David ei Pontificiam dignitatem servavit, etsi Saulis partes secutus esset; porro Sadoc semper deinceps Davidi fidelis fuit. Ei servitium in Absalonico bello præstitit, id nuntians, quod perduellis filii consilium in eum moliebatur; & cum Adonias ob provectam patris ætatem se Regem renuntiatum voluit, Sadoc, Davidis jussu, Regalem unctionem Salomoni contulit; qui ut Sadoc pietatem, ac de Davidis gloria sollicitudinem compensaret, eum post Regis mortem Summum Pontificem declaravit, & Abiathar, qui ad Adoniam se contulerat, Pontificia dignitate spoliavit; atque ita perfectum est, quod ante annos centum & amplius Deus Heli Pontifici Summo prædixerat, futurum scilicet, ut ejus familiæ supremam Sacerdotii dignitatem adimeret, quam in aliam transferret. *In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus, incipiam, & complebo*. Futurum quoque dixerat Deus, ut fidelem Sacerdotem suscitaret, qui ex ejus voluntate ageret, cui permanentem domum statueret, qui denique apud ipsius Christum semper incederet: *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus*. Primus horum promissorum sensus refertur ad Sadoc, quorum posteri ad usque dirutum a Romanis Templum Pontificiam dignitatem servarunt. Fuit alius Sadoc, filius Azæ, ex Christi proavis. Alius quoque Sadoc, alterius Achitob filius, & pater Sellum, magnus Judæorum Pontifex, eorum unus, qui ad Hierosolymitani Templi restaurationem opetam contulerunt. Præterea Sadoc Scriba, qui id obiit officii, ut dona in Templum collata reciperet; alii denique nonnulli minus noti. II. *Reg. c.* VIII. I. *Paral. c.* VI. *Matth. c.* I. I. *Paral. c.* IV.

Sadducæi, ita dicti a Sadoc nescio quo apud Antigonum de Sacho nuncupatum alto, cujus se discipulos dictitabant, vel ab Hebraica voce, quæ *justum* significat, unam e quatuor præcipuis Judæorum Sectis conficiebant. Pharisæis numero concedebant, at vi præstabant; eorum quippe cætus opulentis, & gradu insignibus viris, eorumque plerisque constabat, qui magnum Consilium constituebant. Sadducæi scripto tantum Dei verbo addicti erant, sed ita, ut inter sacros Codices non nisi quinque Mosis libros reciperent; omnesque traditiones rejiciebant; at ne Mosaicorum quidem librorum doctrinam tenuerunt, & in impias opiniones prolapsi sunt. Nimirum humani animi immortalitatem, corporum resurrectionem, Spirituum, Angelorumque existentiam negabant: *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. Deum qui-

quidem Creatorem, & Servatorem Mundi admittebant, qui ad eum tegendum, pœnas, & præmia instituerit; at non alias pœnas quam temporales, non alia quam temporalia præmia agnoscebant; & in eum tantum finem Deo serviebant, ejusque Legibus obediebant. Per hujus impiæ doctrinæ consectutionem, quæ post præsentis vitæ cursum a judicii metu liberabat, pravis omnibus cupiditatibus habenas laxabant, qui eorum impietatis fons, & origo erat; ubicumque enim grassatur licentia, morumque pravitas, haud cunctata prodit impietas. Qui ita vivit, ut se apud Deum purgare non possit, nullum adeo ridiculum, falsumque systema est, quod non libenter suscipiat, ut per illud a pœnarum delictis debitarum formidine liberetur; atque ob hanc sane causam adeo nullo non tempore propagata est Sadducæorum secta, & in dies adbuc excrescit. Ita olim gloriosum Christiani nomen titulus propemodum turpis evasit; vulgo quippe gloriæ ducitur *fortis spiritus*, ut ajunt, ridiculum nomen gerere, quod semper, & omnino vel pusillum, vel depravatum animum indicat. Et sane virtutis grande vocabulum, quod inflatis buccis Deistæ nostri pronuntiant, apud eos quidem nihil est aliud, quam exsucca vox, omnisque significationis expers; ii nempe virtutis speciem, seu larvam præferunt; at si intus, & in cute spectentur, obscæni, corrupti, & cupiditatibus mancipati homines deteguntur, qui se eo depravationis abripi sinunt, ut sensu careant quoad æternas pœnas, quas evitare non poterunt; qui omne virtute, probitate, pudore posthabito, impudenter, perfrictaque fronte blasphemias in Deum evomunt, Principibus audacter insultant, eosque non sine furore calumniantur, a quibus suis veras conspirationes patefieri posse sibi persuadent: *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant*. Mali Christiani, qui Religionem abrogatam vellent, a qua damnantur, mali Cives, qui nunquam non regiminis, cui subsunt, legibus obloquuntur, denique scelesti homines, qui, conscientia licet obstrepat, in homines virtute præditos invehuntur, quorum merito ad invidiam trahuntur, cum pudoe re suffundi debeant. Ac tot, tamquam præclaris titulis, quos abdicarunt, frivolam notam sufficiunt *venusti spiritus*, *cogitantis substantiæ*, quæ eos nec Christianos, nec Cives, ac ne homines quidem exhibet, hujusque ætatis hominum exsecrationi, posterorum contemptui, & formidandæ ultoris Dei indignationi reddit abnoxios, qui fulmina detinet, ut fidem nostram exerceat, & oracula sua perficiat: *Necesse est, ut veniant scandala . . . Cum Filius hominis venerit in terram, numquid putas fidem inveneris? . . . . Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii*.

Sagum, brevis tunica, quæ belli tempore in usu erat. Aod pugionem ancipitem sibi paratum voluit: *& accinctus est eo subter sagum in dextro femore*. Significabat etiam vestis genus, cilicio similis, e capræ pilis contextæ: *facies & saga, ciliciaque undecim*: præterea pannos undecim e caprinis pilis conficies, quibus Tabernaculi tectum obtegas. *Exod. cap.* XXVI. 8.

Sabarim, *turbæ*, vir e Tribu Beniamin, qui duabus deinceps conjugibus repudiatis, tertiam duxit Hodeam nomine, e qua ei nati filii Jobab, Sebia, Mosa, &c. *Porro Sabarim genuit in Regione Moab &c.*

Salabon, *Vulpis domus*, nomen Urbis, seu vici in Judæa, unde prodierat Eliaba, unus e strenuis viris in Davidis Exercitu: *Eliaba Salabonites*. II. *Reg. cap.* XXIII. 32.

Salamiel, *pax Dei*, filius Surisaddai, Princeps Tribus Simeon. Egrediens ex Ægypto trecentos armatos homines eduxit supra quinquaginta novem millia, & tamquam Tribus suæ cuput Tabernaculo victimam obtulit: *Juxta eam castrametati sunt de Tribu Simeon, quorum Princeps fuit Salamiel filius Surisaddai*. Numer. cap. I. 22.

Salamina, *percussa*, Urbs Insulæ Cypri, in quam se Paulus cum Barnaba contulit, & in qua Sergium-Paulum ad fidem

per

perduxit: *Navigaverunt Cyprum, & cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis eorum*. Urbs hæc hodie *Famaugusta* nuncupatur. *Actor. cap.* XIII. 5.

Salathiel, apparatus Dei, filius Jechoniæ, & pater Zorobabel, Judæorum Principis, qui post Babylonicam captivitatem Hierosolymitani Templi reparationi præfuit. Babylone Salathiel occubuit. Ejus, & Zorobabel filii nomina apud Sanctos Evangelistas, Matthæum, & Lucam occurrunt in Christi proavorum genealogia; & a posteriore quidem Salathiel dicitur filius Neri, quod dubitandi locum præbuit, Salathiel, de quo S. Lucas, eumdem atque eum esse, cujus in Paralipomenis mentio fit. At omnis tollitur difficultas, si dixerimus, eum Jechoniæ filium fuisse secundum carnem, & filium Neri secundum legem, per adoptionem, aut quod eam duxerit, ad quam hæreditas Neri spectabat, aut quod natus fuerit ex Vidua Neri sine filiis defuncti. Alius quoque Salathiel fuit in generatione Judith. *Judith cap.* VIII.

Sale missio, filius Arphaxad, & pater Heber, vel, ut Interpretes Septuaginta, & S. Lucas eos secutus tradunt, filius Cainan, & nepos Arphaxad. Sale supremum diem obiit an. Mundi 2126. ætatis suæ 433. *Genes. cap.* X. 24.

Salebim, qui respicit cor, Palæstinæ Urbs in Tribu Dan apud Ajalon, & Havis: *Habitavitque in Ajalon, & Salebim*. III. *Reg. cap.* IV.

Salecha, qui teritur, Urbs sita ad septemtrionales fines Tribus Manasse, qua ultra Jordanem est: *Universam Basan usque ad Salecha*. Josue cap. XII. 4.

Salem, pax, Urbs, in qua regnavit Melchisedech, dicta deinde Jerusalem in Tribu Ruben: *Melchisedech Rex Salem*. Alia hujus nominis Urbs in Sichimitarum regione, ad quam pervenit Jacob, cum a Mesopotamia reverteretur: *Transivitque in Salem, Urbem Sichimorum, quæ est in Terra Chanaan*. *Genes. cap.* XIV. *Joan. cap.* III.

Salim, vulpes, regio in Tribu Beniamin, cum ejusdem nominis Metropoli, ubi S. Joannes baptizabat: *Erat autem Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim*. *Joan. cap.* III.

Salinæ, salinarum vallis, Idumææ vallis, quæ nomen trahit a Salinis, quæ ibidem sunt apud Mare Mortuum: *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria, in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus*. E Syria, & peculiariter e Soba rediens David Idumæos in hac valle profligavit.

Salisa, princeps, regio in Tribu Beniamin: *Qui cum transissent per montem Ephraim, & per terram Salisa, & non invenissent*. Saal per hanc regionem transiit, patris asinas quæritans. I. *Reg. cap.* IX.

Saliva: *si salivam hujusmodi homo jecerit super eum, qui mundus est, lavabit vestimenta sua*. Hominis, qui fluxu seminis laborabat, saliva eum immundum reddebat, in quem decidebat, qui proinde ad vesperam usque pollutus erat; nec purgabatur, nisi cum se, suasque vestes omnes lavisset. *Non dimittere aliquem, ut glutiat salivam*, significat aliquem perpetuo vexare, nullo quietis momento relicto. *Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* Nempe nulla major injuria cuipiam inferri poterat, quam sputus in faciem; ac Deus Mosi prohibuit, ne Maria, lepra obruta ei se sisteret ante dies septem, quippe quæ ante illud temporis spatium ausa non esset ad patrem accedere, cui in faciem spuisset. *Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui, & vocabitur nomen ejus in Israel, domus discalceati*. Si hominis absque filiis defuncti fratres fœminam, quam ille viduam reliquerat, ducere noluisset, ea coram Senioribus ad eum accedebat, ei calceum detrahebat ex pede, & in faciem spuebat, inquiens: ita is habebitur, qui fratris domum ædificare non vult, ejusque domus discalceati domus vocabitur.

Sallem, parcus, unus filiorum Nephtali: *Filii Nephtali, Jasiel, & Gumi, & Sefer, & Sallem*. Genes. cap. XLVI. 24.

Salma, idoneus, seu Salmon, filius Naason, ex Rahab, quam conjugem duxe-

xetat, suscepit Booz. Dicitur pater Bethleem: *Salma pater Bethleem*, ut nempe significetur: Urbi Bethleem ex ejus stirpe incolas extitisse. I. *Paralip. cap.* 11.

Salmana, *imago*, unus e Madianitarum principibus viris, quem Gedeon occidit: *Omnes munitiones tuæ vastabuntur*, *sicut vastatus est Salmana*; peribis scilicet, eversis omnibus munitionibus tuis, quemadmodum Salmanam Judæorum exercitus profligavit. *Josue cap.* 8. 2.

Salmanasar, *pax ligata*, filius Teglath Phalassar, patri successit in Assyriæ Regno, quod per annos quatuordecim, usque ad an. Mundi 3290. administravit. Cum in Palæstinam venisset, Syriam subegit, & Oseam, filium Elæ sibi vectigalem fecit. Osea trium annorum spatio sub jugo fuit, cujus pertæsus, Ægypti Regis, qui Sua dictus, opem imploravit, ut illud excuteret. Salmanasar, conjuratione detecta, formidandum Exercitum in Israeliticum Regnum invexit, cujus regiones omnes fulminis instar percurrens omnino vastavit, militum licentia ubique grassante: *Ecce validus*, & *fortis Dominus*, *sicut impetus grandinis turbo confringens*, *sicut impetus aquarum multarum inundantium*, & *emissarum super terram spatiosam*. Cum Osea Samariam sui Regni Metropolim se recepisset, eam Salmanasar obsidione cinxit, quæ triennium duravit. Caritas, & contagio incolas plerosque de medio sustulerunt, denique Assyriæ Rex captam Urbem a fundamentis evertit, & cæde miscuit, nulla sexus, ætatis, gradus ratione habita, Oseam ipsum catenis pressum, una cum populi reliquiis, in Africam transtulit, Halam & Habor, Urbes regionis Medorum ad flumen Gozan. Tobias, qui e captivorum numero fuit, apud Salmanasar gratiam iniit, a quo libertatem obtinuit, & domestico etiam officio insignitus fuit. Hac expeditione defunctus Assyriæ Rex bellum in Tyrios suscepit, ac primum quidem pene omnibus Phæniciæ Urbibus potitus est; verum a Tyriis navali prælio fusus, cum ipse ad eos accedere non amplius auderet, relicta exercitus parte, quæ Tyrum obsideret, in Assyriam pedem retulit. Tyrii per annos quinque se strenue defenderunt, quibus elapsis, cum Salmanasar esset morti proximus, ab obsidione liberati sunt. IV. *Reg. cap.* XVIII. *Tob. cap.* I.

Salmias, *pax Domini*, eorum unus, qui a captivitate reversi conjuges repudiarunt, quas contra Legem duxerant: *Et surrexit Esdras Sacerdos*, & *dixit ad eos*: *vos transgressi estis*, & *duxistis uxores alienigenas*, *ut adderetis super delictum Israel*, & *nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum*, & *facite placitum ejus*, & *separamini a populis terræ*, & *ab uxoribus alienigenis*. I. *Esdr. cap.* X.

Salmona, *umbra*, Israelitarum statio in Deserto: *Castrametati sunt in Salmona*. Nonnulli hoc in loco factum putant, ut populus, manna fastidiens, Domino obloqueretur: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo*; quod indigne ferens Deus serpentes immisit, a quorum lethali morsu se Israelitæ liberare non potuerunt, nisi per ænei Serpentis aspectum, quem Domini jussu Moses extulit: *Fac Serpentem æneum*, & *pone eum pro signo*; *qui percussus aspexerit eum*, *vivet*. Verum id alii in statione Phunon contigisse volunt. *Numer.* XXXIII. 41.

Salmona, Urbs, & promontorium Cretæ Insulæ, quam prope S. Paulus transiit, cum Romam peteret: *Adnavigavimus Cretæ juxta Salmonam*. Nuncupatur hodie vulgo Salmanorum Caput. *Act.* XXVII. 7.

Salom, seu Sellum, *parcus*, Summus Judæorum Pontifex, successor alterius Sadoc, & pater Helciæ: *Miserunt in Jerosolymam ad Joachim filium Helciæ*, *filii Salon*, *sacerdotem*. I. *Paralip.* VI. 12.

Salome, *pacificus*. Nomen hoc saltatrici puellæ Herodiadis filiæ tribuitur, quæ adeo elegantem coram Antipa choream egit, ut Princeps in suæ lætitiæ ebrietate se nihil ei negaturum promiserit, etiamsi Regni dimidium petiisset: *Quia quicquid petieris*, *dabo tibi*, *licet dimidium Regni mei*. Salome, explorato matris consilio, S. Joannis Baptistæ caput poposcit, qui merito incestuosum Herodiadis, & Antipæ matrimonium arguere non desistebat. Postulatum hoc ægris auribus excepit Rex, quippe qui sanctum Virum, a quo increpabatur, qua par erat, observantia prosequaretur; at obstrictam fidem, & jurejurando firmatam sibi

bi præstandam ratus, Carnificem misit, qui Sancto Joanni caput recideret: *Propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, noluit eam contristare, sed misso Spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco*. Marc. vi. Luc. iii.

Salome, Zebedæi conjux, sanctorumque Jacobi Majoris, & Joannis Evangelistæ mater, sanctarum Mulierum una, quæ Dominum, cum iter faceret, comitari, eique deservire consueverant. Ea nimirum fuit, quæ a Christo Domino postulavit, ut ejus filii duo, ei unus ad dexteram, alter ad sinistram sederent, cum ad Regnum suum pervenissent, Jacobus scilicet, & Joannes: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo*. Salome Christum ad Calvarium comitata est, neque ad Crucem deseruit: *Erant autem & Mulieres de longe adspicientes, inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris, & Joseph mater, & Solome*. Fuit etiam ex earum numero, quæ emerunt aromata, quibus mortui Christi corpus condirent, eoque consilio Dominicæ diei mane ad sepulcrum se contulerunt: *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Quo cum pervenissent, sepulcri lapidem revolutum viderunt, ingressæque Angelum conspexerunt, a quo de Christi resurrectione monitæ fuerunt, & cum Hierosolymam reverterentur, iis per viam Christus apparuit, dixitque: *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt*. Id unum de Salome constat ex Evangelio, quicquid additur, apocryphum est. *Matth.* xxviii. *Marc.* xx.

Salomi, *pacificus*, pater Haiud, princeps Tribus Aser. Hic Haiud eorum unus fuit, qui Terræ promissæ divisioni præfuerunt: *De Tribu Aser Haiud, filius Salomi*. Ejusdem nominis alius erat pater Zambri, quem Phinees occidit: *Zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi*. Hic posterior etiam Sallu nuncupabatur. *Numer.* xxxiv. & xxxv.

Salomith, vel Salumith, *pacifica filia* Dabri e Tribu Dan, & mater blasphemi hominis, qui lapidationis pœnæ addictus fuit: *vocabitur mater ejus Salomith filia Dabri de Tribu Dan*. Sacra Scriptura filium hunc ex Ægyptio quodam ab ea genitum ait: *Quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel*. Sunt etiam viri Salomith dicti, nempe filius Zorobabel, filius Isaar, filius Semei, & filius Robuam. *Levit.* xxxiv. i. *Paralip.* ii. xx. iii. & ii. *Paralip.* xi.

Salomon, *pacificus*, Davidis, & Bethsabeæ filius, natus est an. Mundi 2971. Ex quo lucem aspexit, cum Dominus amore complexus est, eidemque *Jedidiæ* nomen, quod a Deo amatum significat, a Propheta Nathan impositum voluit. Filius hic ex matrimonio natus, quod crimina duo præcesserant, adulterium, & homicidium; arcanis Divinæ Providentiæ consiliis ita postulantibus, is demum futurus erat, in quo primum, quæ Deus Davidi promiserat, perficerentur. Statuerat Deus fore, ut is magna cum gloria regnaret, longam Regum seriem Israelitico populo suppeditaret, promissique Servatoris pater, & e perfectissimis ejusdem figuris esset. Ita enim per Nathan Davidi promiserat: *Suscitabo semen tuum post te, quod egreditur de utero tuo & firmabo regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum, ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum .... misericordiam autem non auferam ab eo, sicut abstuli ab Saul, quem amovi a facie mea*. David, qui Salomonem filium singulari amore prosequebatur, animum applicuit, ut pro insignium Dei consiliorum ratione institueretur. Maturius operam dedit, ut optimis moribus imbueretur, abduceretur a viriis, moneretürque de humanæ vitæ periculis, insidiisque, quas junioris Regis innocentiæ assentatores tendere non desistunt. Patris eximia monita Salomon ipse nobis servavit: *Nam et ego filius fui patris meitenellus, et unigenitus coram matre mea, et docebat me, atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, et vives etc.* Sub finem vitæ, regoique Davidis, cum Adonias ab asseclarum manu se Regem renuntiandum curasset, Nathan, & Sadoc Bethsabeam de re tota monuerunt, a qua statim certior factus David, Salomonem, nulla inter-

terjecta mora, ad Gehon pergere jussit, ubi Sadoc ei regilem unctionem contulit. Rex ergo renunriatus, & inter populi plausus ad regias ædes perductus fuit, eumque David sub solio sedere voluit. Tum vero Princeps hic ob successoris aspectum lætitia gestiers, sanctoque furore correptus sublime illud vaticinium edidit, quod psalmo septimo, quem postremum composuit, continetur: *Deus, judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis &c.* Ambitione tumens Adonias, cum sibi solium promitteret, ad consecrati Salomonis nuntium, se ab omnibus derelictum vidit, eoque adactum, ut se sisteret ad ejus pedes, cui diadema se adempturum sperabat, & gratiæ titulo vitam ab eo ipso obtineret. Paulo post David eos ex Regno coegit, qui in omni ordine primas tenebant, quibus eligendum successorem ostenderet, quibusque præsentibus tumultuatiam Salomonis renuntiationem firmaret, quam per Adoniæ facinus ea, quam adeo augusta cæremonia postulabat, solemni furma perficere non potuerat. Princeps hic, ut se morti proximum vidit, accitum Salomonem filium monitum postremo voluit, cumqne ei fidem & pietatem in Deum commendasset; & in mandatis dedisset, ut patri illatas injurias ulcisceretur, & collata beneficia compensaret, supremum in Domino diem obiit. Patris vita functi solium obtinuit Salomon ætatis an. xix. universo Israelitico plaudente populo. Sua primum usus auctoritate Adoniam morti addictum voluit, quem semper ambitiosa consilia ad arrogatum solium trahebant per Abisag matrimonium, quod vehementer urgebat. Abiathar quoque Adoniæ fautorem Pontificia dignitate privavit, & Anatot, quæ e Sacerdotalibus Urbibus erat, relegavit. Joab, qui & ipse a perduelli steterat, id non ignorans, de quo agebatur. ad Tabernaculum fugir, amplexus Altaris cornu; at Salomon, Legis verba secutus, ne voluntarius homicidia relinqueretur in vivis, ad aram licet confugisset, eum ibidem occidi jussit. Triennio post eidem supplicio voluit addictum Semei, qui Hierosolymis ausus egredi, contra ac jussus a Salomone fuerat, dignus fuit, cujus vetera scelera revocarentur. Tunc Salomon se solio potitum videns, Pharaonis Ægypti Regis filiam duxit, quam dubio procul impulit, ut ab idololatria recederet, silente quidem sacra Scriptura, at prohibente Lege, ne matrimonium cum idololatris contraheretur: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.* Reginam duxit Hierosolymam, & in veteres Davidis ædes recepit, quoad ei novas struxisset, quod post annos aliquot executus est. Harum nuptiarum occasione Salomon Canticum Canticorum, quod earumdem Epitalamium est, concinnavit. Tum universo comitante populo, in Gabaon se contulit, qui sublimium locorum unus, & quidem e totius regionis clarissimis erat; ubi super æneum Altare, quod ante Tabernaculum erat, hostias mille in holocaustum obrulit; eique Deus sequenti nocte in somniis apparuit, mandavitque, ut peteret, quicquid optabat. Salomon, actis Domino gratiis ob beneficia, quibus ejus patrem cumulaverat, & quod se potissimum, qui ei succederet, elegisset, ab eo postulavit docilem animum, qui bona consilia audire, & sequi paratus esset, perspicaciam, & & prudentiam, qua sibi a mendacii seductione caveret, veritatis amorem, quo a se ipso assentationis virus averteret, animique constantiam, qua justitiæ prorsus addiceretur: *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Salomonis postulatum Deo gratum fuit, qui ei sapientiam, qua nemini majorem contulit, eique pretioso muneri divitias, & gloriam addidit, quæ non petierat: *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Expergefactus Salomon intellexit, id omne in somnio contigisse, sed in prodigioso somnio, in quo res perspicue cognoscuntur, & in quo divinitus sopitis quoad externas res sensibus, non amplius a materia pendens animus, rationis, & libertatis usu omnino fruitur, ut Deum loquentem intentus audiat. Statim veram sapientiam, quam Salomoni promisserat, reapse infusam ostendit; de qua ut

ut Regnum totum splendido eventu convinceret, occasionem, quæ unica est in historia, oblatam voluit, qua huic Principi inter duas partes judicaturo nihil eorum suppetebat, quibus ad veritatem detegendum homines uti solent. Sceleſtæ feminæ duæ ad Regem se contulerunt, dixeruntque, inter dormiendum contigisse, ut una puerum suffocaret, & sociæ in vivi locum apponeret, eum proinde, qui superat, utraque sibi tamquam suum vindicante. Itaque Rex ne minimum quidem nactus indicium, quod ad tam obscuras tenebras disjiciendas facere posset, statuit ex tempore materni amoris periculum facere; ut ex interno dolore veritatem exprimeret, infantem vivum bifariam secari jussit, & utrique fœminæ dimidium tradi: *Dividite*, *inquit*, *infantem vivum in duas partes*, *& date dimidiam partem alteri*. Captum consilium e voto cessit, & natura se ipsam explicuit. Vera mater ut ensem vidit, quo filius in duas partes secandus erat, scissis vestibus, eum cedere, quam sectum videre maluit: *Obsecro*, *Domine*, *date illi infantem vivum*, *& nolite interficere eum*. At ficta mater, æmulæ superandæ cupiditate excæcata, se prodidit, in sententiæ executionem consentiens: *Nec mihi*, *nec tibi sit*, *sed dividatur*. Tum Rex, Deo ipso in re tam obscura ejus mentem illustrante, sententiam protulit, & veræ matri puerum reddi jussit: *Date huic infantem vivum .... hæc est enim mater ejus*. Judicium hoc in omnium animis longe maximam sapientiæ, & perspicaciæ juvenis Regis existimationem impressit, eique singularem observantiam apud universum Israeliticum populum conciliavit. Interea Rex cumulatissima pace gaudens, Domino Templum, sibique ipsi regias ædes constituere statuit. Eo consilio, cum Hiram Rege Tyri fœdus iniit, eumque per Oratores rogavit, ut sibi liceret mittere, qui in monte Libano cedros, & abietes cæderent; strenuos etiam opifices ex ipso petiit, quibus ad executioni mandandum, quod proposuerat, uteretur. Humaniter Hiram Salomonis postulatis annuit; missoque viro, cui nomen Hiram, in omni operum genere præstantissimo, se perfecturum recepit, ut omnia, quibus opus fuisset, ligna Joppen usque perducerentur, unde Salomon ea Hierosolymam perferenda curaret. Contra Salomon 20000. tritici modios, & hordei totidem, nec non 20000. vini dolios, oleique utres totidem se Regi Tyri quotannis suppeditaturum promisit. Ita ergo cæptum opus, ut Proselytorum septuaginta millia humeris ea gestarent, quorum usus ad ædificationem futurus erat, octuaginta millia in montibus saxa cæderent, tria millia, & sexcenta obirent Inspectorum munia; & præterea Israelitarum 3000. in Libano alternis decem millia in opus incumberent. Post hos apparatus, anno 480. ab exitu ex Ægypto, die secunda secundi mensis, Regni Salomonis anno quarto, cæpta est ædificari Domus Domini in Monte Maria in planitie Ornan, quam David emerat. Post operæ septem annos perfectum opus, cujus Dedicationem solemniter Salomon celebravit. Cæremonia hæc, ad quam acciri omnes Israelitarum Seniores, omnisque populus confluxere, dierum septem spatium occupavit, quibus elapsis, inchoatum Taberoaculorum Festum, quod ipsum septem prætera dies perduravit; ut proinde per quatuordecim omnino dies populi conventus extiterit. Salomon, imposita extrema Templo manu, animum applicuit; ut regias ædes duas, unam sibi, alteram Reginæ conjugi, quæ Regis Ægypti filia erat, erigeret. In earum constructione posuit annos tredecim, nihil eorum reliqui faciens, quæ natura, & ars ad amplitudinem suppeditare poterant, quo Rege totius Orientis maximo dignæ forent. Cum ergo Salomon omnia hæc opera feliciter ad exitum perduxisset, ei Deus secundo apparuit, significans, se veterum ejus precum, quibus cumulatissime jam annuerat, oblitum non esse; at ne forte promissis adeo magnificis intumesceret, eum monitum voluit, ea non absoluta esse, sed conditione suspensa, scilicet ab ejus fide pendere; cæterum si ab ejus Lege, ac servitio defecisset, minitatus est fore, ut Templum ipsum ab eo sibi dicatum non sine horrore rejiceret, Israeliticum populum e terra, quam ei possidendam dederat, exterminaret, ejusque calamitates adeo insignes, & tragicas redderet, ut ad extrema significanda mala,

in

in proverbium abirent : *Si autem aversione aversi fueritis vos, & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & caeremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis, & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos, auferam Israel de superficie terrae, quam dedi eis, & Templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis.* Praeter magnifica, de quibus hactenus, opera, Urbis quoque Jerusalem maenia, plateamque Mello, quae inter Montem Sion, ubi aedes regiae, & montem Moria, ubi Templum, intererat, Salomon aedificavit, conditis praeterea multis, quam late patebat ejus imperium, Urbibus, multisque munitis aliis; Chananaeos, qui in Israelitarum regione reliqui erant, suae omnes ditioni subdidit, quos publicis operibus addicere, quam e vivis tollere maluit, ut naturales subditos sibi servaret, quos Ministros, Officiales, exercitusque supremos Duces instituit. Hujus Principis vim, divitias, magnificentiam finitimi Reges non verebanrur modo, verum etiam reformidabant. Ejus Imperium ab Euphrate flumine ad Philistaeorum regionem, ipsosque Ægypti fines in omnia Regna protendebatur, quae sibi vectigalia reddiderat. Regii redditus annui aurea talenta 666. conficiebant, haud computatis subsidiis, quae Israelitae suppeditabant, & juribus, quae Mercatores solvebant. Aulae splendor, mensae magnificentia, Ministrorum, & militarium Virorum innumera multitudo, vestium opulentia, aedium ornatus, & amplitudo eos admiratione perfundebant, quos tanti Regis fama Hierosolymam traxerat. Nihil non ex auro, solium, equestris apparatus, vasa, supellex, mobilia quaeque; metallum hoc aeque ac saxa, plumbumque, commune erat. At hae supra modum impensae, incredibilis hic luxus, denique nihil populo onerosum erat; Israelitis, ut sacra Scriptura testatur, singulis ad vineae suae, suaeque ficus umbram comedentibus, bibentibus, genio indulgentibus: *Habitabatque Juda, & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis.* Ejus opum praecipuus fons Tarsus erat, quo classis triennio quoque se conferebat, ut aurum, argentum, ebur, scimias, pavones conquireret. Praeterea classis alia solvens ex Idumaeae Urbe, cui nomen Asion-Gaber, ad Rubri maris littus, navigabit Ophir, unde praeter gemmas, aurumque, peregrina lingua referebat. At haec omnia externa bona Salomoni minorem admirationem conciliabant, quam sapientiae singularia lumina, quae Deus eidem concesserat. Orientis ille, Ægyptique Sapientes omnes longe multumque superavit. Ejus mens omnia pervadebat; a cedro ad hyssopum usque de arboribus omnibus, plantisque, de terrestribus animalibus, reptilibusque, ac de piscibus egit: *Et disputavit super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, qui egreditur de pariete; & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* * Sententiarum tria millia pronuntiavit, & canticorum quinque millia composuit. Inauditum hoc supra humanae naturae vires sapientiae prodigium, quam huic juniori Regi Deus absque studio, ac labore large contulerat, populorum, & Regum curiositatem excitabat, qui undique erudiendi ad eum confluebant: *Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis Regibus terrae, qui audiebant sapientiam ejus.* Tam rarae sapientiae fama Reginam Sabae permovit, ut Hierosolymam se conferret. ** Regina haec persuasum habens, Principem, qui omne suum studium in Religione collocabat, aptissimum esse ad eas quoque difficultates solvendas, quae super mundi creatione, super Divinitatis natura, super Providentia, super animae immortalitate, ac super futura vita sollicitam eam habebant, e dissitis regionibus eo consilio venit, ut lumen quaereret, quod ei nemo suppeditare potuerat: *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in aenygmatibus.* Ejus ergo primum per obscuras quaestiones periculum fecit, ut de ejus scientia certior fieret; Rex autem omnibus ab ea propositis difficultatibus cumulatissime satisfecit. Adeo vehementer, apposite, ac digne de Religione disseruit, ut admodum probabile sit, Reginam ejus sermone ad verum Dei cultum perductam esse. Regina

na Magnificentia Salomonis splendore perstricta, multoque magis ejus sapientiæ prodigiis abrepta non poterat, quin eum summopere admiraretur, eorumque fortunæ invideret, qui sine intermissione eum scientiarum inexhaustum fontem attingere, intentisque auribus oracula, quæ ex ipso loquentis ore prodibant, excipere poterant: *Beati viri tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*. Ergo magnifica dona Regi tribuit, qui in grati animi argumentum eidem majora obtulit, & singulares honores addidit. At plausus, & cultus, qui insignem Salomonis sapientiam consequebantur, excellentia, quam ei potestas, & in omni genere perspicacia supra Reges cæteros conferebant, sollicitudo, qua ad eum spectandum omnes undique confluebant, lætitia, qua nemo non eumdem audire gestiebat: hæc omnia vehementius in dies humanam imbecillitatem sollicitabant. Succubuit tandem Salomon, & post incredibiles casus in malum maxime formidandum, quod sacra Scriptura memorat, prolapsus est. Assuevit paulatim ejus animus externis rebus, quibus undique cingebatur, eumque assuetudo hæc voluptatum illecebris pervium reddidit. Extranearum mulierum amori se perdite dedidit, e quibus vel mille duxit, contra expressam Legis sanctionem, quæ Regibus hunc usum vetuerat: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus*. Violabat etiam per hoc monstrosum facinus Legem aliam, qua Israelitæ fœminas, tum quæ essent e maledicta stirpe Chanaan, tum quæ ex alio quovis populo Idola colerent, in conjuges ducere prohibebantur. Sane Deus omnium legum Auctor, & moderator, atque adeo ipsa suprema Lex, ab utraque lege Patriarchas plures exemerat; ita in Abraham, Jacob, Davide, aliisque multis poligamia peccatum non fuit; id enim spectabat ad Judaicæ Religionis Æconomiam, quæ prophetica omnino erat, eorum præterea sanctorum Virorum vita quædam & ipsa figura erat; iidem poterant extraneas fœminas ducere, Chananæis exceptis, quæ anathemati addictæ erant; ita tamen ut ab idololatria recedere juberentur, quod omne periculum amovebat; verum exceptiones hæ excusare non possunt inauditam multitudinem conjugum Salomonis, quarum pleræque Sidoniæ, Ethææque erant, maledictorum scilicet populorum reliquiæ. Ex alia parte Salomonem adeo effrænis libido transversum egit, dignumque reddidit, quem Deus propriæ infirmitati traderet, cujusque perfidiam evanescente mente puniret. Princeps hic, qui de Divinitate adeo magnifice, ac sublimiter cogitabat prædicabatque, qui vi tanta ejus prodigia vulgaverat, qui suam omnem gloriam, & lætitiam in eo posuerat, ut augustum Templum eidem ædificaret, ad exsecranda deliramenta se abripi passus est, eoque devenit, ut monstrosissimis, & ineptissimis Ethnicorum Numinibus Templa erigeret, atque ita Idolorum cultum cum veri Dei, quem ejus Patres coluerant, cultu conjungens indigno fœdere, vitæ suæ postremos annos dehonestavit: *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos . . . . tunc ædificavit fanum Chamos idolo Moab, in monte, qui est contra Jerusalem, & Moloc idolo filiorum Ammon*. Deus hujus Principis, quem tot beneficiis cumulaverat, ingrato ultra omnem modum animo exacerbatus, ei suam omnem vindictam minitatus est; fore scilicet, ut ejus Regnum divideret, & servo traderet; se tamen id, eo vivente, non effecturum, in Davidis gratiam, cui futurum promiserat, ut Regnum in filio firmaret, qui ex eo nasceretur: *Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum; de manu filii tui scindam illud*. Interea Deus, ut reum puniret, & seditioni, quæ post ejus mortem contigit, viam sterneret, hostes in eum concitavit Adad Idumæum, & Razon Syrum, instrumenta, quæ jampridem paraverat, ut in hunc Principem, cujus errata prævidebat, animadverteret. Jeroboam vulgaris Viduæ filius, quam Deus huic orphano profugo, huic latronum signifero comitem addidit, ut Salomonis solium turbaret, gravium vectigalium, quæ Rex, dum incumberet ad aulam Mello, subditis imponere coactus fuerat, occasionem arripuit, ut animos incitaret, & defectionem foveret, quæ, Roboamo regnante,

te, contigit. Salomon quidem operam dedit, ut seditiosum hominem de medio tolleret; at ille in Ægyptum fugit, ubi constitit ad Regis usque mortem, qui quadraginta regnavit annos. Id honoris huic Principi fuit, ut Messiam exhiberet in omni vita ad casum usque; at malo ipsius fato factum, ut ejus gloriam tantum, amplitudinemque referret, ea vero, quæ humilia in ipso futura erant, non admisceret. Eum repræsentare cæpit, statim atque ad solium elatus fuit; ei David in mandatis dedit, ut injurias, quibus affectus fuerat, ulcisceretur, & officia, quæ receperat, compensaret. Ita Dei Filius in gloriæ suæ statu, homines judicandi, peccatores scilicet, ut Joab, puniendi, fideles autem servos, ut Berzellai filios, ad æternæ vitæ fruitionem suscipiendi cumulatissimam potestatem obtinuit. Salomonis opes, amplitudo, magnificentia, ædes augustæ, & id genus alia ad externum splendorem facta, Judæorum carnales oculos in admirationem pertrahunt; at oculis fidei non nisi velum exhibent, sub quo Christus spectatur in Cœlesti Hierosolyma suos inter Electos regnans, qui bonis domus ejus ad satietatem, & ut sacra Scriptura loquitur, ebrietatem affluunt, æternarumque deliciarum torrente persunduntur. Judæi, qui a Messia terrena bona tantum expectant, ea conjuncta comperiunt in Salomonici Regni historia, quam sacra Scriptura describit; at Christifideles, qui æterna bona sperant, veri Servatoris notas in eo uno detegunt, qui homines peccatis liberans, obstaculum, quo a cælesti Regno excludebantur, ab iisdem amovit. Christus viam iniit, Salomonis gloriæ, & magnificentiæ ex diametro oppositam. Ut veræ amplitudinis viam nobis ostenderet, obscuram, laboriosam, despicatui ductam in terris vitam egit; natus est in præsepis paupertate, & inter Crucis ignominias occubuit; hoc autem Christum inter, & Salomonem sane insigne, mirumque discrimen est, quod ad Judæos excæcandos plurimum contulit. Messiam nimirum Regem Israel huic Principi similem expectabant; sperabantque ab eo prosperitatem ipsam, quam Salomon subditis suis comparaverat; atque in Mariæ filio nihil eorum nacti, quæ eorum cupiditatem in figura magnopere illexerant, eum Christum, suumque Regem habere noluerunt.

Magna quæstio est de Salomonis salute, qui boni tantum, malique egit, cujus primi quidem anni adeo commendandi, postremo vero adeo deplorandi sunt. Egitne ergo idololatriæ, & incontinentiæ pœnitentiam? Id nimirum Deus haud revelavit. Perspicue Scriptura super ejus lapsu se explicat, de resipiscentia omnino non loquitur; ac nobis quidem plures timendi, quam sperandi causæ suppetunt. *** Nonnullorum sententia Ecclesiastes ab eo concinnatus fuit, ut ejus conversionis æternum monumentum esset; at nos jam ostendimus, id argumentum admodum ambiguum esse, præsertim cum Salomon in eo libro de erratis suis alte sileat, quorum sane publicam palinodiam canere debuisset. Posset etiam conjici e sacræ Scripturæ non obscuro textu, Principem hunc in sua cæcitate periisse; ex eo quippe constat, Josiam ad profanas cæremonias locis sublimibus usum esse, quæ Salomon in honorem falsorum Numinum, Astaroth, & Moloch erexerat: *Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab . . . polluit Rex*. Hæc igitur ejus idolatriæ monumenta adhuc Josiæ tempore subsistebant. Jam vero si vere eum pœnituisset, nonne suum esse credidisset, iis sacrilegis Templis dirutis, scandalo occurrere, quod eadem erigens populo attulerat?

Quod attinet ad ejus Opera, ex iis, quæ composuit, non alia supersunt, quam Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum, qui Libri dubio procul eum Auctorem agnoscunt, & in sacrum Canonem relati sunt. Ei perperam tribuuntur Ecclesiasticus, & Sapientia, qui Libri duo Salomonis non sunt, quemadmodum & alia non pauca Opera certe supposita.

* *Salomon lib.* III. *Reg. cap.* III. *petiit a Deo* רבשומץ cor audiens, *quod nonnulli ad Deum, vel ad Spiritum Sanctum, vel ad eos denique referunt, qui ei a consiliis futuri erant; alii aptius de litibus, & controversiis interpretantur, quandoquidem*

dem additur e vestigio לשפוט ad jus dicendum populo tuo. *Jam hæc Salomonis petitio adeo Deo grata fuit, ut ei non solum sapientiam, quæ suis omnibus decessoribus, successoribusque præstaret, verum etiam divitias promitteret, & gloriam, vitamque diutissimam, siquidem Divinæ Legi obsecutus esset. Et ad sapientiam quidem quod attinet, ea potissimum venit intelligenda, quæ ad Reipublicæ regimen, ad moralium, civiliumque rerum notitiam, denique ad naturalium rerum investigationem spectabat; eaque præterea sapientia, quæ homines integros vitæ, scelerisque puros exornat; id autem habita ratione temporum, quibus Salomon floruit. Hinc facile dirimi possunt quæstiones plures, quæ super hac re proponi, atque agitari solent, causa exempli, an Salomon Apostolis sapientior fuerit, & ejusmodi aliæ. Impium profecto, absonumque fuerit, Salomonis sapientiam cum ea comparare, quæ in Christo, & Apostolis fuit. Quamvis enim summa fuerit, & admiratione dignissima, accipienda tamen est pro hominis captu, & pro artium, scientiarumque notitia, quæ iis temporibus florebant. Qua ex re suapte sponte consequitur, Salomonem de nonnullis etiam rebus, ad artes, scientiasque spectantibus ignorasse, eosque pariter hallucinari, qui earum artium, & scientiarum cognitionem Salomoni tribuunt, quæ eo tempore in usu non erant, quæque deincept inventæ fuerunt. Hinc eliminandæ sunt ineptæ, otiosæque Scholasticorum quæstiones, videlicet:* An fuerit illa Salomonis sapientia infusa per se? An communia non solum principia, sed singulares quoque conclusiones calluerit? An in cognoscendis primis rerum affectionibus discursum adhibuerit? An omnium individuorum cognitionem comprehenderit? Errare ne, aut oblivisci, vel amittere sapientiam, an exercere eamdem, atque augere sequenti labore potuerit, debueritve? *Et id genus aliæ quæstiunculæ, quæ fortasse subtilitatis aliquid habent, soliditatis nihil. In his quippe nugis immorari velle hominis fuerit tempore intemperanter abuti volentis, cujusmodi fuit* Joannes Pineda, *qui opus elaboravit inscriptum de* Salomone prævio, *nempe* de rebus Salomonis *lib.* III. *ubi contendit, omnium artium, rerumque divinarum, & humanarum* Encyclopædiam *Salomoni concessam fuisse, eumque nobis venditare nititur* summum Astronomum, Geometram, & Arithmeticum accuratissimum, Cosmographum item, ac Geographum, atque Architectum perfectissimum, & magiæ naturalis callentissimum, civilis doctrinæ consultissimum, moralium Doctorum eruditissimum, & Theologum denique numeris omnibus absolutum fuisse. *Porro nemo non intelligit, singula hæc sine grano salis, ut dicitur, suscipienda non esse.*

Nos contra, missis somniis, Salomonis sapientiam, Sacra Scriptura facem præferente, spectabimus. Eam sane summam, & admiratione dignissimam fuisse testatur Sacer Scriptor, dum inquit: Donavit etiam Deus Salomonem sapientia, & peritia maxima; animique amplitudine, quæ arenam, quæ est in littore maris, æquabat. *Ad animi amplitudinem quod spectat, in Hebraico textu legitur* רחב לב extensio cordis; *qua loquendi ratione ingenium multarum rerum capacissimum significatur. Jam vero rerum, quæ cognosci possunt, longe maximam multitudinem amplo animi sui veluti sinu Salomonem complexum esse, ex comparatione quoque deducitur, quæ inter hæc, & arenam, quæ in littore maris est, instituitur. Subdit Sacer Scriptor, ut ostendat, quantum Salomon sapientia præstiterit, eam superasse* sapientiam Orientalium, & omnem sapientiam Ægypti. *Fuere non pauci, qui* בני קדם *interpretati sunt* antiquos, *secuti versionem Interpretum septuaginta, qui ita vertunt Hebraica vocabula:* Καὶ ἐπληθύνθη Σαλωμὼν σφόδρα ὑπὲρ τὴν φρόνησιν πάντων ἀρχαίων ἀνθρώπων. *Et Josephus lib.* VIII. *Antiquitatum Judaicarum cap.* II. *secutus est auctoritatem Septuaginta:* Τοσαύτην δὲ, ἐν ὁ θεὸς Σαλωμῶνι παρέσχε φρόνησιν καὶ σοφίαν, ὥστε τοὺς ἀρχαίους ὑπερβάλλειν ἀνθρώπους: tanta Deus prudentia, & sapientia donaverat Salomonem, ut veteres superaret homines. *Verum alii rectius per Orientis filios intelligunt Orientales populos, penes quos litterarum studia floruerunt; idque eo magis, quod ibidem fit Ægyptiorum mentio. Per Orientales quoad Chananæam populos intelligi possunt Chaldæi, Babylonenses, Arabes, Persæ, quos constat sapientia temporibus antiquissimis excelluisse. At seu Chaldæi, seu Arabes intelligantur, nos quidem haud satis.*

tit scimus, quaenam earum nationum sapientia ea aetate temporis fuerit. Monumenta, quae supersunt, quaeque ad nos per Graecorum industriam potissimum pervenerunt, de quibus Historiae Philosophicae Part. XIII. *compendiose* Stansleus *loquitur, omnino recentia sunt, ut proinde nihil inde certi deduci possit.*

Praeterea Salamonem ferunt ea scientia instructum fuisse, ut ex Hebraica Natione suorum temporum excellentissimos quosque superaret, cujusmodi fuerunt Etanus Ezrachita, Hermanus, Chaleoles, & Dardam; *edisserunt etiam, quae sapientiae specimina exhibuerit:* Protulit tria millia sententiarum, ejusque Canticorum fuerunt quinque supra mille. *Vocabulum* משל similitudinem *significat, & a Graecis sumitur pro* παραβολὴ parabola; *pro quavis tamen sententia ponitur, quae ingenii peculiarem aciem patefacit, & ad vitam instituendam, emendandosque mores profertur. Ex libro etiam, qui nobis suppetit, nempe* משלים, *id etiam constat, eas sententias pro Graecorum gnomis accipiendas esse. Haud dubitari potest, quin liber hic praeclarissimas, selectasque sententias contineat, quas Salomon Divino instinctu afflatus scripsit; atque hinc quoque deducitur, quanta ejus in civilibus, & moralibus cognitionibus peritia fuerit. Quod attinet ad Cantica, Hebraice dicta* שירים, *quae demum fuerint, tum ex Psalmo* XLV. *tum ex Cantico Canticorum perspicuum fit. In dubium enim revocari non potest, quin de rebus divinis in utrisque Salomon egerit. Qui autem putant, in hoc Psalmo, & in Cantico Canticorum de conjugali, prorsusque impuro, & lascivo amore sermonem esse, nihil aliud faciunt, quam suam ipsorum profanam, & impuram mentem ostendunt, quemadmodum in Articulo* Canticum Canticorum *jam dictum est.*

Flavius Josephus *errat via tota, dum asserit, Salomonem non sententiarum tria millia, quemadmodum Sacer Scriptor tradit, sed* παραβολῶν, καὶ εἰκόνων βίβλους τρισχιλίας, libros de odis, & canticis quinque supra mille *concinnasse, quasi de arte poetica, & componendis Canticis totidem libros ediderit.*

De Salomone praeterea dicitur: Egit de arboribus, a cedro, quae est in Libano, ad hyssopum, quae prodit ex muro, de quadrupedibus, de avibus, de reptilibus, deque piscibus: *nempe de arborum, plantarum, & animalium natura, & indole locutus est; ac se admodum naturalis scientiae, physicae dictae peritum ostendit. Ibidem quoque* Flavius Josephus *profecto fallitur, dum id quoque ad mores refert, perinde ac si arborum quodque genus edendi parabolas occasionem eidem suppeditaverit:* καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν, secundum unamquamque speciem arborum parabolam dixit. *Cedrus porro, & hyssopus arborum primum, & ultimum indicant. Omnium quoque generum fructus in hortos contulit. Et quoniam non omnis fert omnia tellus, addunt proinde Rabbini, eum subterraneos meatus omnes, solique indolem probe novisse, neque ignorasse, quibus potissimum plantis, arboribusque emittendis, alendisque singulae ejusdem soli partes idoneae, aptaeque essent. Legatur* Salomon Jarchi. *Quod etiam Sacer Scriptor de animalibus ait, eorum indolem Sapientissimo Regi notissimam fuisse, idem* Josephus *ita videtur accipere, quasi Salomon ex arboribus occasionem sumpserit parabolas concinnandi:* οὐδεμίαν γὰρ τούτων φύσιν ἠγνόησεν, οὐδὲ παρῆλθεν ἀνεξέταστον: nullius enim horum naturam ignoravit, aut inscrutatam reliquit. *Alii Rabbini ridiculi sunt, & cùm in Hebraico textu legatur:* על הבהמה וידבר, *particulam* על *vertunt per eum, atque inde concludunt, Salomonem cum Brutis locutum esse, eorumque responsa percepisse. Ex voce* וידבר *rectius infertur, Salomonem de brutis, prout ei se obtulit occasio, verba fecisse, atque in hac scientia facem caeteris praetulisse. Non inde tamen consequens fit, ab eo super ejusmodi rebus editos libros fuisse; tametsi fortasse non defuerint, qui notitias eodem spectantes, quas a Salomone acceperant, in commentaria referrent. Eumdem Regem optime mathesim calluisse certissimam fidem faciunt magnifica, & sumptuosa aedificia ab eodem extructa. Ac videtur etiam deduci posse, eumdem astronomum fuisse, quia penes Aegyptios, & Chaldaeos, quibus Salomon scientia praestitisse dicitur, priscis temporibus Astronomiae studium florebat. Turpiter etiam* Josephus *fallitur, dum his omnibus cognitionibus artem quoque magicam addit:* τά-

παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ Θεὸς ϗ τὴν κατὰ τῶν δαιμονίων τέχνην εἰς ὠφέλειαν, ϗ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, ϗ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλειπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι: Quin & eam rem divinitus consecutus est, ad utilitatem, & medelam hominum, quæ adversus Dæmones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur, & conjurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, ut in posterum nunquam reverti audeant. *Hæc autem commentatio, seu potius commentum* Josepho *placuit, quia scilicet ejus temporibus incantationes, & exorcismi apud Hebræos magnopere, & jampridem in usu erant. Quamobrem addit:* ϗ αὐτὴ μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει: atque hoc sanationis genus usque plurimum apud nostrates pollet. *Quin etiam subdit, sibi visum quemdam e sua natione, cui nomen Eleazaro, qui multos lethales morbos sanavit coram Vespasiano, ejusque filiis, Tribunis, militibusque. Harum autem curationum rationem, quæ in usu erat, ejusmodi esse testatur*: admoto naribus Dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatæ, ad ejus olfactum, per nasum extrahebatur Dæmonium; & collapso mox homine, adjutabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & Incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus his, qui aderant, ostendere suæ artis efficaciam, non longe inde ponebat poculum, aut polubrum, aqua plenum, imperabatque Dæmonio, homine exeunti, ut, his subversis, signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem. quo facto, nemini dubium erat, quanta fuisset Salomonis scientia, & sapientia. *Ego vero nullus dubito, quin has ineptias quicumque legerit, statim intelligat, quanta fuerit* Josephi *inscitia, & superstitio. Atque hinc dubio procul nescioquos de Magia libros adlaborandi, & Salomonis nomine in vulgus spargendi occasionem male feriati nonnulli homines, & cachinnis excipiendi sumpserunt. Legatur eruditissimus* Calmet *in Commentario ad Lib. III. Reg. ubi controversiæ caput hoc docte, graviterque pertractat.*

** *Regina, quæ ad Salomonem se contulit, nuncupatur* מלכה שבא *Regina Saba, seu Seba, seu Sabæorum. Quoniam porro Saba a nonnullis in Arabia felici collocatur, hinc oritur controversia, e quanam Saba venerit Regina, de qua sermo est. Eam aliqui deducunt ex Æthiopia; quam sententiam, præter* Origenem, S. Gregorius Nyssenus, Theodoretus, *aliique tuentur, & propugnandam suscipit* Natalis Alexander *in Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti, Dissertatione* II. *Ætatis Quintæ; qui se satis præsidii nactum putat in auctoritate* Josephi *lib.* VIII. *Antiquit. Judaic. cap.* 11. *referentis, Reginam hanc ab* Herodoto *Nicaulam dictam, non solum Æthiopiæ, sed etiam Ægypti Reginam fuisse. At turpiter fallitur, & alios pariter fallit.* Herodotus *enim lib. 3. cap. 100. Reginam Ægypti non jam* Nicaulam, *sed* Nicotriam *vocat, quæ cum ob alia, tum ob temporum rationem pro ea sumi nequit, quæ Salomonem adiit. Æthiopes interim constanti traditione freti eam sibi vindicant.* Job Ludolphus *in commentarium redacta commemorat ea, quæ per traditionem Æthiopes de Regina sibi persuadent, e* Baltassare Telletio *deprompta in Historia Æthiopica lib. 1. cap.* XXV. *En ipsa ejus verba*: Reginam Æthiopem Maquedam, ubi ex Mercatore suo Tamerino de potentia, & sapientia Salomonis certiora cognoverit, ad illum cum Magnatibus suis, multisque muneribus profectam esse, verique Dei cultum ex eo didicisse. Exacto aliquo temporis spatio, domum reversam peperisse filium Menilehecum, ex Salomone conceptum, quem Davidem nominaverit. Eum postea Hierosolymam ad patrem missum, ejus jussu, in lege Divina bene instructum, & tandem in Regem Æthiopiæ unctum, atque ita dimissum fuisse, additis nobilibus Israelitis, veluti amicis, & novi Regni instrumentis, nec non Legis peritis, ipsoque Azaria, Tzadoki Summi Sacerdotis filio, sacrorum Antistite; atque exinde Reges Habessinorum, atque primos gentis hodiernos originem suam traxisse. *At gloriam hanc Abyssinis Arabes non concedunt*: Apud Arabes, *pergit doctus* Ludolphus *lib.* II. *cap.* III. *suæ Historiæ Æthiopicæ*, non ambigitur, illam e stirpe filiorum Homer, id est, Homeritarum,

tarum, & Hodhadi Regis filiam fuisse. Belkis vocant, eamque non Salomonis pellicem, sed uxorem dicunt; unde colligitur, quod & ipsi traditionem pro vera habeant, quod filium ex Salomone conceperit. Lis de ea inter Æthiopes, & Arabes etiamnum durat, utrisque eam sibi vindicantibus, haud secus ac si Franci hodierni cum Germanis super Carolo M. certare vellent. *Haud equidem hujus litigii me judicem statuo; viderint Arabes, & Æthiopes, quorum interest.*

Eam Arabiæ Reginam fuisse sententia est, cui veteres Ecclesiæ Patres, S. Justinus, S. Cyprianus, *aliique libentius adhærent*. Job Ludolphus *opiniones has duas inter se conciliari posse putat, si Æthiopiæ pars Arabia ipsa statuatur, ut Scriptoribus multis placet, qui Æthiopes habent* Sabæos, Homeritasque, *fortasse quia subfusca, adustaque facie id genus hominum est. Mitto conjecturas cæteras, quas in ejusdem sententiæ gratiam affert, quia reapse favet iis, qui Reginam hanc ex Arabia felici venisse contendunt. Et sane ita res habet*. Sabæos *porro, quibus Regina hæc imperabat, fuisse posteros, & descendentes* Jectan, *quorum sedes Arabia felix, & proprie australis pars, ostendit erudite* Samuel Bochartus *in suo Phaleg. lib.* I. *cap.* XXV. *Neque a Palæstina longius aberat Arabia, quam ut eo sapientiæ, & opulentiæ Salomonis fama pervenire, & illinc Herosolymam iter suscipere Regina posset. Eodem accedit, imposita Camelis aromata, magnam auri vim, pretiososque lapillos eam secum tulisse. Jam vero constat, Arabiam felicem his omnibus rerum generibus, incensoque, & aromatibus potissimum abundasse*. Plinius *Hist. natur. lib.* VI. *c.* XXVIII. *Sabæos prædicat* ditissimos sylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis, ceræque proventu. *Idem* Plinius *lib.* V. *cap.* XI. *Arabiam felicem* odoriferam illam, ac divitem, & beatæ cognomine inclytam *dicit. Arabiam auro, & gemmis affluere testatur* Diodorus Siculus *lib.* III. *Dititur sane Regina, qua de loquimur*, *tum S. Matthæi cap.* XII. *v.* 42. *tum S. Lucæ cap.* XI. *v.* 31. Βασίλισσα νότου, Regino Austri; *at id cum hac sententia non pugnat; quia scilicet Arabia quoad urbem Jerusalem australis profecto est. Contra insula* Meroes *ita dicta a Cambisis sorore, qui Sabæ vetus nomen mutavit, itemque Æthiopia, qua Africæ pars, non jam ad Austrum, sed ad Occasum est. Quod si laudato S. Matthæi loco dicitur* ἐκ περάτων τῆς γῆς, e terræ limitibus extremis, *animadvertendum est, sacram Scripturam ita de omnibus regionibus loqui, quæ Mari finiuntur.*

Quod attinet ad Patrum testimonia, quæ Natalis Alexander *in medium profert, cum duplex, ut diximus, Æthiopia sit, Africæ una, Arabiæ felicis altera, mirum non est, Patrum multos Æthiopem vocasse Reginam illam, quæ in Arabia felici regnabat; quod libere de* Cyrillo Alexandrino, *ac de* Origene *affirmare possemus*. Cyrillus *enim eo loco, quem* Natalis *laudat, diserte monet se de ea Æthiopia loqui, quæ Arabiæ, & Mari Rubro finitima erat*. Origenes *porro Homilia* XI. *in Genesim Reginam Saba vocat Reginam* Cedar. *Cedareni autem Arabiæ populi erant. Adde*, Natalem Alexandrum *haud sedulo ea duo Patrum testimonia perpendisse. Ita enim* S. Hieronimus *in* LX. *Isaiæ caput*: Post divitias Maris, & fortitudinem gentium, greges quoque Camelorum, & Dromedarii Madian, & Epha promittuntur Jerusalem; qui omnes venient de Saba, unde fuit & Saba Regina.

Madianitidem Arabiæ partem fuisse quis nescit? Theodoretus *Quæstione* XX. *in Numeros cum dixisset*, Saba gens Homeritarum, quibus vicini sunt Madianitæ, *subdidit*, *ejus Nationis Reginam eam fuisse, quæ Hierosolymam ad Salomonem invisendum perrexit. Jam ejusmodi populos in Africa quis invenerit?*

*** *In varias quoque sententias abiere Veteres, ad Salomonis pœnitentiam, æternamque salutem quod spectat. Suffragati sunt ejus saluti S.* Irenæus *lib.* IV. *adv. Hæres. c.* XLV. S. Cyrillus Hieroso-

rosolymitanus *Catechesi* XI. *de Illuminatis*, S. Epiphanius Hæresi 42. S. Hieronymus *Epist.* IX. *ad Salvinam*, aliique; *refragati vero sunt* S. Cyprianus *Epist.* VI. *ad Rogatianum*, S. Joannes Chrysostomus *Sermone de Pœnitentia* (*qui tamen alibi in contrariam sententiam descendit*), S. Augustinus *lib.* XI. *contra Faustum cap.* LXXXI. *alii denique controversiam in medio relinquunt, ac sub judice, rati super hac re nullum certum argumentum sibi suppetere, in quorum numero* Natalis Alexander *est in Histor. Ecclesiast. Veteris Testamenti Dissertat.* III. *Ætatis Mundi Quintæ. Ac via quidem hæc tutissima est, quia utraque sententia, si verum fateri volumus, rationibus nititur, quæ nequaquam probabilitatis limites prætergrediuntur. Interea probabiliores mihi videntur eorum rationes, qui Salomonis saluti consulunt. Haud equidem afferam, quod legitur Reg.* I. *cap.* XI. 43. *eum scilicet* cum Patribus suis obdormiisse, & in Civitate Davidis patris sui sepultum fuisse; *quandoquidem ultro fateor hoc argumentum infirmum esse. Nec puto satis evincere, quod legitur* II. Paral. *c.* XI. 17. *Roboamum, cum adhuc pius esset, in Davidis, & Salomonis viis ambulasse; quippe qui non ignorem id accipi posse de Regni Salomonis initiis, ac de tempore, quo verus Dei cultor erat; quamvis id argumenti non omnino contemnendum sit, cum ea loquendi ratio de iis usurpari soleat, qui constanter in suscepto salutis recto tramite perstiterunt, aut siquidem aberraverant, tandem aliquando in viam redierunt. At missis rationibus his, aliisque similibus, sequentes saltem reputentur, quæ risu excipiendæ non sunt, floccique faciendæ. Constat primo, Salomonem ab eo tempore, quo a vero Dei cultu recessit, in se plurium adversariorum persecutionem traxisse; quæ sane persecutio ut fastidii non parum ei non afferre non potuit, ita ejus animum in voluptatum, ac vitiorum cæno prope sepultum excitare poterat; præsertim cum eidem ignota non esset ejusmodi malorum causa, quippe quam ex Prophetis perceperat, qui Divini Numinis iram ei portendebant. Et sane cum in Roboamum divina se ira exeruerit, non potest, quin Salomon probe noverit, quicquid Abias Jeroboamo prædixit. Neque vero credibile est, Salomonem adeo in impietate pertinacem fuisse, ut hæc omnia negligeret. Eodem accedit in libro, qui* Koheleth, *seu* Ecclesiastes *inscribitur, a Salomone profecto editus, aperta ejus pœnitentiæ documenta contineri. Et quamvis haud satis exploratum nonnullis sit, antene, an post prævaricationem ab eo liber hic editus fuerit, multæ tamen rationes suppetunt, quæ post scriptum ostendere videantur. Primo enim de Ædificiis, hortis, aliisque operibus verba facit, in quibus vitæ partem maximam collocavit. Deinde voluptatum meminit, quas copiose, quasique ad satietatem arripuit; quod ii facere solent, qui ad eam ætatem devenerunt, quæ ab ejusmodi oblectationibus abhorret, iisve percipiendis inepta est. Id autem eo minus in controversia ponendum est, tum quod cap.* XII. *elegantissima senectutis descriptio, tum quod cap.* VII. *v.* 26. *fœminarum vehemens exsecratio legitur, summumque fastidium, certe ex damno ortum, quod eidem attulerant. Denique capp.* II. & XII. *se prodit omnium Mundi rerum vanitatis alta cognitio, sapiensque ad Dei timorem, tamquam ad omnis felicitatis centrum cohortatio; quæ sane sensa animum terrenarum rerum pertæsum, veramque felicitatem, quæ in Dei timore sita est, optantem exhibent.*

Argumenta porro, quæ contrariæ sententiæ assertores nobis objiciunt, haud ita gravis momenti sunt. Sacra Scriptura quidem Salomonis pœnitentiam disertis verbis non refert; at id referre necessarium omnino non erat. Quamvis enim Davidis, aliorumque pœnitentiam commemoret, nihil tamen est causæ, quamobrem id de omnibus referre debeat; multoque minus hinc licet inferri, eos, quorum pœnitentia in sacris Litteris non describitur, male factorum non pœnituisse. At enim, reponunt, Salomon Idola, & excelsa loca non evertit, quemadmodum

dum Josiam tandem fecisse ex lib. II. *Reg. cap.* XXIII. *constat ; quod , inquiunt , argumento est , Salomonem idololatram mortuum esse . Verum id nihil obstat , quominus idololatriam execratus fuerit , tametsi cum ætate provectus esset , deficientibus animi , corporisque viribus , aliisve impedimentis detentus tum Idola , tum iisdem dicata loca subvertere non potuerit . Certe* Amasias , Azarias , *&* Manasses *idololatriam deseruerunt , etsi nec Idola , nec iis sacra loca diruerent . Si quis tamen plura , quod attinet ad hanc rem , scire desiderat , adeat , quem supra diximus* , Joannem de Pineda *lib.* VIII. *cap.* I. de rebus Salomonis.

Salphaad, *timoris umbra* , filius Hephan, e Manassis stirpe , obiit masculæ prolis expers ; sed ei superstites fuere filiæ quinque , de quibus in libro Numer. c. XXVI. Maala , Noa , Egla , Melcha , & Thersa , quæ portionem in Terra promissa cum Tribus suæ cæteris obtinuerunt.

Saltus Libani . Præter verum , & proprie dictum saltum Libani, ubi etiamnum cedrus, cæteræque arbores crescunt, sacra Scriptura nuncupat saltum Libani regias ædes duas , quarum unam sibi , alteram conjugi , quæ Regis Ægypti filia erat, Salomon Hierosolymis ædificandas curaverat. Ibi fere Salomon versabatur . Iis autem ædibus tribuitur saltus nomen a cedris , quibus potissimum eædem constabant . III. *Reg. cap.* VII.

Salvator is dicitur , qui vitam servat , aut a magnis quibusdam malis liberat . Hac significatione Joseph dictus est Salvator Mundi , quod eum a penuria servasset : *Vocavit eum lingua Ægyptia Salvatorem Mundi*. Id quoque nomen iis inditum fuit , quos Deus elegit , ut ab hostium servitute Israeliticum populum liberarent : *dedisti eis Salvatores , qui salvarent eos de manu hostium suorum* . Ita Josue, David , Judices , Salomon , Josias , Mathatias , aliique magni nominis Viri , qui Judæorum liberatores fuerunt, Salvatorum nomen obtinuerunt ; at ejus figura tantum erant , cui Salvatoris nomen potissimum congruit, quemque Prophetæ peculiariter hoc titulo designarunt : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* , Ita Isaias , & alibi : *Clamabant enim ad Dominum a facie tribulantis , & mittet eis Salvatorem , & propugnatorem , qui liberet eos* . Is quippe humanam naturam sumpsit , ut homines redimeret , & ad æternam salutem perduceret , ac proinde vere Salvator est : *Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* . Deus quoque ipse Salvator dicitur , & hunc ipse titulum sibi tribuit, quia reapse sine eo nec vita, nec salus est : *Ego sum Dominus , & non est absque me Salvator* . Eum David vim suam , Salvatorem suum nuncupat : *Robur , & Salvator meus* . Quamvis autem sit omnium hominum , ipsorumque Infidelium Salvator , quippe quibus temporalia bona, & gratias externas confert , Fidelium tamen peculiari quodam titulo Salvator est : *Quia speramus in Deum vivum , qui est Salvator omnium , maxime fidelium* .

Salus . Sumitur id nominis I. pro conservatione , & liberatione ab aliquo malo : *Domini est salus* . II. Pro vita , & incolumitate corporis : *Salus nostra in manu tua est* . III. Pro prosperitate : *Occupabit salus muros tuos ;* nihil tibi intra domesticos parietes, aut intra Urbis mœnia ad prosperitatem deerit . Hinc tritum illud : *salutem dicere* . IV. Significat Salvatorem : *Dominus illuminatio mea , & salus mea* . V. Victoriam : *Sagitta salutis Domini contra Syriam* ; sagitta hæc victoriam designabat , quam Dominus Israelitis contra Syros daturus erat : *Equus paratus ad diem belli , Dominus autem salutem tribuet* . Laudem , quæ Deo exhibetur : *Salus , & gloria , & virtus Deo nostro* . VII. Salutem urbanitatis : *Fratribus , qui sunt per Ægyptum , Judæis salutem dicunt fratres* . VIII. Æternam quoque salutem significat, & quidquid ad eamdem ducit : *Propior est nostra salus , quam cum credidimus . Cum metu , & timore salutem vestram operamini* .

Salutatio Angelica . Per Angelicam Salutationem veniunt verba , quæ Angelus Gabriel Mariæ Virgini dixit , cum missus fuit , ut ejus consensum ad Verbi Incarnationem exposceret : Ave gratia ple-

plena, *ita ad eam cælestis hic Nuntius*, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. *Luc. cap.* 1. *vers.* 28.

In hoc Annuntiationis mysterio peracta est Divini Verbi Incarnatio, scilicet ipsius Verbi cum humana natura, seu Divinæ naturæ cum humana in Jesu Christi persona conjunctio, atque ita quidem, ut divina natura in sua propria hypostasi subsistat, humana vero natura non in propria, sed in Verbi subsistentia subsistat. S. Paulus *in Epistola ad Colossenses cap.* 1. *Incarnationem mysterium vocat, quia divitias, & prodigia continet, quæ omnibus retro sæculis latuerant:* Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus, quod est Christus.

Incarnatio stricto jure, atque omnino necessaria non fuit; maxime quippe fieri poterat, ut Verbum caro non fieret. Neque vero facta est, peccato posito; pro ut enim Sacra Scriptura loquitur, mysterium hoc vi charitatis, & amoris, quo Deus homines complexus est, non necessaria de causa contigit: Propter nimiam charitatem &c. (*Joan.* 4.) Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret . . . . Iipse prior dilexit nos. *Verum absolute necessaria fuit, facta, quæ re ipsa facienda est, hypothesi, æternis decretis suis Deum statuisse humanum genus redimere, & ita redimere, ut Divinitati cumulatissime satis fieret; in hac enim hypothesi necesse erat, ut reparatio responderet injuriæ. Præterea Incarnatio æquitate quadam necessaria fuit; quia Divinam misericordiam decebat, hominem ita redimi, ut omnino justus fieret. Porro Divina attributa in Incarnatione elucescunt, & potissimum* I. *Dei infinita charitas, qui Filio suo non pepercit, sed eum pro nobis tradidit.* II. *Sapientia, quia Deus cum suapte natura invisibilis esset, se per Incarnationem visibilem reddidit; Deus ipse ad nostram infirmitatem se conformavit; se ipse hominum exemplar exhibuit; a terrenis denique corporeisque rebus ad spiritales, & cælestes hominem revocavit.* III. *Justitia, quia digna, quæ Deo offeretur, victima ad hominum expianda peccata opus erat; unusque Homo-Deus infinitæ Dei Majestati satis facere poterat.*

Præcipuus Incarnationis finis Dei gloria fuit secundum ea Christi Domini verba S. Joannis cap. XVII. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. *Finis proximus fuit hominis salus, & cum Deo conciliatio, ut ait Apostolus ad Galatas cap.* IV. Ut eos, qui sub lege erant, redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus. *Et in* 1. *ad Timoth. cap.* 1. Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. *Ecclesia canit in Missæ Symbolo:* Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus est. *Itaque Incarnatio peracta fuit ad hominem a peccato originali, & quovis alio, atque adeo a peccati pœna liberandum, non tamen a peccati radice, cui cum gratiæ auxilio resistere potest:* Venit Filius Hominis (*Matth.* XVIII.) quærere, & salvum faceret, quod perierat.

II. *In Verbi libertate positum erat, ut cuicumque voluisset, naturæ se jungeret; at humanam elegit:* Non Angelos (*Hebr.* II.), sed semen Abrahæ apprehendit. *Id autem, S. Leone teste, propterea quod oportebat, ut Dæmon in ea ipsa natura, in qua vicerat, vinceretur.*

Incarnationis essentia in eo sita est, quod divina, & humana natura in Verbi persona conjunctæ fuerunt; scilicet una Verbi persona humanam naturam sumpsit; & sane de hac una in Mysterio factus est sermo: Et Verbum caro factum est. *Quamobrem Verbum humanam personam non sumpsit, alioquin in Christo essent personæ duæ, nec dici posset, Homo est Dei Filius, & Dei Filius*

lius est Homo; *ac proinde Humanitas in Christo personalitatem, ut ajunt Theologi, propriam non habuit, sua jura non obtinuit, ut nempe suarum actionum principium esset, sed Divinæ naturæ subjecta fuit:* Facta est juris alieni.

Verbum carnem sumens verum corpus, non phantasticum sibi copulavit; ex quo illud consequitur, Christum vere in suo corpore passum esse. Præterea Verbum humanas omnes miserias suscepit, excepto peccato, atque adeo innocentes infirmitates naturæ, cujusmodi est ad tristitiam, ad timorem, ad indignationem propensio, non tamen ignorantiam, etsi homo esset: Fuit in eo plenitudo omnis scientiæ, *inquit S. Paulus*.

III. *Corpus, quod e Mariæ Virginis sinu suscepit, ex ejusdem Virginis sanguine, & quidem Spiritus Sancti virtute confectum fuit. Is quippe articuli tertii Symboli sensus est:* Qui conceptus est de Spiritu Sancto. *Porro incarnatio Spiritui Sancto tribuitur, primo quia infinitæ Dei erga homines bonitatis, & charitatis singulare argumentum est. Sacra autem Scriptura Divini erga homines amoris effecta, gratiæ dona, sanctificationem Spiritui Sancto tribuere consuevit. At non minus est fide certum, Santissimæ Trinitatis Personas tres ad hoc mysterium contulisse; quicquid enim creatis rebus, & extra se fecit Deus, trium Divinarum Personarum commune est. Jam vero Incarnatio ex hoc rerum genere est. Secundo Incarnatio Spiritui Sancto tribuitur, ut intelligatur, ejus operatione conceptionem Jesu Christi in Sanctissimæ Virginis sinu peractam esse, ipsumque efformasse corpus nostro simile per Divinam virtutem, quæ trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum communis est. Tertio Verbum sumpsit humanum animum, & quod inde consequitur, intellectum, quia qualitas hæc animi proprietas, & perfectio est. Humanam quoque voluntatem suscepit, quandoquidem Christus ipse suam tamquam hominis voluntatem a Patris, & quod consequens sit, a Verbi voluntate distinxit.*

Samaa, existimatio. Hujus nominis viri quinque occurrunt in sacris Litteris, quorum nullus est notior Samaa, patre Joas e Tribu Beniamin, eorum uno, qui ad Davidem in Gabaa se contulerunt, dum eum Saul persequeretur. I. *Paralip. cap.* XII.

Samajas, qui Deo paret, Gabaonitarum vigilantissimus, unus e triginta viris, qui se Davidi in Siceleg addiderunt: *Samajas quoque Gabaonites fortissimus inter triginta, & super triginta*. Fuere hujus nominis alii duo, quorum nomen tantum ad nos pervenit. I. *Paralip. cap.* XII.

Samaoth, desolatio, ex Urbe Jezer, unus e Ducibus Exercitus Davidis, & Salomonis, qui 24000. militibus imperabat: *Quintus mense quinto princeps Samaoth Jezerites, & Turmarius viginti quatuor millium virorum*. I. *Paralip. cap.* XVIII.

Samaræus, anima, filius Chanaan, e quo Urbis Samaraim in Tribu Beniamin, finitimorumque locorum incolæ prodiere. Nonnulli Samaritanos a Samaræo originem traxisse volunt. *Genes.* x. 18. I. *Paralip.* XVI.

Samarias, custodia Domini, unus e strenuis triginta viris, qui se Davidi in Siceleg addiderunt. Alter Samarias, eorum unus, qui fœminas extraneas duxerunt, easdemque post captivitatem repudiarunt. I. *Paralip.* XII. *Exod.* x. 32.

Samaria, custodia Domini, Palæstinæ clara Urbs, Regni cognominis, seu Tribuum decem Metropolis. Eam ædificavit Amri Rex Israel in monte *Someron*, quem emit a quodam nomine *Somer*, a cujus nomine Urbem hanc Samariam dixit: *Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eam, & vocavit nomen Civitatis quam extruxerat, nomen Somer Domini montis, Samariam*. Amri Urbem hanc Regni sui sedem statuit, quæ hactenus Sichem fuerat, ejusque successores nihil eorum neglexerunt, quæ omnium Orbis terræ Urbium ditissimam, & splendidissimam redderent. Achab ejus filio regnante, Samariam obsidione cinxit Benedad Syriæ Rex, qui portentoso copiarum nume-

numero feritatem anhelans, quæ de conjuratione essent, Regi Achab proponenda curavit. Haud repugnavit Achab suis se omnibus bonis exuere; at negavit subditorum bona, quæ Syriæ Rex arroganter petebat. Tum Benadad, addita injuriæ contumelia, per Deos suos juravit, se Samariam in cinerem redacturum: *Hæc faciant mihi Dii, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me*. Evanuere ridiculæ minæ. Deus enim, ut Benadad temeritatem puniret, qui militum, bellicorum curruum, equitumque numero gloriabatur, huic hominum satis armis instructæ, paratæque multitudini non nisi peditum turmam opposuit, qui nunquam ensem tractaverant. Achab Regi per Prophetam nuntiatum voluit, formidandas hostium copias ei se traditurum, ac ne forte victoriæ laudem ipse sibi arrogaret, provincialium Præsidum pedites eam relaturos: *Certe vidisti multitudinem hanc nimiam; ecce ego tradam eam in manu tua hodie, & scies, quia ego sum Dominus. Et ait Achab, per quem? Dixitque ei: per pedissequos Principum Provinciarum*. Et sane pedites hi numero 232. in Israelitico Exercitu primam aciem occupantes, Benadad mensæ assidentem adorti sunt, ejus exercitum profligarunt, eumque ipsum turpiter ab obsidione desistere, ac terga vertere coegerunt. Post annos quatuordecim, Rex, suis omnibus redintegratis copiis, Samariam rursus obsedit, eoque penuriæ redegit, ut Asini caput argenteis nummis octuaginta, nempe sexcentis circiter libris veniret. Eo tempore tragica contigit historia fœminæ, quæ Joram Samariæ Regi querelas obtulit super conventione, quam de propriis comedendis filiis cum proxima inierat; se quidem dedisse suum, aliam vero celasse, quem deinceps ex condicto dare debebat. Tam barbaro, inhumanoque facinore exacerbatus Joram, calamitatis tantæ rationem exigere volebat ab Elisæo, qui eum certum reddidit fore, ut postridie ab obsidione liberata Urbs bonis omnibus rursus afflueret. Deus ergo, ut promissa perficeret, Syros subito terrore perculit; qui tali se ingentis exercitus, ad Samariæ subsidium properantis minacem tumorem audire, suo tantum timori auscultantes, se in præcipitem fugam dederunt, & quas congesserant, opes, & annonam hostibus reliquerunt. Ita fidem præstitit Deus, qui repente desolatæ Urbi rerum omnium copiam, & lætitiam attulit. Ad extremum Samariam obsedit Salmanasar Assyriæ Rex an. Mundi 3280. anno quarto Ezechiæ Regis Juda, & Oseæ septimo, qui in Israel regnabat. Triennium sævit obsidio, quæ mala secum extrema traxit. Samaria capta, vastataque, trucidati incolæ, nullus hostili licentiæ, & crudelitati modus, infantes collisi, tum matres, discissus prægnantium venter; omnes combustæ statuæ, idola in pulverem redacta, munitiones a fundamentis eversæ, uno verbo, superba Urbs lapidum acervus evasit. Ita perfecta Domini oracula, qui eas omnes calamitates scelestæ Urbi per Prophetas portenderat: *Pereat Samaria* (Oseæ verba sunt) *quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum; in gladio pereant, parvuli eorum allidantur, & fetæ ejus discindantur. Et ponam Samariam* (subdit Michæas) *quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea, & detraham in vallem lapidem ejus, & fundamenta ejus revelabo, & omnia sculptilia ejus conterentur, & omnes merces ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem &c.* Salmanasar Israelitas omnes captivos traxit, qui non amplius in patriam redierunt; ii porro, quos Assaradon remisit, Samariæ restauratione neglecta, Sichem incoluerunt, quam Regni metropolim constituerunt. Aliquam deinceps domum in Samariæ ruderibus ædificarunt, quandoquidem Esdras de ejus Urbis incolis loquitur, *qui erant in concilio eorum habitatores Samariæ*; quibus tandem expulsis Macedones Alexander suffecit. Eam deinde Joannes Hircanus cepit, atque ita diruit, ut per ejus reliquias flumina duceret. Ita quidem jacuit infelix Urbs ad annum usque 3947. quo Gabinius Syriæ Proconsul eam reparavit, & a suo nomine nuncupatam voluit. Verum ab Herode Magno in veterem splendorem restitura est, & dicta *Sebaste*, ex vocabulo, quod Latino *Augusta* respondet, in Augusti honorem, a quo Herodes ejus loci proprietatem

tem acceperat. At in novo Testamento non nisi primo Samariæ nomine nota est; eique cum primis, nuntiante Philippo Diacono, Evangelium affulsit; quo proinde Apostoli cum fidem illaram audissent, Petrum, & Joannem miserunt, qui Spiritum Sanctum iis conferrent, qui baptismum susceperant: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem*. Jam Abdiæ, Elisæi, & Joannis Baptistæ sepulcra Samariæ ostentabantur; hoc tempore magnificæ Urbis ruinæ tantum supersunt.

Samaritani. Id nominis sacra Scriptura tribuit Babylonensium, Cuthæorum, aliorumque populorum coloniis, quas Assaradon misit, ut Samariæ provinciam referret incolas, quorum ingentem numerum Salmanasar ultra Euphratem asportaverat. Sua singuli populi Idola cum eo attulissent, omni impietatis genere universam regionem fædarunt. At ægre ferens Deus terram sibi Sacram extraneorum Numinum cultu profanari, potestatem suam novis incolis notam voluit, ut eum agnoscere, &, ut par erat, colere discerent. Leones l. misit, a quibus dire vexati, ad Regem scripserunt, se non amplius ibidem morari posse; qui proinde e veri Dei Sacerdotibus, qui cum cæteris Israelitis in captivitatem ducti fuerant, unum misit, a quo Hebræorum religione imbuerentur; ut ita sæviens malum cessaret. Sacerdos hic in Bethel constitit, colendique Dei rationem Samariæ populis inspiravit. Is Mosis libros quinque tradidit, e quibus Legis, & Judaicorum rituum præcipua capita perceperunt. At rudes populi Numinibus cæteris similem Israelitarum Deum opinati, idololatriæ superstitiones cum ejus cultu conjunxerunt, nec se Deo, sacrilegam eam mixtionem indigne ferenti injuriam irrogare putarunt: *Et cum Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam*. Addit Scriptura, posteros a captivitate reversos eorum vestigiis institisse, eademque manu vero Deo, & Idolis thus offerre non destitisse: *Nam filii eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem*. Tum vero contigit, ut a Zorobabele Templi cum Judæis ædificandi facultatem vehementer exposcerent; verum haud e re visum, eos in operis Deo sacri societatem recipi, qui Religionis puritatem violarent, summopere Judæis aversantibus, quicquid ad idololatriam trahere poterat, ac proinde renuentibus sacrificia in Templo offerendi jus ei Nationi concedere, quæ verum Deum colere contendebat, quin ab Idolis recederet: *Non est vobis, & nobis, ut ædificemus Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus Rex Persarum*. Samaritani se a Judæis rejectos inique ferentes, nihil intentatum reliquerunt, ut eos impedirent. Itaque Cyri ministris argento corruptis, Aulicorumque odio per calumnias in Judæos concitato, tandem id, quod optabant, assecuti sunt, ne scilicet ad exitum perduceretur bona voluntas Persarum Regis, qui populo reparandi Templi facultatem concesserat. Haud revocatum tamen ejus edictum fuit; at minister quispiam avaritia captus, & male animatus, temere abusus Principis nomine, clam Samariæ Præfectis in mandatis dedit, ut impedirent, quominus Templi constructionem Judæi prosequerentur. Ex eo tempore pertinacissimi Judæorum hostes Samaritani extiterunt; & cum omnino ab idololatria recessserunt, ut verum Deum eo cultu prosequerentur, cui nulla superstitio admixta esset, extremum odium per apertum schisma exeruerunt. Id accidit, Alexandro Magno regnante, per fraudes Manassis, filii Jaddo, & generi Sanaballat, qui nihil vehementius animo versans, quam ut quacumque oblata occasione Judæos impeteret, ab Alexandro per mendacem libellum obtinuit, ut sibi liceret in monte Garizim Templum erigere Hierosolymitano simile, in Judæorum gratiam, qui complures Samariam se receperant, cum Neemiam de Lege servanda sollicitum ferre noluissent. Tum vero Samariæ in certam & constantem formam redacta Religio, verus tantum excultus Deus, Legisque cæremoniæ absque superstitioso ritu servatæ. Templi hujus ædificatio, in quo Dominicum servitium, quemadmodum Hierosolymis peragebatur, Samaritanos inter, & Judæos omne commercium

cium de medio sustulit. Ita se invicem oderant, ut Judæi cum Samaritanis comedere prohiberentur. Hinc orta Samaritanæ mulieris admiratio, quæ Christum, qui Judæus erat, a se potum petentem audiit. Primas Templo suo Samaritani vindicabant; cum enim Arca in Siclo prope Ephraim diu constitisset, veri Dei cultum in sua regione, non autem Hierosolymis cœpisse inferebant; & Samaritana Christo dixit, Deum in eo monte, scilicet in Templo supra montem Garizim ædificato ab ipsius Christi patribus cultum fuisse; *Patres vestri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Porro Samaritani haud diuturnam fidem Alexandro servarunt, cui se primum ultro subdiderant, & quem in Tyri obsidione occupatum misso subsidio juverant. Id enim sibi arrogabant, fore, ut ipsa Judæorum privilegia ab eo obtinerent. At cum negotii examen Princeps in suum ex Ægypto reditum remisisset, Samaritani eam dilationem ægre ferentes, Andromachum Samariæ Præsidem, qui ob negotia se eo contulerat, nec opinantem aggressi, quam incolebat, domum, injecto igne, incenderunt. Alexander per Palæstinam regrediens, *seditiosos* morte damnavit, & Samariæ, *omnibus ejectis incolis*, Macedonum *coloniam substituit*. Samaritani patriis *expulsi sedibus*, super monte Garizim in *Sichem* se receperunt, quæ Urbs ex eo tempore veluti caput, & metropolis eorum sectæ fuit, & vehementiore, quam antea, in Judæos odio exarserunt, quibus Alexander Samariæ provinciam possidendam tradiderat. Eorum Templum, cum per annos ducentos stetisset, Joannes Hircanus flammis devovit. At sacrificia tamen in monte Garizim offerre non destiterunt. Et sane Christi quoque tempore id apud eos erat in more positum, atque adeo etiamnum est; siquidem hujus veterum Samaritanorum sectæ reliquiæ in Urbe Sichem, seu Neapoli supersunt; iisque Sacerdotes sunt, qui e stirpe Aaron se dictitant, nec non Pontifex, qui residet in monte Garizim, ubi sacrificia offert.

Horum populorum religio, ut jam diximus, initio quidem ethnica fuit. Eorum quisque Numen colebat, cujus cultum in patria perceperat. Magnum horum Numinum numerum refert sacra Scriptura, cujusmodi fuere *Nergel*, *Nibahas*, *Thartao*, *Adramelech*, *Anamelech*, *Remphan*, *Nesroe etc.* Iidem deinde populi cultum Domini, quem Sacerdos Bethel eos docuit, cum hoc profano miscuerunt; at cum omnino ab idololatria recessissent, ut Domini Legem amplecterentur, tum vero a Judæis non alio ex capite distincti fuere, quam quia ex omni Scriptura non alium librum, quam Pentateuchum recipiebant, quandoquidem a Judæis, solummodo post eorum divisionem, compositi, atque editi fuerunt. Librum hunc Samaritani veteribus Hebraicis caracteribus scriptum servarunt, quos in captivitate perceperant; atque hac in re positum est inter Judaici, & Samaritani Pentateuchi caracteres discrimen. Afferebant etiam, Deum in monte Garizim adorari oportere, ubi eum Patriarchæ adoraverent, cum Judæi non nisi in Hierosolymitano Templo sacrificia eidem offerri vellent. Hac nimirum de causa invicem infensi erant: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis*. Christus Dominus, cum ad Evangelium nuntiandum Discipulos mitteret, vetuit, ne Samaritanorum Urbes ingrederentur, quos nempe tamquam hæreticos, & ab Israelitarum fœdere alienos Judæi spectabant: *Et in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Judæi majorem injuriam se nemini afferre posse putabant, quam si Samaritanum dicerent: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Contra Samaritani Judæos non minus aversabantur; ut aliquando renuerint Christum recipere, quia Hierosolymam petere videbatur: *Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*. Ex alia vero parte eamdem ac Judæi fidem profitebantur, eumdem Deum colebant, Messiam æque atque illi expectabant, & Mosaicam Legem accurate servabant. Erroris porro super Dei, Angelorumque natura, & super corporum resurrectione temere ac perperam accusantur. Qui adhuc supersunt, Majorum suorum vestigiis insistunt, ut ex litteris licet intelligi, quas postremo sæculo Ægypti, & Neapolis Samaritani ad Scaligerum, ac deinde ad Angliæ arrogatos fratres scripserunt.

Sam.

Sambuca, vetus instrumentum musicum, in Chaldæa usitatum, quod in dedicatione, & adoratione Statuæ Nabuchodonosor usui erat; triangulare fuisse, & disparibus chordis constitisse creditur. *Daniel. cap.* III. 5.

Samgar, *dictus extraneus*, filius Amath, tertius Israelitarum Judex, qni successit Aod, neque ultra annum populum judicavit. De ejus officio Judicis peculiare nihil occurit in sacris Litteris, nisi quod Israeliticum populum propugnavit, & aratri vomere Philistæorum sexcentos occidit: *Post hunc fuit Samgar filius Amath, qui percussit de Philistiim sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel*. Judic. III. 21.

Samir, *custodia*, Hujus nominis tum Levita fuit filius Nicha, tum Urbs in Tribu Juda, tum alia in monte Ephraim, ubi Thola Judex Israel commorabatur: *Judicavit Israel viginti & tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir*. I. *Paralip.* XXIV.

Samma, *perditio*. Hujus nominis plures in sacra Scriptura nominantur; at de iis præter nomen nil peculiare. Qui Sammaa dicuntur, haud Samma notiores sunt. *Genes.* XIII. I. *Reg.* XVI. I. *Paralip.* VI.

Sammua, *obediens*, filius fœminæ, cui nomen Zechur, fuit eorum unus, quos e Cades-Barne Moses misit, ut Terram promissam explorarent: *De Tribu Ruben Sammua filium Zechur*. Numer. XIII. 5.

Samos, Ægæi Maris Insula celebris, ad quam S. Paulus appulit, cum Hierosolymam se conferret: *Sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum*. Insula hæc ita etiam nuncupabatur a vasis fictilibus, quæ ibidem conficiebantur: *Væ, qui, contradicit fictori suo, testa de Samiis terræ*: væ homini, qui in eum disputat, a quo conditus est, cum ipse nihil sit aliud, quam fictile vas, iis simile, quæ in Samo Insula conficiuntur. Isaias his verbis in eos invehitur, qui calamitatis alicujus tempore de Divina providentia conqueruntur. *Actor.* XX. *Isaiæ cap.* XLV.

Samothracia, *arenosa*, Ægæi maris Insula, ad quam S. Paulus pervenit, ut in Macedoniam proficisceretur: navigantes a Troade, recto cursu venimus *Samothraciam*. Actor. XVI.

Sampson, *parvus sol*, erat filius Manue, e Tribu Dan, natusque est mirandum in modum e Matre, quæ sterilis erat. Huic fœminæ apparuit Angelus Domini, promisitque, fœcundam fore, & filium parituram; vetuit porro, ne quid biberet, quod infanti, quem ventre gerebat, ebrietatem afferre posset, quippe qui Nazaræus, nempe Deo sacer, & Nazaræorum vitæ addictus esset. Ipse, subdidit Angelus, incipiet Israeliticum populum a Philistæorum tyrannide liberare: *Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum*. Elapso post hanc apparitionem anno, uxor Manue filium in lucem dedit, quem Sampsonem appellavit; visusque statim in eo est Dei spiritus, ob singulare robur, quo præditus fuit. Octodecim non amplius annos natus, Tamnatæ, quo perrexerat, puellam suis oculis arridentem conspicatus, ejus patrem rogavit, ut eam sibi conjugem daret. Manue, & mater initio quidem repugnantes ex eo quæsiere, utrum existerent, necne, inter Israelitas ejus fratres fœminæ, quandoquidem extraneam sumere vellet e Philistæis, qui incircuncisi erant: *Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircuncisi sunt*. At Sampson, qui Divini Numinis instinctu afflatus agebat, dum infidelem conjugem, contra ac Lege præceptum erat, exposceret, in suscepto consilio perstitit, quin mentem suam clarius aperiret, eique genitores ad puellam petendam se comites addiderunt. Per iter Sampson, qui non nihil ab iis aberat, furentem Leonem, quem accedentem vidit, quamvis inermis occidit, & in frusta redegit. Puellam, quam exoptabat, obtinuit; & aliquanto post Tamnatam rediit, ut nuptias celebraret; occisi Leonis corpus videre voluit, in eoque examen apum, & mellis favum invenit. Hinc ænygmatis argumentum deprompsit, quod adolescentibus triginta, quos incolæ Tamnatæ honoris causa novo sponso socios esse voluerunt, ea lege, ut si intra septem nuptialis convivii dies illud explicuissent, triginta vestes, & triginta tunicas iis ipse tribueret, sin minus, ipsi totidem eidem darent. Ejusmodi autem ænygma erat: *De comeden-*

dente exivit cibus , & de forti egressa est dulcedo . * Frustra adolescentes mentem acuerunt ad septimam usque diem, ut pro positi problematis sensum assequerentur, omnique tandem abjecta spe, ad Sampsonis sponsam se contulerunt, quam precibus, & minis hortati sunt, ut e Sponso Ænygmatis significationem exprimeret. Sampson initio quidem a sponsæ sollicitationibus se defendit; at muliebtibus tandem lacrymis victus aperuit ænygma, quod infida fæmina adolescentibus statim detexit. Tum vero, sub septimæ diei finem, ad eum convenientes dixere, nil melle dulcius, nil Leone fortius esse: *Quid dulcius melle, & quid fortius Leone?* At Sampson, nisi sua ipsius juvenca ad operam usi essent, nunquam futurum fuisse respondit, ut Ænygmatis sensum perciperent; ea figurata loquendi ratione significans, eos egisse mala fide, qui ejus conjugem impulissent, ut ipsum proderet, extortumque arcanum patefaceret: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Eodem tempore correptus divino Spiritu, Ascalonem Philistæorum Urbem se contulit, ubi homines triginta interfecit, quorum indumenta iis tribuit, qui enygma explicaverant. Tum apud patrem recessir, relicta conjuge, qua non satis contentus erat, quæque adolescentum uni nupsit, qui in nuptiarum cæremonia Sampsonem comitati fuerant. Novam hanc sibi a Philistæis illatam injuriam ut audiit, ulcisci statuit, non privatæ vindictæ cupidus, sed Dei jussu permotus, ut Israelitici populi hostes reprimeret, nihilque non ageret, quod universæ Nationis officium erat, ut eorum tyrannidis jugum excuteret. Captas ergo vulpes tercentas, quæ Deo ita volente ei occurrerunt, binas ad caudam vinxit, applicitis facibus, quæ in Philistæorum agros dimissæ vineas, segetes, oliveta incenderunt **. Philistæi vastatione hac incitati, causa perspecta, Sampsonis sponsam, & socerum concremarunt; tum coacto exercitu, in Tribum Juda irruerunt, id petentes, ut sibi Sampson traderetur. Hominum tria millia Judæi in caveam Arcis Ethan, in quam se Sampson receperat, miseruot, ut eum comprehenderent. Quibus auditis, Sampson, accepta fide, suam ipsius vitam in tuto fore, se capi passus est. Eum ergo solidis funibus vinctum e cavea traxerunt; quem conspicati Philistæi, lætitia gestientes, aerem clamoribus complere cæperunt; at Sampson, fractis vinculis, in hostes irruit, asinique maxilla, quam forte fortuna humi comperit, occidit Philistæos mille, cæteros autem in fugam egit ***. Post hanc victoriam, projecta maxilla, ei loco *Ramath Echi*, seu *elevationis maxillæ* nomen imposuit. Siti deinde coactus ad Dominum confugit, quo annuente, magna vis aquæ e maxillæ molari dente profluxit: *Et scidit Dominus dentem molarem, qui erat in Lechi, & exiit ex eo aqua.* Nonnulli contendunt, Hebraicum vocabulum מכתש *Machtes, dentem molarem* Latine redditum Arcis nomen esse, quæ in loco aderat, qui Lechi dicebatur. Tum Sampson, magis magisque Philistæis nocendi occasionem quærens, Gazam se contulit, & apud mercenariam fœminam divertit, quacum tranquille dormiit, etsi probe sciret hostium jussu Urbis portas clausas esse, eosque excubias agere, ut eum postridie interimerent; at sub mediam noctem surgens, Urbis portas cum seris, stipitibusque avulsas, & humeris impositas in proximum montem sustulit. Philistæi jam nescientes, qua demum ratione a formidando hoste se liberarent, qui unus magis quam universus Israeliticus populus oberat, Dalilæ opera uti statuerunt, quam Sampson conjugem duxerat, nonnullorum sententia, qui contendunt, per verbum, *amavit*, quo sacra Scriptura utitur, haud necessario illicitum commercium significari. Ergo magnam pecuniæ vim avidæ fæminæ promiserunt, siquidem inusitati roboris, quo Samson pollebat, causam detegere potuisset. Illa vero, ut id exprimeret, nihil intentatum reliquit; increpationibus, lacrymis, illecebris usa est, sudavit, alsit, adeoque Sampsonem sollicitavit, ut, cum eam ter decepisset, & aggressiones tres sustinuisset, quarto denique circumventus flecteretur, & manus daret: *Defecit anima ejus*, sacræ Sctipturæ verba sunt, *& ad mortem usque lassata est.* Ingenue Dalilæ fassus est, suarum virium causam in capillis positam esse, quippe qui e matris ventre Nazaræus esset, ac si quis

comam

comam abrasisset, cæterorum hominum instar infirmum fore: *Tunc aperiens veritatem, dixit ad eam: ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ; si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines*. Sampsonis secretum servans Dalila, crinibus ad ejus genua dormienti abradi jussis, Philistæos de re tota certiores fecit; quibus accedentibus, eum excitavit, inclamans, Philistæos aggressuros venire; is initio quidem hostes de more se perditurum putabat, quippe qui se a Deo derelictum nesciret: *Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: egrediar, sicut ante feci, & me excutiam, nesciens, quod recessisset ab eo Dominus*. Eum itaque Philistæi ceperunt, erutisque oculis vinctum, & in carcerem trusum, molari rotæ in orbem agendæ addixerunt ****. Aliquanto post Philistæorum Principes solemne Festum in Dei sui Dagon honorem celebrarunt, lætumque convivium egerunt in magna quadam aula, ad quam e populo tria circiter hominum millia convenerunt. Eo Sampsonem ductum voluerunt, quo cœtus universus ad oblectationem, ac jocum abuteretur. Jam ejus capilli per tempus excreverant, pristinumque robur redire cœperat. Ergo ad columnas duas, quibus universum ædificium nitebatur, se ductum voluit, specie quidem, ut iis incumberet, Deique nomen invocans, obsecravit, ut ipsius memor pristinam fortitudinem redderet, qua munitus oculorum jacturam e Philistæis ulcisceretur: *Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam*. Tum vero complexus columnas duas exclamavit: *Moriatur anima mea cum Philisthiim*; totisque viribus easdem concutiens, collapsis ædibus, tot secum Philistæos obruit, quot ounquam per omne vitæ suæ tempus occiderat: *Multoque plures*, sacræ Scripturæ verba sunt, *interfecit moriens, quam ante vivus occiderat*. Atque ita insignis vir, qui nullam Judæorum hostes opprimendi occasionem, quoad vixerat, prætermisisset, eorumdem voluntarium quoque sacrificium edidit, non ut cæcam vindictæ cupiditatem expleret, sed ut Dei voluntatem tum quoad electum populum, tum quoad ejus oppressores exequeretur. In hujus porro haud sane vulgaris hominis historia non modo plusquam humana, divinaque vi gestas res, verum etiam boni malique mixtionem quamdam, quæ in cortice consistentis animum offendere posset, sacra Scriptura nobis exhibet. Nimirum in Sampsonis vita quædam occurrunt, quæ videntur haud posse cum Divini Spiritus præsentia conciliari, quam ei semper adfuisse docent sacræ Litteræ: *Cæpitque spiritus Domini esse cum eo .... irruit itaque in eum spiritus Domini*. Ut igitur constet, quid judicii ferendum sit, hæc imprimis veniunt animadvertenda; I. non paucos e sanctis Veteris, Novique Testamenti viris egisse multa, quæ communibus regulis haud congruunt, sed vituperari tamen sine temeritate non possunt; II. Sampsonem e Veteris Testamenti sanctis Viris unum fuisse, quippe quem Deus benedictionibus suis ab ineunte ætate prævenit, & S. Paulus inter viros sanctitate præstantes recenset, qui mercedem in æternitate recepturi nobiscum sunt: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius providente, ut non sine nobis consummarentur*; III. Quicquid inusitatum in Sampsonis vita perspicimus, ex ipsis sacræ Scripturæ verbis occultum mysterium esse; eumque novæ, ac singulari vitæ rationi, non nisi Dei jussu, institisse, qui suis in consiliis infinite libet est. *Parentes autem ejus nesciebant, quod res a Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim*. Atque ita quoque, quicquid in sanctis hujus hominis vita ab ordine alienum, & absonum videbatur, historicum, & litteralem sensum secuti purgare possumus; at sensus hic non nisi velum est, quod alium sensum longe sublimiorem exhibet. Sampson nimirum Christi Domini perfecta figura est. Ambo præter naturæ regulas nati sunt, eorumque nativitas ab Angelo nuntiata fuit. Statuti ambo, ut Dei populum ab hostium servitute servarent; ex ipso materno utero Deo dicati; iisdem notis ab infantia insigniti ..

De Sampsone Scriptura ita loquitur: *Crevit, puer, & benedixit ei Dominus, cæpitque spiritus Domini esse cum eo*; eadem ita de Christo: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo*. Egressi ambo patria domo, ut sibi sponsam inter Ethnicos infidelem, idololatram, & anathemati addictam quærerent. Eos proinde circuncisi fideles arguunt, quippe qui bonum sibi ex eo cum Ethnicis fœdere futurum ignorant. A Sampsone interfectus Leo Judaicum populum exhibet, qui Christi consiliis semper obstitit, sed cujus tamen conatus inermis ipse, omnique humana ope destitutus, una divini spiritus vi devicit. Sampson e Leonis gutture mel eduxit; Christus e refragantis, & rabidæ Synagogæ sinu Discipulos humanitatis, & charitatis plenos extraxit. Cum extraneis Christus in parabolis tantum loquitur, unamque Ecclesiam eo privilegio donat, ut assequatur mysteria, de quibus matrem ipsam Synagogam celat; porro nihil inter Christum, & Sampsonem in sensus incurrit. Hujus fortitudo capillis, Christi vis carne mortali, & perpessionibus obnoxia continetur. Hostibus ambo a fratribus tradiri. Semper invicti, nisi amassent, perstitissent: at amor, dum imbecillitatem affert, ipsorum victoriam, ac triumphum parit. Eorum perfidæ sponsæ secretum extrahunt; iique proinde ex eo tempore hostium furori subsunt, qui, quos formidabant, eos in suam potestatem venisse gestiunt. Nunquam sane universalis Ecclesia infidelis Dalilæ calamitati suberit; at peculiares Ecclesiæ, utpote perceptis veritatibus abutentes eamdem timere debent. Victimæ publicæ ad populorum suorum salutem oblatæ dant operam, ut iis libertatem, & pacem morientes afferant, nec renuunt a divina justitia conteri, ut eosdem servent. Moriuntur extentis brachiis, atque ita de hostibus splendidius triumphant. Christum ultro in sepulcrum, ut Sampson in Gazæ foveam descendit; & ambo se sponte concludi sinunt; sed ante lucem portas concutiunt, suæque victoriæ triumphum Sampson in montem, Christus in Cælum deferunt. *Judic. c.* XIII. XIV. XV.

* *Non modo penes Hebræos, sed penes alias etiam nationes id moris obtinebat, ut ænigmata, seu obscuræ, solutuque difficiles quæstiones proponerentur. Græci veteres, ut est apud Aristophanem, Laertium in vita Diodori Croni, Eustatium in Odissæa x. Æsichium in* γρῖφος, *Favorinum, Pollucem, aliosque apud Bonfrerium in commentario in hunc locum, obscurissimas quæstiones proponere consueverant, iisque; qui easdem solverent, præmia promittebant, quæ fere coronæ erant, & vitrea pocula vino plena; jussis iis, qui quæstiones solvere non potuissent, certam aquæ mensuram, seu vinum marina aqua mixtum, & uno quidem haustu, sumere. Quod si Ænygmata nemo unus explicare posset, corona victori servata, alicui Numini dicabatur, vel ei, qui Ænygma proposuerat, tribuebatur. Ejusmodi Ænygmatum exempla, seu res ad divinandum confictas dicere malimus, apud Herodotum in convivio septem Sapientum inter Plutarchi opera, & in Æsopi vita legi possunt.*

Hoc loco Ænygmata nonnulla proferam ex Athenæi *lib.* x. *cap.* x. *&* XII. *deprompta, quibus aliquid affinitatis est cum Samsonis Ænygmate, & e quibus licet intelligi, quid studii Veteres hac in re ponerent.* Simonides *cum ad artificem quemdam se contulisset, cui acuendam securim dederat, qua ad Bacchi sacrificium quoddam usurus erat, eum dormientem, & ad utrem, cui vinum inerat, jacentem comperit, & ex utris regione cancrum vidit; quin ergo stertentem artificem excitaret, securim abstulit, sociisque hoc Ænygma solvendum proposuit:* Hædi pater, qui quodvis herbarum genus depascit, & piscis infelix, mutuo caput suum capiti impegerunt; & ille, qui palpebris suis filium noctis accepit, noluit alere ministruum, qui Bacchi Regis boves interficit. *Utrem ex pelle caprina significat hædi pater, cancrum piscis infelix; dicuntur autem cancer, & uter mutuo caput impegisse capiti, quia cum e regione essent, hædos duos cornibus pugnantes referebant;* filius noctis *somnus est, quem inter palpebras*

arti-

artifex receperat; minister, qui Bacchi Regis boves interficit, *sacrificantis securis est*. Aliud afferam ex Poeta Theognide : Mortuus marinus me domum revocat, & licet mortuus loquitur ore vivo. *Mortuus marinus piscis est e concharum genere a Poeta comedendus*; *os*, *quo hic loquitur piscis*, *conchilia est*, *quæ ad tenues conficiendas tubas antiquis temporibus usui erat*.

Verum ad Sampsonis Ænygma quod attinet, *dubitet fortasse quispiam*, *an Ænygmatum leges accurate servaverit*. *Ænygmatis enim nomine venire solet obscurus sermo*, *qui rem notam significat*; *at Sampson ea Philistæis solvenda proposuit*, *quæ scire non poterant*. *Nonnulli respondent*, *Philistæos*, *quamvis rem ipsam*, *quæ Sampsoni contigerat*, *scire non possent*, *conjicere tamen potuisse*, *Leonem belluarum omnium fortissimum*, *& mel omnium ciborum dulcissimum esse*, *fierique forte fortuna posse*, *ut apes in Leonis cadavere favos conficiant*. *Atque id quidem fuisset ad Ænygma solvendum satis*, *etsi de Leone*, *quem Sampson occiderat*, *& de favis*, *quos apes in Leonis cadavere deposuerant*, *penitus ignorarent*. *At hoc responso difficultatem adimi haud omnibus certum est*. *Putant alii id Ænygmatis a Sampsone propositum de industria fuisse*, *ut inde Philistæos puniendi occasionem captaret*; *at temeritatis fuerit id dici*, *quod ex Textu deduci nequit*. *Videtur potius Sampson occasione usus*, *quippe cujus animo Leo recens occisus obversaretur*. *Neque vero crediderim*, *eo tempore semper Ænigmatum leges adamussim servatas esse*.

** *Si quis ex me quærat*, *quid causæ fuerit*, *cur Sampson vulpibus potius*, *quam aliis animalibus uteretur*, *eidem quæstioni locum fore respondeo*, *quibuscunque tandem animalibus*, *quam vulpibus uti maluisset*. *Hujus rei causam Rabbini se nactos putant*, *ajentes*, *ita vulpes natura comparatas esse*, *ut*, *facibus ad earum caudas appositis*, *præcipites regredi*, *non progredi soleant*; *hinc autem Sampsonem intulisse haud futurum fuisse*, *ut vulpes faces abjicerent*. *Legatur in hunc locum Rabbinus Kimchi*. *At nihil est*, *quod ad somnia confugiamus*. *Animalia hæc Sampson ad rem*, *quam parabat*, *facere credidit*, *tum quia magnus vulpium numerus facile præsto esse poterat*, *tum quia eadem animalia in agris*, *& vineis versari solebant*, *ut proinde certo segetes*, *& frugiferas arbores incendere possent*. *Id confirmari potest ex iis*, *quæ refert* Ovidius *Fast. lib.* IV. *v.* 681. *& sequentibus*, *ubi ita canit*:

Cur igitur missæ junctis ardentia tædis
  Terga ferant Vulpes, causa docenda mihi est.

. . . .

Filius hujus erat primo lascivus in ævo,
  Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi Vulpem convalle salicti.
  Abstulerant multas illa cohortis aves,
Captivam stipula, fœnoque involvit, & ignes
  Admovet urentes; effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros;
  Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent; nam vivere captam
  Nunc quoque lex Vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas, genus hoc Cerealibus ardet,
  Quoque modo segetes perdidit, illa perit.

Dum enim Romæ Cereris festâ celebrabantur, *vulpes facibus ad caudam appositis dimittebantur*. *Instituti hujus originem Poeta repetit a Carseolano quodam adolescente*, *qui vulpem*, *quam ceperat*, *vivam cremare volens*, *stipula*, *fænoque involutam*, *ignem applicito*, *inconsulto dimisit*, *quæ proinde*, *quocunque discurrit*, *segetes jam maturas incendit*. Samuel Bochartus *sibi visus est hoc in Festo Sampsonis historiam detexisse*, *cujus* me-

memoria facile potuit a Phœniciis ad Romanos migrare; quod etsi non omnino vero simile mihi videtur, quod tamen Ovidius refert, merito facit, ut ipsi nobis magis magisque persuadeamus, quod de Sampsone memoratur, quoad damnum scilicet, quo Philistæos per ignem vulpium caudis admotum affecit. Cæterum ut Sampson vulpes ad caudas cum facibus binas vinciret, dubio procul id causæ fuit, ne statim in foveas se recipere possent, ac ne confestim faces extinguerentur, quo per agros incendium propagaretur. Res sane Sampsoni prorsus e voto cessit; grave enim damnum non modo Philistæorum segetes, sed etiam vineæ, & oliveta subierunt.

*** *Super cæde Philistæorum mille, quam Sampson per Asini maxillam peregit, aliter visum est Auctori animadversionis* VII. *quæ legitur Tom.* II. *animadversionem Hallensium lingua teutonica pag.* 134. *& sequentibus. Cum enim animadverterit, vocabulo* לחי humerum *significari, illud* vim, fortitudinem, & potestatem *interpretatur; præterea* חמור cohortem militum; *denique* טריה recens, novum; *hinc tandem concludit, hunc textus genuinum sensum esse: Sampsonem, collecta novorum, fortissimorumque militum manu, in Philistæos irruisse, e quibus mille interfecerit. Verum interpretatio hæc non omnino solida est, nec tanti ponderis, ut digna sit, quæ eruditis Viris probetur. Atque ad vocabulum quidem* טריה *quod attinet, haud equidem pugno, quin* recens *potius, quam* vetus *significet; quod jam alii non contemnendis rationibus ostenderunt, ut apud* Samuelem Bochartum. *part.* I. Hierozoici *lib:* II. *cap.* XV. *videre est. Præterea per illud* חמור *hoc loco potius* militum turmam, *quam* Asinum *significari, nullo sane probabili, aptoque argumento pervicit; vox hæc ipsa eodem loco v.* 16. acervum *significat; jam vero* acervus *a* copiis, *vel a* militum turma *plurimum differt. Neque vero quod ait de voce* לחי *magis cohæret; si enim cum voce* חמור *jungatur, & utraque vox propria significatione sumatur, nihil aliud per eas, quam Asini maxilla significari potest. Nec magni momenti rationes sunt, quas in opinionis suæ confirmationem adducit; imprimis vero, ita exposito textu, Atheis sacræ Scripturæ deridendæ occasionem adimi. Itane vero nugari licet? An fieri non potuit, ut Sampson peculiari, inusitatoque corporis robore praeditus, arrepta Asini maxilla, tot Philistæos interficeret? Quamobrem Atheis justa causa subesse non potest, cum sacram Scripturam flocci faciant, & sacrum Scriptorem irrideant. Neque in Atheorum gratiam vel neganda miracula, vel a proprio, & genuino divinorum verborum sensu recedendum est. Ex alia parte nihil nos cogit cum Lyrano dicere, Asinos in Judæa, quam alibi grandiores esse, & longiora quoque proinde, ac duriora eorumdem ossa; si enim Samsonis portentosas vires spectemus, ad tantam Philistæorum cladem vulgaris Asini maxilla satis fuit.*

**** *Antequam molares rotæ, quæ aut aqua, aut vento cientur, inventæ essent, homines ad eas agendas manibus utebantur, quemadmodum etiamnum in multis Orientis, & Indiarum locis utuntur. Fere mancipia ad eas volvendas, terendi grani causa compellebantur. Huic ergo molesto, duroque operi Philistæi Sampsonem applicuerunt, quem haud mancipium solum, sed etiam omnium mancipiorum miserrimum reputabant. Sane consueta captivorum pœna, qui gravis delicti rei essent, pistrinum erat; hinc ea apud Comicos minæ:* Agam te in pistrinum ad mortem usque. *Eo compulsis, vinctisque certa grani mensura in dies singulos terenda tribuebatur. Ex Isaiæ cap.* XLVII. *& ex Jeremiæ Trenis eam consuetudinem apud Chaldæos obtinuisse constat. Lex de* Pistrini pœna *in Codice Theodosiano tit. de* Pœnit. *apud Clericum eos ad publicas Urbis Romæ molares rotas damnabat, qui tametsi rei, morte tamen digni non erant; haud aliter atque apud nos ejusmodi fontes hominis ad triremes damnantur.*

In Ægæi Maris Insula, quæ Milos dicitur, id genus molares rotæ plurimæ conficiun-

ficiuntur, quarum multæ in Ægyptum, Constantinopolim, in Peloponesum, Zacynthum, Cephaleniam, Amonam deferuntur. Instrumenta hæc duplici plano constant, duobusque rotundis saxis, quorum diameter duos circiter pedes patet, & quorum unum alteri impositum vertitur ligni adminiculo, quod manubrii vices agit. Granum in inferius saxum per foramen excurrit, quod in medio superiore saxo est, quod circum actum paulatim in inferiorem rotam granum transmittit, ubi frangitur, & in farinam abit; quæ discurrens in tabulas per rotæ labia colligitur, ex eaque panis conficitur, qui, ut ii tradunt, qui hæc itinera peregerunt, longe suaviore sapore est, quam qui farina rotis aqua, seu vento actis expressa constat.

Samuel, a Deo petitus, filius Elcanæ, & Annæ e Tribu Levi, & e familia Chaat, Propheta fuit, & Judex Israel ad annos multos. Ejus mater Anna cum sterilis esset, longo post tempore, singulari Dei beneficio concepit, & in lucem dedit filium, quem Samuelem nuncupavit, quippe qui ejus precum fructus esset. Suo eum lacte nutriit, quoad per ætatem solido cibo uti posset; tum vero ductum in Silo ad domum Domini præsentavit Heli, ut votum solveret, quod ediderat, ut nempe Tabernaculi servitio filium dicaret, quem ei Dominus concessisset. Junior ergo Samuel in domo Dei linea tunica indutus deserviebat. Crescebat Deo, & hominibus charus, & ante Dominum magnus evasit: *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus .....& magnificatus est apud Dominum.* Aliquando cum Heli somno sopitus esset, & Samuel in Tabernaculi ambitu apud eum dormiret, vocem audiit, qua vocabatur, ratusque se ab Heli vocari, ad eum cucurrit; & eum Heli haud a se accitum testatus dimisit. Cum porro ter id contigisset, perspexit Summus Pontifex, Deum esse, qui puerum vocaret, & *vade*, inquit, *& dormi, & si deinceps vocaverit se, dices: loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Ergo Samuelem somno vix occupatum Dominus rursus vocavit, cui cum Samuel, prout Heli præceperat, respondisset, edixit Deus id se facturum, quod omnem Israeliticum populum admiratione perfunderet, immissis in domum Heli malis omnibus, quæ ob filiorum pravitatem, & patris negligentiam minitatus fuerat: *Ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus; in die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus; incipiam, & complebo; prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod non ignorabat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos.* Heli ergo cum Dominum ad Samuelem locutum scisset, eum impulit, ut, quicquid audierat a Domino, patefaceret; atque ex eo tempore Samuel habitus est Propheta Domini, ejusque verborum nullum inane fuit, utpote cui Divinus Spiritus præsto esset: *Et Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Quicquid porro de ejus tum infantia, tum adolescentia tradunt sacræ Litteræ, virtutum, quæ in eam ætatem congruunt, eximium exemplar exhibet. Memoratur ejus longe maxima in suis obeundis officiis fides; *Ministrabat in Templo Samuel coram Domino*; haud cunctatus surgit, se ab Heli vocatum putans: *Et cucurrit ad Heli, & dixit: ecce ego; vocasti enim me.* Mane ad Templi fores aperiendos properat: *aperuitque ostia Domus Domini.* Nobis occurrit in hoc infante obedientia, docilitasque perfecta, quæ facit, ut nulla interjecta mora, summaque cum alacritate, quicquid Summus Pontifex præcipit, exequatur: *Qui respondens, ait, præsto sum.* Occurrit simplicias, & candor; Heli quippe Pontifici res injucundas ingenue patefacit: *Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo.* Occurrit denique singularis in virtute progressus, profectusque, prout ætate crescebat: *Crevit autem Samuel, & Dominus cum eo.* Interea Divinis minis in Heli, ejusque filios perfectis, occasione belli, quod Philisthæi Israelitis intulerant, Samuel electus fuit, ut Dei populum judicaret. Agebat eo tempore Samuel quadragesimum ætatis annum, sibique Ramathæ, ubi natus erat, sede posita, in varias tamen Urbes, reddendi

dendi juris causa, se identidem conferebat. Ejus ætate universus populus ad Dominum rediit, Samuele horrante, & ad extraneos Deos deferendos extimulante, ac futurum promittente, ut eum Deus a Philistæorum manibus liberaret. Ergo Israelitæ convenerunt in Maspha, ubi jejunarunt, suaque peccata confessi sunt, ut Dei iram lenirent, ejusque beneficia promererentur. Philistæi porro, cum audissent, filios Israel in Maspha esse, in eos in prælii modum progressi sunt. Eos primo quidem rumor deterruit; at Samuel animos addens holocaustum obtulit, cumque hostes aggressuri venissent, in eos Deus formidando fragore tonuit, cujus vi fusi, profligatique evanuerunt. Eos insecutus populus ad eorum usque regionis fines affecit ingenti clade. Ibi Samuel in victoriæ monumentum lapidem posuit, eumque locum *Eben Ezer*, hoc est, *subsidii lapidem nuncupavit*, propterea quod eo Dominus in Israelitarum auxilium venerat: *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphat, & inter Seir, & vocavit nomen loci illius lapis adjutorii, dixitque: huc usque auxiliatus est Dominus*. Tum vero Philistæorum adeo repressa arrogantia est, ut in Israelitarum regionem regredi non auderent; & quoad præfuit Samuel, divinæ manus ultrix vis electi populi hostes impetiit: *Facta est itaque manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis*. Porro sanctus vir ætate provectus filios duos, Joelem, & Abiam statuit, qui populum judicarent; obibant id officii Bethsabeæ, quæ Urbs ad meridionales fines regionis Chanaan sita erat; at a recto tramite, cui pater institerat, aberrantes se avaritia depravari passi sunt, ut proinde ad injuste judicandum pecuniam acciperent. Adeo avertit animos eorum regimen, ut Israelitarum seniores ad Samuelem in Ramatha commorantem se se conferrent, ejusque provectam ætatem, pravamque ipsius filiorum administrationem causati, eum adegerunt, ut ipsis Regem daret, a quo cæterarum nationum more administrarentur. Ejusmodi postulatum Samuel indigne tulit; tum Domini consilium, effusis precibus, efflagitavit, qui respondens jussit, ut id faceret, quod populus expetebat; at eum tamen prius moneret, quodnam Regis, qui imperaturus erat, futurum jus esset: *Nunc ergo vocem eorum audi, verumtamen contestare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos*. Samuel populo exposuit, quisquid ei Dominus dixerat, & cum jus enuntiasset, quod Regi futurum erat, ut nempe eorum bonis, filiis, &c. poriretur, idque pro humana justitia impune faceret, non aliud in eos regiæ potestatis abusus perfugium reliquit, quam ut ad Deum clamarent, ejusque opem implorarent; futurum tamen edixit, ut a Deo nequaquam exaudirentur, quippe qui Regem ipsi petiissent: *Et clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem*. At Samuelis monita non impedierunt, quominus populus in suscepto petendi Regis consilio persisteret. Ergo Saulem elegit, filium Cis e Tribu Beniamin, quem in Israel regnaturum statuerat. Et sane cum Saul se Prophetæ stitisset, ut de amissis patris Asinis eum consuleret, ei Samuel dixit, eam Dei voluntatem esse, ut ipse Israelitis præesset, eique regalem unctionem contulit. Tum Israelitas omnes in Maspha convenire voluit, ut Regis electio perageretur; cumque iis exprobrasset ingratum in Deum animum, qui eos ab Ægypti servitute, & a tot Regum tyrannide liberaverat, super omnes Tribus sortem misit, ut liquido constaret, electionem a Deo tantum esse, ac ne suspicio suboriri posset, Samuelem humana aliqua ratione permotum egisse. Sors cecidit in Tribum Beniamin; eam deinceps in hujus Tribus familias jecit, quæ in familiam Metri, ac tandem in Saulem cecidit filium Cis, quem universus populus Regem edixit: *Et exclamavit omnis populus, & ait, vivat Rex*. Tum Samuel, qui loquebatur, agebatque Dei nomine, ob oculos posuit novo Regi, subditisque mutua ipsorum officia in Regni Lege, quam ipse scripsit, ut regimini modum statueret, & quoad Regem quidem tyrannidem, quoad populum autem defectionem averteret. Regiæ Legis articulos singulos coram cætu cum legisset, deposuit in Tabernaculo prope Arcam Domini; atque autographum monu-

monumentum hoc in loco sancto, nec longe a Dei solio positum monebat tum populum, ut Regi, tamquam Deo ipsi pareret, tum Regem, ut Dei regimen, cujus nomine regnabat, tamquam sui ipsius exemplar sibi proponeret: *Locutus est autem Samuel ad populum legem Regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* His actis, Samuel cætum dimisit, & post secundam in Ammonitas expeditionem, cætum alium in Galgala convocavit, ubi Saulis electionem renovavit, eamque solemnem in modum celebrandam curavit. Tum quæsivit ex populo, an haberet, quod de eo quereretur, exprobraretque oppressum vi quempiam, injuste quicquam exactum, accepta dona; se quippe paratum esse, injuriam omnem, cujus convictus esset, reparare: *Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Omnes, & singuli responderunt, nullam sibi in eum querimoniam, nihilque in ejus administratione reprehensione dignum esse: *Et dixerunt: non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quicpiam.* Samuel ergo cum innocentiam suam per universi populi, qui convenerat, iteratam confessionem in tuto posuisset, eidem in reditu exprobravit acerrime perfidiam in Deum, qui ex Ægypto egressum in Mari Rubro sospitem, incolumemque servavit, nec tueri destitit in omnium conspectu, nisi cum coetus delictis fuit eum hostibus tradere, nec liberatores ad primum pœnitentiæ specimen suscitare neglexit; iis proinde jam nullum excusationi locum esse, qui singulari privilegio cesserint, quo uni Deo suberant, ut hominis voluntati se subderent, quæ sæpe inconstans, dura, & cum temeritate conjuncta est. Subdidit tamen fore, ut Deus, dissimulata injuria per eam indignam prælationem sibi illata, iis haud gravate cum novo Rege patrocinetur, dummodo fideliter omnia ejus præcepta servarent; futurum alioquin, ut, quod eorum Majoribus contigerat, omni calamitatis genere premerentur: *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & patres vestros.* At cum satis ponderis in Samuelis verbis non esset, ut rudis populus probe perciperet, quam graviter Regem postulans deliquisset, Deum ipsum, ad id obtinendum, evidenti miraculo uti necesse fuit. Ad Samuelis preces, serena die, eoque tempore, quo in Palæstina tempestates ignotæ sunt, repente Dominus obscuris nubibus Cœlum texit, e quibus egressa fulgura, & fulmina extremum terrorem cerebrosorum hominum animis incusserunt, patratique delicti confessionem ex iis expresserunt: *Et timuit omnis populus . . . . & dixit ad Samuelem: ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis malum, ut peteremus nobis Regem.* Eos divinorum judiciorum metu permotos, & ad humilem resipiscentiam compulsos videns Samuel nihil omisit, ut Dei bonitate, ejusque promissis ob oculos positis, ad veniæ spem ipsos erigeret; nimirum malorum omnium remedium in eo demum positum esse, ut ex animo ad Deum redirent, integraque fide se ejus cultui addictos servarent: *Servite Domino in omni corde vestro . . . . servite ei in veritate, & ex toto corde vestro.* Se quidem tamquam præcipuum sui muneris officium semper id spectaturum recepit, ut eos assiduis precibus Deo commendaret, edoceretque, quid facto opus esset: *Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut essem orare pro vobis, & docebo vos viam rectam, & bonam.* Accidit id anno primo Regni Saul; qui sequente anno jussus a Samuele Dei nomine in Galgala se conferre, ibique expectare, dum Samuel ipse, holocausta, & hostias pacificas oblaturus eo conveniret, cunctante Propheta, tædio affectus ad se victimam afferri jussit, & holocaustum obtulit. Peracto vix sacrificio, Samuel advenit, qui de re tota certior factus Regem increpuit, qui Domini jussa violasset, enuntians proinde fore, ut eum Deus rejiceret, ejusque loco alium sibi obsequentem quæreret: *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum, eo quod non servaveris, quæ præcepit Dominus.* Aliquanto post Propheta Regem adiit, Deique nun-

auntius eidem mandavit, ut in Amalecitas progrederetur, eos trucidaret, penitusque deleret, nulli rei parcens, quæ ad ipsos spectaret, ut in eum nempe populum ob mala maledictum, quæ ex Ægypto egredientibus Israelitis intulerat, animadverteret, decretumque, quod jam tum in eos nequam homines pronuntiaverat, exequeretur: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue; delebo enim memoriam Amalec sub cælo*. Saul ergo in Amalecitas irruit, eos profligavit, trucidavitque; at iis Regem Agag servavit, & quicquid in armentis optimum erat. Deus erratum Principis indigne ferens, ei per Samuelem indictum voluit, quandoquidem ejus verbum ipse rejecerat, eum propterea a se rejici, nec amplius Regem fore: *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex*. Tum Saul ei fassus est, se sane violandis Dei jussis peccasse; at Prophetam rogavit, ut ejus peccatum ferret, & una cum eo ad adorandum Dominum pergeret. Ire Samuel renuit, inquiens, eum Regem amplius non esse, eodemque tempore terga vertit abiturus. Eum strinxit Saul stricto pallio, quod in ejus manibus scissum est, Propheta futurum nuntiante, ut in eumdem modum Dominus Regnum ex ejus manibus extorqueret, quod alteri traderet, qui eo melior foret: *Scidit Dominus Regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*. Eum tamen secutus est, & ad castra rediit, ubi cum eo Dominum adoravit. Tum vero Agag adductum voluit, fideique vim imitatus, qua Levitæ, ac Phinees, aurei Vituli, Idolique Phegor sanguine, suas ipsorum manus sacrarunt, impium Regem trucidavit, suoque exemplo Saulem docuit, quid ei facto opus fuisset, ut Divinis mandatis fidelis esset. Sua deinde contempta monita, suumque ministerium ea in aula inutile videns Samuel, in qua non amplius aures Deo præbebantur, secessit Ramatha, nec amplius Saulem vidit, quicum ei deinceps nec familiaritas, nec amicitia fuit. At miseri tamen Principis conditionem deflere non destitit, quem eo redegerat perfidia, ut a Deo rejiceretur, nec suis ipse calamitatibus tangeretur: *Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum Regem super Israel*. Sibi quidem in animum induxerat Samuel se tandem assequi posse, ut decretum revocaretur, quod in Saulem pronuntiatum fuerat; verum ut spem omnem abjiceret, & lacrymas sisteret, quas Regis Impœnitentia irritas reddebat, edixit Deus, eum a se tempus in omne rejectum esse, & Samueli ipsi mandavit, ut sententiam exequeretur, proficiscens Bethleem, ubi unum filiorum Isai consecraret. Ne tamen Saulis suspicionibus locum præberet, Samuelem jussit, eo victimam secum afferre. Paruit Samuel, Bethleem se contulit, & cum Senioribus exposuisset, se sacrificium oblaturum venisse, Isai, ejusque filios ad prandium vocavit. Quibus ingressis, Propheta in Eliab primogenitum, perfecta pulcritudine adolescentem oculos defixit, & cum in Saulis electione, oris & corporis habitum a Deo spectatum meminisset, sibi proinde persuasit eum esse, quem Deus consecratum vellet. At Deus ipse, qui Regem juxta cor suum Israelitis dare volebat, quibus alium pro eorum genio, Injustaque petitione concesserat, Prophetam monuit, ne in externa specie, quæ virtutis, & meritorum indicium magnopere dubium est, Immoraretur: *Ne respicias vultum ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*. Cum ergo Isai filium alterum, ac deinceps quinque reliquos se sistere jussisset, Deus eorum nullum a se electum significavit; quamobrem quærente Propheta, aliine filii reliqui essent, Isai quæsitum misit natu minimum, Davidem nomine, qui armenta custodiebat; porro Samuel a Domino certior factus, eum ipsum esse, quem ad solium elegerat, urceolum sumpsit, quem oleo plenum attulerat, eumque coram fratribus consecravit, quin iis quicquam de ejus unctionis vi & ratione patefieret, quam sane propheticam esse pro certo habebant. Propheta, cum Dei jussa fecisset, Ramatham rediit, ibique transegit, quod ei reliquum vitæ fuit. Hac haud procul Urbe societatem constituit, veluti in asylum receptis iis, qui pieta-

pietati addicti, a terrenis rebus abducti, studioque, & exercitationi Religionis dicati eo recedebant, dicti Prophetarum filii, quorum scilicet Discipuli erant, in eoque fere occupati, ut vehementi quodam pii fervoris impetu Divinas laudes sacris canticis celebrarent. Multis post annis David, a Saule ad mortem quæsitus, Ramatham fugit, ut sollicito animo solatium quæreret, & regiminis officia ex eo perciperet, qui ei Regnum promiserat. Eum Propheta transtulit Najoth, ubi consistere, quoad Saul de hostis recessu monitus, homines misit, qui eum caperent. At missi homines, nacti Prophetarum turmam, quibus Samuel præerat, correpti Dei spiritu, se iis addiderunt, divina prodigia nuntiantes inusitatis motibus, sublimibusque canticis, quæ nunquam perceperant. Eumdem impetum experti alii, quos Saul deinceps misit, de demandata vindicta minime cogitarunt. Ad extremum eo profectus Saul ipse, cum eum idem ac cæteros spiritus incessisset, cæpit Prophetam agere; fuitque proinde Davidi satis temporis, ut in tuto se poneret. Denique Samuel annos natus nonaginta octo, cum primo quidem per annos quadraginta Tabernaculo deservisset, deinde annos viginti in regimine, tandem triginta octo in recessu transegisset, supremum diem obiit, domique suæ Ramathæ sepultus fuit. Universus Israel conveniens se in insignem luctum effudit; ac Spiritus Sanctus ipse hujus sancti Prophetæ elogium texuit in hæc verba: *Dilectus a Domino Deo suo Samuel Propheta Domini renovavit imperium . . . . In Lege Domini congregationem judicavit . . . . & in fide sua probatus est Propheta . . . . pecunias, & usque ad calceamenta ab omni carne accepit, & non accusavit illum homo.*

Tribuuntur huic Prophetæ liber Judicum, liber Ruth, & primus Regum, quoad priora saltem capita viginti quatuor, quæ nihil continent, quod ipse scribere non potuerit, additionibus nonnullis exceptis, quæ post ejus mortem insertæ videntur; quod enim ad postrema capita spectat, ex scribere ipse non potuit, quippe quæ ejus mortem describunt. Samuel Prophetarum seriem inchoat, quæ ab eo ad Zachariam, & Malachiam usque non amplius intermissa fuit: *Omnes Prophetæ a Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.*

Sanaballat, inimicus involutus, ex Urbe Oronaim in Moabitarum regione, Cuthæorum Administrator, qui semper acerrimus hostis Judæorum fuit. Cum Neemias Susa venisset, munitus Regis Persarum litteris, quibus Hierosolymitani Templi reparandi facultas eidem concedebatur, Sanaballat, Tobias Ammonites, & Gossen Arabs hujus operis executioni totis viribus obstiterunt. Primum omnium ex Neemia quæsitum miserunt, quid rem aggrederetur, quæ perduellio in Regem esset. At strenuus Israelita, cum fidenter iis, quos adversarii miserant, respondisset, alacriter operi manum admovit, & mœnia instaurare cæpit. Sanaballat, re cognita, furore abreptus, Judæos in opere ipso nil tale cogitantes aggredi statuit. Neemias rationem iniit, ut eorum consilium, de quo monitus fuerat, irritum redderet; quamobrem hostis se detectum videns, eos aggredi non est ausus, qui obsistere parati erant. Ad fraudem ergo confugiens, Neemiam ad collationem pertrahere conatus est, ut eum interimeret. De Regni ambitu Neemiam accusavit, futurum ratus, ut a consilio desisteret, ne Persarum Regis indignationem subiret; atque adeo pseudo-Prophetas, qui eum deterrerent, pecunia corrupit. At Neemias omnia ejus molimina prudentia disjecit, ac tandem vigilantia, consilioque, quo vaferrimorum hostium insidias antevertit, susceptum opus perfecit, sanctæ Urbis mœnibus reparatis. Sanaballat hic ipse fuisse creditur, qui filiam Manassi conjugem dedit fratri Jaddo Judæorum Pontificis, quem Neemias impulit, ut Hierosolymis egrederetur, & Samariam apud socerum se reciperet. Sanaballat ergo per Alexandri Magni auctoritatem, ad quem accesserat, cum a Dario defecisset, obtinuit, ut gener in monte Garizim Sacerdotali munere fungeretur. II. *Esdr. cap.* II. 10. Joseph. *lib.* XI. *Antiquit. c.* VII.

Sanctitas. Vox hæc in sacris Litteris multiplici significatione sumitur: *Sanctita-*

tis enim nomine significatur I. puritas animi: *ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate*, vitæ scilicet integritate, seu morum puritate. II. Pietas, in Deum observantia: *Ut serviamus illi in sanctitate, & justitia*. III. Sanctitas Templi: *ut conderet Domum in nomine suo, ut pararet sanctitatem in sempiternum*. Deus hostes omnes Salomoni subdidit, ut in ejus honorem domum sanctam erigere, & sanctuarium, quod æternum consisteret, parare posset. Vocabulum quoque *Sanctus* multifariam accipitur. Pro re sancta: *Nolite sanctum dare canibus*. Pro Templo: *ministrabas in sanctis*. Pro ea Templi parte in qua erat Arca Testamenti, & in quam unus Pontifex ingrediebatur expiationis die: *Ultra vellum intrabit in sancta*. Pars hæc ita designabatur: *Sancta Sanctorum*. Sumitur etiam pro Cælo, quod per inferius sanctuarium exhibebatur. *Sanctorum minister, & Tabernaculi veri*. Christus Dominus est minister sanctuarii cælestis, verique Tabernaculi, ubi æterni Sacerdotii munia peragit. *Sanctus* Deo convenit, utpote qui omnis sanctitatis fons & origo est: *Non est sanctus, ut est Dominus*. Convenit etiam Christo, qui Deus simul, & homo est: *Vos autem Sanctum justum negastis*. Vox hæc ipsa significat Angelos: *apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia*: Angelorum scilicet. *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis*. Nomen hoc Prophetis quoque, & Patriarchis tribuitur. Id etiam designat, quod Deus servitio suo consecravit: *Quemcumque elegerit ipse, erit sanctus*. Judaicus populus, & Christiani dicuntur sancti: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*: natio scilicet mihi addicta: *Factum est, ut Petrus deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ*. Hoc ipso nomine insigniuntur ii, qui sanctitate præstantes in Cœlis cum Christo regnant: *Exultabunt Sancti in gloria*. Denique Fideles omnes, qui ab ipso Mundi exordio vixerunt: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum*: ut hujus mysterii, quam late patet, amplitudinem cum Fidelibus omnibus animo complecti possitis. Christianos demum sanctos vocat Apostolus, tum quia ad sanctitatem vocati sunt, tum quia sancti esse debent: *Omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi*.

Sanctificare. Verbum hoc in sacris Litteris multiplicem notionem habet; significat enim I. purificare, seu mundum, sanctumque reddere, quod non nisi per Divinum Spiritum fit: *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia*. II. Purum efficere ea puritate, quæ Legalis dicitur; quod in Lege veteri per cæremonias perficiebatur, quas Deus præscripserat: *Etenim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*: nimirum pollutis hominibus externam, & corporalem puritatem confert. III. Honorare, glorificare, seu honorem, & gloriam afferre: *Sanctificetur nomen tuum*; honore scilicet, & laude ab omnibus creatis rebus pro merito afficiatur. IV. Dicare, consecrare, vel ad ministerium, quemadmodum sanctificata fuit Tribus Levi: *sanctificabis illos, ut sacerdotio fungantur mihi*; vel ad prophetiam, ut Jeremias: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*, vel ad usum, ut dies Sabbati: *Requies Sabbati sanctificata est Domino*: nempe Sabbatum Domino sacrum, seu cultus, qui eidem debetur, sanctis usibus addictum est; vel denique ad oblationem, ut primogeniti: *sanctifica mihi omnem primogenitum*. VI. Pro comparare, atque accommodare sumitur: *Sanctifica eos in die occisionis*: eos sane ad sacrificii, nempe cædis diem tamquam victimas compara. VII. Pro nuntiare, indicere: *Sanctificate jejunium*: jejunium indicite; *sanctificate diem solemnem Baal*: solemne festum in honorem Idoli Baal enuntiate. VIII. Alicujus rei usum sanctum, & ad salutem utilem reddere: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*: fidelis fæmina per fidem suam matrimonii cum viro infideli initi usum sanctum, & legitimum efficit. IX. Denique per antiphrasim significat inficere, polluere: *Et non sanctificabant populum in vestibus suis*; Sacerdotes cum laicis versari non debebant sacerdotalibus induti vestibus, ne quis forte per tactum peccato aliquo pollueretur.

Sanctuarium. Ita nuncupabatur secretior,

tior, & intimior Hierosolymitani Templi pars, in qua erat fœderis Arca, & in quam semel in anno, nempe solemnis expiationis die unus Pontifex ingrediebatur; ut intelligeremus, inquit Apostolus, veri sanctuarii viam nondum patuisse, nec ante futurum fuisse, ut pateret, quam Deus cum hominibus per unici Filii sui sanguinem conciliaretur: *Hoc significante Spiritu Sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente statum*. Dicebatur etiam alterum Tabernaculum. Vox hæc eadem generatim pro Templo sumitur, seu pro loco, qui publico Domini cultui addictus erat: *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*. Pro Urbe Hierosolyma, quam Deus sibi sedem elegerat: *Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*: Hierosolyma tamquam hæreditate nostra potiamur. Universæ Judææ Moses id nominis tribuit: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine, Sanctuarium tuum, quod firmaverunt manus tuæ*. Nomen hoc idem pro Cælo ponitur, quod verum Sanctuarium est Tabernaculo designatum: *Respice de sanctuario tuo*. Significat etiam arcana Dei, quæ Fidelium mentibus meditatio patefacit: *Labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*: curæ tantum, ac sollicitudines ob oculos mihi versantur, quoad in Dei Sanctuarium ingrediar, nempe Dei arcana per meditationem assequar, & nequam hominum finem perpendam.

Sandalia significant calcei genus quoddam, qui pedibus per funiculos ex corio confectos aptari solebat: *induitque sandalia pedibus suis*. Qui inter cæteros eminebant, magnifica, & singulari venustate confecta sandalia gestabant; legimus enim calceum ipsum Judith Holopherni summopere placuisse: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*. Hoc genere calcei fere ancillæ utebantur; itaque S. Joannes ait se dignum non esse, qui Domini sandalia gerat: *cujus non sum dignus calceamenta portare*. Judith cap. x.

Sanguis. A mundi exordio vetuit Deus, ne animalium sanguis cum carne comederetur: *Carnem cum sanguine non comedetis*. Sanctionem hanc iteravit, cum Legem indixit: *Si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius*. Ac tum quidem præcepti rationem attulit, nempe animalis vitam sanguine contineri, ac se velle eumdem servare in humani sanguinis locum, quem ad animi expiationem exigere poterat: *Quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, ut super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit*. Quamobrem quamdiu vetera sacrificia viguerunt, quoad nempe Deo satis fieret per hostiam, quæ eo digna esset, semper Deus ipse voluit, sibi uni sanguinem inservire; ut ita homini palam fieret, peccata, quæ commiserat, retineri, & animalium sanguinis effusionem tanti ponderis esse non posse, ut ejus cum Deo conciliationem perficeret. At ex quo immaculati Agni sanguis super Altari Crucis effusus fuit, sumendi victimarum sanguinis prohibitio abrogata est. Christus ipse nobis præcepit, ut in conciliationis argumentum, ejus & carnem comederemus, & sanguinem biberemus. Porro pura putaque erga Judæos indulgentia factum est, ut prohibitionem hanc Apostoli exciperent, dum Ethnicos, qui fidem amplecterentur, a legalibus præceptis exemptos voluerunt. Sanguis pro vita sumitur: *Stabis contra sanguinem proximi tui*. Hinc ejusmodi locutiones: *Aspergere vestem sanguine, intingere pedem sanguine, lavare manus suas in sanguine*: ingentem hostibus cladem inferre; quæ metaphoricæ loquendi rationes divinorum judiciorum severitatem significant. *Inducere super aliquem sanguinem alicujus*: alterius mortem alicui tribuere. Sanguis etiam pro cognitione, ac sanguine sumitur: *Sanguini tradam te, & sanguis te persequetur, & cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te*: tradam te consanguineis tuis, qui te persequentur, propterea quod eos ipsos odio habueris; Idumæi Israelitis conjuncti de eorum excidio lætati erant, & se Chaldæis addiderant, ut eos delerent. Deus proinde vindictam minitatus est, inflixitque, dum eos Israelitis per Judæ Machabæi bellicam virtutem subdidit. Accipitur præterea sanguis pro natura per peccatum corrupta: *caro, & sanguis non revelavit tibi*. Item

pro

pro uvæ succu : *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum* : Judas vestem suam vino lavabit; quod litterali quidem sensu de fertilitate vinearum Tribus Juda intelligi potest ; at sublimiore significatione Christum designat, qui fuso sanguine carnem suam aspersurus, & Ecclesiam purgaturus erat. Ædificare domum in sanguine, per miserorum scilicet hominum oppressionem : *Væ qui ædificat civitatem in sanguine*; *libera me de sanguinibus* : scilicet a pœna sanguini debita, quem effudi.

Sanhedrim, vox, quæ derivatur a Græco vocabulo Συνέδριον, cœtus, & Hebræorum Tribunal significat, cujus institutor fertur Moses, qui Deo jubente, & Jethro socero hortante, selegit ex Hebræis senioribus septuaginta, ut ad regiminis onus ferendum ei præsto essent : *Et dicis Dominus ad Mosem : congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, facietque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu suo, tradamque eis, & sustentent tecum onus populi, ut non tu solus graveris*. Tribunali huic præerat Moses, ut proinde constaret uno & septuaginta Judicibus, qui e singulis Tribubus eligebantur. Eorum primus, seu caput appellabatur נשיא *Nasci*, scilicet Præses; secundus אב *Ab*, hoc est, Pater consilii, qui ad ejus dexteram erat; tertius, qui erat ad sinistram, חכם *Hacam*, nempe Sapiens nuncupabatur. Seniores hi primo quidem in Galgala, Silo, Cariathiarim, aliisque locis, in quæ Tabernaculum deferebatur, ad ejusdem Tabernaculi januam congregabantur. Synedrium deinde Hierosolymis positum fuit ad Babylonicam usque captivitatem, cujus tempore Babylone perstitit, postea vero Hierosolymæ restitutum est. At generatim non convenit de hujus Tribunalis origine, cujus nullum indicium, seu Josue, seu Judicum, seu Regum temporibus, invenitur; ac ne certum quidem est, e Judicibus septuaginta, quos Moses instituit, id constitisse, quod Hebræi Sanhedrim nuncupant. Ad hunc Senatum quod attinet, e sacris Litteris id unum constat, eum Christi tempore viguisse, auctoritatis multum eidem fuisse, denique Religionis negotia ad ejus jurisdictionem spectasse; Christum enim sæpe de ejus missione, ac de jure, quo ageret, interrogavit : *Convenerunt Principes Sacerdotum, & Scribæ cum Senioribus, & ajunt, dicentes ad illum : dic nobis, in qua potestate hæc facis? Aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?* Tunc quidem hi Judices in Hierosolymitani Templi aulam figura sphæricam conveniebant, cujus dimidium in interna, dimidium autem in externa Templi parte constructum erat.

Sanir, *lucerna*, Libano contiguus mons, qui ad Galaad montes usque protenditur : *Abietibus de Sanir extruxi te* : te ex abiete ædificavi, quod e monte Sanir afferendum curavi. Mons hic contingit Hermon, quicum proinde sæpe confunditur.

Saphan, *barba*, filius Assiæ, & a Templi secretis Josia regnante : *Anno decimo octavo Regis Josiæ, misit Rex Saphan filium Assiæ, scribam Templi Domini*. Hujus nominis alios duos sacra Scriptura commemorat. IV. *Reg.* XXII.

Saphat, *judicium*, filius Huri, unus e primoribus Tribus Simeon, ex eorum duodecim numero, qui ad explorandam Terram promissam missi fuerunt : *De Tribu Simeon Saphat filium Huri*. Occurrunt ejusdem nominis alii quatuor, nomine tantum noti. *Num.* XI. 6.

Saphatia, *Dominus judicans*. Sacra Scriptura viros octo recenset hoc insignitos nomine, de quibus nil peculiare memoriæ tradit, nisi quod eorum unus erat ex nequam hominum numero, qui Jeremiam accusabant, quasi lugubribus vaticiniis populum deterruisset. II. *Reg. c.* III. I. *Paralip.* IX. II. *Paralip.* XXI.

Sapientia, *sapiens*. Hæc duo nomina, quæ tum a Græcis, tum a Latinis pro Philosophiæ scientia sumuntur, plures alias in sacris Litteris notiones habent. Accipitur enim sapientia I. pro supernaturalium, divinarumque rerum notitia : *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Sapientia est, quæ ad accuratam divinæ Legis custodiam homines ducit; eaque proprie fuit, quam Deus Salomoni cumulatissimam contulit. II. Pro dexteritate, peritia, industria in quavis arte, ac scientia : *Implevi*.

plevi eum spiritu Dei, *& Sapientia*. Deus a se Beseliel sapientia cumulatum ait, industria scilicet, ut omne operis genus exequeretur. III. Pro prudentia in iis eligendis, quæ ad negotium aliquod perficiendum accommodata sunt: *Facias ergo juxta sapientiam tuam*. IV. Pro doctrina, eruditione, scientia: *In multa sapientia multa indignatio*. *In antiquis est sapientia*. V. Pro effectis sapientiæ: *Jesus proficiebat sapientia*: pro ut nempe succrescebat, majora sapientiæ specimina in dies exhibebat. VI. Pro hominum sagacitate, quæ carnis sapientia dicitur: *Non est sapientia contra Dominum*; sapientia hæc humana Divinæ contraria est: *Perdam sapientiam sapientum*. VII. Pro sapientiæ dono, cujus ope divinas res in se ipsis cognoscimus: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ*. VIII. Denique nomen hoc Æternam Sapientiam, Verbum, Dei Filium significat: *Propterea & Sapientia Dei dixit*: Per hanc Sapientiam Deus Cælos, & terram condidit: *Dominus sapientia fundavit terram*, *stabilivit Cælos prudentia*. Sapientiam hanc possedit Deus ab ipso viarum suarum initio, ab omni scilicet æternitate: *Dominus possedit me in initio viarum*, *antequam quicquam faceret a principio*. Sapientia hæc existebat, antequam Deus Mundum crearet, & in corporearum rerum productione Creatorem comitabatur: *Cum eo eram cuncta componens*, *& delectabar per singulos dies*, *ludens coram eo omni tempore*.

Sapientia. Liber Sapientiæ unus est e sacræ Scripturæ libris, in quo Auctor Salomonis nomine Reges, omnesque terrarum Magnates erudit. Iis rationem tradit, qua sapientiam comparent, cujus emolumenta ob oculos ponit; iique tamquam exemplar Salomonem exhibet, cujus nomine loquitur. Peccatoribus divinorum judiciorum severitatem minitatur, ac desperationem ad vivum exhibet, in quam eos abjiciet, in altera vita, conspecta Justorum felicitas. Loquitur Auctor de æterna, & increata Sapientia, quæ, inquit, *candor est lucis æternæ*, *& speculum sine macula Dei majestatis*, *& imago bonitatis illius*. In nullo alio sacræ Scripturæ libro nobiliores, quam in hoc notiones occurrunt. Græce scriptus fuit, ejusque latina versio multo ante S. Hieronymum prodiit; at quo tempore, quove Auctore, non constat; ac ne de eo quidem, qui græcum exemplar edidit. Librum hunc nonnulli Salomoni tribuunt, alii Jesu filio Sirach, qui Ecclesiastici auctor est; eumdem aliqui Veterum adscribunt Philoni Judæo, non ei quidem Philoni, qui Caligula imperante vivebat, cujusque opera ad nos pervenerunt, sed Philoni cuidam antiquiori, quem fictum esse probabile est. Denique alii contendunt, ejus auctorem esse unum e septuaginta, qui Ptolomæi Philadelphi rogatu eum concinnaverit. Rex hic super recto ditionis suæ regimine quæstionem Interpretum cuique proposuit; itaque nihil prohibet, quominus Sapientiæ liber, qui Principum institutio quædam est, hac ipsa occasione scriptus fuerit. Verisimilis saltem est conjectura hæc. Liber hic in Ecclesia non semper, apud Judæos autem nunquam canonicus habitus fuit; verum Concilia non pauca, & postremo Tridentinum eum sacrorum librorum canoni inseruit. Porro novendecim capitibus constat.

Sapphir, *Sapphirus*, *Zapphirus*, pretiosus lapillus, obscuro colore, non sine maculis aurum referentibus, ac valde lucidus, in secundo Rationalis ordine positus erat: *In secundo carbunculus*, *sapphirus*, *& iiaspis* Ponitur etiam inter eas gemmas, quæ cælesti Hierosolymæ fundamenti loco sunt: Fundamentum primum *jaspis*, *secundum sapphirus*. Thronus Dei, quem vidit Ezechiel, sapphirum colore referebat: *quasi lapis sapphirus*; quod Divinæ Majestatis splendorem significabat. Isaias quoque ut Ecclesiæ Novi Testamenti pulcritudinem, & divitias spiritales innuat, ait Urbis Hierosolymæ fundamenta e sapphiro fore: *Fundabo te in sapphiris*.

Sapphira ejus Ananiæ uxor erat, qui cum agrum vendidisset, clam pretii partem retinuit, & quod reliquum fuit, Apostolis obtulit. Sapphira, quod Spiritui Sancto mentita esset, quemadmodum & ejus vir, cum eo punita fuit, & humi cadens periit: *Confestim cecidit ante pedes ejus* (Petri), *& expiravit*. *Actor*. v. 1.

Sara, filia Beriæ e Tribu Ephraim, quæ Urbes Bethoron tum superiorem, tum inferio-

feriorem, itemque Ozenzaram ædificandas, seu reparandas curavit: *Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem, & superiorem. Josue* XIX.

Sara, filia Raguel, & Annæ e Tribu Nephtali, septem deinceps viris nupsit, quos unum post alium Dæmon quidam statim occidit, atque ad eam accesserunt; quoniam Deus, quam juveni Tobiæ reservabat, ab eorum nullo cognitam voluit. Cum aliquando Sara ancillarum suarum uni nescio quid errati exprobrasset, eam ancilla non sine imprecationibus, increpationibusque de perditis viris arguit: *Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum Numquid occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros* *? Sara contumeliam ægre ferens, doluri remedium in prece quæsivit; atque ut mærentis animi sensa Deo liberius aperiret, in superius cubiculum se recepit, ubi perennes precibus lacrymas jungens, triduam transegit, quin cibi quicquam sumeret, ut obsecrationem jejunio fulciret, Deoque gratiorem redderet. A Deo petiit, ut ab ignominia liberaretur, quam ob virorum mortem, ac sterilitatem subierat, quæ ei ancilla non sine acerbissima imprecatione exprobraverat. Elapso triduo precibus finem imposuit, Deum ipsum animi sui semper a profanis oblectationibus alieni testem appellans: *Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, nunquam cum ludentibus miscui me.* Probe noverat, haud in hominis potestate esse, ut profunda Dei consilia pervaderet, at se ignorare, quem Deus finem in septem virorum morte propositum habuisset; ei tamen persuasum erat, Deum ipsum, siquidem in hac mortali vita, servorum suorum periculum facit, in altera mercedem eorum constantiæ rependere, iisdemque pœnam ad salutem prodesse, quippe quæ erratis remedium affert: *Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni; non est enim in hominis potestate consilium tuum; hæc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur. Non enim delectaris* (subdit eadem Sara) *in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.* Exaudiit Deus Saræ preces, & ad eam liberandam Raphaelem Angelum misit, qui Raguelis domum juniorem Tobiam consanguineum duxit. Tobias se prodens, Saram sibi conjugem a Raguele petiit, qui timens, ne consanguineus adolescens fatum idem subieret, quod filiæ viris septem contigerat, respondere dubitavit, etsi statim Angelus timorem disjecit, utpote cui Divina consilia nota essent, monitumque voluit, ejus filiam Tobiæ reservari, ac proinde neminem ea tamquam conjuge frui potuisse: *Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua, propterea alius non potuit habere illam.* Raguel, Angeli voce, quem minime noverat, metum omnem disjectum sentiens, & consanguineum adolescentem Dei ipsius manu adductum fide perspiciens, ut filiæ matrimonium ex Lege perficeretur, Saræ manum dexteram Tobiæ dexteræ imposuit, eorum matrimonio benedixit, contractum scripto firmavit, splendidumque prandium instruxit: *Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse vos conjungat, impleatque benedictionem suam in vobis.* Cæremoniam hanc Christiana Ecclesia in matrimonii celebratione retinuit, & adhuc Sacramenti Minister, ut novis sponsis benedicat, eadem orationis formula utitur. Cum nox advenisset, Raguelis uxor cubiculum parari jussit, eoque filiam duxit, quæ flere cœpit. Mater eam solabatur, hortata, ut alacri animo esset, sperare jubens fore, ut Deus tam longum mærorem perpessæ solatium tandem afferret. Tobias in cubiculum inductus, unusque cum Sara relictus id omnino, quod Angelus prædixerat, expertus est, sibique a Dæmonis furore cavit, cui in cæteros Saræ sponsos potestas fuerat; atque ita Raguel, qui jam foveam paraverat, in qua Tobiam sepeliret, audiit lætitia gestiens, ambos sponsos vivere, divinaque miseratione ab hostis furore liberos evasisse: *Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti a nobis inimicum persequentem nos.* Cum autem ob tam singulare beneficium Deo

gra-

gratias egisset, eumque rogasset, ut sponsis duobus ob servatam salutem in dies magis ei benedicendi, laudisque sacrificium offerendi desiderium inspiraret, mandavit, ut mensa in proximorum, & amicorum gratiam laute instrueretur: *Misertus es autem duobus unicis; fac eos, Domine, plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ, et suæ sanitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium, quia tu es Deus solus in universa Terra*. Interea Tobiæ, abeundi facultatem petenti, randem annuens Raguel, tradita Sara, & bonorum dimidio, felix iter precatus est. Porro abeunti filiæ inter oscula Pater, & Mater omnia, quibus in nova vitæ ratione uteretur, monita paucis verbis præbuerunt, commendantes, ut socerum, & socrum honore afficeret, virum, ut par erat, amore, observantia, obedientia prosequeretur, ad filios educandos incumberet, iis invigilaret, eosdemque ad bonum duceret, sollicita de regenda domo, recto servando ordine, itaque conformanda omni vita, ut viri lætitia, familiæ felicitas, omnium exemplar esset: *Et apprehendentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire, monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere*. Ergo Saram Tobias Ninivem duxit, quæ perfecta valetudine fruens ad eam Urbem pervenit; fuitque copiosæ posteritatis mater, & cum socer, & socrus obiissent, Ecbatanem apud cognatos rediit, ubi ætate admodum provecta mortem occubuit. *Tobiæ cap.* VII. &c.

* *Quæritur hoc loco, qui tandem Asmodeus priores Saræ viros occiderit? Antequam ad sponsam accederent, matrimonium consummaturi, Dæmon in eos irruebat, iisque spiritum intercludebat; nimirum Deus adeo pura, castaque virgine impurissimos hircos, suesque potiri, nolens Dæmone tamquam suæ justitiæ ministro usus est, ut eorum facinus ulcisceretur.*

Sacra Scriptura Dæmonem refert, cum Tobias piscis fel e pera eduxisset, ejusque partem in carbones projecisset, ab Angelo Raphaele captum, & in superiorem Ægyptum relegatum fuisse. Quamvis Dæmon fætentissimus spiritus sit, ejus tamen fellis odorem ferre non potuit. E loco egredi coactus fuit, in quem sponsi recesserant; at re vera trium dierum, totidemque noctium spatio precibus vacantes videns, tantæ virtutis odorem ferre non potuit. Eum ergo captum, & in ea visu horrenda, atque invia loca tractum Angelus vinxit. Non est tamen, quod Raphael Dæmonem arbori, vel saxo appendisse putetur, quemadmodum homo appenditur, aut Leo, vel Ursus in vincula conjiciuntur. Angeli, qui puri putique spiritus sunt, spiritalem in modum agunt. Asmodeum Raphael superna, minimeque corporeis oculis obvia virtute aggressus est, Divinæque omnipotentiæ quam occulto, tam arcto vinculo strinxit.

In eumdem modum Apocalyps. cap. XX. *v.* I. *Draconem, antiquum serpentem, qui Diabolus, & Satan est, ab Angelo captum, & per annos mille catenis vinctum legimus, ne amplius nationes seduceret. S. Petrus Epistolæ secundæ cap.* II. *Deum ait peccatoribus Angelis non pepercisse, eosque in infernum præcipites actos catenis vinxisse, ut ibidem usque ad extremi judicii diem veluti in custodiam traditi torquerentur.*

Teste S. Juda in Canonica Epist. cap. II. *v.* 6. *Deus in igneo carcere Angelos detinet, Apostatas Angelos, qui dignitatem, in qua conditi fuerant, non servarunt, suumque domicilium deseruerunt, eosque æternis catenis in Inferorum tenebris vinctos, in extremum judicium reservat.*

Denique Angelus Raphael Dæmoni præcepit, ut sponsorum sancta domo discederet, & in superioris Ægypti desertum veluti in exilium concederet, non ante judicii diem egressurus.

Multifariam Dæmonis per Angelum detentio explicatur. Jussus dicitur Dei nomine in præscripto loco consistere, gravioribus, ni jussa faceret, indictis suppliciis; quamvis enim pœnæ, quas Dæmones in inferis fuerunt, graves sint, Deus tamen easdem augere potest. Dæmones quippe cum hominibus ad triremes damnatis conferri possunt, qui si forte catenas fregerint, durius, arctiusque vinciuntur. Salomon vetuit Semei, ne ex Urbe Hierosolyma pedem efferret, ea lege, ut, si egressus esset, morte damnaretur. Græcus textus Dæmonem ait non alia de causa, quam ob fellis piscis fœtorem e Saræ cubiculo,

lo, *& Raguelis domo exiisse*: Quando autem Dæmonium olfecit odorem, fugit in superiora Ægypti, & ligavit illum Angelus. *Volebat is quidem fugæ se dare, quoad fœtor evanuisset, tum vero eodem regredi, eamdemque in Tobiam, atque in priores sponsos, crudelitatem exercere, ratus fœtori jam finem fore; at eum Angelus Raphael insecutus est, vetuitque e Deserto pedem efferre. His ergo catenis Dæmon constrictus fuit.*

Superioris Ægypti Desertum est vasta ad meridionalem partem regio, saxis obsita, inaccessis rupibus, & arenæ montibus; serpentibus sedes, horrendisque monstris. En hujus celebris Deserti incolas, in quod Asmodeus relegatus fuit. At subsecutis temporibus Desertum hoc ipsum magno Ascetarum numero, qui eo recedebant, clarum evasit. Qua de re Dæmones ipsi cum eorum nonnullis conquesti sunt, ex iis quærentes, quo jure in eum locum irrepsissent, cujus ipsi tot ante secula dominio, & proprietate gaudebant, quoque titulo Thebaidem tanta Monachorum turba occupasset?

Itineraria, quemadmodum in Historia universali ex Anglico sermone in Italicum versa, & Neapoli edita legitur, fidem faciunt, Asmodeum se videndum præbere Serpentis imagine, qui variis coloribus insignitus quamdam in Ægypti Deserto cavernam incolit. Finitimi populi Festum celebraut, puellis omnibus ad cavernam ordine procedentibus, a quibus, siquidem voluerint, serpens ultro se capi, tangi, & blanditiis affici patitur. Iis ergo populis persuasum est, Numen quoddam esse, cui cultum exhibent, & preces offerunt.

Sara, *Princeps*, seu Sarai, *mea princeps*, uxor Abrahæ, nata est an. Mundi 2018. ex Aram, Abrahæ fratre, eratque proinde neptis Thare, non tamen neptis matris Abrahæ, quoniam Aram ejus pater ex alia matre erat; eadem est ac Jescha: *Soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*. Sara secuta est Abraham, cum patrium solum deseruit, ut se in Terram Chanaan conferret; coactique penuria Ægyptum petere, convenerunt, ut Sara, quæ pulcherrima erat, sui se viri sororem diceret, ne quis ex Ægyptiis prurigine abreptus Abraham occideret, ut Sara, quam ejus conjugem sciret, libere frueretur. Abraham porro nullius se mendacii reum exhibuit, sororem nuncupans, quæ neptis erat; proximos enim consanguineos Hebræi fratres, & sorores appellare consueverant. Nihil ergo Abraham aliud egit, quam veritatem tacuit, quam ea sane occasione detegi periculosum erat. Ei quippe duo cordi esse debebant, ut & suæ ipsius vitæ, & conjugis honori consuleret; se maritum professus, neutrum tueri poterat; se fratrem dicens, suam saltem vitam in tuto positam prævidebat. Quamobrem posterius consilium init, conjugisque honorem Divinæ Providentiæ curandum relinquens, nec miraculum expectans, propriæ servandæ vitæ rationem ab ipsa Providentia oblatam amplectitur. Cum ergo Ægyptum ingressi essent, Pharao, regionis Rex, de Saræ pulcritudine monitus, eam sublatam, & in regias Ædes ductam voluit; at in reum Principem gravis extitit divina manus, ut intelligeret, se propterea puniri, quod Abrahæ conjugem abstulisset. Se a Deo punitum sentiens Pharao, atque adeo majores pœnas veritus, quicquid egerat contra jus fasque, a se damnari significavit; & Sara ad virum remissa, non nihil eumdem increpuit, a quo sororem simulante adactus esset, ut, eam sibi conjugem sumens, peccatum committeret: *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem?* Ambobus ergo dimissis comites ad usque Regni fines addidit, ne quid injuriæ per iter subirent. Interea Sara de posteritate certior facta, quam stellarum numerum æquaturam Deus Abrahæ promiserat, persuasumque habens, sua ipsius opera, quæ ætate provecta, ac sterilis esset, id promissi perfici omnino non posse, viro proposuit, ut Agar conjugem duceret, qui minime dubitans Saram divino afflatu instinctam ita consulere, ejus votis annuit, & cum Agar Ancilla conjugium iniit, ut ex hac altera conjuge filios susciperet, in quibus promissa executioni mandari possent. Verum Agar, ut ventrem gessit, cœpit heram contemnere, quæ proinde eo se adactam sensit, ut servam cohiberet, ejusque arrogantiam reprimeret. Aliquanto post cum Deus Angelos tres, qui ejus promissa re-

novarent, hominum forma ad Abraham misisset, sanctus vir accedentibus occurrit, & in tentorium officiose perductis non sine Saræ opera prandium paravit; quos pransos Saram filium parituram nuntiantes audiens Sara ipsa, suamque provectam ætatem reputans non potuit, quin ita rideret, ut dubitationem, ac desidentiam ostenderet. Tum vero Dominus ita ad Abraham: cur Sara risit? Quicquam ne supra Dei potestatem positum est? Itaque Abrahæ repetitum voluit fore, ut Sara elapso anno filium pareret. Tum Sara percipiens, quam graviter de Dei verbo dubitans deliquisset, mærore correpta est, ac mendacium addens, novo se crimina obstrinxit. Eam Dominus ibidem increpuit, repatens, eam risisse: *Negavit Sara, dicens, non risi, timore perterrita; Dominus autem, non est, inquit, ita, sed risisti*. Cæterum Saræ, quippe quæ potius imprudens, quam reapse incredula fuisset, dubitationem statim fides disjecit, ut S. Paulus disertis verbis testatur: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat*. Paulo post Abrabam e valle Mambre discedens, & Geraram, quæ Philistæorum Urbs, degendi causa, profectus, easdem, quas olim in Ægypto, quoad Saram rationes inlit. Geraræ Rex Abimelech, haud conjugatos ratus, raptam Saram sibi legitimam sponsam sumere in animo habebat. At noctu apparens Deus ei mortem, universoque Regno perniciem minitatus est, ni Saram viro redderet: *Si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt*. Ergo Abimelech eam restituens, Abraham increpuit, qui in patrandi peccati periculum eum conjiciens, tam grave malum in ipsum, Regnumque induxisset: *Quid fecisti nobis? Quid peccavimus in te, quia induxisti super me, & super Regnum meum peccatum grande? Quæ non debuisti facere, fecisti nobis*. Tum Abrahæ magnifica dona, Saræ autem argenti minas mille largitus est, quibus ipsa sibi velum emeret, ne amplius in posterum in ejusmodi periculum se conjiceret. Dominus randem obstrictam Saræ fidam præstitit, quæ licet sterilis, ætatemque proli aptam prætergressa, filium, prout Deus prædixerat, concepit, peperitque. Eum Sara ipsa nutriit, ut eas omnes matres pudore suffunderet, quæ ut filios ablactandi fastidium evitent, pervertunt Creatoris ordinem, lac filiis negantes, quo large effuseque a natura ad prolis alimentum instructæ sunt. Cum porro grandiusculus filius asset, eum inter ludendum a filio Agar durius habitum videns, ab Abraham obtinuit, ut Agar, ejusque filius dimitterentur, quippe cum Ismael, quod ei nomen erat, nequaquam, ut Isaac, hæreditatis particeps esse deberet: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*. Ægre Abraham, ut id consilii caperet, adduci poterat; verum a Deo monitus, id suæ voluntati consonum esse, Saræ postulatis annuit. Hæc Saræ in Agar, ejusque filium acerbitas, Dei mandatum, ut Abraham Saræ assentiatur, ratio, qua id exequitur, derelictio, cui matar cum filio addicitur, externa hæc omnia, quæ injucundam, tristemque speciem præseferunt, mysterium obtegunt, quod S. Paulus in sua ad Galatas Epistola nobis explicuit. Nimirum proponit Apostolus in Sara, & in Agar Testamenta duo quorum primum, seu vetus in monte Sina statutum, nec nisi servos generans per Agar exhibetur, alterum vero, seu novum per Saram exhibitum non nisi filios liberos edit: *Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar; illa autem, quæ sursum est, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra*. Deinceps sacra Scriptura de Sara siler ad ejus mortam, quæ contigit annis aliquot post insigne fidei specimen, quod sibi Deus ab Abraham exhibitum voluit, dum Isaac immolationem eidem præcepit. Annos nata 127. Arbee, quæ deinde Hebron dicta, a vivis excessit. Abraham, qui Bersabeæ versabatur, Hebron se contulit, ut conjugem, quo par erat, luctu prosequeretur, eamque in agro, quem ab Ephron Amorræo emerat, sepulturæ dedit. Eo in agro caverna erat, quam sibi, suisque sepulcri loco esse voluit. In *Genes.* a *cap.* XI. ad XXIV.

Saraa, lepra, Urbs Tribus Juda, a Ro-

boam condita, seu munita. Alia quoque fuit Urbs Saraa in Tribu Dan, in qua natus Sampson, baud procul Estahol: *Fuit terminus possessionis ejus Saraa, & Estahol*. Hujus Urbis incolæ Saraitæ nuncupabantur. *Jos.* XIX.

Saraballa, *calcei*, seu *fasces*, quibus crura, & femora involvi solebant. Daniel ait, pueris tribus in fornacem injectis ignem nihil mali intulisse, ne vestibus quidem tactis: *Saraballa eorum non sunt immutata*. *Dan. cap.* III. 94.

Saraja, seu *Sarajas*, *princeps Domini*. Hujus nominis non paucis memorantur in sacris Litteris, quorum notissimi sunt I. Sarajas Judæorum Pontifex, Azariæ filius, quem Nabuzardan ex Urbe Hierusalem captivum traxit. II. Sarajas, frater Nabuch Prophetæ, legationis princeps, quam Sedecias ad Nabuchodonosor misit: *Verbum, quod præcepit Jeremias Propheta Sarajæ filio Neriæ, cum pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem; erat enim princeps Prophetiæ*. Jeremias Epistolam Sarajæ dedit, quam captivis legeret, qui Babylone detinebantur; ea epistola prophetiam continebat, qua Jeremias extremas calamitates, & excidium Babyloni portendebat, in arrogantiæ, atque impietatis pœnam, quam ita Deus scelestæ Urbi infligere volebat, ut non amplius assurgeret. Ad captivorum solatium Propheta futurum addebat, ut tandem aliquando feliciter in patriam redirent. Sarajæ mandaverat, ut epistolam lapidi legeret, eumque deinde in Euphratem projiceret, qua agendi ratione malorum abyssum exprimeret, qua impia Urbs obruenda erat: *Sic submergetur Babylon, & consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur*. *Jerem. cap.* LII. 24.

Sarasar, *custodia thesauri*, filius Sennacherib, qui cum Adramelech fratre ex condicto patrem prodidit, dum in Templo Nesroch oraret: *Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio*. Alter Sarasar fuit e Judæorum primoribus qui Zachariam super mensis quinti jejunio consuluit: *Miserunt ad domum Dei Sarasar, & Rogommelech*. IV. *Reg. cap.* XIX.

Sarathi, iidem ac Saraitæ, incolæ Saraæ in Tribu Dan. I. *Paralip.* IV.

Sardes, *lætitiæ canticum*, Lybiæ Urbs in Asia minori, in qua celebris Ecclesia erat. S. Joannes Christi nomine ad hujus Urbis Angelum, scilicet Episcopum scribens, eum ita monet, hortatur, increpat: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es; esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo . . . . Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te*. Apocalyp. cap. III.

Sardius lapis, e pretiosis lapillis unus, colore rubeo, ita dictus, quia a Sardiniæ incolis inventus fuit. Hic quoque lapillus, & in primo quidem ordine, Rationale insigniebat: *In primo versu erat Sardius*. Lapillus hic ipse fundamentum mœnium cælestis Urbis Jerusalem conficit: *Quintum Sardonyx, sextum Sardius*.

Sardonychus, seu *Sardonyx*, e gemmarum numero, cujus color hominis unguem refert, quoque fundamento quinto cælestis Jerusalem mœnia nituntur: *quintum Sardonyx*. Ejus nomen conflatum est ex *Sarda*, & *Onyx*, perinde ac si Sardius, & *Onyx* conjunctim dicerentur, & hunc quidem lapillum multi cum Sardio, sed perperam, confuderunt.

Sared, *prex Domini*, primogenitus Zabulon, a quo Sareditarum familia originem duxit. *Genes. cap.* XLVI. *Numer. cap.* XXVI.

Sareda, *insidia*, Urbs Tribus Ephraim, e qua Jeroboam, filius Nabath: *Jeroboam, filius Nabath, Ephrataeus de Sareda*. III. *Reg. cap.* XI.

Saredatha, seu *Saratha*, Urbs Tribus Ephraim, in qua fusa insignia opera, quæ Hiram ad Salomonici Templi ædificationem edenda curavit: *In regione Jordanis fudit ea Rex in argillosa terra Socoth, & Saredatha*. Jordanis aquæ Saratham usque ascenderunt, cum Hebræi flumen hoc duce Josue transierunt. Urbem hanc eamdem ac Saredam esse nonnulli putant. II. *Paralip. cap.* IV.

Sarepta, *cruciabulus*, Sidoniorum Urbs, in Phœnicia Tyrum inter, & Sidonem ad mare mediterraneum sita. Urbem hanc in sacra Scriptura celebrem reddidit Eliæ apud pauperem fœminam com-

mo-

motatio, cum Israeliticum Regnum inopia vastaret: *Ad nullum illorum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae ad mulierem viduam*. S. Hieronymi tempore adbuc locus ostendebatur, in quo Propheta commotatus erat; ibique deinde Ecclesia condita fuit. Urbs hæc non amplius existit, sed ad exiguum in monte vicum redacta est. III. *Reg.* XVII.

Sargon, *patrocinium tollens*, Assyriæ Rex quem aliqui Sennacherib, alii Assaradon fuisse putant: *In anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cum misisset Sargon Rex Assyriorum*. *Isaje* XX.

Sarid, seu *Sared*, *reliquiæ*, Urbs Tribus Zabulon, ad meridiem postrema: *Factus est terminus possessionis eorum usque Sarid*. Jos. XIX.

Saron, *ager*, seu Sarona, Palæstinæ locus inter Thabor, ac Tiberiadem; alter inter Cæsaream Palæstinæ, & Joppe; tertius in regione Basan. Nomen hoc veluti in proverbium abiit ad significandum insigni pulcritudine, ac singulari fertilitate præditum locum. Erat ejusdem nominis Urbs in Tribu Ephraim, haud Lyddæ procul, cujus in Actis Apostolicis occurrit mentio: *Viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ*. Rex Saron erat ex eorum numero, qui a Josue victi fuerunt: *Rex Saron unus*. *Josue cap.* XII. *Isaiæ cap.* XXXIII. I. *Paralip. cap.* V. *Act. Apost. cap.* IX.

Sarsachim, unus e primis Regis Babylonis ministris, cujus nomen est dignitatis titulus, significatque cupparum Principem: *Ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, Nergel . . . . Sarsachim . . . Jerem. cap.* XXXIX.

Sarug, *palma*, filius Rehu, seu Regom, in lucem prodit an. Mund. 1819. Genuit Nachor ætatis an. 32. annosque deinde ducentos vixit: *Vixit Sarug triginta duobus annis, & genuit Nachor*. *Genes.* XI.

Sarvia, *pœna Domini*, Davidis soror, & mater Joab, Abisai, & Azael: *Filii Sarviæ Abisai, Joab, & Azael*. Haud constat de patris horum trium bellica virtute insignium virorum nomine. II. *Reg. cap.* XVII.

Sassabassar, *in tribulatione lætitia*, cui tamquam Judæorum Principi Cyrus reddi jussit sacra Templi vasa, quæ Nabuchodonosor Babylonem detulerat: *Cyrus annumeravit ea Sassabassar Principi Juda*. Sassabassar hic, cui vasa tradita, nonnullis idem ac Zorobabel esse videtur, ita quidem a Chaldæis dictus, vel ob eorum consuetudinem, qua Hebræorum captivorum nomina in Judaicæ Religionis odium mutare solebant, vel ut significarent, eos alterius Imperii subditos esse. I. *Esdr. cap.* I.

Satan, *Satanas*, Hebraicum vocabulum, quod adversarium, accusatorem significat: *cur efficimini hodie mihi in Satan?* Undenam fit, ut adversarii mei hodie evadatis? *Non est Satan, neque occursus malus*: nullus amplius hostis est, qui mihi adversetur, aut populi mei tranquillitatem perturbet, ajebat Salomon. Christus Dominus S. Petrum ita appellavit, quippe qui sanctis ejus consiliis obsisteret: *Vade post me, Satana*. Hoc in sensu Dæmon dicitur Satan, quia nunquam non Dei voluntati, & Fidelium saluti repugnat: *Projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas*. S. Paulus in Actis ait, eos omnes, qui de Christi Religione non sunt, Satanæ potestati subesse: *Aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum*. Judæi perduelles, & increduli, qui primis Ecclesiæ temporibus omnium acerrime Christianos persecuti sunt, Satanæ Synagoga nuncupantur: *Se dicunt Judæos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ*. Alta, & profunda Satanæ sunt Nicolaitarum, Simonisque discipulorum mysteria, qui errores suos mystica quadam profunditate celabant: *quicumque non habent doctrinam hanc, & qui cognoverunt altitudines Satanæ*. Paulus incestuosum Corinthium Satanæ potestati tradit; quod fere de excommunicatione explicatur, etsi non desint, qui id ipsum de vera Dæmonis possessione intellectum velint, cui, Deo permittente, subsunt, qui ob peccata, quibus irretiti sunt, ea pœna se dignos exhibent: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi eum, qui sic operatus est, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis*. III. *Reg.* c. v. 4.

Satrapa, Persicum nomen, quod Provinciæ Procuratorem significat: *Dederunt cuncta Regis Satrapis*, nempe Regis Artaxerxis edita Provinciarum Præfectis. Vocabulum hoc in usu erat apud Philistæos, & quidem eadem significatione, ad designandos Præsides Provinciarum quinque, quas *Satrapias* nuncupabant: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit..... quinque Satrapas Philistinorum*. Hi Satrapæ veluti Reges erant, qui Philistæorum Satrapias quinque, scilicet eorum præcipuas Urbes quinque absoluta potestate administrabant. Sumitur etiam hoc vocabulum ad militarem virum ab alio pendentem significandum: *Quomodo potestis resistere ante unum Satrapam de servis Domini mei minimis?*

Satum, Hebraice *Seah*. mensura profunda est, siccis rebus inserviens: *Accelera, tria sata similæ commisce*. Mensura hæc tertiam Ephi partem continebat. In Vulgata Versione *satum* pro Ephi ipso sumitur, nonnunquam etiam pro Bath, quæ liquidarum rerum mensura erat: *Olei quoque sata viginti millia*.

Save, *vallis Save*, seu *vallis Regis*, ita dicta a Melchisedech Rege Salem, vallis erat Hierosolymæ proxima, ad quam Melchisedech ipse, & Sodomæ Rex Abrahæ occurrerunt, cum Chodorlahomor, ejusque fœderatos profligasset: *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, & Regum, qui cum eo erant, in valle Save, quæ est vallis Regis*. *Genes.* XIV.

Save-Cariathaim ager erat apud Urbem *Cariathaim*, ubi Emim degebant, veteres Jordanis populi, quos Chodorlahomor, ejusque socii subegerunt: *Emim in Save-Cariathaim*.

Saul, *petitus*, primus Regum Israel, erat filius Cis, divitis, & potentis hominis Gabaæ in Tribu Beniamin. Cum Cis asinas amisisset, Saulem filium, domestico comitante, ad easdem quærendas misit. Cum haud eas nacti maximum regionis spatium percurrissent, jam inibi erant, ut Gabaam redirent; at domesticus Sauli proposuit, ut Ramatham pergerent, a qua quidem haud longe aberant, ut Samuelem consulerent, daturum fortasse aliquam asinarum notitiam, quas inquirebant. Annuit Saul, cumque Ramatham provenissent, Samuelem obvium habuit, qui ad sacrificium offerendum pergebat, quemque jam Deus de Saulis adventu, ejusque a se statuta in Regem Israel electione monuerat. Eum Propheta, quem his viderat, de asinis certum reddidit, sibique ad sacrificii locum comitem esse jussit; quo peracto, in prandii aula inductum convivarum omnium primum sedere voluit. Cum porro in Urbem reversi essent, Samuel in ædium suarum tecto, ubi Hebræi æstivo tempore dormire solebant, Sauli lectum parari jussit. Postridie exierunt una, cumque ad inferiorem Urbis partem pervenissent, Samuel Saulem monuit, ut servum progredi juberet; ei quippe se Domini jussa significare velle: *Dic puero, ut antecedat nos, & transeat, tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini*. Tum vero oleum, quod urceolo conditum secum ferebat, in Saulis caput effudit, eumque osculatus certum reddidit, ipsum a Domino per eam unctionem hæreditatis ejus Principem consecrari, futurumque, ut Israeliticum populum ab hostium manibus liberaret: *Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus*. Ei deinde Propheta proposuit signa tria, e quibus perciperet, unctionem, quam suscepturus erat, divina auctoritate firmatam esse. Futurum dixit, ut apud sepulcrum Rachel obvios haberet homines duos, a quibus certior fieret, patris asinas inventas esse; præterea tres alii apud *quercum Thabor* ei tres panes offerrent; denique in loco, qui Dei collis dicebatur, eidem occurreret Prophetarum turba, quibus ipse se vaticinaturus misceret, ac tum quidem in alium hominem verteretur. Signa hæc, quæ Sauli Samuel in ejus electionis argumentum dedit, a nemine prævideri poterant, qui Divino spiritu illustratus non esset. Quamvis enim ipsa per se haud magni momenti sint, tamen admodum apte vaticinium confirmant; cum enim peculiaria essent, ac varia, una tantum circumstantia secus se habente, Samuel falsi convictus esset. Hæc porro eventa singula uno eodemque die perfecta sunt; ut proinde non amplius Saul de Dei.

Dei voluntate dubitaret, a quo jam omnino mutatus animus, novusque inditus, amota primæ educationis abjecta sensa, superno lumine persusa mens, aucta animi alacritas, & robur, aliisque imperandi collata vis: *immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illo*. Aliquo post tempore Samuel Masphàm omnes filios Israel ad Regis, quem petierant, electionem accitos voluit; & quamvis nihil non Dei nomine factum esset, cujus jussu Propheta Saulem consecraverat, fortem tamen in omnes Tribus misit; quæ primum io Tribum Beniamin, tum in familiam Metri, denique in Saulem ipsum, filium Cis cecidit. Statim ergo quæsitus Saul; qui sane propius imperium reputans, periculisque, quæ solium obsident, curis etiam, ac sollicitudinibus, quas sibi sumit, quicumque illud conscendit, perterrefactus nihil aliud cordi habuit, quam ut onus, cujus omnem gravitatem ipse sentiebat, fuga vitaret. Consultus Dominus eum domi latere respondit; itaque nulla interjecta mora inquisitus, captus, ductusque; jamque in medio populo positus, toto capite cæteris eminere visus est: *stetitque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum*. Tum vero Samuel universum populum monuit, eum scilicet ipsum esse, quem Deus Regem elegerat; quod audiens omnis populus exclamavit: *vivat Rex*; tum Samuel, *certe videtis*, inquit, *quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo; & clamavit omnis populus, & ait: vivat Rex*. Cum autem Samuel *jus Regni* dixisset, cætum dimisit; ac Saul Gabaam rediit, iis comitantibus, quorum animum Deus permoverat. Nonnulli porro, qui nullo Dei timore tangebantur, aspernati, indignatique, nullum novo Principi munus quo obsequium suum testarentur, obtulerunt: *Filii vero Belial dixerunt: num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera*. At Saul eorum procacitatem non sine moderatione dissimulavit, novæque dignitatis splendorem cum pristina vitæ a fastu alienæ simplicitate conjungens ad existimationem suis prædiis servandam reversus est. Eum huic occupationi vacantem invenere cursores incolarum Jabes in Galaad, qui se a Naas Ammonitarum Rege ad incitas redactos videntes, per universam Israelitarum regionem auxilium implorantes miserunt. Eo nimirum tempore Saul ex agris redibat boves agens, quos duos, jam ejus animi potiente Divino spiritu, in frustra conscissos in omnem Palæstinam misit, ita quidem se cum eorum omnium bobus acturum minitans, qui in aciem non descendissent, ut Saulem ipsum, & Samuelem sequerentur: *Quicumque non exierit, & non secutus fuerit Saul, & Samuel, sic fiet bobus ejus*. Ergo populus turmatim convenit, ut incolis Jabes auxilium ferret, eumque ingentem exercitum educens Saul in Ammonitas irruit, eos profligavit, & Urbem liberavit. Tum Samuel, Galgalæ coacto cœtu, Saulis electionem firmatam voluit, qui biennio post in Philistæos arma vertit. Pertinaces hi Judaici nominis hostes, cum incommoda quædam sibi a Jonatha Saulis filio per excursiones illata indigne ferrent, curruum 30000. equitum 6000. peditum denique innumerabilem multitudinem secum trahentes, in Machmas castra posuerunt. Hujus formidandi exercitus aspectu perterriti Israelitæ recesserunt, paucique tantum, & ii quidem consternati, trepidantesque milites cum Saule constiterunt. Huic Principi Samuel mandaverat, ut septem dierum spatio expectaret, dum ipse holocausta, & hostias pacificas oblaturus veniret; at die septimo, quin Propheta accederet, jam prope elapso, se Rex formidando exercitu pressum, fere a populo derelictum, eoque redactum videns, ut ab hoste imperetur, oportere credidit, ut pro re nata consilium caperet, Deoque sacrificium offerret, quin Samuelis adventum præstolarentur. At de Saulis inobedientia Deo quidem aliter visum. Sacrificio vix absoluto, adveniens Propheta Sauli facinus exprobravit, & futurum prædixit, ut ei Regnum, quod in ejus familia firmum, perpetuumque futurum erat, in erratî pœnam adimeretur: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi; quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum*

tuum

tuum ultra consurget. Porro Sauli Deus insignem de Philistæis victoriam concessit, quos Jonathas, ejusque armiger imprimis fuderunt, eoque Deus ipse terrore perculit, ut ipsis se mutuo districtis gladiis occiderent. Tum Saul, quem ob prosperum, adeoque inexpectatum successum Deo benedicere necesse erat, ratus contra sua Ipsius prudentia opus esse, ut extremam cladi manum imponeret, Imprecationem pronuntiavit, eique male dixit, qui ante comedisset, quam ipse de hostibus vindictam sumpsisset: *Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis*. At Deus de sua gloria sollicitus humanæ prudentiæ consilia disjecit, perfecitque, ut, quod Saul tamquam accelerandæ cladis rationem proponebat, in obstaculum verteretur. Defatigatus, & fame pressus exercitus hostem insequi non potuit, qui proinde ab extremo excidio liber evasit. Deficiente jam die, cum levaminis non nihil Israelitæ cepissent, Saul ad pugnam noctu regredi in animo habens, Dominum consuluit, ut de futuro exitu certior fieret; at sua Deum oracula reddere renuentem a suorum aliquo læsum credidit. Ergo jacta sorte, ut reum detegeret, eum rursus, vel si Jonathas filius esset, moriturum juravit: *Vivit Dominus Salvator Israel, quia si per Jonatham, filium meum factum est, absque retractatione miraretur*. Reapse sors in Jonatham cecidit, qui Saule quærente, quidnam peccasset, se regiæ sanctionis nescium professus: *gustans*, inquit, *gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce morior*. Tum Saul naturæ sensa reprimens, ne jusjurandum violaret, quod contra jus fasque temeritas expresserat, innocentem filium, qui Dei hostes vicerat, & populum liberaverat, morti addictum volebat; at eum accurrens exercitus inhumani patris furori subduxit, qui Dei mandatis reapse refragatus, suppositum in filio delictum persequebatur: *Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie*. Ergo Saul receptui cecinit, quin Philistæos ulterius insequeretur; at aliquanto post adfuit Samuel Dei nomine mandans, ut Amalecitis bellum inferret, decreto obsecutus, quod in eum populum anathemati obnoxium, Israelitasque in Terram promissam aditu prohibere ausum Divina justitia ante annos quadringentos ediderat: *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub Cœlo; cave, ne obliviscaris*. Id ergo Sauli Propheta commendavit, ut omnes nempe Amalecitas perderet, nullique prorsus rei parcens, quicquid ad eos pertinebat, omnino deleret; sane egressus Saul hostes subegit; at pro suo arbitratu mandatum, quod a Deo acceperat, interpretatus haud pugnavit, quin servaretur, quicquid in eorum gregibus optimum erat, Regemque ipsum Agag salvum voluit. Deus porro hujus Principis temeritatem inique ferens, qui ita quidem ejus jussa eludere audebat, Samuelem misit, qui inobedientiam ei exprobraret. Eum Propheta Galgalæ obvium habuit, quo quadam animi levitate trahebatur, ut trophæa ob victoriam, quam haud ipse sibi, sed uni Deo debebat, extolleret. Haud oblitus Samuel singulari Dei beneficio factum esse, ut e medio populo eductus ipsi populo præficeretur, ex eo quæsivit, cur ei palam obedientiam negans peccasset; at Saul culpam excusare conatus, rejecit in populum, qui nempe, quod optimum erat in gregibus, Domino immolandum servasset. Verum Propheta respondit, Deo non victimas, sed obedientiam placere, eamque ipsi quibusvis sacrificiis gratiorem esse: *Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultari magis, quam offerre adipem arietum*. Ei deinde sceptri jacturam, & Regni scissionem Dei nomine indixit. Tum Saul peccatum fassus, id se populi metu fecisse dixit: *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, timens populum*. Ea confessione satis a se factum ratus, quin Deo se subderet, id unum curavit, ut apud homines se purgaret, Prophetam rogans, ut ne sibi ad Deum adorandum pergenti comes esse renueret: *sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum*. Quamobrem Samue. divino lumine illustratus videns ejus pœniten-

tentiam sinceram non esse, futurum edixit, ut Deus nec ei parceret, nec decratum in ipsum editum revocaret: *Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam*. * Principem tamen, precibus victus, secutus est, & ad cultum Deo præstandum cum eo se contulit, ** trucidatoque suismet manibus Agag, se a Saule sejunxit, qui Gabaam rediit, ubi residebat. Cum ergo Divinus spiritus ab eo recessisset, malignus eum spiritus statim invasit, cui a divina justitia in inobedientiæ pœnam traditus fuit. Spiritus hic divinorum in miserum Principem judiciorum executor, tristemenium, & melancholiam excitans, eum vehementibus, absonisque motibus agitabat. Ministri, qui eventum hoc tamquam morbum reapse quemdam spectabant, ei auctores fuerunt, ut se ope musices oblectaret, quippe quæ humani corporis partibus ad armoniam redigendis aptissima esset, cohibito vehementiore spirituum impetu, iisdemque paulatim in ordinem redactis, atque ita affectis, ut consuetum, statumque cursum reciperent. Ergo Davidem, utpote pulsandæ citharæ peritissimum, accitum voluerunt; quo sane sonante, nunquam non Saul se solatio affectum sentiebat, & malignus spiritus ab eo recedebat. Hæc porro Dœmonis fuga non musices proprius effectus, sed prodigiosum Dei opus erat. Interea Philistæi, rursus Israelitis indicto bello, in Valla Terebinthi ad eorum conspectum castra posuerunt; ac Gigas quidam nomine Goliath hostilis exercitus fortissimum quemque quotidie provocabat. Nullius erat animi tanta vis, quæ non ejus monstrosa proceritate, visuque horrendo totius oris, & corporis habitu frangeretur. Frustra Saul filiam ei conjugem promiserat, qui id monstri occidisset. Cum eo demum formidando Philistæo pugnaturum se David obtulit. Ea ergo animi alacritate, ac fidentia, quæ longe maximam admirationem afferret, Saulem allocutus, fundaque simplicam in modum armatus ingentem Gigantem prostravit, universi scilicet exercitus terrorem disjecit. Ex ea die Saul juvenem Heroem a se recadere noluit, quem ut sibi proximum detineret, militum cohorti præfecit; at plausus, qui transeuntem Davidem consequebantur, Saulis animum statim mutarunt. Invidia, & zelotypia se in eum abripi passus est, mulierum causa, quæ ex Urbe egressæ ad instrumentorum sonum canebant, choreasque ducebant, cantica ita absolventes: Saul occidit mille, & David decem millia: *Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: percussit Saul mille, & David decem millia*. Verba hæc haud sane de industria, sed inconsulto prolata vehementer Saulis animum exacerbarunt, qui æterno statim odio percitus nihil intentatum reliquit, ut innocentem de medio tolleret, qui operam dabat, ut Saulem ipsum, ejusque populum in tuto poneret. Aliquando maligno spiritu abreptus, Davidem, eo audiente, sonantem repente occidisset, nisi se vertens ictum vitasset. Eum deinde commisso prælio sæpe in primis ordinibus positum a Philistæis occidendum curavit. Primegenitam filiam Merob, quam ei uxorem promiserat, alteri tradidit, eique Michol secundogenitam obtulit, ea conditione, ut Philistæorum centum occideret; David autem ducentos occidit. At gloria, quam sibi David in dies magis comparabat, adeo Saulis acerbitatem augebat, ut ejus perdendi consilium non amplius dissimuleret. Jonathas, qui a præpostero paterni animi impetu maxime alienus erat, palam innocentiæ patrocinari non dubitavit, ac per aliquod tempus obtinuit, ut Saulis furorem leniret. At in atram melancholiam relapsus Rex, Davidem rursus, dum cithara sonaret, occidere conatus est; & cum ille fuga sibi consuluisset, satellites misit, qui noctu domi quiescentem aggrederentur. Michol Saulis filia, Davidis uxor virum e fenestra demisit; positaque in cubili statua, sagittarios frustrata est. Eum Saul persecutus est Najoth, quo se inter Prophetarum chorum receperat; at prophetico spiritu per iter correptus, cum eo pervenisset, divino instinctu afflatus loqui non destitit, nudus humi jacens, leviora nempe tunica tantum indutus. Miraculum hoc in eo ipso peractum vel invitum fateri coegit, innocentem, quem persequebatur, Dei patrocinio gaudere; at cum aliis, quam quæ sensus afficerent, prodigiis opus esset, ut

ut pertinax perditusque Rex ad bonam frugem redigeretur, id sane ad breve tempus pravam ejus voluntatem suspendere potuit, mutare, ac meliorem reddere omnino non potuit. Ea quippe se prodidit paulo post, cum a Doeg Idumæo certior est factus, Davidem a Pontifice Achimelech in Urbe Nob humaniter exceptum, dulciariisque, atque ense donatum fuisse; quamobrem haud cunctatus Pontificem, omnesque ejus familiæ Sacerdotes accitos, ac temere increpitos inhumaniter trucidari jussit, volente Doeg se unum tanti furoris ministrum præbere; tum furenti feræ similis perrexit Nob, ubi obvios quosque, ne infantibus quidem exceptis, contrucidavit. Jam certior factus, eum, quem cane pejus & angue oderat, in Urbe Ceila versari, ad eum obsidendum se comparabat; qui in Desertum Ziph se recepit. Cum porro inibi esset, ut eum in Deserto Maon adoriretur, Philistæos audiens, in ejus ditionem irruisse, ad opem subditis suppeditandam properare coactus est. Pulsis hostibus, in Desertum Engaddi se contulit, Davidem ad necem quærens; Ubi in foveam quamdam ob aliquam naturæ necessitatem ingressum David cum suis, qui latebant, conspicatus est, quin ipse quicquam tale suspicaretur, sive id in obscuro loco transeuntis luminis naturali vi, sive in Davidis gratiam divinitus edito miraculo contigerit, ne, qui ibibem erant, in Saulis notitiam venirent; ibi certe Rex vitæ discrimen subiisset, nisi David iis religiosior, quibus stipatus erat, in truci hoste divinam unctionem veritus esset, ejusque patrocinium contra suorum impetum suscepisset: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Satis habuit ejus pallii fimbriam recidere, ut præ manibus haberet, quo eum convinceret, ejus vitæ dominum se fuisse; itaque Saul adeo singulari magnanimitatis argumento permotus lacrymas cohibere non potuit. Ergo suam ipsius pravitatem, ac Davidis innocentiam perspiciens, de ejus in se observantia, studioque se convictum exhibuit, eumque per aliquod tempus persequi destitit: *Et levavit vocem suam, dixitque ad David: justior tu es, quam ego; tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* At sopitam malevolentiam, post breves inducias, occasio, quæ prima se obtulit, excitavit. Ergo ad vomitum rediens, cum audisset, Davidem in Desertum Ziph recessisse, innoxium sanguinem sitiens eo properavit. De ejus adventu monitus David, Saulis tabernaculum, Deo afflante, noctu subiit, omnesque somno sepultos nactus, Regis poculo, & lancea sublatis, pedem e castris extulit. Tum ex edito haud illinc procul loco appellans elata voce Saulis asseclas, eorum in custodiendo Rege oscitantiam tantam increpuit. Expergefactus ad subitum rumorem Princeps Davidem ex voce cognovit, novoque magnanimitatis in homine, quem persequebatur, specimine perculsus, sua rursus inique facta professus est, eique deinceps se mali nihil allaturum promisit: *Peccavi, revertere, fili mi, David; nequaquam enim ultra tibi male faciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Momentum tandem advenit, quo sua in Saulem justa, supraque hominum captum posita judicia Deus erat executurus. Philistæi in Israelitarum regionem formidandum exercitum intulerunt, cujus tristis aspectus miserum Principem terrore perfudit, qui ultricem Dei manum, ad extremam perniciem sibi jam imminentem videbat: *Et vidit Saul contra Philisthiim, & timuit, & expavit cor nimis.* Dominum consuluit, qui toties audire renuerat, ac ne tum quidem respondit, altum silentium servans, quod eum præcipitem in desperationem egit; quamobrem per Demonum artem quærere voluit, quod a Deo obtinere non poterat; & absona humanæ mentis levitate factum est, ut qui Princeps secundum Legis præscriptum e Regno Magos ejecerat, is eos consulere non dubitaret. Sibi a suis fœminam quæsitam voluit, cui Pythonis inesset spiritus; ac ministri quidem ad assentationem facti, semperque parati nequissimis quibusque dominorum suorum cupiditatibus obsequi, Pythonissam in Endor degere responderunt. Ergo Saul, mutata veste, ad veneficam noctu se contulit, obsecrans, ut Pythonis spiritum consuleret, & Samuelem, qui biennio ante obierat, invocaret. Ea porro statim ac Prophetam vidit,

dit, turbata est, quippe quæ intellexit, eum, qui consulturus venerat, Regem esse. Saul, animos addens, ex ea quæsivit, quidnam vidisset; illa vero senem pallio tectum sibi visum respondit. Intelligens Rex eum Samuelem esse, demisit oculos; at Propheta, vehementer increpitum, qui ejus pacem turbaturus venisset, admonuit, Dominum ab eo recessisse, jamque inibi esse, ut in Davidis ejus generi gratiam, quod promiserat, exequeretur; eum ipsum, ejusque filios in prælio occidendos, & Israelitarum exercitum a Philistæis subigendum: *Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David . . . . Cras autem tu, & filii tui mecum eritis.* Verba hæc eo terrore Saulis animum perculerunt, ut statim humi procumberet. Tandem receptis sensibus, ad exercitum rediit, commissoque prælio, Israelitæ victi, tres ejus filii interempti, ac Rex ipse, qui non nisi decreti in se pronuntiati executionem expectabat, telo confossus; qui proinde acerbissimo dolore percitus, & in desperationem actus se ab armigero penitus occisum volebat, ne in Philistæorum manus vivus incideret; at eo id exequi renuente, infelix Princeps, reprobationi suæ cumulum addens, suo se gladio ipse interfecit, vitæque finem imposuit maxime exsecrando crimine, quod eum in æterna supplicia, quibus a divina justitia damnatus fuerat, præcipitem egit: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodivit illud; sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino; propter quod interfecit illum, & transtulit regnum ejus ad David filium Isai.* Philistæi Principis corpus nacti, abscissum caput in Templo Dagon suspenderunt, arma in Templum Astaroth intulerunt, ipsum denique corpus Urbis Bethsan mænibus appensum voluerunt; quod tamen ab incolis Jabes sub quercu sepultum, David post annos multos Gabaam deferri, & in sepulcro Cis collocari jussit.

Super Samuelis apparitione in quæstionem veniunt multa: vera ne fuit, an Veneficæ fraudi, ac præstigiis tribuenda? Dæmonisne potestate, atque arte magica contigit, an mirum in modum Deo permittente? Ea maxime recepta, sacrisque Litteris consona sententia est, Samuelem reapse Sauli apparuisse, non ut Pythonissæ veneficiis obsequeretur, cui nulla in ipsum potestas erat, præsertim cum invocationem ipsam anteverterit, ac se repente Veneficæ obtulerit, antequam præstigiis uti potuisset; ita nimirum volente Deo, ut Propheta jam mortuus, sepultusque e tumulo egrederetur, decreti firmandi causa, quod vivens Sauli significaverat: *Et post hæc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terra, in Prophetia delere impietatem gentis.* ***

* *Cognovit quidem Saul se Dei jussa flocci fecisse, nullamque beneficiorum, quibus ab eo cumulatus fuerat, rationem habuisse; at non eum propterea pænituit, quod de læso supremo Numine, ejusque jussis contemptis doleret. Dixit sane,* peccavi; *non tamen ut Deum placaret, sed ut dignitatem suam apud populum tueretur, ut subsequentia verba satis ostendunt:* sed honorem hunc mihi exhibeo coram senibus populi mei.

** *Samuel contra, dum Saulis postulatis morem gessit, nihil egit, quod Dei voluntati repugnaret, eumque sequi potuit, utpote cui Domini voluntatem satis jam indicasset, quoad Regnum, quod in aliam familiam conferre statuerat; ut proinde ex ejus præsentia nec Saul, nec alii inferre possent, quod Samuel agebat, cum divinis decretis pugnare. Sane cum regia dignitas Sauli adempta non esset, qua quidem, quoad viveret, usurus erat, poterat profecto Samuel ejus auctoritatem coram populo præsentia sua confirmare; & quamvis Saul pro sua ipsius salute Deum rogare voluisset, id ipse facere poterat, ac Samueli, cui Saulis familiam Regno spoliandam, non autem ipsius Saulis æternam damnationem Deus patefecerat, ejusdem Principis precibus interesse licebat.*

*** *Opinionum, quæ multa super Samuelis apparitione circumferuntur, prima* Josephi: Hebræi *est Antiqu. Judaic. lib. IV. cap. V. qui Pythonissam refert,*

quæ nunquam cognoverat, qui Samuel esset, eum scilicet nunquam viderat, ad se tamen accitum voluisse, eumque Samuelem adstantem conspexisset, ad mirandum, augustumque Prophetæ vultum obstupuisse, ab eoque monitam fuisse, hominem, a quo consulebatur, Saulem esse : Cum autem vidisset mulier Samuelem, (ita *Reg.* 1. *cap.* XXVIII. 12.) exclamavit voce magna, & dixit ad Saul : quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. *Tum ascendentem hominem suismet oculis obversantem dicens, cujus tamquam Dei vultus erat, quærenti Sauli, quænam ejus lineamenta essent, quæ ætas, quæ vestis, respondit, senem esse vultu gravem, ac veluti Sacerdotalibus vestibus exornatum, cui Saul humillime caput flectens, causas aperuit, quibus adactus se ad eum, tamquam ad consuetum refugium contulerat; tum vero Samuel ei portendit, quicquid in prælio, Israelitas inter & Philistæos postridie committendo futurum erat; fore scilicet, ut ejus exercitus profligaretur, & ipse cum filiis vitam amitteret. Ita nimirum Josephus de Samuelis apparitione, ac de colloquio, quod cum eo Saul habuit.*

Alii vero, quicquid Josephus *memorat, omnino negant; asserentes, non verum Samuelem apparuisse, sed quod apparuit, ejus tantum figuram, & spectrum fuisse, per Dæmonis illusionem, qui Samuelis imaginem, vultumque sumpserit, ut Veneficæ, ac Sauli melius imponeret; eum porro mendacii spiritum a Deo jussum fuisse Regi prædicere, quicquid ei postridie futurum erat, atque aperire, quæ tandem ejus calamitatum causa esset; ut proinde Samuelis umbra Veneficæ, ejusque præstigiis paruerit, ac Samuel ipse Pythonis vi, ac potestate evocatus fuisse videatur.*

At Samuelem Dæmonis jussu ex Abraha sinu egredi coactum esse, ejusque voci paruisse, id vero tanti Viri sanctitate non solum indignum, verum etiam cum impietate conjunctum est; quæ omnia faciunt, ut concludant, spiritum, qui tunc quidem apparuit, haud sane veram Samuelis animam fuisse, sed ejus speciem, imaginemque, quam Pythonis spiritus sibi sumpserat. Rationes tamen hæ non tanti ponderis sunt, ut nos cogant a disertis Sacræ Scripturæ verbis recedere, quæ nempe tradit, Veneficam, cum Samuelem vidisset, elata voce exclamasse, & cum Saule conquestam fuisse, se ab ipso deceptam . . . . Saulem e Venefica, quod viderat, describentis verbis intellexisse, eum revera Samuelem esse; Regem se ad extremam observantiam compositum Samueli flexisse . . . Samuelem cum Saule conquestum esse, qui ejus pacem, illuc vocans, turbasset . . . . nihil enim fuisse, quod ad eum confugeret, qui se a Deo derelictum sciret; Prophetam denique, quod supra diximus, exercitus cladem, ipsiusque, ac filiorum mortem ei prædixisse.

Id etiam Ecclesiastici capiti quadragesimo conforme est, ubi Auctor, ut Samuelis elogium absolvat, eum refert e vivis excessisse, cum Rege locutum esse, eique vitæ finem nuntiasse, atque e terra egressum extulisse vocem, ut populi excidium, ejusque impietati debitam pœnam portenderet. Et post hæc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra, in prophetia delere impietatem gentis. *Jam vero tantum abest, ut argumenta hæc contrariæ opinioni faveant, ut eam potius funditus evertant; nec conjectura scilicet, nec illusione Dæmonis fieri potuit, ut omnia contingerent, prout Samuel prædixerat. Futura Dæmon ignorat; præterita solum, & præsentia novit; hoc autem, inquiunt, verum vaticinium fuit, & oraculum, quod Deus per Samuelis os protulit.*

Denique controversia hæc ejusmodi est, ut nondum post tot sæcula dirimi potuerit, ut ait doctus Genebrardus in sua Josephi versione lib. VI. *cap.* XV. *Judaic. Antiquit.*

Qui apparitionem haud veri Samuelis fuisse contendunt, addunt tamen, veritatem a Dæmone prædictam fuisse, eum Sauli non imposuisse, & id unum dixisse, quod ei Deus dicendum præscripserat.

Se-

Secundo loco, Angelus adegit Balaam, ut prædiceret, quod subsecutis sæculis Judæis contigit. Legimus in Evangelio, Caipham prædixisse, Christi mortem utilem, ac necessariam esse, quamvis suum ipse vaticinium in contrarium sensum acciperet.

Tertio loco, non ignoramus, Dæmones Christi Domini divinitatem testatos esse.

Quarto denique, longo post tempore serva, quæ ex eadem secta erat, quamque Pythonis spiritus possidebat, Philippis vulgo dicebat, Paulum, & Barnabam viventis Dei servos esse, hominibusque salutis vocem nuntiare. Quod autem spectat ad prædictam Saulis, ejusque filiorum mortem, & prælii infelicem exitum, quæ postridie futura erant, haud sane Dæmon res longius dissitas prædicebat. Nimirum utriusque exercitus apparatum, Philistæorum alacritatem, Israelitarum formidinem, adeoque imparem militum numerum probe noverat.

Qui porro verum Samuelem apparuisse ajunt, haud credendum respondent, facta hypothesi, verum Samuelis spiritum Veneficæ, ac Sauli adparuisse, eum, utpote multo ante mortuum, vere resurrexisse; neque enim ad ejusmodi apparitionem necesse fuisse, ut anima, & corpus iterum conjungerentur; Angelos quippe, qui hominibus apparuerunt, sub corporea, qua carent, imagine se videndos exhibuisse.

Præterea cum Pythonissa, inquiunt, consuetis præstigiis Dæmonem evocare vellet Samuelis forma, quem Saul videre, & alloqui cupiebat; Veneficæ ac Dæmonis molimina Deus antevertit, & ex Abrahæ sinu veram Samuelis animam egredi jussit. Idem contigit in pseudo-propheta Balaam, quem Deus impediit, quominus in Judaicum populum maledicta proferret, adegitque, ut ei benediceret, eumdemque laudibus cumularet, ut Numer. cap. XXXII. *legitur.*

Ochozias, Rex Israel, cum in morbum incidisset, Legatos in Urbem Accaron misit, qui Dæmonem Beelzebud consulerent, morbique exitum certo referrent; at Deus Eliam Prophetam regiis Legatis obviam misit, qui Dei nomine diceret, Regem ex lapsu moriturum in delicti pœnam, quod patraverat, ad Dæmonem confugiens, non ad Dominum, ut reapse contigit, volente Deo per Eliam responsum Beelzebud antevertere: Quia misisti nuntios (IV. *Reg. c.* I.) ad consultandum Beelzebud Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

Venefica se vel ab arte, atque a se ipsa, vel a Dæmone deceptam videns, se tenere non potuit, quin exclamaret, & Sauli diceret, se ab ipso seductam esse; quæ fœminæ perturbatio satis ostendit, eum, qui apparuit, non Dæmonem, sed verum Samuelem fuisse. Re quidem vera Dæmones, & impiorum hominum animas præstigiis suis evocare, quasique in subobscura, dubiaque luce intueri consueverat; quid ergo fuit, quod subito terrore perculsa, sibi quidem ejusmodi visionem nunquam antea contigisse significaret? Nisi quod Deus id prodigii præter ejus expectationem ediderat.

Neque hujus sententiæ vim elevant Samuelis verba, quæ aliqui opponunt: Quare inquietasti me, ut suscitarer? Et cras tu, & filii tui mecum eritis. *Verbum enim,* inquietandi, *ut animadvertit Cabassutius in Can.* 34. *Concilii Eliberitani,* displicentiam signat, quam Sancti post hanc vitam ex viventium superstitione concipiunt; *non autem ostendit, eam artis magicæ vim fuisse, ut Prophetæ tranquillitatem turbaret, eumque repugnantem a somno excitaret. Contra non ita Dæmon locutus esset, qui præstigiis his delectatur, & superstitiosis maleficiis libenter paret. Ac ne sequentia quidem verba,* cras tu, & filii tui mecum eritis, *falsa sunt, ob* Petitdier *exceptionem, qui asserit, unum Jonatham in prælio cum Saule Patre occubuisse, Saulis autem animam in Abrahæ sinum recipi non potuisse. Regum enim lib.* I. *cap.* XXXI. *legimus, Saulis filios tres in pugna occisos*

cisos fuisse ; ac mirari subit, Petitdier *id non vidisse , aut videre noluisse. Et quoniam Jonathas, cujus satis perspecta probitas erat, ejusque fratres fortasse digni erant, qui in Abrahæ sinu conquiescerent, licuit Samueli dicere*, mecum eritis. *Quamquam ea verba generatim perspecta potius significant , ut monet* Torniellus, cras tu, & filii tui moriemini.

Saura, *Salamandra*, Eleazari pater Judæ Machabæi frater: *Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis Regis*. Hoc dubio procul Mathatiæ cognomen erat, qui Machabæorum pater fuit; at græcus textus habet *Eleazar* cognomento Saura, quod argumento esse potest, latinum Interpretem hallucinatum esse. I. *Machab. cap.* VI.

Scandalum, nomen ex græco derivatum, *insidiam*, *molestiam* significat; apud sacros autem Scriptores innuit, quicquid occurrit in hominis cursu, quod eidem damnum afferre posset. Ita Moses cæco scandalum apponi vetat, nempe quicquid in causa esse posset, ut caderet: *Nec coram cæco pones offendiculum*; & Psaltes: *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*: insidias, qua sum transiturus, mihi struxerunt. Spiritali sensu *scandalum* significat, quicquid animum corrumpere potest, eique nocere: *Ne forte peccare te faciant in me, si servieris Diis eorum, quod tibi erit in scandalum*. Ita etiam Deus prohibet, ne Hebræi cum Chananæis fœdus ineant, ne scilicet idololatria corrumpantur; quod iis certe perniciem afferret. Impii homines *scandala* nuncupantur, quia multis perniciosa est eorum impietas: *Colligent de Regno ejus omnia scandala*: collectos nempe nequam homines ex ejus Regno funditus tollent. Est activum scandalum, quod alis affertur; Christus ait in Evangelio, *necesse esse, ut veniant scandala*; subdit tamen: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*. *

Mons scandali, *mons offensionis*, est Olivarum mons, ubi Salomon falsis Numinibus Templa ædificavit, erexit altaria, ut extraneis fœminis, quas conjuges duxerat, morem gereret: *Excelsa quoque , quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Israel . . . . polluit Rex*.

* *Scandalum est dictum, seu factum, quod in peccatum cadendi occasionem alteri præbet. Duplex est autem scandali genus, activum unum, passivum alterum.*

Scandalum, docentibus Theologis, homicidium veluti quoddam nonnunquam est; quemadmodum enim qui alteri mortem infert, homicidium perpetrat, ita etiam spiritalis homicidii reus est, qui scandalum affert, e quo mors animæ derivatur. Doctrina hæc auctoritate sacræ Scripturæ nititur, in qua legitur, Deum pro homicidis eos habiturum, qui in causa fuerint, ut proximus in peccato moreretur: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris eis, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *Ezech.* III. *S. Paulus Corinthios hortatur, ne fratribus scandalum afferant, ne scilicet eorum damnationis rei sint*: Et peribit infirmus in tua scientia frater. I. *Corinth.* VIII. SS. Patres eamdem doctrinam tradunt. S. Gregorius *Pastores docuit, qua sollicitudine peccatum hoc evitare debeant, quia non modo rei sunt ejus mortis, quam ipsi sibi consciverunt, sed mortis quoque eorum omnium, quos scandalo peccatis suis affecerunt. Ita enim loquitur in Pastorali*: Sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. *Scandalum, inquit* S. Thomas, *gravissimum peccatum est, tum quoad eum, a quo affertur, tum ob contemptum salutis proximi, quem sane is exhibet, qui a patrando delicto non abstinet. Ob hanc causam, inquiunt Theologi, Ecclesiastici viri peccati hujus rei evadunt; cum præcipuis suis, ut par est, officiis haud satis faciunt, & cum, exempli causa, ignorantiæ, aut pravorum morum, aut in erudiendis populis negligentiæ accusari possunt.*

Scenopegia, græca vox, quæ tabernaculorum erectionem significat, & pro ipso Tabernaculorum Festo sumitur, quod Hebræi celebrantes per dies octo in Tabernaculis, seu tentoriis versabantur, in castrorum memoriam, quæ eorum Patres per annos quadraginta in Deserto posuerant: *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia. Levit.* XXIII.

Sce-

Sceptrum ex greco vocabulo, quod significat incumbere, niti quia nempe sceptrum, quod semper regiæ dignitetis signum fuit, nihil aliud eret, quem baculus, cui quispiem incumbere poteret. Sumitur ergo pro sceptro, quod Reges tamquam suæ potestatis ergumentum dextera manu gerere consueveruot: *At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur*. Si quis ad Persarum Regem, haud vocatus, accessisset, morte dignus erar, nisi sceptrum Rex humaniter protendisset, quod Assuerus quoad Esther præstitit. Sceptrum quoque dominium, supremam ipsam potestetem significat: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Vaticinium hoc fletuit tempus adventus Messiæ, qui tum scilicet nasciturus erat, cum Judæis ademptum dominium esset, quod contigit, cum Herodes Idumæus Judææ Regno potitus est. Sceptrum quoque populum significat Regi subditum: *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum bis, qui non sunt*: tuum scilicet populum ejus hostibus idola colentibus, quæ nihil omnino sunt. Denique pro *stirpe, posteritate, tribu* sumitur, quoniem dubio procul Tribuum Principes sceptra gerebant: *Sceptrum patris tui sume tecum*: universam nempe tui patris familiam.

Sceva, dispositus, Judæus, Sacerdotum Princeps, & Synagogæ caput. Ei filii septem erant, qui Exorcistarum munere fungebentur, & per Urbes discurrentes Christi nomen super eos invocebant, qui obsessi erant: *Erant quidam Judei, Sceve Principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant*. Cum Ephesum pervenissent, per Jesum, quem Paulus nuntiebat, Dæmones adjurabant. Tum vero malignus spiritus iis respondit, Christum quidem, & Peulum sibi notos esse, eos autem notos non esse; atque obsessorum unus in Exorcistas duos irruens, eos tam mele, acerbeque habuit, ut nudi, contusique se in fugam conjicerent. *Actor.* XIX.

Schibboleth, Hebraicum nomen, quod *spicam* significat. Cum Jephte Ammonitas profligavit, ii, qui erant e Tribu Ephraim, Galaaditarum gloriæ invidentes, in regionem Galaad armati irruerunt, ac de eorum agendi ratione conquesti sunt, a quibus ipsi in triumphi partem vocari noo essent. Iis humaniter Jephte respondit; et Gelaaditæ, cum eorum petulantiem, ac temeritetem ferre non possent, commisso cum iis prælio, plurimos occiderunt. Tum ed Jordanis trensitum constiterunt, ibi scilicet, ubi in patriam reditus iis patebat; cum vero quispiem e Tribu Ephraim, qui e pugna sospes evaserat, trensiturus ad ripem fluminis accedebat, ex eo quærebant, an Ephraimita esset, negantemque *Schibboleth* pronuntiare cogebant: *Interrogabant eum: dic ergo schibboleth, quod interpretatur spica*. At Ephraimita, cum vocis hujus litteram primam, quæ sibilum quemdam, ut apud nos litteræ tres *sch*, postular, pronuntiare non posset, se se prodebat pronunrians *sibbolet*: *Qui respondebat* sibbolet, *eadem littera spicam exprimere non valent*. Eum Gelaeditæ ex hoc signo egnoscentes statim interficiebant. Qui in hunc modum periere, fuere numero 42000. *Judic. c.* XII.

Schinus, lentiscus, græca vox a *scindere, amputare, cædere*, Unus e senibus a Daniele interrogatus, sub qua demum arbore Susannam una cum adolescente vidisset, sub Lentisco respondit: *Dic, sub qua arbore videris eos conloquentes sibi; qui ait, sub schino*. Tum Deniel, ad hanc ipsem vocem edludens, edixit, Angelum Domini paratum esse, ejus corpus medium scindere: *Angelus Dei scindet te medium*. Daniel. cap. XIII.

Schisma ex græco vocabulo σχίσμα, quod sectionem, scissionem, divisionem significat: *& schisma erat inter eos*. Inter se Judæi secti erant quoed Christi personam, eum aliis Prophetam, aliis seductorem dicentibus. At vox hæc fere sumitur ad divisionem Intet ejusdem corporis membra in Religionis negotio significandam, Ita Jeroboam, cum a Roboam Rege defecit, schisme peperit, nempe Domini cultum deseruit, a Tribus Juda communione recessit, & in Hierosolymitanum Templum, scilicet in eum locum, in quo uno Deus coli volebat, non amplius se contulit. Schisma hoc, per quod Israelitæ omnes Davidis domum deseruerunt, & Messiæ spem abjecerunt, cujus promissio eidem

eidem domui addicte erat, eas omnes luctuosas scissiones exhibet, quæ tot, adeoque florentes societates Ecclesiæ ademerunt. Durum, & grave Salomonis jam senescentis regimen prima funesti schismatis, seu Tribuum divisionis semina jecit; Roboami vero temeritas, & arrogantia, qua Jeroboami dexterites opportune usa est, extremam ei manum imposuit. Ita in Ecclesia nullo non tempore ad duritiem, superbiam, pertinaciem facti homines extiterunt, qui, cum officiose, & humaniter fratres habere, eorumque animos sibi devincire, & querimonias audire deberent, eos præcipites in schisma, ac defectionem egerunt, ut innumeri proinde perirent; firmius nempe, quem par eret, aut quam ratio temporis postulabat, asperius, arrogantiusque sibi jura propugnanda sumpserunt, quæ pacis studio subdere debuissent.

Scientia Dei, *nempe ratio, qua res a Deo cognoscuntur. Objectum, inquiunt Theologi, Philosophique, scientiæ Dei est, quicquid cognosci potest; Deus enim rerum omnium cognitionem eminenter in se continet, neque ad hujusmodi cognitionem ratiocinationis ope, ut homines, pervenit.* S. Paulus *in sua ad Romanos Epistola cap.* XI. *non solum ait in Deo scientiam esse, verum etiam ejusdem scientiæ divitias, profunditatem, altitudinem admiratur*: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! *Idem passim in psalmis David Propheta pronuntiat*: Qui docet hominem scientiam (*Psalm.* 93.), Dominus scit cogitationes hominum. *Et psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. *Sua Deus præscientia cognoscit, quæcumque futura sunt, quippe qui connexionem videt, qua cum causis effecta junguntur. Ea pariter cognoscit, quæ ab hominum voluntate pendent, quæ scilicet facere, vel non facere in eorum libertate positum est. Hæc autem qua tandem ratione videat, id vero assequi nequit humana mens, quæ inaccessum abyssum verita, certissimum veritatem fatetur*: Intellexisti cogitationes meas de longe . . . . Omnes vias meas prævidisti . . . . Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua. *Psalm.* 138.

Theologi se ad humanum captum accommodantes, dum id inquirunt, quomodo res a Deo videantur, duas in eo scientias distinguunt, quarum unam visionis, *alteram* simplicis intelligentiæ nuncupant. *Per scientiam primam Deus videt omnia, quæ fuere, sunt, & erunt; per alteram ea omnia cognoscit, quæ esse possunt, seu possibilia sunt, ea scilicet, quæ nunquam fuerunt, & nunquam futura sunt. Ac per hanc quidem simplicis intelligentiæ scientiam suis in thesauris innumerum gratiarum multitudinem videt, quibus homo uti posset; function enim gratiarum, itemque humanæ libertatis naturam perspicit. Non desunt Theologi, qui tertiam in Deo scientiam ponunt, quam* mediam (*quia medium inter memoratas duas locum tenet*), *seu veritatum scientiam vocant, quæ conditione suspensæ sunt. Horum Theologorum sententia, per hanc scientiam Deus, antequam futura determinet, cognoscit voluntatum, quæ intelligentibus creaturis insunt, propensionem, si in his, aut his circumstantiis, his, aut his gratiis adjutæ versarentur; & in exemplum afferunt scientiam, qua Christus pœnitentiam cognovit, quam* Tyrus, *&* Sidon *egissent, si iis Evangelium nuntiasset, eademque miracula, quę in Judea patraverat, exhibuisset.*

Ut ut tamen se habeant varia Theologorum systemata, quibus utuntur Theologi, ut explicent, qua ratione Deus res extra se positas, & liberos humanæ voluntatis actus cognoscat, certum est ejus scientiam infinitam, æternamque esse, quemadmodum infinita, & æterna ejusdem natura est. Quamobrem se ipsum infinito cognoscit, eamque nihil eorum latet, quę ad ipsum spectant; alioquin ipse perfecte beatus non esset. Et quamvis S. Augustinus *Quæst. lib.* VIII. *quæst.* XIV. *dicat*: Nam quod comprehendit se, finitum est sibi; *& lib.* XII. *de Civit. Dei cap.* XVIII. Quicquid comprehenditur, scientis comprehensione finitur; *non ea tamen S. Patris mens est, ut loquatur de scientia Dei; quæ cum infinita sit, ejus infinitæ naturæ nullum detrimentum afferre potest. Nihil est igitur, quod quispiam timeat, ne Deus se ipse comprehendens, finitus, & limitatus evadat. Veterum tamen Philosophorum nonnulli, ut* Cicero, *&* Marcio, *futurorum, quæ libera, & contingentia nuncupantur,* *scien-*

scientiam Deo adimere conati sunt; idque his ipsis temporibus Sociniani *contendunt, tribus argumentis permoti, quibus multum ponderis inesse putant; sunt autem ejusmodi.* I. *Occurrunt in sacris Litteris exempla non pauca, quæ evincunt, futura libera contingentia a Deo penitus ignorari.* II. *Percipi omnino non potest, qui Deus hujusmodi futura cognoscat.* III. *Eorum præscientia libertatem everteret. Verum quæcumque* Sociniani *proferunt argumenta, futilia sunt, ac Theologorum gravitate prorsus indigna. Etenim sacri textus, quos producunt, Deum humano more, & ex ordine rebus imposito, non autem secundum immutabilem, æternamque præscientiam suam, cum hominibus locutum esse, & egisse demonstrant. Si enim futura libera Deus ignoraret, perfectissima, & immutabilis ejus scientia non esset, nec sua ipse sapientia hanc rerum Universitatem regere, ac procurare posset. Itaque* S. Augustinus *lib. v. de Civit. Dei scite pronuntiat, eum, qui futurorum liberorum contingentium scientiam Deo denegat, eo demum redigi, ut Deum ipsum neget:* Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est. Nam qui non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus; est ènim nota ista divinitatis, & caracter, futurorum prædictio. *Atqui nos prorsus latet, quomodo Deus hæc futura cognoscat, reponunt Sociniani. Ergone nobis licebit hujusmodi scientiam Deo propterea adimere, quod ejus vis, & ratio supra captum nostrum posita sit? Si constaret principium hoc, bene multa nobis neganda essent, quorum nempe naturam, rationesque ignoramus. Aliud est quærere, an futura libera cognoscat Deus, aliud, quomodo cognoscat. In posteriore controversia versatur inscitia nostra, quæ priori nihil officit. Ad extremum futurorum liberorum præscientia libertatem omnino non lædi, plene ac plane ostenderunt Theologi, & Patres omnes; e quibus unum* Augustinum *adduci satis fuerit, qui Ciceronis argumentum ita solvit lib.* III. *de lib. arbitr. capp.* 3. *&* 4. Cum Deus sit præscius libertatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit; ergo & potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur. *Et sane posita Dei præscientia, humanam libertatem omnino promiscue determinat boni, malive objecta ratio; ut proinde semper voluntas libera sit. Hinc pergit S. Pater:* Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.

Splendidæ tamen rationes non impedierunt, quominus Canonicus Magli *in suis contra clarissimi Professoris Antonii* Genovesii *doctam Metaphysicam dissertationibus Criticis, Deo ignorantiam affingeret, & quem a Manichæorum aggressionibus, quos a Genovesio non satis confutatos ait, vindicare contendit, eum cum Ethnicis nonnullis Philosophis cæcum, & inscitum faceret. Non sum nescius, ex Genovesii responsis, quemadmodum ejus Metaphysices pura, & sana doctrina luculenter elucet, ita Canonici* Magli *novam Theologiam in oculos statim incurrere. Adeo* Genovesius *Adversarii errata detexit, ut additione non indigat, quicquid docte simul, ac lepide protulit. Verum cum in hujus Biblici Dictionarii Articulo* Prædeterminatio physica, *ubi controversiam innui, me de ea non nihil in Articulo* Scientia Dei, *&* Voluntas, *dicturum receperim; me proinde promissis stare par est, altamque lectori abyssum ostendere, in quam* Magli, *fortasse ne cogitans quidem, prolapsus est. Dum enim* Genovesii *doctam super Dei bonitate ratiocinationem emendare vult, eamdem bonitatem ita impugnare videtur, ut Manichæi, &* Petrus Bayle, *qui eorum argumenta promovit, haud videantur ulterius progredi posse. In hanc rem igitur ea proponere non dubitat, quæ nec recipiat, nec propugnet, quicumque divinam bonitatem Religionis nostræ fundamentum esse non ignoraverit; ac Theologorum nullus (modo e* Reformatorum *grege non fuerit), quos ille generatim appellat, unquam ausus est eadem asserere. Ejusmodi sunt propositiones hæ:* Optimum a Deo non cognosci, quod si creaturarum optimam Deus cognosceret, divinam scientiam exhaustam fore; Dei scientiam de novis semper rebus cogitare posse, de quibus antea non cogitavit, &c. *En ejus verba, quæ in Præfatione Dissertationes antevertente leguntur,*

quibusque doctrinam suam purgare studet, quam immerito a Genovesio impetitam ait; ea porro ex Italico sermone ita Latine reddimus: Me, *inquit*, læsæ Dei scientiæ reum agis, qui in mea naturali Theologia fidenter afferam, haud scire Deum categorematice, ut ajunt, & omnino singillatim, distincte, perspicue, quinam ex omnibus omnium, quæ esse possunt, rerum modis optimus, postremusve sit. Nonne doctrina hæc mea Scholasticorum omnium Theologorum nostrorum communis sententia est, eorum videlicet, qui rem hanc ipsam cæterorum acurissime perpenderunt, & gloriosissimam hanc divinæ scientiæ abyssum introspexerunt? Eosne docere negaveris, siquidem Deus eos, quos diximus, modos omnes cognosceret, futurùm esse, ut eorum ultimus statui posset, ac proinde ejus scientia funditus exhauriretur, itemque omnipotentia, atque adeo bonitas, quippe quæ a scientia ipsa regantur, ac pendeant, dicique propterea posset, immo deberet, præter ultimum, quem diximus, & optimum modum, seu rem seu mundum, Deum nihil melius scire, aut facere unquam posse? Deus, subdunt iidem Theologi (ac nominatim inter recentiores doctissimus P. Ferrarius Tom. I. Metaph. Disput. I. quæst. 3. in resp. ad 3. obj.) res cognoscit, pro ut in se ipsis sunt; cum ergo memorati omnes modi, res, mundi, quos esse non pugnat, indeterminatim, seu syncategorematice infiniti sint, eos sane ita cognoscit, neque aliter cognoscere potest, aut debet; ut proinde ne ipse quidem valeat eorum ultimum, optimumve determinate, categorematice, prorsusque distincte, ac perspicue assignare, ac distinguere. Quamobrem, is ipse dicere nequit, exempli causa, modus hic postremus, aut optimus est in boni ratione, quod huic rei, huic Mundo tribuere valeo, aut statuere. Contra vero potest optime dicere, posito quuncumque bono, bonique modo quoad quamcumque substantiam, seu quemcumque Mundum, ex infinitis, quæ esse possunt, rebus sapientia valeo, virtute possum, bonitate non renuo infinitos modos alios, unum alio in infinitum meliores, perfectioresque tum cogitare, tum exequi.

Jam vero quis primo ipso intuitu non videt, quam Canonici hujus absurda ratiocinatio sit? Primum omnium ait, syncategorematice tantum, ut Scholæ loquuntur, non autem categorematice optimum a Deo cognosci; quod idem est, atque a Deo non cognosci optimum actu, seu reapse, sed potestate tantum. Atqui si ita se res haberet, aliquid esse posset, quod re ipsa, seu actu Deus ignoraret. Hoc autem posito, consequens fieret, Dei sapientiam limitatam, & finitam esse, nec Deum actu se ipsum cognoscere. Deus porro perfectissime, & ut Theologi dicunt, actu se ipsum cognoscit. Ergo perfectissime cognoscit omnia possibilia, quæ nihil demum sunt aliud, quam ejus Omnipotentia, eademque actu cognoscit. Ut dicatur aliquid definiri posse, ejus perfectissima actu notitia satis est. Ergo si optimum actu perfectissime cognoscit Deus, sane ipse optimum definire potest. An logica Magli *regulis nitatur omnium hominum logicæ oppositis, haud equidem scio. Præterea possibilium rerum series, prout est in ipsa Dei cognitione, potestate infinita non est; nam potestate infinitum partim actu, partim potestate est. Jam quoad Dei cognitionem, possibilium series non est partim actu, partim potestate, quia tota, ut jam dictum est, actu cognoscitur. Contra si res omnes possibiles, spectata Dei cognitione, potestate tantum infinitæ essent, possemus jure dicere, Deum, dum hunc possibilium numerum cognosceret, adhuc plura cognoscere posse. Quid autem magis absonum, absurdumque confingi potest? Id enim consequeretur, nonnullas res possibiles a Deo actu ignorari. Atque haud ulterius quidem progrediuntur* Sociniani, *quos omnes nobiscum Theologi inter impios rejiciunt.*

Respondet Canonicos Magli, *si infinitam possibilium rerum seriem Deus actu cognosceret, consequens fore, ut eas actu producere posset, atque ita ejus potestas penitus exhauriretur. O levissimum sane scrupulum, risuque excipiendum! Nonne ita confingitur ignorans, ne potestatis expers evadat? At ita lubet ei respondere, ut ejus argumentum in ipsum retorqueam: si finita solum possibilia Deus actu cognoscit, ea profecto potest actu producere, atque ita divina potentia exhausta remanebit. Quid reponet Canonici*

logi-

logica? Verum cominus congrediamur. Potest Deus possibilia producere, sed ea tamen ratione, qua possibilia sunt: Jam successivis rebus, quorum ea natura est, ut pars una post aliam fit, omnino repugnat, ut omnes simul existant. Pugnat ergo possibilium omnium productio. Porro Deus id, quod pugnat, facere nequit. Non igitur omnia possibilia producere potest. At vero possibilia omnia a Deo actu cognosci non pugnat, immo absurdum esset, contrarium dici, quemadmodum demonstratum est. Ergo Deus actu, categorematice, prorsusque distinctim omnia possibilia cognoscit. Venia porro sit Canonico nostro dignitate spectando, qui categorematicis, & syncategorematicis vocabulis nos uti coegit, quæ levissima quasi mysteria a cerebrosis hominibus in Scholas invecta, Superis bonam mentem largitis, jam evanuerunt.

Reponit postremo loco, Deum semper de novis rebus cogitare posse, de quibus antea non cogitavit. Ejus ergo sententia, contingens, & mutabilis Dei scientia est. Ergo non est æterna, non infinita, non simplex, sed composita. Ecquis neget, paradoxo uno posito tamquam principio, absurda deinceps alia, & quidem innumera derivari? Neminem latet, in Theologicis Scholis triti principii loco esse effatum illud summi Viri Augustini *lib.* VII. *de Trinit.* Deo idem est esse, ac sapere; *quod animadvertens D. Thomas* I. *Part. Quæst.* 17. Dei intelligere, *inquit*, non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso, adeoque non potest esse nisi ipsa Dei substantia. *Quemadmodum autem Dei substantia est æterna, simplex, & immutabilis, ita ejus scientia ejusmodi est. Quamobrem Deus de rebus cogitare non potest, de quibus ab omni æternitate non cogitaverit, quia scilicet ejus scientia omnis in actu est, in quo nulla est cogitationum successio. At diutius immorari nolo in demonstranda veritate, quam ii tantum in dubium revocarunt, qui catholicam fidem nostram impugnare voluerunt. Non sum nescius,* Canonicum, *de quo hactenus, haud eum quidem animi pravitate, aut pertinacia peccasse; at sui tantum systematis propugnandi vehementiore studio transversum actum, & prurigine quadam novitatis abreptum errasse. In Articulo* Voluntas, *de eodem* Magli *redibit sermo; agemus enim de malorum origine, ad* Genovesii *systema confutandum ab ipso proposita, rursusque non pauca, quæ super hac ipsa re protulit, absona detegemus.*

Scinipbes, muscarum minimæ, insecta quædam admodum parva, quibus immissis Deus Ægyptios punit, quæque tertiam plagam efficiunt, qua Deus eos populos divexavit: *Et extendit Aaron manuum, virgam tenens, percussitque pulverem terræ, & facti sunt Scinipbes in hominibus, & in jumentis.* Exod. c. VIII. 26.

Scorpio, veneficum animalculum, quod mordet aculeo, qui ei ad caudam est: *Data est illi potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Mystica significatione per hæc animalia peccatores designantur: *Cum Scorpionibus habitas*; ita Ezechiel: cum Judæis scilicet, qui scorpionibus similes sunt. *Qui malæ conjugi jungitur, ei similis est, qui scorpionem capit*, inquit Ecclesiasticus; periculum est, ne ejus veneno inficiatur. Id etiam nominis propter noxia, & perniciosa sumitur: *Si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* Significat etiam flagrum quoddam, quod ferro armatum scorpionem exhibet: *Ego vero cædam vos scorpionibus.* Bellicam quoque machinam innuit, qua sagittæ emittuntur: *Statuit illic balistas, & scorpiones ad mittendas sagittas.* Denique scorpionis ascensus erat montis nomen, qui terræ Chanaan ad Idumæam fines statuit: *Circuibant australem plagam per ascensum scorpionis.*

Scriba. Vocabulum hoc derivatur a *scribere*, eumque primo significat, qui a secretis est; quod officium in aula Regum Juda magno in pretio erat. Davide regnante, Saraja, item Siva, & Semejas id muneris obierunt; Elihoreph, & Abia Salomonis, Sobna Ezechiæ, Sapan Josiæ Scribæ fuerunt. *Scribæ* nomen ministrum quoque significat, qui copias recenset, & in acta refert: *Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia, sub manu Jubiel scribæ.* Eodem nomine veniunt idonei viri, Legisque Doctores, ut Esdras, qui dictus est *Scriba velox in Lege Moysi*; item ii, de quibus in Evangelio sermo est: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ,*

bi, & *Pharisæi*. Scribis bis demandatum erat, I. ut Legem scriberent: *Vere mendacium operatus est stilus mendax Scribarum.* II. Ut eam populo legerent: *Legis autem in libro Legis Domini per dies singulas, a die primo usque ad diem novissimum*. III. Ut eamdem interpretarentur, explicarentque: *Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur*. Scribarum plerique Pharisæi erant, quibus fere semper in Evangelio conjunguntur.

Scythopolis, seu *Bethsan*, Judææ Urbs in Tribu Manasse prope Jordanem, lacumque Genesareth sita. Ei primum nomen a Scythis, qui eam condiderant, seu restituerant: *Inde ad Civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat*. Joseph. lib. 2. de Bell. Judaic. cap. xxxiv.

Seba, *jusjurandum*, filius Bocri e Tribu Beniamin, homo ad seditionem factus, qui Tribus omnes in Tribum Juda odio, invidiaque flagrantes videns, quod eam David cæteris antetulisse videretur, quam Hierosolymam revocabat, tuba cecinit, & Israelitas compulit, ut pedem referrent, quippe quibus nihil amplius cum filio Isai commune esset: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai; revertere in Tabernacula tua, Israel*. Statim Israeliticus populus se a Davide sejunxit, & hunc nequam hominem secutus est. David ea timens, quæ defectionem consequi poterant, quot ei præsto erant, milites, duce Abisai, in perduelles misit; Joab filius Abisai ei se comitem addidit; qui, conjunctis viribus, Sebam persecuti sunt, qui se in Urbem Abelabethmaacam receperat, ubi selecti quique ex Israel ad eum accesserant. Ergo Urbe obsidione cincta, jam mœnia oppugnari cœperant, cum haud vulgaris in Urbe fœmina petiit, ut sibi liceret alloqui Joab, quicum conquesta est, quod, antequam Israelitici populi Metropolim obsideret, cum ea de pace non egisset, ut Lex præcipiebat; cui respondenti unum seditiosum hominem quæri, qui sibi perfugium ibidem quæsierat, fœmina se satis facturam promisit, nec cunctata, populo persuasit, ut Sebæ caput abscinderet, & ad Joab mitteret; quo facto, Dux obsidionem sustulit, recessitque. II. *Reg*. xx.

Sebat, seu *Sebet*, Hebræorum civilis anni mensis quintus, annique Ecclesiastici decimus primus, qui partim Januario, partim Februario nostro respondet. Judæi arborum annos, quas serebant, ab hoc mense numerabant. Decima hujus mensis die, Majorum suorum, qui Josue successerant, mortem deflebant. Vicesima tertia dies revocabat memoriam consilii, quod cœperant, ut injuriam ulciscerentur, qua Levitæ conjux affecta fuerat. Tricesima demum die Simonis Machabæi mortem lugebant, quem Ptolomæus gener occiderat.

Sebenias, *qui Dominum audit*, Sacerdos, Davidis tempore, qui cæremoniæ interfuit translationis Arcæ, ex eorum numero, qui tuba sonabant: *Porro Sebenias, & Josaphat . . . . Sacerdotes clangebant tubis coram Arca Dei*. Occurrunt hujus nominis alii duo, Sacerdos unus, alter Levita, qui a Captivitate cum Zorobabel redierunt. I. *Paral. c.* xv. II. *Esdr. c.* xii.

Sebeon, *qui tinctus est*, filius Seir, pater Anæ, & avunculus Oolibamæ conjugis Esau: *Isti sunt filii Seir Horæi habitatores terræ Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana*. Fuit etiam hujus nominis fœmina, mater Oolibamæ, conjugis Esau: *Esau accepit Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon*. *Genes.* xxvi.

Sebia, *capra*, mater Joas filii Ochoziæ: *Anno septimo Jehu regnavit Joas; & quadraginta annis regnavit in Jerusalem; nomen matris ejus Sebia de Bersabée*. Hujus nominis vir erat filius Hodes, conjugis Sabaraim. II. *Reg*. xii. I. *Paral*. viii.

Seboim, *capræ*, una e quatuor Urbibus Pentapolis, quas cœlestis ignis absumpsit: *Ponam te ut Seboim*. Eadem Urbs deinde restituta fuit; de ea quippe S. Hieronymus loquitur, tamquam ejus ætate subsisteret. Erat etiam vallis Seboim, & ejusdem nominis Urbs in Tribu Beniamin. *Genes. cap.* x.

Sechem, *portio*, filius Galaad, & Sechemitarum familiæ caput: *Sechem, a quo familia Sechemitarum*. Alius erat ejusdem nominis Semidæ filius, qui Urbis Sechem in Samaria conditor creditur: *Erant autem filii Semida; Ahim, & Sechem*. Num. xvi.

Se-

Sechenias, *habitatio Dei*. Occurrunt in facris Litteris hujus nominis viri quatuor, haud magnæ notæ. I. *Paralip.* III.

Sechrona, *ebrietas*, Urbs Tribus Juda, quæ cum pluribus aliis Tribui Simeon concessa fuit. *Jos.* xv.

Secundus, Thessalonicensis cujusdam proprium nomen, qui S. Pauli discipulus fuit: *Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroensis*, *Thessalonicensium vero Aristarchus*, *& Secundus*. Actor. xx.

Sedada, *ejus pars*, nomen Urbis ad fines terræ Chanaan ad septentrionem: *A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada*. Numer. xxxiv.

Sedecias, *justitia Dei*, filius Josiæ, patruus Joakim, seu Jechoniæ Regis Juda. Mathanias vocabatur, eumque Nabuchodonosor nepoti substituens, quoad potuit, infirmum reddidit, ne posset a fide deficere: eumdem, mutato nomine, *Sedeciam* nuncupavit, ut in mentem ei revocaret, quid sibi timendum esset, si fidem jurejurando firmatam violaret, quam ab eo Nabuchodonosor Dei nomine exegerat: *Et constituit Mathaniam patruum ejus pro eo, imposuitque nomen ei Sedeciam*. Agebat hic Princeps eo tempore ætatis annum vicesimum primum, regnavitque annos undecim, quorum spatio malum egit coram Domino, Joakim impietatem imitatus. Ejus exemplum populus secutus; Deus enim, ut sacra Scriptura loquitur, justo judicio, præcedentibus sceleribus respondente, Judæos in nequitie, cordisque duritie reliquerat: *Quoniam furor Domini erat in Jerusalem, & in Juda, usquequo projiceret eo. a facie sua*. Frustra Deus Jeremiam Prophetam ad eos misit; pertinaces animos nec acerrima monita, nec acerbissimæ comminationes, nec pœnæ gravissimæ permoverunt. Haud destiterunt Ethnicorum abominationibus se omnino dedere, ac domum Domini prophanarunt. Cum tandem flagitius cumulum addidissent, haud cunctata Divini Numinis ira in eos irrupit. Sedecias Regni anno primo Legatos duos Babylonem misit, qui dubio procul vectigal afferrent; cui se ipse subdiderat; Jeremias porro haud sibi occasionem elabi passus, ad Judæos omnes in Captivitate detentos Epistolam scripsit, qua monebat, quid agerent in ea conditione, in qua Deus ipsos posuerat, hortabatur, ut a falsis Prophetis caverent, & misericordiæ consilia detegebat, qua cum iis Deus usurus erat, cum septuaginta Captivitatis anni præteriissent. Altero Regni anno, Reges multi Judææ proximi Oratores ad Sedeciam miserunt, qui specie tenus ei sceptrum gratularentur, sed re vera de fœdere in Babylonis Regem agerent. At Jeremias, Dei jussu, confectum ex conjunctis funibus jugum sibi ad collum posuit, cujus partem ad Dominos suos ferendam singulis Legatis dedit; ut nempe significaret, eorum condicta irrita esse, omnesque Babylonis Regi subdendos fore; quandoquidem Deus, Regnorum supremus Dominus eos omnes huic Principi tradiderat, qui ejus jussorum executor erat: *Et nunc itaque dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, servi mei . . . . & servient ei gentes multæ, & Reges magni*. Jeremias Sedeciam peculiariter hortatus est, ut Babylonis Regi subditus persisteret, nec pseudo-Prophetis, contraria nuntiantibus aures præberet, quos Dominus nequaquam miserat, ut cum eo loquerentur. At Princeps eorum nebulonum promissis, seu potius mendaciis illectus, veri Prophetæ monita omnia contempsit, jugique, quod eidem extraneus Rex imposuerat, impatiens, cum Ægypti Rege fœdus iniit, & a Nabuchodonosor defecit, ita quidem Dei nomen violans, quem fidei suæ testem appellaverat. Ergo Dominus se per ejus perfidiam indigne contemptum videns, per Prophetam edixit, reum haud sibi e manibus elapsurum, ac se effecturum, ut violati jurisjurandi contemptus in ejus caput recideret: *Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? Et qui dissolvit pactum, numquid effugiet? Vivo ego, quoniam juramentum, quod sprevit, & fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput ejus*. Minas statim exitus secutus est. Nabuchodonosor, eum Principem, qui fidem fregerat, & Ammonitas, qui in eum insurrexerant, puniturus, formidandum exercitum eduxit, pervanitque ad viæ caput, quæ dividebatur in duas, quarum una

una Rabbath, altera Hierosolymam ducebat. Anceps igitur, in quam se primum partem daret, telorum sorte se certum reddere voluit; inscriptoque telo uni Hierosolymæ, alteri Rabbath nomine, Deus, qui omnia ad consilii sui executionem perducebat, telum, cui Hierosolyma inscripta erat, ex arcu, primum egredi voluit. Itaque Nabucbodonosor in Judæam profectus, omnia ferro, & igne vastavit, & loca omnia depopulatus, ad obsidendam Metropolim properavit. Sabbatico id anno contigit; ac Sedecias, ut Religionis insigne specimen exhiberet, quo Divini Numinis indignationem leniret, populum in Templum accivit, ubi nemo non herus se libertatem servis concessurum recepit, ut Legi pareret. Immolatus vitulus, & in partes divisus duas; quas inter transgressi contrahentes omnes, ut ea cæremonia significarent, se, siquidem conventionis conditiones violassent, haud pugnaturos, quin medii, instar victimæ, scinderentur. In eam Princeps erectus spem fore, ut Deus ea contentus obsequii specie: staret a Judæis, & aliquod prodigium patraret, rogatum Jeremiam misit, ut Deum super hac re consuleret. Funestissimum Prophetæ responsum fuit; extremas scilice calamitates Sedeciæ portendebat; ac ne forte Rex sibi falsum allatum nuntium suspicaretur, Jeremias jussus est ipse se sistere Dei nomine, palamque facere, quæ Regis esset, obsessæque Urbis futura sors: *Ecce ego tradam Civitatem hanc in manus Regis Babylonis, & succendet eam igni, & tu non effugies de manu ejus, sed comprehensione capieris, & in manus ejus traderis*. Sedecias, cujus aures assentationibus assueverant, quam veris, tam injucundis vaticiniis exacerbatus, Prophetam in carcerem trudi jussit. Interea Ægypti Rex, initum cum Sedecia fædus executurus, ingentem militum numerum in Judæam iotulit; quare coactus obsidione desistere Nabuchodonosor, ei prælium commissurus occurrit. Sedecias quidem jactabat fore, ut Chaldæi profligarentur, & patriam regredi cogerentur; at eum Jeremias impulit, ut omnino contra diceret, edixitque, tametsi periret omnis Chaldæorum exercitus, futurum tamen, ut Hierosolyma everteretur; Deum quippe ita decrevisse, ejusque decretorum executioni refragari neminem posse: *Redient Chaldæi, & bellabunt contra Civitatem hanc, & capient eam, & succendent eam igne*: Sedecias, & populus nil tale timendum, nullique se periculo obnoxios rati receptos servos, quibus libertatem concesserant, servitutis jugo iterum subdiderunt. Iratus Deus adeo solemnis contractus violati reos a Propheta vehementer increpitos voluit, per eum enuntians, quandoquidem se Legis jugo subducere contendebant, quæ fratribus libertatem tribui jubebat, se ab iis proinde recedere, quos ferro, fame, ac peste absumendos, sibi servos non agnoscebat: *Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo . . . . Ecce ego prædico vobis libertatem ad gladium, ad pestem, & ad famem*. Interea Nabuchodonosor Ægypti Regem fudit, ademptaque Judæis omni subsidii spe, Hierosolymam rediit, quam acrius obsedit. Sedecias consternatus Jeremiam ad se duci jussit, quærens, quicquamne haberet, quod Dei nomine diceret. Propheta, licet diuturni carceris asperitate pressus, assentatione libertatem emere noluit; pristinoque sermone usus, Regi futurum dixit, ut a Nabuchodonosor subigeretur, eique ob fidem pseudo prophetis adhibitam increpito suum carcerem exprobravit: *In manus Regis Babylonis traderis . . . . quid peccavi tibi, & servis tuis, & populo tuo, quia misisti me in domum carceris? Ubi sunt Prophetæ vestri, qui dicebant, non veniet Rex Babylonis super vos? Nunc ergo audi, Domine mi Rex, valeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Jonathæ scribæ, ne moriar ibi*. Deus, in cujus manu cor Regis est, Sedeciæ animum ad humanitatem flexit; qui Jeremiæ postulatis annuens, eum in regii carceris atrium deferri jussit, & cum Urbs inopia laboraret, in mandatis dedit, ut annona pararetur. Accessit ad caritatem contagio, qua Deus incolas ita punivit, ut, præ pereuntium numero, locus ne sepulturæ quidem esset. In hoc summo discrimine Rex iterum Prophetam consuluit, ut videret, responsumne votis, quam antea, conformius daret. At Jeremias, suo fideliter officio semper addictus, hortari Regem non destitit, ut

quod

quod unum ad salutem superetat, humilitatis consilium caperet; pertinacem enim obtrectationem ejus familiæ, totique Urbi perniciosam fore: *Si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igni, et salvus eris tu, et domus tua*. Verum infelix Princeps, a multitudine abreptus, suaque ipsius pravitate deceptus, in perfidia animum obfirmavit, quoad Deus suas in eum, & Jerusalem minas perficeret. Ergo ejus regni anno decimo primo, capta Urbs; in eamque Chaldæi turmatim irruerunt. Sedecias, cujus ædes regia in monte Sion sita erat, sistendi hostis abjecta spe, sibi salutem in fuga quæsivit; & per foramen, quod in horti pariete fieri jussit, noctu evadere conatus est. At vix, sequentibus militaribus viris, egressum cepit in planitiæ Jericho Equitum cohors, a Chaldæis missa, ut profugos insequeretur; atque ita perfectum est, quod in hanc rem Deus Ezechieli dixerat: *Ecce expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea*. Ergo Sedecias vinctus, & ad Nabuchodonosor, qui Reblatæ, in regione Emath, versabatur, ductus est. Eo ad summum dolorem spectante, filii duo misere trucidati, quos vindictæ suæ Babylonis Rex immolatos voluit; ipse vero, erutis oculis, in eam Assyriæ Metropolim perductus, ibique in carcerem trusus, prout Ezechiel prædixerat: *Et adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur*. Et sane supremum diem obiit, & in eo Regnum Juda finem habuit. 1. *Paralip. cap.* III.

Sedecias, filius Chanaan, pseudo-propheta Samaritanus, eorum unus, quos Achab Rex Israel super exitu belli consuluit, quod ipse, ac Josaphat Urbi Ramath in Galaad inferre volebant. Pseudo-prophetæ omnes Regi prospera prædixerunt; ac Sedecias, ferreis sibi appositis cornibus, furentem taurum imitatus est, qui obvia quæque cornibus invertit; erat enim apud Prophetas in more positum, ut dicto factum adderent, quo animos vehementius afficerent. Sedecias ergo Regem Achab sperare jubebat fore, ut Syriam ad extremum excidium excuteret: *Fecit quoque sibi Sedecias, filius Chanaan cornua ferrea, & ait: hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam*. At Michæas Propheta Domini cum advenisset, omnino contra prædixit; & Sedecias ægre ferens se ab eo mendacem traduci, oblato mantice, interrogavit, an Deus a se recessisset, ut ei uni loqueretur: *Me ne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* Michæas id eum visurum respondit, eo tandem adactum, ut huc illuc intra domesticos parietes fugeret, latebras quærens: *Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, ut abscondaris*. Propheta dubio procul id spectabat, quod post mortem Achab futurum erat, cum scilicet regii armorum duces, se deceptos dolentes ubique Sedeciam puniendum quæsierunt. Quamvis autem hac de re Scriptura sileat, probabilis tamen conjectura est. III. *Reg.* XXII.

Sedecias, filius Maasiæ, alter pseudo-propheta, qui Jeremiæ semper obstitit: *Ponat te dominus, sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne*. Nebulones hi, qui falsa vaticinia Dei nomine venditabant, insignium delictorum rei erant, eosque Deus puniit, Nabuchodonosor Regis opera, qui eos lento igne comburi jussit. Fuerunt etiam ejusdem nominis, vir princeps, regnante Ioakim, atavus Baruch, & Judæus quidam haud vulgaris notæ, Neemiæ tempore.

Segor, *parva*, Pentapolis Urbs, ad Mortui Maris australes fines, Sodomam, & Gomorrham prope, ad flammas, ut cæteræ, damnata, at servata ad preces Loth, qui statuit in eam se recipere. Cum antea Bala diceretur, Segor appellata est, quia semper Loth in ejus tenuitate persistit, ab Angelo petens, ut sibi liceret in eam recedere: *Est Civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea. Numquid non modica est? Vivet anima mea .... Idcirco vocatum est nomen Urbis illius Segor*. Genes. cap. XIX.

Segub, *elatus*, postremus filiorum Hiel ex Urbe Bethel, qui, regnante Achab, ausus est erigere mænia Jericho, haud imprecationem veritus, quam ante annos 535. Josue in eum pronuntiaverat, qui

hoc

hoc remeritatis plenum facinus aggrederetur: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit Civitatem Jerico; in primogenito fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus*. Verbum hoc, utpote quod ex divino afflatu erat, perfectum fuit. Hiel se Abiram primogenito spoliatum vidit, cum Urbis fundamenta jecit, & Segub natu minimo, cum ejus portas erexit: *In diebus illis ædificavit Hiel de Bethel Jerico; in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus*. Legitur in Sacris Litteris Segub alter, filius Ephron, & pater Machir. *Judic.* x. II. *Paralip.* II.

Sebirath, *hirsutus*, Urbs, seu vicus in monte Ephraim, quo se recepit Aod, cum Eglon Regem Moab occidisset, qui Israelitas opprimebat: *Aod venit in Sebirath, & statim sonuit buccina in monte Ephraim*. IV. *Reg.* VIII.

Sebon, *eradicatio*, Amorrhæorum Rex, a quo Moses per ejus ditionem Israelitas ducendi facultatem petiit, obstricta fide, id nulli damno fore, emptis omnibus, quibus ad victum opus esset. At Sehon Hebræis transitu prohibitis, non sine formidando exercitu, aggressurus occurrit; ejus enim cor Dominus induraverat, ut Sacra Scriptura loquitur, quo in Israelitarum manus incideret: *Quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides*: cum scilicet Sehon, ejusque populus ob peccata digni essent, qui in cordis duritie relinquerentur, justo proinde divini Numinis judicio factum est, ut per injustam, & inhumanam obluctationem Israelitas cogerent arma sumere, & legitime regionis potiri, quam, libero concesso transitu, sibi vindicare non potuissent. Ergo Israelitæ in aciem prodeuntes, Amorrhæos aggressi vicerunt; omnisque deinde regionis potiti, cujus Metropolis Hesebon, ab Arnon torrente ad torrentem Jaboc, Regis Sehon subditos omnes, & singulos trucidarunt, ne fœminis quidem, ac pueris exceptis, ut Dei jussis obsequerentur, cujus justitia postulabat, ut impius is populus deleretur: *Cunctasque Urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & parvulis, non reliquimus in eis quicquam*. Quamobrem Israelitæ, qui atrocis inhumanitatis rei fuissent, si se vindictæ cupiditate abripi passi essent, fidem, & obedientiam Deo præstiterunt, qui mortis decretum in eos populos pronuntiatum, quos alia ratione de medio tollere potuisset, jure ac merito per Israelitas executus est. *Numer.* XXI.

Seir, *cincinnatus*, vetus Horræorum Rex, quorum domicilium ad maris mortui meridiem, & orientem fuit in montibus, quibus nomen suum tribuerunt. Ejus posteri, quos Moses enumerat, *isti sunt filii Seir Horræi habitatores terræ*, in hac regione regnarunt, ante quam Esau sibi sedem ibidem poneret. Eum Sacra Scriptura refert iis bellum, extremamque perniciem intulisse: *In Seir autem prius habitaverunt Horræi, quibus expulsis, atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in possessionis suæ terra, quam dedit illi Dominus*. Hujus Seir posteri, quibus Horræis, seu Chorræis nomen, viribus jam pollebant, Abrahæ tempora, quo Codorlahomor in Pentapolis Reges arma vertit. Montes Seir in Elat, & Asion-Gaber, ad mare Rubrum, protendebantur; ac regio hæc Idumæa dicta est, ex quo Esau posteri in ea constiterunt. Aderat etiam ejusdem nominis mons in Tribu Juda. *Genes.* XXXVI.

Seira, *parva*, Idumææ Urbs: *Venitque Joram Seira, & surrexit nocte, & percussit Idumæos*: scilicet trucidavit. IV. *Reg.* VIII.

Sela, *qui solvit*, tertius filiorum Judæ, sponsus Thamar, ubi per ætatem licuisset; at veritus Judas, ne Onam, & Her fratrum improbitatem Thamar imitaretur, obstrictam fidem præstare renuit. Sela fuit Selaitarum familiæ caput: *Fueruntque filii Juda per cognationes suas, Sela, a quo familia Selaitarum*. Erat hujus nominis Urbs in Tribu Beniamin, ubi Saul in patris Cis sepulcro positus fuit. *Genes. cap.* XXXVIII. *Jos.* I.

Selcha, *tuus contemptus*, Urbs Regni Og in regione Basan ultra Jordanem: *Omnes Civitates, quæ sitæ sunt in planitie, per universam terram Galaad, & Basan, usque*

quæ ad Selcha, & Edrai, civitates Regni Og in Basan.

Selebin, solidus trames, Urbs in Tribu Dan. *Et fuit terminus possessionis ejus Tarta . . . . Selebin, & Ajalon*. Jos. xix.

Selec, qui ictum infligit, Ammonites ex triginta strenuis viris in Davidis exercitu: Selec *Ammonites*. II. *Reg.* xxiii.

Selemia, pax Domini; hujus nominis viri septem occurrunt in Sacris Litteris, quorum notissimus, qui primitiis, & decimis, quæ ad Templum afferebantur, a Neemia præfectus fuit: *Constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem*. II. Esdr. xiii.

Selemith, pacificus, filius Zecri, & e posteris Eliezer, qui thesaurorum custos erat, quos David Deo dicaverat: *Super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David Rex*. I. *Paralip. cap.* xxvi.

Seleucia, excussa, Urbs in Syria ad Mediterraneum sita, fere ubi Orontem axcipit, & a Seleuco Nicanore condita. Eo missi a Spirito Sancto SS. Paulus, & Barnabas: *Missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam*. Erat ejusdem nominis Urbs in provincia, quæ Gaulanites dicta, ad lacum Semecon; idemque Seleucus ita nuncupavit Urbem Gadaram, quæ ultra Mare Tiberiadis posita erat.

Seleucus, fluminis instar currens, cui Nicanori cognomen, cum in Alexandri Macedonis exercitu fuisset e Ducum numero, post ejus mortem Syriæ Rex evasit, caputque stirpis Seleucidarum fuit. Princeps hic eo tantum nomine notus est in Judæorum historia, quod eorum rationem habuerit, ipsisque eisdem immunitates concesserit, quibus Antiochia metropolis ipsa gaudebat. II. *Machab.* iii.

Seleucus, Antiochi Magni filius, patri successit, & Philopatoris cognomento insignitus fuit. Princeps hic observantia permotus, qua Oniam Pontificem prosecutus est, quod opus erat ad Templi sacrificia, quotannis suppeditabat; at cum infirmo animo, & ad persuasionem facili Princeps esset, *vilis simul, & indignus decore regio*, ut eum Daniel appellat, assentatorum sollicitationibus cessit, qui eum impulerunt, ut Heliodorum ad Hierosolymitanum Templum vastandum mitteret. Aliquanto post Heliodorus ipse venenum ei propinavit.

Selim, pharetra, Urbs in Tribu Juda, eadem ac Sarohen est. *Jos.* xiv.

Sella, umbra, conjux Lamech bigami, Tubalcain, & Noemæ mater: *Nomen alteri Sella*. Genes. cap. iv.

Sella, loci nomen in Urbe Jerusalem, ubi domus Mello, in qua Joas proditus: *Percusserunt Joas in domo Mello in descensu Sella*. Haud constat, ubinam locus hic potissimum fuerit. IV. *Reg.* xxvi.

Sellum, pacificus. Sacra Scriptura virorum sex hujus nominis meminit, quorum notissimi sunt, I. filius Tabes, qui Zachariam Regem Israel occidit, ejusque regnum usurpavit, quo non ultra mensem ei frui licuit, quandoquidem rediens a Manahen in Samaria occisus fuit. Per hunc Sellum divina in domum Jehu comminatio perfecta est: *Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel*. II. Sellum, quartus e filiis Josiæ Regis Juda, dictus aliter Joachaz, qui, patre vita functo, renuntiatus Rex, captivusque in Ægyptum ductus. III. Filius Cholbosa, primas tenens in vico Maspha, qui a captivitate regressus, Hierosolymitani fontis januam suis impensis restituit. IV. *Reg. cap.* xv. & xxii. I. *Paralip. cap.* iii. iv. vii. I. *Esdr. cap.* iii.

Selmon, ejus umbra, mons Ephraim perobscurus, & arboribus consitus: *Nive dealbabuntur in Selmon*: evadent nive candidiores, qua mons Selmon conspersus est. Mons hic fere semper nive tectus erat.

Sem, nomen, unus filiorum Noe, qui centum ante diluvium annis natus est: *Cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet*. Quamvis autem Sem ante ceteros Noe filios positus sit, junior tamen, quam Japhet, fuisse creditur. Cum patre in Arcam ingressus est; exsiccatisque aquis, Noe, qui vitem severat, ex ea vinum expressit, quo in ebrietatem actus, somnoque sepultus, in tentorio minus decenter jacuit; impudentiam Cham haud imitati Sem, & Japhet, inversis humeris gradientes, patris nuditatem pallio texerunt. Expergefactus Noe, ac de observantia sibi a Semo exhibita cer-

certior factus, eum peculiari benedictione complexus est: *Benedictus Dominus Deus Sem; fit Chanaam servus ejus*. Quibus verbis notum voluit Noe, e posteris Sem populum fore, penes quem sancti nominis Dei cognitio, cultusque custodiretur, & e Sem per Abraham Messiam nasciturum. Obiit Sem sexcentesimo ætatis anno, relictis filiis quinque, Elam, Assur, Arphaxad, Heber, Aram, qui optimis Asiæ Provinciis in portionem potiti sunt. Ex Arphaxad per rectam lineam Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, & Thare pater Abrahæ descenderunt. *Genes. cap.* x. v. xr.

Semathei, *vocati*, Coloniarum una, quæ e Cariathiarim egressæ sunt: *De cognatione Cariathiarim Jethael*, *& Aphuthei*, *& Semathei*. Hi profecto sunt incolæ Semæ, Urbis in Tribu Juda. I. *Paralip.* II.

Sember, *nomen fortis*, Rex Seboim, unus e Pentapoleos Regibus quinque, quos Chodorlahomor, ejusque socii profligarunt: *Contra Sember Regem Seboim*. Gen. XIV.

Semechon, lacus, quem Jordanes medium prætergreditur. Ejus longitudo sexaginta, latitudo triginta stadiorum est; in sacris Litteris haud hoc nomine notus est; id unum constat, Hasor, ubi Sabiu regnabat, ad hunc lacum fuisse, ibique Urbem Seleuciam ædificatam. Adjacebant lacui maria, quæ Dan usque protendebantur.

Semegar Nabu, *thesauri sacri custodia*, unus e Regis Nabuchodonosor præcipuis ducibus: *Ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis*, *& sederunt in porta media Nerger*, *Serezer*, *Semegar Nabu*. *Jerem. cap.* XXXVI.

Semei, *qui audit*. Sacra Scriptura septendecim hujus nominis viros memorat, quorum unus tantum notissimus est; nempe Semei filius Gera e Saulis familia, qui Davidi maledixit: *Egrediebatur inde vir de cognatione Domus Saul*, *nomine Semei*, *filius Gera*, *procedebatque egrediens*, *& maledicebat*, *mittebatque lapides contra David*. Sanctus hic Rex, Absalonis filii perfidia Hierosolymis egredi coactus, Bahurim venit; egressusque Semei cæpit eum maledictis, jactisque saxis impetere, effusum exprobans sanguinem domus Saul, quem reapse Divina vindicta in eum refundebat, usurpatumque hujus Principis Regnum, quo jam jam Deus eum spoliabat, Absaloni filio collaturus: *Egredere*, *egredere*, *vir sanguinum*, *& vir Belial*; *reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul*, *quoniam invasisti regnum pro eo*, *& dedit Dominus regnum in manu Absalon filii sui*; *& ecce premunt te mala*, *quoniam vir sanguinum es*. Abisai, frater Joab, de Regis sui dignitate apprime sollicitus, arrogantiam Semei ferre non potuit, petiitque a patre, ut sibi liceret ei caput abscindere; at David, qui tum quidem acerbissimam contumeliam facile ulcisci poterat, divina consilia non ignorans, manumque veritus, quæ subditum perduellem movebat, Abisai monitum voluit, ne ei obsisteret; eum quippe a Domino jussum esse Davidi maledicere: *Dimitte eum*, *ut maledicat*; *Dominus enim præcepit ei maledicere David*. Haud sane Deus expressum Semei mandatum dederat, ut Davidi malediceret; ita enim paruisse laudandum esset; at ut nequam homo adeo arroganter ageret, efficiebat occulta ratio divinæ justitiæ, quæ peccatum punire volens, quod David cum Bethsabea patraverat, elegerat Semei, qui furorem suum in Davidem exereret, ut divinam voluntatem exequeretur. Ergo sanctus Rex omnino convictus, factum suum dignum esse, qui ita deprimeretur, tam indigno opprobrio se subdidit, perrexitque, quin responderet. Semei, impunitate factus audacior injurias auxit, & ex heri regione ad montem progrediens, maledicere, saxa jacere, & pulverem in transeuntem excutere nunquam destitit. At cum David de Absalonis factione triumphasset, jamque victor Hierosolymam revetteretur, Semei sibi merito timens, Principi occurrit, ac se ad ejus pedes abjiciens, quem adeo crudeliter, & indigne læserat, regiam miserationem humiliter imploravit; *Ne reputes mihi*, *Domine mi*, *iniquitatem*, *neque memineris injuriarum servi tui in die*, *qua egressus es*, *Domine mi Rex de Jerusalem*, *neque ponas*, *Rex*, *in corde tuo*. Abisai, cui semper Regis honos maxime cordi erat, Davidem ad vindictam extimulabat, instabatque,

ut

ut eum puniret, qui Uncto Domini maledixerat. At pius, & ad omnem humanitatem factus Rex, miram in eos suavitatem, qui eum læserant, cum regia majestate conjungens, Abisai vehementiorem impetum cohibuit, obstrictaque jurisjurandi fide, Semei promisit, ejus vitam, quod ad se spectabat, in tuto fore: *Non morieris, juravitque ei*. Eum reapse, quoad vixit, pace frui passus est, atque ita suæ erga peccatorem pœnitentem obligationi satis fecit; quoniam vero par erat, ut satis regio quoque juri fieret, ac periculosum fuisset, læsæ Majestatis crimen impunitum relinqui; suum esse credidit, antequam e vivis excederet, Salomoni commendare, ut, cum primum ejus sapientiæ se occasio obtulisset, justa delicti pœna seditiosum hominem afficeret vellet: *Vir autem sapiens es, ut scias, quæ facies ei, deducesque annos ejus cum sanguine ad inferos*. Ergo Salomon solio potitus accitum Semei sibi domum, ubi consisteret, in Urbe Jerusalem ædificare jussit, prohibuitque, ne quid prætexeret, ut exiret, minitatus certo fore, ut si torrentem Cedron transisset, qui per viam ab Urbe Hierosolyma Bahurim usque fluebat, ejus jussu statim occideretur: *Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum*. Semel huic se pœnæ subdidit, quippe qui se longe graviore supplicio dignum non ignorabat, Hierosolymam venir, domicilii causa; at vix elapsis annis tribus, egressus est, nonnullos servos profugos insecuturus. Quod cum scisset Salomon, eum, exprobrata in Regem contumelia, & in se ipsum inobedientia, occidi jussit, ut, quod eidem indixerat, exequeretur. III. *Reg.* II.

Semejas, qui Dominum audit, Propheta, quem Deus ad Roboam misit, moniturum, ne exercitum in Tribus decem educeret, quæ ab eo recesserant; Deo enim volente, divisionem eam contigisse, & Jeroboam solio potitum esse: *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel; revertatur vir in domum suam; a me enim factum est verbum hoc*: nempe quamvis eorum voluntatis libera vi contigisset, ut Israelitæ scilicet Roboamum desererent, & Jeroboamum sibi Regem eligerent, Deum tamen, tamquam primam & generalem causam iis præivisse, eorumque in Roboam exacerbationi remissis habenis, perfecisse, ut innumerorum hominum vota erga unum Jeroboam, nemine refragante, conspirarent. Judæi porto, Dei mandato ex Propheta percepto, haud ulterius progressi, in suam quisque domum redierunt. Post annos aliquot, peccatis Juda Divinam indignationem provocantibus, magno copiarum stipatus numero Sesac Ægypti Rex, læsum Divinum Numen ulturus venit. Tum Deus ad Roboam, regnique proceres, qui Hierosolymam se receperant, Semejam misit, qui diceret, eos, qui Deum deseruerant, jam in manu Sesac a Deo ipso deseri: *Vos reliquistis me, & ego relinquo vos in manu Sesac*. Rex, ac Principes, formidandis minis exterriti, Divinæ se dexteræ subdiderunt, cujus vi plectebantur, eosque consternatos videns Deus sententiæ severitatem mollitam voluit; per Prophetam edicens, eos se morti non addicturum, neque hostium furori penitus traditurum: *Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, & non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac*. Id unum sacra Scriptura de hoc Semeja commemorat, qui Regis Roboam historiam scripsit. Ejusdem nominis alii quindecim extiterunt, e quibus notissimi sunt. I. Pseudo-Propheta, filius Dalajas, qui vivebat Nehemiæ tempore, quique se a Sanaballat expugnari passus, ei strenuo Israelitæ persuadere studuit, ut in Templum recederet, prætexens, eidem insidias strui. II. Alter pseudo-Propheta ex Urbe Nehel, seu Nehelan, qui Babylone versabatur, dum sua Jeremias vaticinia in Judæa proferret. Impostor hic prophetiam a Jeremia ad Judæos captivos missam videns, ausus est ad Hierosolymitanum populum scribere, postulans, ut Jeremias tamquam amens, ac deceptor puniretur, & minantis in modum apud eumdem populum conquerens, qui Jeremiam ipsum nondum in vincula conjecisset: *Et nunc quare non increpatis Jeremiam Anathothiten, qui prophetavit vobis?* Jeremias de hac epistola certior factus, cum Hierosolymam rediisset, ad Ju-

dæos Babylone detentos scripsit, quandoquidem Semejas, haud Deo mandante, vaticinatus erat, futurum proinde, ut in eum Deus indignationem suam exereret, ejusque posterorum nullus felicitatis particeps esset, qua Deus ipse populum suum cumulaturus erat, quia scilicet mendax homo in Deum defectionis verba protulerat: *Non erit ei vir sedens in medio populi ejus, & non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus, quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.* III. *Reg.* xii. *Jerem.* xix.

Semer, custos, ita dictus is, qui vendidit montem Somer, in quo Rex Amri Samariam Urbem ædificavit. III. *Reg.* xvi.

Semeron, custodia, seu Semer, amænitate, ac fertilitate loci conspicuus mons in Tribu Ephraim, in quo Rex Amri Samariam condidit. Ante hoc eventum, mons jam prælio clarus erat, quod inter Abiam Regem Juda, & Jeroboam Regem Israel commissum fuit: *Stetit Abias super montem Semeron, qui erat in Ephraim*. Princeps hic, quadringentis hominum millibus stipatus, in Semeron castra posuit; Jeroboam vero duplo majorem exercitum in planitie collocavit. Tunc Abias, editum locum conscendens, sermonem ad hostes convertit, exprobrataque in Deum perfidia, cujus cultum deseruerant, ut aureo Vitulo se prostituerent, operam dedit, ut eos ad mentem revocaret, hortatus, ne, futuri mali metu, in Dominum arma verterent: *Filii Israel, nolite pugnare contra Dominum, Deum patrum vestrorum, quia vobis expedit*. Dum Abias loqueretur, Jeroboam legiones suas explicabat, eo consilio, ut hostes involveret, & undique premeret; qui hostilem exercitum irruentem conspicati, non sine gemitibus, ad Dominum confugerunt, Sacerdotibus tubas inflantibus. Tum subitus a Deo immissus terror Jeroboamum, omnemque Israelitarum exercitum perculit, qui proinde fusus, profligatusque, interfectis ea die quingentis & amplius hominum millibus. Judæi omnino triumpharunt, Deusque cumulatam victoriam Abiæ concessit, non in ejus sane gratiam, cujus pravitatem non sine horrore spectabat, sed religiosorum plurium virorum ratione habita, qui a Regis sceleribus alieni erant; ac ne partem desereret, penes quam Templum erat, & vera Religio, legitimum ministerium, divinique cultus cæremoniæ subsistebant. II. *Paralip.* xiii.

Semida, qui scientiam ponit, filius Galaad & nepos Machir, quem Manasses genuerat. Semidaitarum familiæ caput fuit: *Et semida, a quo familia Semidaitarum*. Numer. xxvi.

Semma, perditio, filius Age ex Arari, unus e strenuis viris in Davidis exercitu: *Post hunc Semma filius Age de Arari*. II. *Reg.* xxiii.

Semmaa, qui audit, pater Jonadab, qui Amnon id consilii dedit, ut se ægrotantem simularet, quo frui posset sorore Thamar, cujus amore flagrabat: *Erat Amnon amicus nomine Jonadab, filius Semmaa fratris David.* II. *Reg.* xiii.

Semram, custodia, filius Issachar, Semraitarum familiæ caput: *Semram, a quo familia Semraitarum*. *Numer. cap.* xxvi.

Semri, cespes. Fuere tres hujus nominis viri, sed parum noti. I. *Paral. c.* iv. & xxvi.

Sen, dens, rupes, ad quam Samuel lapidem in victoriæ monumentum erexit, quam e Philistæis Hebræi reportaverant: *Tulit lapidem Samuel, & posuit eum inter Masphat, & inter Sen*. I. Reg. vii.

Senaa, inimicus, hominis nomen, cujus posteri sexcenti triginta sex supra tria millia ad Hierosolymæ reparationem post reditum a captivitate non parum contulerunt: *Filii Senaa tria millia sexcenti triginta sex*. Nonnulli vocabulum hoc sumunt pro Urbis nomine, & *filii* pet incolas explicant. II. *Esdr.* vii.

Sene; Schene, nemus, rupis admodum præruptæ nomen: *Scopuli hinc, & inde prærupti; nomen uni Boses, & nomen alteri Sene*. Has interrupes duas Jonathas cum armigero transiit, ut in Philistæorum castra pedem inferret. I. *Reg. cap.* xiv.

Senna, scutum, Urbs ad Terræ promissæ meridiem sita: *Qui circuibunt australem plagam per ascensum scorpionis, ita ut transeant in Senna*. Numer. cap. xxxiv.

Sennaab, dens Patris, Rex Urbis Adamæ, unus e Pentapolis Regibus, quos Amraphel, ejusque fœderati profligarunt: *Contra Sennaab Regem Adama*. Genes. cap. xiv.

Sen-

Sennar, *accitus ab eo*, *qui inaurat*, Babylonis regio, in qua postari Noe turrim Babel ædificare aggressi sunt: *Invenerunt campum in terra Sennar*, *& habitaverunt in eo*. Amraphel, qui Pentapoleos Regibus bellum intulit, regnabat in tarra Sennar, seu Sennaar, & huc Joachin cum Templi vasis omnibus translatus fuit: *Asportavit ea in terram Sennaar in Domum Dei sui*. *Genes.* XVI.

Sennacherib, *hostis eversio*, filius Salmanasar, ajusque successor in Assyriæ Regno an. Mund. 3290. Cum Ezechias, qui tum in Judæa regnabat, tributum, cui Teglatphalassar subdiderat Achaz, huic Principi solvere noluisset, Sennacherib eum armis adigere statuit, ut sibi tamquam supremo Domino consuetum obsequium præstaret. Ergo in Judæorum ditionem formidandum exercitum intulit, omnium animis terrore perculsis, vastatisqua locis omnibus, obsistenta nomina; Deus anim, qui, ut Judæos puniret, Principem hunc acciverat, promptum ajus armis successum tribuit. Id nimirum aota annos aliquot Isaias prædixetat in hæc sane vehemantia varba: *Et elevabit Dominus signum in nationibus procul*, *& sibilabit ad eum de finibus terræ*, *& ecce festinus velociter veniet* . . . . *rugitus ejus ut Leonis*, *& frendet*, *& tenebit prædam*, *& amplexabitur*, *& non erit*, *qui eruat*. Assyriæ Rex arces quasque Judææ munitissimas obsadit, capit, evertit, earumque incolas trucidavit. Ezechias, cui satis militum non erat, ut obsisteret, in Matropolim se recapit, & ad congruam dafensionem se comparavit, quippe qui omnem in divino auxilio spem collocaret. Summa tamen erga subditos miseratione permotus, quos malis omnibus, quæ bellum secum affert, obnoxios videbat, ad humanam opem, qua se ab iis libararet, confugere sa posse credidit. Sennacherib, quem tum quidem Urbis Lachis obsidio detinebat, de pace rogatum misit, se in eum peccasse professus est, ac se omnibus pto ejus arbitratu conditionibus paratum exhibuit: *Peccavi*, *recede a me*, *& omne*, *quod imposueris mihi*, *ferant*. Sennacherib triginta argenti, totidemque auri talenta exegit, quæ statim Ezechias ai numerata voluit. At confestim conventionem Assyrius Princeps per exerandam perfidiam violans, hostiliter agere non destitit, & ut Ezechiæ, ac Hierosolymitano populo incussum novæ calamitatis terrorem sibi ad utilitatem verteret, tres e primis Ducibus misit, qui deditionem proponerent. Rabsaces, qui legationi præerat, ad populum sermonem habuit, cui multas in Deum blasphemias, & in Ezechiam contumelias admiscuit. Tum Legati, missionis suæ rationam reddituri ad Sennacharib redierunt, qui a Lachis obsidione destiterat, ut Lebnam obsideret; at impius Princeps, sibi nihil ab Ezechia rasponsi datum intelligens, epistolam ad eum misit, in qua Ministri sui impietatem repetens, Deum Israel cum falsis cæterarum nationum Numinibus comparare ausus est, constantemque fidentiam derisit, quam Ezechias in Dei auxilio ponebat: *Non te seducat Deus tuus*, *in quo habes fiduciam*. Porro impia hæc epistola Deum tandem impulit, ut Ezechiæ patrocinium susciperet. Jam ergo sancto huic Regi favans, vim suam in arrogantem hominem haud cunctatus exeruit, qui eo temeritatis devenerat, ut eam in dubium vocaret. Isaias ei, perinde ac si adesset, divinum decretum indieere jussus est. Eum itaque Propheta monuit, executorem ipsum fuisse consiliorum Dei, qui eum ante omnia sæcula elegerat, cui vindictam suam demandaret, quique ejus expeditiones, facinora, victorias moderatus erat; sed quoniam ausus erat immani furore in Sanctum Israel, ajus victoriarum auctorem insurgere, futurum proinde, ut is ipse Deus cum eo tamquam cum bruto ageret: *Insanisti in me*, *& superbia tua ascendit in aures meas*: *ponam itaque circulum in naribus tuis*, *& camum in labiis tuis*, *& reducam in viam*, *per quam venisti*. Sennacherib certior factus Tharacam Æthiopiæ Regem accedere, ut Judæis præsto esset, secumquæ prælium committaret, Lebnam obsidione liberavit, citatoque gradu occurrens, ac fuso hostili exercitu, in Ægyptum ipsam quasi victor irrupit, nihil nactus, quod progradientem impediret; tum in Judæam reversus, Hierosolymam obsidiona cinxit, audacter jactans, se quamprimum aa potiturum. At nimirum statutum tempus aderat, quo ibidem

dem Deus eum plecterer, contereretque. Ea nocte ipsa, quæ ejus adventus diem subsecuta est, exterminaror Angelus, a Deo missus, centum sexaginta quinque hominum millia interfecit, quibus ejus exercitus fere omnis constabat. Prædixerat Isaias, eum non modo Hierosolymam non ingressurum, sed ei ne minimum quidem incommodum allaturum: *Non intrabit in Civitatem hanc, et non jaciet ibi sagittam, et non mittet in circuitu ejus aggerem*. Vaticinium ad litteram perfectum fuit, Urbe, omnique Judæa momento temporis a formidando hoste liberatis, qui se tanti exercitus ducem Deo ipso fortiorem, existimabat. Trux hic provinciarum domitor ad primam lucem surgens, & cladem conspiciens, quam Angelus exterminator intulerat, extremo horrore perculsus, per eas ipsas regiones se præcipiti fugæ dedit, quas antea terrore perfuderat. Ac ne ita quidem se in tuto posuit; perditum Regem Deus non alia de causa communi stragi subduxerat, quam ut ex eo splendidiorem vindictam sumeret. Eum quippe filiorum duorum, Adramelec, & Sarasar manu immolatum voluit in Templo Nesroch, dum ei cæco Numini suum cultum præstaret. Quamobrem Princeps hic, cum divino furori, virgæ & baculi loco fuisset, fractus jacuit, & flammis addictos, cum is, qui eo utebatur, id quod volebat, ex eo percepisset: *In virga percutiet te, & baculum suum levabit super te in via Ægypti; adhuc enim paululum, modicumque, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum*. IV. *Reg*. XVIII. II. *Paralip*. XXXII. *Tob*. I. *Eccl*. XLVIII. *Isa*. XXXV. I. *Machab*. VII. IV. *Machab*. VIII.

Seon, *strepitus*, Urbs Tribus Issachar; itemque Moabitarum alia, quæ nomen traxit a Rege Sehon: *Ignis egressus est de flamma de medio Seon*; quæ verba insignem vindictam a Moabitis sumendam innuunt. *Jos*. XIX. *Num*. XXI.

Seor, *albus*, Hethæus ex Urbe Hebron, pater Ephron, qui Abrahæ duplicem cavernam vendidit, quam sibi, suæque familiæ sepulcri loco esse voluit: *Intercedite pro me apud Ephron, filium Seor*. Genes. cap. XXV.

Seorim, *janua*, Sacerdos, familiæ caput, quæ e Sacerdotalibus viginti quatuor ordinequarta erat: *Quartam Seorim*. I. Paralip. XXIV.

Sephaat, *qui attendit*, Urbs Tribus Simeon dicta *Horma*, seu *Anathema* post victoriam, quam Israelitæ ex Arad Rege retulerunt: *Abiit Judas cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananæum, qui habitabat in Sephaat*. Judic. cap. I. 17.

Sephama, *barba*, nomen Urbis in Syria, quæ terram promissam ad ortum finiebat: *De villa Enom usque Sephama, & de Sephama descendent termini in Rebla*. Creditur esse conjecturæ locus, hanc Apamæam fuisse. *Numer*. XXIV.

Sephamath, *limites*, Urbs, quam David prædæ participem esse voluit, quam ex Amalecitarum clade retulerat: *Et misit dona de præda Senioribus Juda.... & his, qui in Sephamath*. I. Reg. XXX.

Sephar, *litteræ*, mons ad orientalem plagam, ut probabile sit, Armeniam versus: *Facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem*: regio, quam filii Jectan incolnerunt, ab exitu Messæ ad montem usque Sephar, qui orientalis est, protenditur. *Genes*. X. *Numer*. XXV.

Sepharavim, *libri*, populi ex eorum numero, quos Assyriæ Rex misit in Regnum Israel, cujus incolas ultra Euphratem captivos traxerat: *Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone .... et de Sepharavim, et collocavit eos in Civitatibus Samariæ*. Haud satis constat, e quo potissimum loco hi populi educti fuerint; est vero simile, iis domicilium fuisse in montibus Sephar, Colchidem inter, & Mediam. IV. *Reg*. XVI.

Sephata, *judicium Domini*, vallis in Tribu Juda, ubi Asa Rex Juda, & Zara Æthiopiæ Rex prælium inter se commiserunt; *Asa instruxit aciem ad bellum in valle Sephata*. III. Paralip. XIV.

Sephatia. Filii, seu incolæ Sephatiæ redierunt a captivitate numero *trecenti septuaginta duo*. I. *Esdr*. II.

Sephela, *planities*: *Simon ædificavit Adada in Sephela*: Simon Machabæus Urbem Adadam in Sephela, scilicet in quadam planitie munivit. I. Machab. XII.

Sepher, *buccina*, Deserti mons, ubi Israelitæ

litæ caſtra metati ſunt : *Egreſſi de monte Sepher venerunt in Arada* . Geneſ. x. Numer. xxxiii.

Sephet , Urbs Tribus Nephtali ; Tobiæ patria ad ſiniſtram Urbis Sephet ſita erat : *In ſiniſtra habens Civitatem Sephet* . Urbs hæc ſupra montem acceſſu difficillimum ædificata erat .

Sephon , *qui contemplatur* , primogenitus Gad , a quo Sephonitarum familia derivatur : *Filii Gad per cognationes ſuas* , *Sephon* , *a quo familia Sephonitarum* . Geneſ. cap. xlvi.

Sephor, *avis* , pater Balac Moabitarum Regis, qui Balaam quæſitum miſit : *Balac filius Sephor*, *Rex Moabitarum miſit ad me*. Numer. cap. xxii.

Sephora , *buccina* , filia Jethronis Sacerdotis, e regione Madian . Moſes Ægypto diſcedere coactus , ſuæ ut vitæ conſuleret , interram Mabian profectus eſt , ubi apud puteum conquievit . Cum Jethronis filiæ ad eum puteum ſe contuliſſent , ut patris armentis potum præberent, Paſtores eas repulerunt : at eas Moſes ab eorumdem impetu propugnavit , effecitque , ut earum pecora ſitim explerent . Domum reverſæ , Jethronem patrem de re tota certiorem fecerunt, qui Moſem quæſitum miſit ; eique domum recepto Sephoram, ſeptem filiarum unam, conjugem dedit , e qua ei nati filii duo , Gerſon , & Eliezer. Multis poſt annis Moſes , cum in Ægyptum regredi a Deo juſſus eſſet, abiit una cum Sephora , duobusque filiis ; ei per iter apparuit Deus , mortem minitatus , quod filiorum unum circumcidere neglexiſſet ; quæ ſane comminatio miniſterium , quod obiturus erat, in anteceſſum oſtendebat : miniſterium terroris , & mortis, quo ſcilicet imponenda erat Iſraelitis formidanda Lex , quam mortis in transgreſſores minæ comitarentur . Haud cunctata Sephora , acuto ſumpto lapide , circumciſoque filio , amputatam carnem ad Moſis pedes projecit , dixitque : tu mihi vere ſanguinis ſponſus es , te ſcilicet amittebam , Deusque te mihi ſervavit ; verum ut ſalvum ſponſum reciperem , filii ſanguinem fundere neceſſe habui : *Sponſus ſanguinum mihi es* . Probabile eſt , Moſem coactum in Ægyptum pergere, ſuſceptum iter proſecutum eſſe, & Sephoram ob filii circunciſionem conſiſtere debuiſſe , & cum is convaluiſſet , ad patrem reverſam eſſe ; ſacra quippe Scriptura Jethronem refert , cum de ratione monitus fuiſſet , qua Deus ab Ægypti ſervitute populum ſuum liberaverat , Sephoram, ac duos ejus filios ſecum ducentem, ad generum in Monte Sinai verſantem ſe contuliſſe . De Sephora non amplius eſt ſermo , quam diſputationis occaſione, quæ Moſem inter, Aaron , & Mariam extitit , cui quidem Sephora locum dediſſe videtur : *Locuta eſt Maria , & Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus Æthiopiſſam* . Tribuunt etiam ſacræ Litteræ Sephoræ nomen uni ex Hebræorum obſtetricibus : *Quarum una vocabatur Sephora* , *altera Phua* . Exod. c. 1. 21.

Septem . Numerus ſeptenarius in ſacra Scriptura myſticus eſt , eumque ſacrum eventa complura , quibus peculiaris ſignificatio ineſt, reddiderunt . Creaturarum rerum Univerſitas ſeptem dierum ſpatio perfecta fuit ; Deusque die ſeptimo requievit ; quod Æternitatis requiem ſignificat . Septimus quiaque annus ſacer erat quieti terræ, Sabbatici anni titulo . Hebdomadæ annorum ſeptem eæ ſunt , quæ Jubilæum conficiebant . Jacob in Rachelis gratiam annorum ſeptem ſpatio deſerviit . Vaccæ ſeptem , quas viderat in ſomnis Pharao , fertilitatis , & ſterilitatis annos ſeptem ſignificabant . Aurei candelabri rami ſeptem, buccinæ ſeptem , dies ſeptem , quibus Joſue circum Urbem Jerico exercitum duxit . Denique numerus hic in ſacris Litteris paſſim occurrit. In Apocalypſi, Angeli ſeptem , phialæ ſeptem . Nonnunquam etiam pro numero indefinito ſumitur : *Multo tibi melior eſt* , *quam ſi ſeptem haberes filios* , nempe multos . *Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris* , *loquentibus ſententias* , multis videlicet. Draconum capita ſeptem, quibus diademata pariter ſeptem, ingentem numerum ſignificant hoſtium Eccleſiæ, qui Dæmonis inſtrumenta ſunt.

Septuaginta . Hoc nomine deſignantur Interpretes ſeptuaginta , vel ſeptuaginta duo, quos Rex Ptolomæus Philadelphus adhibuit, ut vetus Teſtamentum ex Hebraico ſermone in Græcum verterent . Princeps hic, referente Joſepho , in id incumbens, ut

ut Alexandriæ, Demetrii Palarei studio, & opera, celebrem Bibliothecam conficeret, certior factus est, Judæis librum esse, qui Mosis Leges, ejusque populi historiam continebat. Dum ergo in animo haberet, Bibliothecam suam insignibus quibusque libris locupletare, statuit operam dare, ut Hebræorum liber Græce redderetur. Ut autem eos ad exhibendam suæ Legis versionem adduceret, nihil aptius fore credidit, quam si liberalitate, insignique beneficio, quod universam Nationem afficeret, uteretur. Ergo publici edicti vi Judæos omnes libertate donavit, quos Soter ejus pater, subacta Syria, in captivitatem traxerat, jussitque, ut regii thesauri custos heris, redemptionis loco, drachmas viginti in capita solveret. Summa, qua opus fuit, talenta plusquam sexcenta confecit; jamque omnium animis tanta munificentia sibi devinctis, Summum Pontificem Eleazarum per epistolam obsecravit, ut Legis librum, & idoneos Interpretes mitteret, qui propositam versionem perficerent. Epistolam non sine regiis muneribus per Legatos allatam voluit; e quibus Aristæas fuit, ab intimis Regis excubiis, qui fertur Auctor historiæ Versionis Interpretum Septuaginta. Eleazarus, Regis magnificentia permotus, legationem perhonorifice excepit, & quicquid Rex postulabat, ultro concessit. Nulla interjecta mora, sex e quaque Tribu viros misit, qui Mosaicæ Legis exemplum, aureis litteris exaratum afferent. Eos, cum Alexandriam pervenissent, Ptolomæus nullo non amicitiæ specimine complexus est, singulisque in conspectum accitis quæstiones proposuit, ut, quæ cujusque vis esset ingenii, quæ doctrina, cognosceret. Eos votis pares nactus in Insulam Pharum duci, & in Ædem pulcherrimam ad maris littu., & ab omni rumore dissitam recipi jussit, ut nihil obesse posset, quin tranquille ac sedulo ad opus incumberent; quod aggressi, quicquid alicui difficultati suberat, inter se discutientes, ac tandem in eamdem sententiam conspirantes, Versionem Demetrio Phalareo exhibebant, qui Amanuensibus suis elegantissime excribendam mandabat. Duos & septuaginta post dies omnino perfectum opus, & ad Demetrium remissum est, quod ipse legit in Alexandrinorum Judæorum Cœtu, ut ejus cum exemplari consensum expenderent. Consilium, consiliique executionem summus omnium plausus excepit; Rex autem optatum opus singulari observaotia suscipiens, atque imprimis Mosaicarum Legum sapientiam admiratus, Bibliothecæ, quam amplissimam struxerat, exemplar additum, ac diligenter servatum voluit. Tum sibi satis superque factum testatus, Interpretes in Judæam singularibus donis cumulatos remisit, additis in grati animi significationem, quæ ad Summum Pontificem, quæque in Templum perferrent. Atque hæc ipsa est, quæ septuaginta Interpretum Versio dicitur, rotundo, ut ajunt, justoque numero, quamvis septuaginta duo fuerint. Auctor hujus historiæ, qui falso Aristææ nomine inscribitur, Judæus Hellenista est, qui multo post scripsit, quam edita Versio septuaginta ponitur, & ut melius fabulam dissimularet, sibi sumpsit Aristææ nomen, qui Ptolomæo a regii corporis excubiis fuisse perhibetur *. Id unum in hac commentitia narratione verum est, Ptolomæi tempore factam esse Versionem librorum quinque Mosis ad usum Synagogæ, quæ in Ægypto erat, cujus Judæi non amplius primigeniam linguam intelligebant; at nec de tempore, quo potissimum edita fuerit, nec de Auctorum nomine constat. Reliquos libros varii deinceps Interpretes, at ne ii quidem certi, verterunt. Cæterum quicumque tandem Versionis hujus Auctores fuerint, ea non minus auctoritatis obtinet in Ecclesia. Sane hac antiquior nulla est, quæ quidem ad nos pervenerit; ac dubio procul ante Christum lucem aspexit, quippe qua ipse usus est, dum sacros Codices appellavit, & Apostolos uti voluit, dum Evangelium per universum terrarum Orbem nuntiandum susciperent; qui eam, tamquam fidei regulam Ecclesiis omnibus reliquerunt; ex ea denique textus omnes, quos sacri Scriptores laudant, ad verbum expressi sunt **.

* *In hac historia, qua penes Judæos, & Christianos nulla certior, illustriorque est, nonnulla in quæstionem vocantur a recentioribus nonnullis Scriptoribus, qui de rebus omnibus dubitare consueverunt. Primo loco venit*

venit Aristæa liber, qui hujus historiæ quasi fons est, & ad quem Josephus Hebræus *Lectorem remittit. Omnium primus* Ludovicus Vives *lib.* XI. *de Civitate Dei cap.* 42. *eum controversiæ subdidit, & ab aliquo recentiore Judæo Aristææ nomine suppositum judicavit. Subscripsere Ludovico Vives* Leo a Castro *in Proœmio in Isaiam*, Salmeron *Prologo* VI. *ac potissimum* Josephus *Scaliger ad an. Eusebii* 1730. *qui apocryphum, & ab Alexandrinis Judæis inventum Aristææ librum asserit, etsi non neget eodem tempore, Ptolomæum Philadelphum luculentissimam Bibliothecam Alexandriæ condendam curasse, pariterque jussisse, ut sacra Hebraica monumenta Græce verterentur. Verum argumenta, tum quæ ipse, tum quæ alii proferunt, haud tanti momenti sunt, ut historiam, tot veteribus præsidiis munitam evertant. Ex alia parte memoratis, aliisque paucis recentioribus Scriptoribus testes innumeri refragantur. Sane nullus eorum, qui historiam hanc pertractarunt, hactenus inventus est, qui de ea dubitaret; at eam omnes certam, & indubitatam ponunt, si paucos nonnullos recentiores excipiamus, quorum auctoritatem nemo exæquat, multoque minus anteponit iis antiquis Scriptoribus, qui Aristææ temporibus longe propiores erant, melius veritatem cognoscere poterant; neque enim solum* Josephus, Philo, Tertullianus, Cyrillus, *atque veteres Scriptores, sed ipse* S. Hieronymus *pluribus in locis Aristææ testimonia refert; atque hæc omnia testimonia Aristeę libro, qui nunc exstat, adamussim respondent, ut inter alios animadvertit* Bellarminus *lib.* II. *de Verbo Dei c.* VI. *Quamobrem Usserius quamvis pro virili nitatur* LXX. *Versionem evertere, Aristeam tamen contra Scaligerum in Syntagm. cap.* 1. *tuetur; &* Isaac Casaubonus, *in Græcis Scriptoribus apprime versatus, quo nemo aptius, rectiusque de eorum Operum veritate judicare poterat, in nonnullis adnotationibus propria manu scriptis, quas* Waltonio Mericus *filius legendas dedit, de Aristeę historia ita judicat:* Aristæam elegantem esse Scriptorem, cujus antiquitatem tum phrasis arguit, tum Josephus, qui multa hinc descripsit. *Et paucis interjectis:* Credimus admodum antiquum esse, & plane ejusmodi, quem non legisse pæniteat studioso aut Græcæ linguæ, aut antiquitatis; nam antiquissimus est Auctor. Nec dubito eum esse, de quo Josephus. Itaque ille ipse est, qui rebus gestis interfuit, quæ hic memorantur. *Hactenus Casaubonus. Ego addendum & illud puto, nullam afferri causam posse, quamobrem ejusmodi narrationem Judæi confinxerint.* Salmeronis *hæc verba sunt:* Ut auctoritatem hujus Versionis elevarent, miraculum cellularum silentio suo extenuando. *Econtra* Scaliger *ita loquitur:* Ut auctoritatem huic Versioni conciliarent, fingendo prodigia circa hanc Versionem. *Atque ita alter alterius fundamenta concutit, cum utraque infirma, nec satis solida sint.*

Et sane quæcumque Scaliger, *aliique objiciunt, solutu facilia sunt. Primo quidem quod ab Aristæa memoriæ proditur, Demetrium Phalareum Bibliothecarium fuisse, ac se ae Græca Versione sollicitum præstitisse, id vere ad fabulas amandat* Scaliger *ea de causa, quod Demetrium in ipso regni exordio in exilium egerit Ptolomæus Ægypti Rex, cui semper invisus fuit, prout Diogenes Laertius refert. At* Scaligeri *animadversionem evertit Auctor fidei prorsus indubitatæ, qui paulo post Aristæam scripsit, quique rei veritatem vel ex ipso Aristæa, vel ex aliis, qui cætui interfuerant, percipere potuit;* Aristobulus *nempe Judæus Philosophus Peripateticus, cujus hæc ipsa verba refert* Eusebius *Præparationis Evangelicę lib.* XIII. *tamquam ex ejus libro ad Ptolomęum Philopatorem scripto deprompta:* Tota vero Legis interpretatio sub Rege Philadelpho cognominato, abavo tuo, peracta est, Demetrio Phalareo magnum studium adhibente, & totum negotium promovente. *An vero quispiam clarius, apertiusque, quam Aristobulus de iis loqui possit, quæ Aristæas de Demetrio retulit, equidem haud video.*

At opponunt & illud: quomodo sex e quaque Tribu Viri seligi poterant, cum duæ tantum Tribus, Juda scilicet, & Beniamin, Judæorum Regnum conficerent, ceteris multo ante in captivitatem perductis? Respondemus tamen cum Serario, *nonnullos e singulis Tribubus captivitatis tempore in patria remansisse, nonnullosque e singulis Tribubus reversos esse. Itaque S. Lucæ cap.* I. *legimus, e Tribu Aser Annam fuisse; atque inter*

Veteres Chrysostomus, Euthymius, *aliique Pharisaeos ex omnibus duodecim dispersis Tribubus extitisse testantur; Usserius denique in Annalibus ad an.* 3468. *ita scribit*: Quod non integras Regni Israelitici Tribus Salmanasar abduxit, sed partem reliquit, qui cum Judaeis, Beniaminitis, & Levitis a Nabuchodonosore in Babylonem deportati, & a Cyro dimissi. unde soluta captivitate, anno primo Cyri, omnes Israelitae dicuntur habitasse in Civitatibus suis. *Agmen claudit S. Matthaeus, qui cap.* IV. *ita loquitur*: Impletum est vaticinium Isaiae de terra Zabulon, & Nephtali, videntes magnam lucem, *nempe Christo veritatem nuntiante. Hinc luculentissime deducitur, ipso Christi tempore, multo post Philadelphum, Tribuum discrimen aliquod extitisse.*

An vero hae septuaginta Interpretum Versio caeterarum omnium Graecarum prima fuerit, inter eruditos Viros non convenit. Asserunt e veteribus multi, ante Philadelphum, Legis saltem, seu Pentateuchi Graecam aliam Versionem ex Hebraicis Archiviis editam fuisse; in quorum numero sunt Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* 1. Eusebius *lib.* IX. *Praeparat. Evangel. cap.* 3. S. Justinus Martyr *in Apologia*, Chrysostomus, Theodoretus; *quibus recentiores multi subscribunt, ut* Bellarminus *lib.* II. *de Verbo Dei cap.* V. Serarius *Proleg. cap.* XVI. *q.* 2. *&* Galifinius *p.* 13. *qui fidenter asserit*, nullum de hoc dubitandi locum esse, quin ante Alexandri tempora, & Persarum Imperium, Pentateuchus saltem in graecum sermonem conversus fuerit. *Id huic sententiae fundamenti est, graecos Philosophos e sacris Scripturis multa sumpsisse, quae deinde tamquam sua venditarunt; quos inter* Plato, Aristoteles, *aliique. Quamobrem* S. Cyrillus *lib.* 1. *contra Julianum eos fures vocat; &* Josephus *lib.* 2. *contra Appionem ait, Platonem in suos de Legibus libros non pauca, quae ex Mose sumpserat, retulisse; ut proinde multi Platonem* Mosem Atticum *dixerint*. *Scribit* S. Ambrosius, *multa Platonem ex Salomonis Cantico graece vertisse. Pithagoram multa ex Mosis Lege mutuatum scriptis suis inseruisse testantur* Hermippus *Pythagoricus*, *&* S. Justinus Martyr *contra Gentes; quemadmodum* Clearchus Peripateticus *de Aristotele, ac de Platone* Numenius Pithagoricus *asserunt*.

Contra Baronius *Annalium Tom.* 11. *ad an. Christi* 241. Dominicus Banes To. 1. q. 1. art. 8. Joannes Esperies *Tract.* II. *Disput.* 2. *dub.* 3. Ludovicus Capellus *in critica lib.* IV. *cap.* 1. *aliique in ea sunt sententia, memoratos Philosophos ex Traditione potius, commercio, & familiaritate cum Hebraeis, quam ex aliqua graeca Versione, quae fortasse per ea tempora extiterit, ejusmodi notitiis imbutos fuisse. Ac mihi quidem opinio haec videtur esse vero similior, ut ut alii contra sentiant. Si qua enim antea fuisset graeca Versio, cur* Philadelphus *tot divitias profudit, ac tot curas pertulit, ut aliam obtinere posset, cum libros omnes, quoscumque invenire potuerat, praesertim graecos quaesisset, quos in Bibliotheca sua collocaret! Quomodo Demetrius Phalareus ejusmodi versionem, siquidem exstitisset, ignorare poterat, expressitque verbis Regi dicere, se Hebraeorum sacra volumina desiderare? Profecto sicubi fuisset horum librorum versio, in Aegypto extitisset, quo Platonem, aliosque Philosophos, ut Orientalium scientias perciperent, se contulisse omnes testantur. Judaeorum quoque multos in Aegypto potius quam alibi versatos esse ex Philone constat, qui Hebraeorum decem, & amplius centena millia per universam Aegyptum extitisse tradit. Ex Josephi tamen, & Aristaeae historia certum fit, nec Judaeis in Aegypto commorantibus, nec Ptolomaeo, nec denique ejus Bibliothecario de hac unquam versione suboluisse. Apud Aristaeam enim, de Bibliotheca, & liberorum numero loquentem legimus*: Cum Regi indicasset Demetrius, Judaeorum Leges dignas esse, quae transcriberentur, & in Bibliotheca reponerentur; *& Rex dixisset*: nihil obstare, quod hoc fieri prohiberet; nam omnia ipsi Demetrio in hunc usum prompta fore; *Demetrius respondit*: interpretatione opus esse; *quamobrem promisit Rex*, se scripturum ad Judaeorum Pontificem, ut omnia perficeret, *ut scilicet Interpretes mitteret. Est ergo certum, exploratumque, ante id tempus nullam graecam versionem fuisse. Idem ex* Josepho, *& Philone compertum fit*. Josephus *enim Antiquit. lib.* XII *cap.* II. *& contra Appionem scribens Demetrium refert Regi dixisse*;

Ne-

Neminem Historicorum, vel Poetarum ausum fuisse hos libros attingere; quosdam enim a Numine punitos fuisse, qui temere eos attrectarunt, Theodoctum Poetam &c. Philo *quoque lib.* II. *de vita Mosis expressis verbis affirmat*: Legem scriptam esse sermone Chaldaico (*id est Hebraico*), & in eo per longum tempus mansisse, quamdiu ejus pulcritudo externis hominibus non esset intellecta, donec jussu Tolomæi traducta erat in linguam græcam. Opus enim, quia magnum erat, non fuit privatorum hominum, sed Regis potentissimi. *Jam vero ex his* Philonis *verbis liquido constat, Legem ante Ptolomæum Philadelphum alia, quam Hebraica lingua, qua primum scripta fuit, agnitam non fuisse. Præterea si qua fuisset græca versio, quid Ptolomæum movisset, ut novam urgeret, perficiendamque curaret? An vero prior accurata non erat? At veteres Scriptores, qui de Versione* LXX. *mentionem faciunt, hac de re alte silent. Qui porro minus accurata esse poterat, si eo tempore facta fuit, quo Hebraica lingua iis patria, multoque magis familiaris erat, quam cum septuaginta Interpretes versionem suam concinnarunt? Perieratne omnino antiqua versio? At id contingere post captivitatem non potuit, cum Judæorum Regnum a Babylonico reditu ad Philadelphi tempora pace, ac tranquillitate floruerit; nec credi possit, tam brevi temporis spatio veterem versionem evanuisse. Multo vero minus probabile est, id ante captivitatem futurum fuisse; iis enim temporibus aut nullum, aut prope nullum Judæos inter, & Græcos commercium erat. Græci tamen Philosophi, præsertim post captivitatem, Judaicarum Legum notitiam aliquam assequi potuerunt ex commercio cum Hebræis, e quibus nonnulla percipere poterant, nulla licet versio esset. Sane* Clearchus, *apud Josephum lib.* I. *contra Appionem, Aristotelem Magistrum suum refert* usum esse viro hebræo, ut Scripturas ipsi interpretaretur. *At si qua fuisset versio, quorsum Interprete Aristoteles usus esset? Didicere Philosophi doctrinam Gymnosophistarum, Druidarum &c. qui nihil tamen scripserunt. Josephus etiam contra Appionem memoriæ tradit*, multos fuisse, qui de rebus Judæorum scripserunt, *Historicos* Ægyptiacos, Chaldæos, Phœnicios, Græcos; *e quibus multa Philosophi de Hebræorum Religione, ac ritibus scire poterant; affirmatque, Hecatæum Abderitam, qui sub Alexandri tempora vixit, justum librum de Judæis scriptum reliquisse. Ex his ergo fontibus, etsi nulla græca versio suppeteret, græcis Philosophis licuit multa percipere. Quamobrem concludit* Origenes *contra Celsum lib.* VI. Platonem vel a Judæis quædam audivisse, vel in Prophetarum libris legisse. *Verum enim vero cum inter Græcos post captivitatem Judæorum plurimi versarentur, nullus est dubitationi locus, quin eorum multi græcam linguam didicerint (alioquin quomodo inter eos vixissent?); & cum Judæorum lingua, post captivitatem quidem, vel Chaldaica esset, vel Syriaca, quam Græci non pauci possidebant; hinc quemadmodum Judæi Græcorum, ita Græci Judæorum Religionem cognoscere poterant, etsi nulla græca versio iis præsto esset.*

Equidem memini, me in Dissertatione, quam huic Dictionario Biblico primam præmisi, contra sensisse; at re maturius ponderata, mihi præsens opinio, tum ob extrinsecas, tum ob intrinsecas rationes, probabilior visa est. Quamquam ejusmodi controversia ex earum natura, atque indole est, de quibus Lector, pro ut ei libuerit, judicare potest.

** *Nonnulli putant, hac Interpretum septuaginta Versione, præter primitivæ Ecclesiæ Patres, Apostolos, ipsumque Christum Dominum usos esse; ego vero non video, quo fundamento nitatur opinio hæc; Christus enim Servator noster ipso Hebræorum sermone usus est, & quod inde consequitur, eadem Scriptura sacra, Hebræa scilicet, quibuscumque tandem characteribus scripta esset, Chaldaicis, Syriis, aliisve.*

Sepulcrum. Hebræi sua fere sepulcra in petris excidebant: *Excidisti tibi hic sepulcrum*. Abraham duplicem cavernam emit, in qua sibi, suisque sepulcrum pararet: *Ut des illi speluncam duplicem in possessionem sepulcri*. Si quando sepulcra in planitie essent, incisus lapis imponebatur, ut viatores monerentur ibidem sepulcrum esse, ne supergressi polluerentur. Ad id moris adludens Christus Pharisæos cum abditis sepulcris comparat, quæ supergrediens viator inscius, involuntariam pollutionem subit: *Væ vobis, quia estis ut mo-*

numenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra nesciunt. Involvebantur etiam calce, seu gypso ob eamdem causam; alboque colore quotannis, die 15. mensis Adar imbuebantur; itaque Christus Pharisæos hypocritas, qui externa virtutis specie vitia obtegunt, cum dealbatis sepulcris confert. *Habitare in sepulcris*, scilicet iis accumbere, ad Ariolos consulendos, Idololatrarum more, qui apud sepulcra dormiebant, suppositis animalium Idolis immolatorum pellibus, ut, quid sibi futurum esset, in somniis cognoscerent; quamobrem apud Isaiam Deus suum ita populum increpat: *Qui habitant in sepulcris, & in delubris Idolorum dormiunt.* Jam *sepulcri* vocabulo metaphoricæ notiones subsunt in sacris Litteris. Sumitur enim pro morte: *Solum mihi superest sepulcrum*: una me manet mors, ajebat Job in extremo mærore jacens. Pro summa calamitate: *Educam vos de sepulcris vestris*; promittit Judæis Deus, eos se a captivitate liberaturum, in qua ipsi se veluti mortuos spectabant. Denique pro ruina, ac perniciosa re: *epulcrum patens est guttur eorum*: peccatorum os quasi apertum sepulcrum est, e quo non nisi corrupta, & impura verba prodeunt, quæ mortem afferunt.

Sepulcrum concupiscentiæ, locus in Deserto, ubi iratus Deus Israelitas querelarum, & oblocutionum reos terribili plaga puniit. Locus hic medius erat inter ea loca duo, quæ *Incendium*, & *Hazeroth* nuncupabant. *Numer. cap.* XII.

Sepulcrum Deboræ *planctuum quercus*, sub qua sepulta Debora, Rebeccæ nutrix. Sepulcrum hoc situm erat ad radices Montis Bethel in Tribu Beniamin. *Genes.* XXXV. 8.

Sepulcrum Rachel, locus, in quo Rachel sepulta fuit, ad viam, quæ Ephratam per Tribuum Beniamin, & Juda fines ducebat. Ibi Saul obvios habuit homines duos, e quibus patris asinas inventas audiit: *Genes.* XXXV. 19.

Sepultura. Judæi de mortuis sepeliendis se valde sollicitos exhibebant, dedecorique ducebant sepultura privari. Erat etiam apud eos charitatis officium, sepulturæ defunctos dare, quemadmodum in Tobia nos sacra Scriptura docet: *Mortuis sepulturam sollicitus exhibebat*. Ac Deum per Prophetas peccatoribus minatum legimus fore, ut honore sepulturæ destituerentur. In hunc modum Jeremias Dei nomine Regibus, Sacerdotibus, & pseudo-Prophetis, Idola colentibus minitatur, se eorum ossa e sepulcris extracturum, & tamquam stercus per terræ superficiem sparsurum: *Ejicient ossa Regum Juda . . . . de sepulcris suis, & expandent ea ad solem . . . non colligentur, & non sepelientur in sterquilinium; super faciem terræ erunt*. Idem Propheta futurum prædixit, ut Joakim Rex Juda, qui se in genus omne sceleris immergebat, instar asini sepeliretur, & in cloacam projiceretur: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Jerusalem*. Nullus aderat mortuorum sepulturæ addictus locus, sepulcrorum pleraque in saxis, ut jam diximus, excisa erant; alia in Urbibus, in agris, in viis, in hortis alia. Sepulturæ Regum Juda excisæ erant sub Templi monte, quemadmodum innuit Ezechiel, dum ait, non amplius deinceps fore, ut Regum cadavera sanctum montem polluant: *Et non pollucnt ultra Domus Israel montem sanctum meum, in fornicationibus suis, & in ruinis Regum suorum, & in excelsis*. Sepultura, quam Joseph ab Arimathæa sibimet ipsi paraverat, & in quam Divini Servatoris corpus receptum voluit, in ejus horto sita erat. Saul sub arbore sepultus fuit; & Moses, Aaron, Eleazarus, Josue in montibus sepulturæ dati. Statim ac quispiam obierat, consanguinei, & amici, ut dolorem ex ejus jactura perceptum significarent, vestes ipsi sibi scindebant, pectus percutiebant, & cinere caput sibi aspergebant. Funebrem pompam comitabatur tibiarum sonus, & fœminarum planctus, quæ in id mercede conductæ, penes Romanos *Preficæ* dicebantur. Divitum corpora balsamo condiebantur, & fascibus involvebantur. Hac de causa Christus cum Lazarum a morte excitasset, eum solvi jussit: *Solvite eum, & sinite abire*.

Ser, *arx*, una e munitis Urbibus Tribus Nephtali, eadem, quæ Assedim, etsi Vulgata Versio, punctorum suorum causa, Urbes duas ex Assedim-Ser conficere videatur;

deatur; at cum sacra Scriptura novendecim tantum Urbes enumeret in Tribu Nephtali, probabile st hoc duplici nomine designari unam, eamdemque Urbem, quæ ad ejus Tribus occidentales fines sita erat. *Jos. cap.* XIX.

Seraphim, *comburens*, Angeli chori primi in cælesti Hierarchia, quos Isaias Propheta supra divini Numinis solium exhibet: *Seraphim stabant super illud*. Iis alæ sex erant, quarum duabus suam, ipsi faciem velabant, duabus pedes tegebant, reliquis duabus volabant; vicissim clamabant, ajebantque: Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus, armorum Deus; terra universa cumulata est ejus gloria: *Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus*. Isai. cap. 1. 8.

Serefer, Thesauri Princeps, unus e præcipuis Nabuchodonosor Regis Ministris, cui thesaurorum custodia, ut probabile fit ex ipso nomine, demandara erat: *Serefer, Nabmag, & omnes reliqui Principes Regis Babylonis. Jerem.* XXXIX.

Sergius Paulus, Proconsul, & Procurator Romanorum in Insula Cypro, quem S. Paulus ad fidem pertraxit. Huic Proconsuli, prudenti viro aderat Magus quidam, cui nomen *Barjesu*, qui nihil non agebat, ut ejus institutionem impediret: *Resistebat autem illis Elymas, quærens avertere Proconsulem a fide*; at cum eum Paulus excæcasset, prodigium admiratus Proconsul, ab idolorum cultu recessit, & Christi fidem amplexus est.

Seron, *doloris Princeps*, Antiochi Epiphanis supremus Dux, qui Apollonii copias profligatas audiens, præclaram se occasionem nactum credidit, ut Judæ Machabæi, ejusque asseclarum clade se illustrem redderet. Ergo ingenti exercitu stipatus, Judæam, ad superiorem usque Betheron Urbem, invasit; Judas porro, cui non nisi exigua militum manus aderat, ei tamen occurrit. Hostium formidando aspectu territi milites, jejunio præsertim fracti, paucique animos despondere, ac de obluctatione penitus desperare; *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus jejunio hodie?* At eos Judas elacri animo esse jussit, monitos volens, victoriam a Deo pendere, quam ipse parvo æque ac magno numero conferre poterat: *Non est differentia in conspectu Dei Cæli liberare in multis, & in paucis*. His dictis, in hostes irruit, quos fudit, profligavitque; ac tercentis occisis, reliquos in Philistæorum regionem insecutus est, I. *Machab. cap.* III.

Seror, *nexus*, atavus Cis, patris Saulis: *Erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror*. I. Reg. cap. IX.

Serpens, veneficum animal, humi repens, omniumque terrestrium animalium, quæ sacræ Scripturæ locutio est, callidissimum: *Sed & Serpens erat callidior cunctis animalibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus*. Animal hoc, qua est agilitate, se facile ingerit, & per expressam imaginem periculosas ejus, qui antiquus Serpens dicitur, aggressiones, & subdolas illecebras exhibet, nempe Dæmonis, qui ut fæminarum primam deciperet, Serpentem elegit, quo velut instrumento usus, obtinuit, ut eam ad violanda Dei jussa pertraheret. Tum Deus Serpenti maledixit in hæc verba: *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Ei præterea prædixit fore, ut eum Mulier, & universum genus humanum execrarentur, persequerentur, & ad necem quærerent, eo pariter, quantum in ipso erit, iis nocendi, eorumque calcaneum mordendi occasionem quærente: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*. Maledictionis hujus obvius, primusque sensus profecto Serpentem spectat, quo tamquam suæ fraudis instrumento Diabolus usus erat; at eadem execratio quoad altiorem significationem Dæmonem afficit, qui damnationis pondus, ac vim omnino subiturus erat. Nimirum Deus minitatus est fore, ut in omnia sæcula genus humanum Dæmonem execraretur; & quoniam, prima decepta fæmina, se id assecutum jactabat, ut omni spe destituti homines ad unum omnes perirent; ut ejus nequitiem reprimeret, promisit Deus,

aliam

aliam se fœminam suscitaturum, quæ ejus aggressionibus obluctata, filium pareret, benedictæ stirpis caput, quæ in maledictam mendacis Spiritus progeniem immissa, ejus imperium everteret, deleretque.

Serpens æneus. Israelitæ longis per Desertum itineribus, malisque defatigati, quæ necessitas secum trahebat, obstrepuerunt, & cum Mose conquesti sunt, qui eos fame extinguendos ex Ægypto eduxisset. Deus iniquis ejusmodi querimoniis exacerbatus, serpentes in eos immisit, quorum morsus, ignis instar, urebat: *Misit Dominus in populum ignitos serpentes*. Tum vero omnes ad Mosem confugientes, erroremque fatentes obsecrarunt, ut præsens remedium exposceret, obtineretque. Oravit Moses, eique præscripsit Deus, ut æneum Serpentem conficeret, & hastæ imponeret, eum certum esse jubens, fore, ut quicumque eumdem aspiceret, dubio procul sospes esset, incolumisque: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; & qui percussus adspexerit, vivet*. Eum Moses condidit; atque Israelitæ Serpentem, ligno impositum spectantes in pristinam valetudinem restituebantur, non ob id sane, quod suismet oculis intuebantur, sed ob omnium Servatorem, cujus Serpens figura erat, inquit sacra Scriptura: *Non hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem*. Christus ipse admirandam figuram hanc ad Crucem accommodat: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in Deserto, ita exaltavi oportet filium hominis*. Urentes Deserti Serpentes imago Dæmonum erant, qui nos lethali vulnere suis veneficis morsibus affecerunt. Ut ergo sanaremur, necesse fuit Christum Dominum, quin peccator esset, peccatorum naturam, & peccati similitudinem sumere, quemadmodum Serpens æneus externam veri serpentis figuram præferebat, quin ei tamen venenum inesset; eumdemque Christum oportuit in Crucem tolli, ut iis omnibus præsentissimo remedio esset, qui eum vivida, ferventique fide spectarent, omnemque salutis spem in eo uno ponerent: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Porro æneus Serpens apud Israelitas ad ipsa Ezechiæ tempora servatus fuit, tamquam pretiosum monumentum, quod iis insigne miraculum in Majorum suorum gratiam editum in animum revocabat. At cum grati animi sensus, quem is aspectus excitabat, in superstitiosum cultum abiisset, qui ad figuram ipsam referebatur; sapienter proinde religiosus Princeps suum esse credidit, eam lapsus occasionem populo, cui præerat, adimere, idoloque ipsi, ne quando repararetur, in frusta redacto, Nohestan nomen in derisionem imposuit: *Confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus adolebant ei incensum*. Ita in Christiana Ecclesia per insignem, prudentemque sollicitudinem abrogantur nonnunquam & rejiciuntur externa quædam, quæ pio primum arbitratu, bonisque de causis inducta, progressu temporis plerisque Fidelium perniciosa evaserunt. Jam vero in ejusmodi consuetudinibus retinendis animum obfirmare, ridendæ sane temeritatis est, cum charitate pugnantis, quæ postulat, ut, quicquid ei Religionis rationi, quam Christus instituit, consentaneum non est, & petra scandali quoad maximam Christianorum partem evasit, funditus, ac penitus recidatur. *Legatur Articulus* Nohestan *in hoc Dictionario, loco suo*.

Diabolus sæpe venit in sacris Litteris Serpentis nomine: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo super Leviathan Serpentem vectem*: tum Dominus veniet, furoris sui ense districto, Leviatham, monstruosum Serpentem, Diabolum scilicet, punitutus. Nomine hoc ipso perniciosum, ac perditum genus hominum designatur: *Serpentes, genimina viperarum*. Ita Christus Dominus Pharisæos nuncupat, qui populum per hypocrisim decipiebant, virtutem simulantes, cum reapse ad omnem improbitatem facti essent.

Servus; nomen a *servare* dictum, quia scilicet qui in captivitatem trahebantur, servari solebant; ac primo quidem hac significatione sumitur in sacris Litteris: *Chanaan servus servorum erit fratrum suorum*; quod sane tum contigit, cum Chananæi posterorum Sem, & Japhet vectigales, servique evaserunt. Servorum genus duplex penes Judæos erat; alii quidem empti, vel in bello capti; alii vero paupertate, vel ære alieno pressi se ipsi.

ipsi vendebant. Posteriorum servitus ad Jubilæum annum solummodo perdurabat; cum enim is anous advenisset, in libertatem redire poterant, quin heris liceret refragari: *Anno Jubilæo egredietur cum liberis suis*. Quod si ultro penes heros consistere statuerent, in conspectum Judicium ducebantur, quibus edicebant, se Legis privilegio cedere; tum vero iis auris subula perforabatur; quo signo notati non amplius libertatem, quam altero Jubilæo anno recuperare poterant: *Perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in seculum*. II. Nomen hoc ipsum significat famulum, Ministrum, eum, qui aliquo officio, ac munere fungitur: *Voluit rationem ponere cum servis suis*; atque hoc in seosu S. Paulus, cæterique Ministri Christi Domini dicuntur ejusdem servi: *Paulus servus Jesu Christi*. III. Servus eum significat, qui alicujus servitio addictus est, quemadmodum etiam quicumque in Veteri, ac Nova Lege id profitentur, ut nempe Deo serviant, eumque colant: *Memineris testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, Isaac, & Jacob servos suos*.

Sesac, *gemma vasis*, Ægypti Rex, quem Deus in Judæam accivit, justique suas io Roboam, & popolum vindictas exequi, quorum extrema impietas eius furorem accenderat. Princeps hic, cum innumero stipatus exercitu Judæam invasisset, regionem omoem armorom suorum terrore perfudit, brevique captis omnibus munitis Urbibus, Hierosolymam versus progressus est, io quam se Roboam cum Aulicorum præcipuis receperat. Obsidionem parabat Ægypti Rex, cum Deus, populi precibus, lacrymisque permotus, qui miserationem efflagitabat, optatum auxilium afferens, eum hostium manu perire passus non est. Eumdem tamen non liberavit omnino, sed Ægyptio Regi subesse voluit, tu intelligeret, quam longum latumque discrimen inter servitium Deo, ac terrarum Regibus præstitum interesset: *Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis Regni terrarum*. Sesac ergo satis habuit Hierosolymam ingredi, e qua discessit, cum Templi, Ædisque Regiæ thesauros sibi sumpsisset; quos ipsos, atque adeo clypeos aureos, quos Salomon perficiendos curaverat, asportavit. III. *Reg. cap.* XI.

Sesach, *linum*. Jeremias hoc nomine Babylonem designat: *Rex Sesach bibet post eos*: Babylonis Rex post cæteros omnes Divinæ indignationis calicem bibet; erit & ipse calamitatum particeps, quas Deus populis minitatur. Propheta porro id nominis Babyloni tribuit, vel Idoli causa, quod Babylonenses colebant, vel per ænygma quoddam, ut sentit S. Hieronymus, qui Jeremiam ita locutam contendit prudentiæ causa, ne Nabuchodonosor Regem, qui Hierosolymam obsidebat, exasperaret.

Sesai, *linum*, homo quidam e stirpe Gigantum, filius Enac, qui Hebron incolebat; unde eum cum fratribus Abiman, & Tholmai expulit Caleb: *Delevitque ex ea tres filios Enac, Sesai, Ahiman, & Tholmai*. Jos. XV.

Seth, *positus*, tertius ex Adæ, & Hevæ filiis, qui an. Muod. 130. natus est, & hoc appellatus nomine, quia Deus eum genitoribus dedit in locum Abel, quem Cain occiderat: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*. Ei 159. annum agenti natus est filius Enos nomine; cumque 912. annos vixisset, occubuit. A Seth extitit Sanctorum progenies, filiorum Dei, quemadmodum sacra Scriptura vocat, ut eos opponat posteris Cain, qui veram Religionem deseruerunt: *Seth, & Sem apud omnes gloriam adepti sunt*; quia scilicet Seth quidem post Adam patrem, & Sem post Noe, fuere ambo justorum hominum quasi stirps, qui ex iis prodierunt. Plures de hoc sancto Patriarcha venditatæ fabulæ. Josephus de ejus potissimum filiis loquitur, qui Astrologiæ scientia præstiterunt, insculpseruntque columnis duabus, fictili uni, lapideæ alteri, quicquid cognitionis in hoc genere comparaverant, ita quidem a Diluvii furore servandum, quod prævidebant. At cum hæc omnis Josephi narratio nec sacræ Scripturæ auctoritate, nec ullius Auctoris fide nitatur, incertior proinde est, quam ot nos ei subscribamus. Fuere nonnulli Hæretici Sethiani dicti, qui Seth esse Christum garriebant, eumdemque Patriarcham, cum obiisset, rursus mira quadam ratione apparuisse insignitum Christi nomine contendebant. *Genes.* V. 8.

Se-

Sethim, pretiosi ligni genus, quo usus Moses, ut Arcam, Altaria, tabulam, Tabernaculum ipsum, aliaque multa eodem spectantia construeret. Existit lignum hoc in Arabiæ Desertis, albamque spinam colore, & foliis exhibet; at arbor ingenti magnitudine est, ex eaque tabulæ longa maximæ conficiuntur. Interpretes Septuaginta Hebraicum vocabulum *Sethim* incorrupti ligni generali nomine designarunt. In *Numeris*.

Setim, *spina*, locus in regione Moab, ultra Jordanem, in conspectu Jericho: *Morabatur eo tempore Israel in Setim*. Ibi se Israelitæ cum Moabitis fœminis conjunxerunt, obtuleruntque incensum Idolo Beelphegor; quamobrem Deus, eorum viginti quatuor millia perire voluit. Ex hoc ipso loco Josue exploratores misit, qui Urbem Jericho expenderent. Ibi denique Balaam Israelitarum exercitui benedixit, quamvis Balac Moabitarum Rex vehementer instaret, ut male diceret: *Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balac Rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam ut cognosceres justitias Domini*. Locus hic idem est, atque Abelsetim. *Num.* XXXIII. *Exod.* XXV.

Serrai, *judex*, e Saron in Tribu Ephraim a Davide obtinuit, ut ejus armentis omnibus, quibus planities Saron pabulum suppeditabat, præficeretur: *Armentis, quæ pascebantur in Saron, præfectus est Serrai Saronites*. I. Paralip. cap. XXVII.

Sextarius, liquidarum rerum mensura, quæ fere vulgarem ciathum continet, ac prope decimam congii partem conficit: *statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius*.

* Sextertius *masculino genere Hebraicum nummum significat, qui libram exæquat. Octo sextertii Hebraicam argenti dracmam, seu libras octo reddunt; sextertii sex siclum, seu libras sex; quadringenti sextertii minam argenti, minas, vero Hebraicas argenti dracmas viginti quinque; centum dracmæ atticæ quingentos obulos Hebraicos, sextentos Atticos. Mille sextertii efficiunt sextertium neutro genere, quod vulgaribus ducatis centum respondet. Viginti quatuor sextertia, neutro scilicet genere, argenteum talentum atticum conficiunt, quod bis mille quadringentis ducatis par est. Quadraginta octo sextertia, neutro genere, Hebraicum talentum argenteum; ducenta sexaginta octo sextertia, neutro genere, talentum Hebraicum aureum; eadem ducenta sexaginta octo sextertia, neutro genere, talentum atticum aureum efficiunt*. Legatur Tirinus de antiquis ponderibus, & mensuris.

Siba, *Miles*, Saulis servus; cui David id officii demandavit, ut Miphibosеth filii Jonathæ curam ageret, ejus bona administraret, eorumque redditum quotannis Hierosolymam ad eum afferret. Siba per annos quatuordecim accurate suo munere functus est; at cum David Hierosolyma egredi coactus est, ut se Ablalonis furori subduceret, perfidus Æconomus occasione usus est, ut bonis Miphiboseth potiretur. Se Davidi sistit cum annona, quam eidem in asseclarum gratiam obtulit, ita quidem callide Principis animum occupans, quippe qui se ejus rebus addictum, ac de iis, quibus opus erat, pro ut ei placuisset, antevertendis sollicitum exhiberet. Cum ex eo Rex, ubinam esset Miphiboseth, quæsiisset, proditor cavens, ne, quod inierat, accusandi heri consilium palam fieret, simplicitatem simulans, quæ veritatis speciem obduxit accusationi, respondit: *Remansit in Jerusalem, dicens: hodie restituet mihi domus Israel Regnum patris mei*. David se decipi passus est, nec de calumniæ spiritu suspicatus, qui Sibæ sermonem instruebat, proscripta heri bona omnia eidem contulit, inquiens: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth*. Post Absalonis cladem, Sibà Regem adiit, filiabus quindecim, servisque viginti comitantibus, ut ei ad Jordanis transitum præsto esset. Advenit etiam Miphiboseth lugubri veste, quem David, adhuc animo impressa Sibæ calumnia, his verbis increpuit: *Quare non venisti mecum, Miphiboseth?* Incusavit ille servum, a quo neglectus, domique relictus, atque adeo apud eum accusatus fuerat; edixitque, se Davidis, ut Angeli Dei sapientiam, studiumque justitiæ, ut par erat, veretem, suas res omnes, suamque sortem in ejus manibus ponere: *Tu autem, Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es; fac, quod placitum est tibi*. David, etsi de Miphiboseth innocentia, Sibæque per-

perfidia dubitare non posset, negotium expendere noluit; nec decere putans discussionem suscipi, quæ fene calumniatori noxia fuisset, interpellatum Miphiboseth paterna bona cum Siba partiri jussit: *Quid ultra loqueris? Fixum est, quod locutus sum; tu, & Siba dividite possessiones*. Adeo evelli non potuere primo impressa sensa; adeoque fit admodum raro, ut vel optimi Principes, cum vilis impostoris subdolis verbis aures præbuerint, malum omnino reparent, quod damnanda credulitate patrarunt. Transgressi legitimæ auctoritatis fines, innocentia vexanda, cujus de eadam auctoritate sollicitudo crimini vertebatur, adeo se infirmos exhibent, ut hanc ipsam auctoritatem se læsuros putent, siquidem ingenue prædicent, sa calumniæ, ac perfidiæ occasionem dedissa; &, cum Assuaro fateantur, persæpe nequequam homines abuti bonitate Principis, & id assequi, ut bonos, detrita contra jus fasque fama, calumniis obruant, opprimantque, cate irrepentes in ejus animum, quem integritas natura indita de aliis male sentire prohibet: *Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt, ut omnium laude digni sint, mendaciorum cunniculis conentur subvertere, dum aures Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes callida fraude decipiunt*. II. Reg. cap. IX.

Sicarius, *homicida*, *latro*, ita dictus a *sica*, pugione. *Nonne tu es Ægyptius, qui eduxisti in Desertum quatuor millia virorum sicariorum?* Ubi *sicariorum* nomen homicidas, proditores, latrones significat. Ita in Actis. Ægyptius hic Prophetem simulans, initio quidem sibi latronum turmam addidit, quæ ita deinceps excrevit, ut hominum triginta millia complecteretur; quibus ille in Desertum ductis futurum promisit, ut, se vix loquente, Hierosolymæ Urbis mænia prolaberentur. Præses Felix, de te monitus, militas misit, qui miseros homines partim fuderunt, profligaruntque, partim in captivitatem traxerunt.

Siceleg, *mensura*, Urbs Tribus Juda, quam Josue tradidir Tribui Simeon: *In medio possessionis filiorum Juda .... Siceleg*. Ejus deinde potitus est Achis, Rex Geth, a quo Davidi in refugium data, cum a Saule fugeret, in Regum Juda ditionem rediit: *Dedit ei Achis in die illa Siceleg, propter quam causam secuta est Siceleg Regnum Juda*. Eam Amalecitæ, cum David abesset, vastarunt, incenderuntque. II. *Reg. cap.* IV.

Sicera, Hebreica vox, quæ significat, quicquid ebrietatem afferre potest: *Vinum, & siceram non bibes*: scilicet eorum nihil bibet, quorum vi ebrii fieri homines solent. Hæc nimirum Nazaræorum Lex erat.

Sichar, eadem, ac *Sichem*, Samariæ Urbs, quam Hebræi Sichat corrupto nomine nuncupabant: *Venit ergo in Urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar*. Apud hanc Urbem puteus erat dictus fons Jacob, ad quem Christus constitit, & Samaritanam fœminam fida imbuit. *Joan.* IV. 5.

Sichem, *humerus*, filius Hemor, Sichimitarum Princeps, Dinam, quam curiositas ad quoddam eorum festum traxerat, subito, vehementique amore captus rapuit, violavitque: *Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius adamavit eam*. Sibi deinda conjugem a Jacob, ejusque filiis petitam obtinult, ee conditione, ut ipse, ac Sichimitæ omnes circuncisioni se subderent. Ita quidem Dinæ fratres vindictæ, quam in animo habebant, inhumanum consilium tegere studuerunt, usique sunt hec religionis cæremonia, ut illud exequerentur; ergo die tertia, qua vulnus acerbius erat, nec Sichimitæ se defendere poterant, Simeon, & Levi Urbem ingressi, unoque crimine tot innocentibus involutis, omnes masculos interfecerunt. Eos, expleta vindicta, non puduit avaritiæ satis facere, vastata Urbe, raptisque fœminis, & filiis, quos captivos traxerunt. Atque ita Deus scelestis eorum manibus usus est, ut in Sichimitas delinquantes decretum, quod in Chananæos omnes pronuntiaverat, in antecessum exequeretur. Filii Jacob dubio procul execrandum delictum patrarunt, qui propria auctoritate vindictam sumpserunt; at delictum hoc ad Dei consilia spectavit, cujus oculis Sichimitæ libertate, ac vita indigni erant. *Genes.* XXXIV.

Sichem, Samariæ Urbs, quæ nomen a Sichem filio Hemor sumpsisse creditur, Sita

Sita erat in monte Ephraim in ejusdem nominis Tribu, una e Refugii Urbibus. In eam Josue populum universum accivit, cui bona, quibus a Deo cumulatus fuerat, & fœderis amplitudinem, quod cum ipso inierat, ob oculos poneret. Post ejus mortem, ossa Joseph, quæ ex Ægypto allata fuerant, sepulta fuerunt in agro Urbi proximo, quæ Jacob ab Hemor emerat. Eamdem Urbem primo everterunt hujus Patriarchæ filii, tum Abimelech, qui eam sale sparsit. Eam deinde Jeroboam reparavit, sibique sedem statuit. Eadem tandem Metropolis evasit Regni Israel post Samariæ excidium, quod Salmanasar intulerat. Circum hanc Urbem fratres Joseph patris armenta pascebant: *Cum fratres illius in pascendis gregibus morarentur in Sichem.*

Siclus, nummi genus, quo omnium primo homines usi creduntur, quippe qui in usu fuerit Abrahæ temporibus: *Respondit-que Ephron, Domine mi, audi me, terra, quam postulas, quadringentis siclis valet.* Nummus idem in sacris Litteris dicitur *stater*, *&* *argenteus*.

Siclus etiam pondus erat, quod semunciæ respondebat: *Protulit vir inaures appendentes siclos duos, & armillas totidem, pondo siclorum decem.* Nonnulli sibi sunt imaginati duplicem siclum, profanum unum, & vulgarem, in usu commercii positum, qui Dracmas duas, alterum ad Sanctuarium spectantem, qui Dracmas quatuor æquabat. Per hunc duplicem siclum sibi videntur difficultates nonnullas solvere, quæ occurrunt in sacris litteris, ubi de quibusdam rebus sermo, quarum pretium supra omnem fidem est; ut cum Absalonis capilli, quoties tondebantur, ducentorum siclorum pondus æquasse dicuntur: *Et quando tondebat Absalon capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries), ponderabat capillos capitis ducentis siclis pondere publico.* Verum alii contendunt discrimen hoc fictitium esse, & hanc nominis varietatem in eo tantum positam fuisse, quod exemplar sicli tamquam siclorum, qui commercio inserviebant, regula in Sanctuario custodiretur. Ad Absalonis capillos quod attinet, quorum pondus omnino ducentorum siclorum erat, si capilli, qui capiti inerant, ex iis ponderentur, qui tondebantur, cum de siclo Babylonico agatur, qui duplici tertia parte levior est Hebraico, universum pondus paulo majus est unciis triginta, quod insitatum non est. Auctor, qui Regum libros ex veteribus monumentis condidit, sub Babylonicæ Captivitatis finem vivebat, quo tempore Judæi non nisi pondus Babylonicum agnoscebant. *Levit. cap.* XXVII. II. *Reg. cap.* XIV.

Sicio, *restrictio*, Urbs Peloponesi, metropolis Regni ejusdem nominis, ad cujus incolas Consul Lucius fœderis exemplum misit, quod Romani cum Judæis inierant: *In Mydnum, & in Sicionem.* I. *Machab.* cap. XV.

Siden, *venatio*, Pamphyliæ Urbs in Asia minore, ad quam Romanus Senatus in Judæorum gratiam scripsit: *In Coo, & in Sidin.* I. Machab. XV.

Sidon, *venatio*, primogenitus Chanaan, qui creditur esse conditor antiquissime Urbis Sidon, Phæniciæ metropolis: *Chanaan autem genuit Sidonem.* Genes. X. 15.

Sidon, Urbs maritima Phæniciæ, quæ Terræ promissæ ad septemtrionem fines statuebat. Sita est ad Mare Mediterraneum in pulcherrima planitie, diei itinere procul a Jordanis fonte. De hac Urbe sæpe in sacris Litteris mentio fit. Spectabat Sidon ad Tribum Aser, cujus tamen filii Chananæos non expulerunt, sed secum vivere passi sunt. Urbs hæc, quæ idololatriam, & vitiorum genus omne fovebat, quam proxima, tam funesta Israelitis fuit, qui sæpe Sidoniorum impietatem imitati sunt. Hi populi fruentes amænitate cœli, & ob aptum portum dominio maris gaudentes, omnibus amplissimi commercii commodis affluebant, & se in delicias immergebant, quæ fere opulentiam consequuntur. Eos Prophetæ increpebant, quod Tyri populos, & Judæos luxu fœdassent: *Onus Tyri* (ita Isaias) . . . . *tenete, qui habitatis in Insula. Negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te.* Et Ezechiel; *Ecce ego ad te, Sidon, & glorificabor in medio tui . . . . & immittam ei pestilentiam, & sanguinem in platea ejus, & non erit ultra Domus Israel offendiculum amaritudinis.* Urbs hæc erat Tyro proxima; easque proinde sacra Scriptura sæpe coniunctim exprimit: *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ*

factæ fuot in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent: Si miracula, quæ Bethsaide, & Corozaim edita fuerunt, in Urbibus quoque Tyro, ac Sidone edita fuissent, pœnitentiam jampridem egissent. At, inquiet aliquis, cur iis Evangelium per miracula nuntiatum non est? Respondet S. Augustinus, Tyrios, & Sidonios ex Prædestinatorum numero non fuisse; & S. Hieronymus, Dei judicia ignota esse.

Sidrach, mamma, Chaldaicum nomen, quod Ananiæ, uni e Danielis sociis impositum fuit: *Imposuit eis Præpositus: Eunuchorum nomina, Daniel Baltassar, Ananiæ Sidrach*. Daniel. 1.

Signum, id nempe, quod aliquid indicat; ita Dominus dedit Iridem Noe, tamquam sui fœderis signum: *Hoc signum fœderis, quod do inter me, & vos . . . . arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram*. Posuit etiam Deus signum in ipso Cain, ne quis eum interficeret: *Posuit Deus signum in Cain, ut non interficeret omnis eum, qui invenisset eum*. Pro miraculo *signum* ponitur: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet*. Isaias his verbis voluit fidem facere Regi Achaz, futurum prædicens, ut Davidis familia, cujus excidium videbatur evitari non posse, nequaquam everteretur, quoniam Deus promiserat fore, ut subsisteret, ac sceptro poriretur, quoad Messias, ex ea nasciturus, in lucem prodiret. Significat etiam vexillum, pallium: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum*: Radix Jesse ob omnium populorum oculos tamquam vexillum quoddam ponetur. Ejusmodi vexillum est Christus in Crucem actus, qui omnes ad se populos trahit. Significat etiam finem: *Positus est in signum, cui contradicetur*: Christus finis erit contradictionis hominum; quod acerrimam persecutionem innuit, quam Christus ab impiis passurus erat. Præterea planetam, signum cæleste significat: *Et delevit eos, qui adolebant incensum . . . . Duodecim signis, & omni militiæ Cœli*. Denique *signum* pro sigillo sumitur, multisque aliis notissimis significationibus, a quibus referendis super sedemus.

Sihor, tumultus, Urbs in occidentali parte Tribus Aser; itemque alia in Tribu Juda, quæ, ut a prima distinguatur, Sihor Ægypti nuncupatur. A Sihor Ægypti ad ingressum Emath, David Israelitas omnes acciros voluit, ut Arcam comitarentur, quam e Cariathiarim reducebat: *Congregavit David cunctum Israel a Sehor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath*. Urbs hæc cum Nilo confundi non debet, qui & & ipso Hebraico sermone Sihor dicitur; quamquam aliter scribitur. *Josue* XIX.

Silas, qui considerat, seu Silvanus, unus e fratrum præcipuis; præcipuis; quod argumento est, eum fuisse e septuaginta Discipulorum numero: *Tum placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis . . . . Judam . . . . & Silam viros primos in fratribus*. Electus Silas cum Juda fuit, ut ambo Antiochia Hierosolymam se conferrent, de servandis Legalibus cæremoniis Apostolos consulturi. Silas se addixit S. Paulo, eumque secutus est, dum Syriæ, & Ciliciæ Ecclesias inviseret, unde ambo in Macedoniam profecti sunt. Virgis cum Apostolo cæsus fuit, Philippensis Magistratus jussu, ante quam accusabantur, quod novos mores ii repugnantes, quos Romani servabant, in Urbem inducere vellent; ejusdemque S. Pauli persecutionum, ac sollicitudinum particeps fuit. De eo creditur Apostolus loqui in posteriore ad Corinthios Epistola: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*. Actor. XV. 22.

Silentium. Vocabulum hoc, præter communem significationem, pro quiete etiam, ac tranquillitate penes Hebræos, usurpatur: *Obsecramus . . . . ut cum silentio operantes, suum panem manducent*; ubi *silentii* nomen quietem, pacem, tranquillitatemque significat. Sumitur etiam pro secessu, ac sejunctione a cœtu, communique societate: *In diebus silentii mei*: Esther splendidas vestes, recessus sui tempore, non gestabat. Significat quoque excidium: *Quia Dominus Deus noster silere nos fecit*: nempe Deus nos evertit, & perdidit, nulla relicta spe. Denique sumitur pro patientia: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*.

Silo, *pacificus*, Urbs supra montem condita in Tribu Ephraim ad septentrionem Bethel, eventis multis in sacris Litteris celeberrima. In eam quippe Josue populum convocavit, ut Terram promissam in singulas Tribus divideret; in ea positum fuit Tabernaculum Domini, cum Israelitæ in hac regione sibi domicilium statuissent: *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum testimonii*. Quamobrem hæc Urbs Domus Dei dicta est. Arca, & Tabernaculum ibi constiterunt, quoad Philistæi Urbe potiti sunt, Summi Pontificis Heli tempore, scilicet ab 2569. ad 2888. Ibi festa celebrabantur, Deoque sacrificia offerebantur: *Ecce solemnitas Domini est in Silo*.

Siloe, *missus*, fons ad mœnia Jerusalem, qui rivum efficiebat, cujus aqua per aquæductum in Urbem excurrebat, ex qua piscina, quæ eadem ac Bethsedæ, seu Bethsaidæ piscina fuisse creditur. De hoc fonte Isaias loquitur, ejusque aquas suaviter, ac sine murmure fluxisse testatur: *Pro eo quod objecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio . . . . Ecce Dominus accedet super eos aquas fluminis fortes, & multas*. Probabile est, hunc fontem eumdem esse, ac fontem Roge, qui legitur in Josue: *Et pervenit ad fontem Roge*; quique, ut Siloe, ad ortum, & ad mœnia Jerusalem excurrebat. Ad piscinam, seu aquæductum turris erat, quæ cecidit, & homines interfecit: *Sicut & illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe*. Ad hujus fontis aquas cæcum natum misit Christus Dominus: *Vade, lava in natatoria Siloe*. Luc. cap. XIII.

Siloni, qui moratur, e posteris Phares, cujus filii a captivitate reversi Hierosolymæ constiterunt: *Et de filiis Siloni*. Nonnulli *Siloni* nomen a *Silo* derivant. I. *Paralip*. IX.

Simeon, *qui exauditur*, alter filiorum Jacob, & Liæ: *Rursum concepit, & peperit filium, & ait: quoniam audivit me Dominus haberi contemptui; dedit etiam istum mihi; vocavitque nomen ejus Simeon*. Eum Lia Simeonem vocavit, quia Dominus eam exaudierat. Erat Simeon Dinæ uterinus frater, & cum Levi primas egit in crudeli clade, qua filii Jacob injuriam sorori illatam ulti sunt. Horrorem Jacob testatus, est quem ei execrandum facinus afferebat, eosque acriter increpuit, qui eum, omnemque familiam in ejus regionis populorum odium, & indignationem conjecissent: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea*. Sanctus Patriarcha ad mortem usque tantæ crudelitatis memoriam servavit, ejusque horrorem ex ejus animo nullum unquam tempus delere potuit. Fuit Simeon eorum unus, quos Jacob, annonæ quærendæ causa, in Ægyptum misit; eumque Joseph obsidem detinuit, quoad cæteri fratres fratres Beniamin adduxissent. De causa non convenit, quæ Joseph impulerit, ut ea severitate cum Simeone uteretur; atque eorum conjectura, qui id propterea factum contendunt, quod in ejus mortem Simeon cæterorum vehementissime conspirasset, probari non potest, non modo quia nullum ejus fundamentum occurrit in sacris Litteris, verum etiam quia huic Patriarchæ vindictæ causam tribuit, quæ charitati adversari videtur. Jacob moriturus Levi, & Simeonis furori maledixit, suam tum quoque longe maximam indignationem professus ob vim, quam Sichimitis intulerant: *Simeon, & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia . . . . . . in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum . . . . maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura; dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel*. Et sane Tribus hæ duæ, Simeon, & Levi per Israeliticum populum dispersæ fuere. Deus vero, quoad Tribum Levi, maledictionem hanc in benedictionem tavit, ob religionis singulare studium, quod hujus Tribus filii exhibuerunt, ut injuriam per aurei vituli cultum Deo irrogatam ulciscerentur; ac siquidem dispersi fuerunt, id in honorem fuit, quippe qui propterea de Altari viverent, quod Altari deservirent. Ad Simeonem quod attinet, ejus portio non nisi angulus fuit e Tribu Juda decerptus, quodque ipsi sibi Simeonitæ in montibus Seir, & in Deserto Goder acquisierunt: *Hæc est hæreditas filio-*

filiorum Simeon juxta cognationes suas, in possessione, & funiculo filiorum Juda, quia major erat: & idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum. Simeoni fuere filii quinque, Jamin, Ahod, Jachim, Johar, & Saul, quorum posteri trecentos armis idoneos viros supra quinquaginta novem millia confirebant, cum ex Ægypto egressi sunt; at eorum viginti duo millia tantum, ac tercenti Terram promissam subierunt, cum cæteri . querimoniarum & oblocutionum causa, in Deserto periissent. Judith in prece, quam ob populi sui liberationem ad Deum fudit, hæc verba protulit: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in cognatione sua, & denudaverunt femur Virginis in confessionem*. Hæc sancta Vidua sollicitudinem tantum commendat, quam Simeon exhibuit, sorori illatum dedecus ulcisceretur; non tamen probare videtur, quicquid flagitiosi in iis occurrit, quæ Simeonis facinus circumsteterunt. *Gen. cap.* XXIX. *Numer. cap.* VI.

Simeon, Mathatiæ Machabæorum patris atavus, e Sacerdotum stirpe, & e posteris Phinees: *Surrexit Mathatias filius Joannis, filii Simeonis*. Hujus nominis alter fuit ex eorum numero, qui post captivitatem conjuges, quod alienigenæ essent, repudiarunt. *Machab. lib.* I. *cap.* II.

Simeon, vir justus, Deique timens, qui Hierosolymis, Redemptorem Israel expectans, vivebat; eumque Spiritus Sanctus certum reddiderat fore, ut non ante moreretur, quam eum vidisset: *Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*. Fere semper in Templo degebat, eoque Spiritus Sanctus eum duxit, quo tempore Joseph, & Maria Christum præsentarunt, ut Legi parerent, Tum vero Senex, puerum in ulnas excipiens, Deo gratias egit, gratum testatus animum mirabili Cantico, quod gratiarum actionis excellens exemplar est. Simeon deinde patri, ac matri benedixit, & Mariæ quidem futurum prædixit, ut infans contradictioni subesset, ipsa vero omnium ejus perpessionum acerbitatem, vimque sentiret: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Id unum de hoc sancto Viro traditur in Evangelio; quod autem prætereà additur, nullo satis firmo fundamento nititur. Legitur etiam in sacris Litteris Simeon filius Juda, & pater Levi, unus e Christi Proavis. *Luc. cap.* II.

Simeron, seu *Semron*, *custodia*, quartus filiorum Issachar: *Filii Issachar Thola, & Phuca, Jasub, & Simeron*. Genes. XLVI. I. *Paralip.* VI.

Simmaa, *qui audit*, tertius filiorum Isai, & Davidis frater, qui Jonathan, & Jonadab pater fuit. Ejusdem quod nominis filium David ex Bethsabea suscepit. II. *Reg.* XIII.

Simon per contractionem ex nomine *Simeon*. Hujus nominis viri plures in sacris Litteris commemorantur.

Simon I. Judæorum Pontifex, cui *justi* nomen ob pietatem inditum, filius erat Oniæ I. cui an. Mund. 3702. in Pontificatu successit. Spiritus Sanctus per os Jesu filii Sirach magnificum hujus Judæorum Pontificis elogium texit. Is nempe Hierosolymitanum Templum, excidium minitans reparavit, duplici muro circumdedit, & per canales in illud aquam induxit, qua victimæ tergerentur: *Simon Oniæ Sacerdos Magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit Templum*. Pontifex hic moriens unicum florenti ætate filium, Oniam dictum reliquit, cui utpote juniori, quam Pontificiam potestatem obire posset, ea non ante frui licuit, quam eadem ejus loco functis Eleazaro ipsius patruo, & Manasse propatruo. Simon II. nepos primi, successit Oniæ patri an. Mund. 3795. Eo Pontifice contigit Ptolomæi Philopatoris Hierosolymam adventus, qui, cum singularia dona Templo obtulisset, in ejus intimam partem ingredi voluit, adeoque in Sanctum Sanctorum pedem inferre, quo unus Pontifex, semel in anno, nempe solemni Expiationis die ingredi poterat. At Pontifex sacrilego facinori vehementer obstitit, Regi ob oculos posita tum loci sanctitate, tum expressa Dei Lege, quæ eum aditu prohibebat. Ptolomæus in consilio pertinax progredi non desistebat; cum Deus im-

impium Principem ultricem manum extendit, ejusque profanationem puniit, quem viribus, omnique motu, ac sensu spoliatum humi prostravit. Auctores nonnulli Spiritus Sancti Elogium, quod ad Simonem I. relatum est, Simoni II. tribuunt. I. Eccles. LI.

Simon Machabæus, Mathatiæ filius, cognomento Thasi, Judæorum & Princeps, & Pontifex fuit ab an. Mund. 3860. ad 3869. Eum pater morti proximus cæteris fratribus commendavit, utpote qui eo consilio vir esset, ut eos tamquam pater regere posset: *Ecce Simon frater vester. Scio, quod vir consilii est; ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater.* Sane plura fortitudinis specimina Simon exhibuit, Juda, & Jonatha fratribus rerum potientibus. Cum enim a Juda, tribus hominum millibus stipatus, in Galilæam missus esset, ut ejus Provinciæ Judæis contra Tyri, Sidonis, & Ptolemaidis incolas opem ferret, non semel hostes subegit, ac triumphans, ingentique præda onustus ad fratres rediit. Apollonium profligavit, conjunctis cum Jonatha viribus; quo a Triphone detento, Hierosolymam profectus est, ut populum certum redderet, eam detentionem ad formidinem tantum incutiendam spectare. Ad eum itaque eximium sermonem habuit, in quo sane se prodit animus Religioni, & patriæ summopere addictus, a terrenis rebus abductus, in eoque consilio firmus, ut, fratrum exemplo, vocationi suæ satisfaciat, ad mortem usque pro Dei gloria, populique salute dimicans: *Vos scitis, quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro Sanctis prælia, & angustias quales vidimus. Horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, & relictus sum ego solus . . . . . Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis; non enim melior sum fratribus meis. Vindicabo itaque gentem meam; & Sancta, natos quoque nostros, & Uxores; quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos, inimicitiæ causa.* Hæc heroico animo digna sensa universum populum ad alacritatem, ac fortitudinem erexerunt, qui nullum digniorem videns, qui publicis negotiis præesset, Simonem unanimi consensu eligerunt: *Et responderunt voce magna, dicentes: Tu es Dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui; pugna prælium nostrum, & omnia, quæ dixeris nobis, faciemus.* Hac animorum consensione, Nationis pater effectus Simon, singulari regiminis æquitate, satis ostendit huic electioni Deum præfuisse. Primum omnium omnes milites convocavit, mænia, & Arces Hierosolymæ sedulo reparavit, atque in Triphonem, qui ingentem exercitum in Regionem Juda ducebat, se firmo committendi prælii animo comparavit. At eum Legati a Triphone missi monuerunt, non alia de causa Jonatham detineri, nisi quod nonnullas summas Regi deberet; quod si talenta centum, duosque Jonathæ filios obsides mitteret voluisset, certo fore, ut pater in libertatem restitueretur. Etsi perfidi hominis calliditatem, ac fraudem Simon perspiceret, se tamen in diram necessitatem conjectum sensit, ut Nepotes duos Proditoris arbitrio traderet, ne, si postulatis refragatus esset, in eum populus patris mortem rejiceret. Sane contigit, quod providerat. Haud sane Jonatham remisit Triphon; qui sua in Hierosolymam consilia a Simone disjecta inique ferens, ac præter modum exacerbatus, patre, ejusque filiis duobus proditis, perditisque, pedem in patriam retulit. Simon quæsita fratris ossa, honorifice in Modin sepelienda curavit in Majorum suorum Sepulcro, cui columnas, pyramides, trophæa ornamenti loco addi jussit. Tum animum ad Judææ reparandas arces, & in hostium impetum muniendas applicuit. Legatos deinde ad Demetrium misit, qui Antiocho juniori, quem Triphon occiderat, in Syriæ Regno successerat, eumque rogavit, ut Judæam in pristinam immunitatem restitueret, atque a vectigalibus liberaret. Demetrius plus concessit, quam petebatur; Judæam a Syrorum jugo solvit, Judæisque munitas arces reliquit, quos ab omni prorsus onere exemit; itaque hoc anno res gestæ in acta publica referri cæptæ: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israel, & cæpit populus Israel scribere in tabulis, & gestis publicis, anno primo sub Simone Summo Sacerdote,*

Magno

Magno Duce, *& Principe Judæorum*. Anno post, quam libertas Judæis reddita, Syri ex Arce Jerusalem, quam ex longo jam tempore occupabant, exierunt; eamque prius purgatam non sine cæremonia ingressus Simon, in ejusdem receptæ memoriam solemne Festum instituit. Eo deinde studium, & operam contulit, ut populo, cui præerat, felicitatem afferret. Per eum ubique rerum omnium affluentia, lætitia, securitas, pax. Dedit operam, ut agricultura floreret, iis patrocinatus est, qui terram colebant; pauperibus præsto fuit, injustitiam sustulit, divini cultus puritatem restituit, perfecitque, ut divinæ Leges custodirentur. Ejus omnis deinceps administratio felicissimi regiminis imaginem, & exemplar exhibet: *Fecit pacem super terram*, *& lætatus est Israel lætitia magna*, *& sedit unusquisque sub vite sua*, *& sub ficulnea sua*, *& non erat*, *qui eos terreret*, *& confirmavit omnes humiles populi sui*, *& legem exquisivit*, *& abstulit omnem iniquum*, *& malum*. Fœdus, quod Lacedæmones, & Romani cum ejus fratribus jam inierant, renovavit, & ad Romanos quidem aureum clypeum per Mummium misit, qui singulari grati animi significatione receptus fuit. Judæi porro, ut, insignem Ducem quanti facerent, testarentur, publico monumento in acta relato, quantum Simoni, omnique ejus familiæ deberent, posterorum memoriæ commendatum voluerunt; Principis universæ Nationis dignitate in omne tempus eidem servata; qua tum ipse, tum ejus posteri semper gauderent, quoad inter eos fidelis Pontifex prodiisset; quæ sane postrema verba Messiæ Regnum a Judæis expectatum innuunt: *Judæi*, *& Sacerdotes eorum consenserunt*, *eum esse Ducem suum*, *& Summum Sacerdotem in æternum*, *donec surgat Propheta fidelis*. Enuntiatio hæc æneæ tabulæ inscripta, quæ in Templi atrio posita; ejusque exemplum in Simonis, ejusque filiorum gratiam thesauro additum. Hæc porro in Simonis domum, quæ erat e Tribu Levi, Pontificiæ dignitatis translatio videtur prima fronte celebrem lædere prophetiam Jacob, qui futurum prædixit, ut Tribus Juda non ante sceptrum amitteret, quam is adveniret, qui mittendus erat. Verum animadvertendum venit, eo sane tempore Judaici populi, penes quem regiminis auctoritas erat, præcipuam partem e Judæ posteris constitisse; eumdemque populum, cum omnem publicam potestatem in Simonem contulit, nihil aliud egisse, quam suo jure usum esse. Ita Tribus Juda sceptro se non spoliavit; sed illud in Simonis, ejusque successorum manibus posuit, ut cum Christi toties promissi spe sub eorum dominio viveret. Jam Antiocho Sideti Syriæ Regi proponenti, ut in Triphonis usurpatoris excidium Judaicæ copiæ cum suis jungerentur, assensus est Summus Pontifex Simon, ea conditione, ut Rex a suis decessoribus concessa Judæis privilegia firmaret. Nihil non promisit Antiochus, multoque plus, quam Simon poscebat; at cum sine ejus auxilio se agere posse credidit, nulli conventionis articulo stetit, atque adeo Simonem adigere voluit, ut sibi oppida plura redderet, quæ ad se spectare putabat, aut argenti talenta mille in eorum locum persolveret. Haud satis arridente Simonis responso, legatum suum Cendebæum valido exercitu instructum misit, qui Judæam depopularetur. Simon, quem provecta ætas copias ducere non sinebat, Joannem, & Judam filios cum hominum viginti millibus misit, ut Syros opprimerent. Strenui bellatores obsecuti, subacto Cendebæo, fusisque ejus copiis, triumphum agentes in Judæam redierunt. Triennio post Simon, quicquid supererat virium, in publicum bonum conferens, operam dabat, ut sibi subditas Urbes lustraret, & in ordinem restitueret. Cum ergo ad Oppidum Doch pervenisset, quod ejus gener Ptolomæus incolebat; ad ambitionem factus homo, qui dominium affectabat, quique eos perdendi, qui ejus fortunæ progressum retardare poterant, execrandum consilium animo jampridem fovebat, se tum quidem occasionem nactum credidit; itaque, neglectis conscientiæ stimulis, quicquid sceleris ingrato, perfido, crudeli animo inesse potest, per monstrosam feritatem amplexus, Simonem, ejusque filios duos, socerum scilicet, & nepotes in prandio, quod iis paraverat, inhumaniter occisos voluit. Ita Insignis Princeps per inhumani generi pro-

proditionem e vivis ereptus est, dum in dies magis per ejus bellicam virtutem, ac sapientiam Judaici populi tum libertas, tum Religio firmaretur. At eum, qui, fratres pro virili æmulatus, Deo, ac populo deservierat, eamdem fortunam experiri par erat; ad quam quidem cum jampridem alte animo impressa vehemens Mathatiæ morientis ad filios cohortatio paraverat: *Nunc ergo, filii, æmulatores estote Legis, date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum*. Legantur I. & II. Libri Machabæorum,

Simon e Tribu Beniamin, Præfectus excubiis Templi ægre ferens Oniam Pontificem suis iniquis consiliis obsistere, Religionem, ac Patriam turpiter prodidit, ut vindictæ suæ satisfaceret: *Simon autem de Tribu Beniamin, præpositus Templi constitutus, contendebat, obsistente sibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in Civitate moliri*. Ergo perfidus homo sacrum Templum, cujus custodiæ præerat, profanationi, ac vastationi, falsa nuntians, exposuit. Nimirum Seleucbum Regem monitum voluit, inesse Thesauro Templi immensam pecuniæ vim, quæ sacrificiorum impensis addicta non erat, quaque ipse facile potiri poterat. Id audiens Rex, qui suam in sanctum locum observantiam haud vulgaribus donis hactenus testatus erat, Ministrorum suorum principem Heliodorum Hierosolymam missum, quicquid pecuniæ comperisset, asportare jussit. Ita Dominici Templi violandi sacrilegum consilium ab eo ipso inspiratum est, qui veram Religionem profitebatur, quemque adigebat officii ratio, ut ejusdem Templi dignitatem, ac propugnationem suæ ipsius vitæ præferret. At quoties filiorum suorum, ac ministrorum ambitione, avaritia, perfidia se Christi Domini Ecclesia dilaceratam vidit? Legatur II. *Machabæorum liber*.

Simon Cyrenæus, pater Alexandri, & Rufi, erat ex Urbe Cyren in Lybia. Calvarium conscendente Christo, impositæque Crucis ponderi succumbente, prætereuntem Simonem coegere milites eamdem cum ipso ferre: *Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus*. Sacra Scriptura de hoc Simone nihil præterea; quem nonnulli ethnicum, populique Idolis addicti, qui ad Evangelium vocandus, & Christi Crucem laturus erat, imaginem fuisse contendunt. At cum Judæi plures in Lybia degerent, e cujus Urbe Cyrene Simon erat, ac præterea Simon ipse, S. Matthæo teste, veniret e prædio Hierosolymæ proximo; credibile admodum est, ex Urbe Hierosolyma eumdem fuisse. *Matth.* XXVII. *Marc.* XV.

Simon Cananæus, seu *zelotes*, Christi Domini Apostolus erat. Haud satis in comperto est, utrum Cananæi nomen Canæ incolam, an vero zelotem significet. Nec minus latet, quid huic cognomini causam præbuerit; itane a singulari de Christo sollicitudine, an a peculiari, e qua esset, hominum religionis studio præstantium secta dictus fuerit. Neque vero quæ fuerit ejus vitæ ratio, ubinam Evangelium nuntiaverit, quo genere mortis obierit, certo constat; cum alii in Ægyptum, alii in Persidem profectum velint; at solidum fundamentum neutri sententiæ suppetit. *Luc.* VI. *Actor.* I.

Simon, Christi frater, germanus nempe, Cleophæ, & Mariæ, B. Virginis sororis filius, & S. Jacobi Minoris, Joseph, & S. Judæ frater erat: *Nonne hic est Fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Et fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?* Is nimirum est, qui alibi Simeon dicitur. Domini Discipulus fuit, electusque post Jacobi fratris mortem Hierosolymorum Episcopus. Grassante Judæorum in Romanos bello, Pellam ultra Jordanem cum cæteris Fidelibus se recepisse, & Hierosolymam tum solum, cum capta esset, rediisse creditur. Tum vero Christi Ecclesiæ splendor accessit, eamque crebra miracula insignierunt. Cum Trajanus eos diligenter inquisitos voluisset, qui e Davidis stirpe prodiisse dicebantur; Simeon ad Atticum Palæstinæ Præfectum ductus fuit, qui diu discruciatum tandem in crucem agi jussit, annos natum centum viginti, e quibus in Ecclesiæ regimine quinquaginta transegerat. *Marc.* VI.

Simon erat etiam Pharisæi cujusdam nomen,

men, cujus mensæ Christus accubuit. Ipsius convivii tempore, quædam ex Urbe Muliet, ob absonam vitæ rationem nota, atrium ingressa, unguenti vas in Christi Domini pedes effudit, quos, dum capillis detersit, lacrymis irrigavit. Id videns Simon sibi persuasit, Christum Prophetam non esse, quippe qui se tangi a fæmina, quæ peccatrix erat, pateretur: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* At eum Christus, cujus animi sensa noverat, ex ipsius ore damnavit: *recte judicasti;* pervicitque, se longe majore beneficio ab ea fæmina, quam ab ipso affectum fuisse; tum se ad eam vertens, de remissis peccatis certam esse jussit, & pace donatam dimisit. *Luc.* VII.

Simon leprosus, qui Bethaniæ versabatur, Christum, & ipse domum recepit; & Lazarus, quem Christus paulo ante a morte excitaverat e discumbentibus unus erat, cujus soror Martha de iis, quibus ad convivium opus erat, se sollicitam exhibebat; Maria vero allatum unguenti vas in Christi pedes effudit. Simon hic a Pharisæo alius est, itemque Maria cum peccatrice confundi non debet. Simonis etiam nomine notus fuit Judæ proditoris pater, nempe Simon Coriarius, apud quem S. Petrus, cum advenientem Cornelium suscepit, versabatur, & Simon *Niger*, unus ex Antiochenæ Ecclesiæ Prophetis, qui SS. Paulo, & Barnabæ manus imposuerunt, ut officium, cui a Spiritu Sancto addicebantur, obirent. Hunc nonnulli eumdem ac Cyrenæum esse opinantur; at iis non alia suppetit ratio, quam nominis similitudo. *Matt.* XXVI. *Marc.* XIV. *Joan.* XI.

Simon magus, e vico Gitton in Samaria, fascinationibus, & præstigiis populum seducebat, & magnæ Dei virtutis nomen sibi arrogabat: *Vir quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in Civitate Magus, seducens gentem Samariæ, dicens, se esse aliquid magnum.* Cum Philippus Diaconus, Evangelii nuntiandi causa, in eam Urbem se contulisset, miraculis, quæ patrabat, in summam admirationem pertractus Simon baptismum petiit, obtinuitque. At cum aliquanto post Apostoli Baptizatis manus imposituri venissent, Simon fideles, qui Spiritum Sanctum accipiebant, variis linguis loquentes audiens, quin eas didicissent, & miracula patrantes videns, pecuniam obtulit, qua sua & ipse dona communicandi emeret. Tunc indignatos Petrus ei, ejusque pecuniæ maledixit; quippe qui donum Dei emi posse credidisset: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Post Apostolorum discessum, Simon in gravissimos errores prolapsus est, sibique proselytos nonnullos addidit. Relicta Samaria, provincias non paucas peragravit, quas impietate, quam secum afferebat, infecit. Præstigiis multos ad se trahebat; & Romæ potissimum, ad quam Urbem ante S. Petrum pervenit, magnam nominis celebritatem adeptus est. Eum Romani Deum habuerunt, eidemque Senatus ipse in Tiberis Insula statuam erexit his verbis inscriptam: SIMONI DEO SANCTO. Negant id sane multi emunctæ naris, & critices periti viri, qui potius eam statuam *Semoni Sancho*, quod Numen erat apud Romanos cultum, dicatam fuisse contendunt. * Utcumque tamen sentiendum sit, hujus nebulonis illusiones, ac technæ Romanorum civium oculos perstrinxerunt, & in errorem traxerunt. Quamquam brevis deceptio fuit; cum enim paulo post S. Petrus in eam Urbem venisset, edito prodigio, Simonis omnem existimationem evertit. Se Magus Dei filium jactabat, & hoc quidem titulo se posse in Cælum ascendere garriebat. Id Neroni promisit, & quadam die coram innumera populi multitudine, quæ ad ejusmodi spectaculum convenerat, perfecit, ut a Dæmonibus duobus igneo currui impositus per aerem efferretur. At Dæmonis vis Divinæ virtuti cessit; ad Petri, & Pauli preces, Simon, qui ad certam quamdam altitudinem pervenerat, humi procubuit, fractisque cruribus jacuit. Ergo pudore suffusus, ac furore percitus se statim ex edito solario, quo elatus fuerat, præcipitem egit, periitque sub Æræ vulgaris annum 65. ** Magus execrandos errores præstigiis addidit. Nullum turpidinis genus verabat, vetus Testamentum rejiciebat, Resurrectionem negabat, se Messiam dictitabat, suamque Concubinam, Helenam nomine, Spiritum Sanctum haberi volebat. Auctor fuit Hæreticorum sectæ, qui

qui Simoniani dicti impia magistri principia adoptaverant; nullisque non flagitiis se polluebant. Quamvis autem specie tenus Christianam Religionem profiterentur, re tamen ipsa suis in Cætibus turpissimæ idololatriæ addicti erant, & in vitiorum genus omne se ingurgitabant. S. Paulus passim in suis Epistolis eos ita quoad vitæ rationem execrandos, ut sententiis perniciosos exhibet. *Actor. cap.* VIII.

* *S. Justinus Martyr omnium primus de Simonis statua locutus est in Apologia* II. *quam ad Imperatores, Senatum, Populumque Romanum scripsit; en ejus verba*: Nam apud vos, ut diximus, in Regia Urbe Roma, sub Claudio Cæsare, Simon fuit, qui Sacrum Senatum, populumque Romanum eo stuporis perduxit, ut Deus haberetur, & statua, ut alii Dii, quos colitis, cohonestaretur. Quo circa ut Sacer Senatus, populusque Romanus una nobiscum postulata hæc nostra cognoscant, petimus; ut si quis inter eos doctrinis illius detinetur, vero cognito, errorem valeat effugere (*καὶ τὸν ἀνδριάντα, εἰ βούλεσθε καθαιρήσατε*) ac, si videtur, statuam illam dejicite.

Ad S. Justini auctoritatem quod attinet, equidem haud possum, quia eruditissimo, & critices peritissimo Viro Tillemontio *subscribam, cujus diligentiæ, qua* (*Tom.* II. *in* Simone *Adnot.* II.) *ejusmodi narrationis veritatem a nonnullorum cavillis egregie tuetur, nihil pôto vel addi, vel detrahi posse. Nihilominus quoniam in Eruditorum mentibus scrupulus superest, an S. Martyr Simonem Sanchum, in veteribus basibus frequentissimum cum Simone Samaritano confuderit; dabo operam, ut dubitationem hanc, si minus certa demonstratione, firma saltem conjectura disjiciam.*

S. Augustinus *in lib. de Heresibus scriptum reliquit, Simonem Magum curasse, ut simulacra non sibi solum erigerentur, sed etiam turpissimæ Concubinæ, quam Tyri sibi sumptam, quocumque pergeret, secum ducebat, & ab assectis suis Minervæ specie cultam volebat, ut docet* S. Epiphanius *Hæresi* XXI. *cap.* 3. *additque, impostorem credulis hominibus persuasisse, Concubinam ipsam Helenam nomine eam esse, quæ Trojani belli causa fuit. Videtur ergo Simon ea ipsa arte, qua usus est, ut divinum cultum Concubinæ suæ vindicaret, operam dedisse, ut sibimet ipsi divinos honores acquireret. Et sane quemadmodum rude vulgus, audito Helenæ nomine, facile sibi persuasit, eam esse, quam Græci tantopere celebraverant; ita penes idem vulgus haud ægre obtineri potuit, ut ob nominis affinitatem Simon magus venditaretur is ipse Deus, cui nomen erat* Semoni Sango. *Atque id etiam ex eorum temporum conditione deduci potest, quibus Imperatores, aliique insignes Viri profanorum Numinum nominibus ab assentatoribus exornabantur; quemadmodum Imperatrices fere Dearum nomen ipsæ sibi tribuebant; qua de re legi potest* Fabrettius *de Col. Trajana p.* 247. *Quod si id a Græcis fieret, ejus Dei nomini νέος, seu νέα,* novus, *seu* nova *addebatur. Consuetudinis hujus exempla occurrunt in animadversionibus ad nummos maxime magnitudinis eruditi Viri* Phil. Psonarot, *& apud alios. Quamobrem si* Simonis Magi *statuæ addita fuisset græca inscriptio, hoc fortasse fuisset ejus exordium*: ΣΗΜΩΝΙ ΝΕΩ &c. Semoni Novo &c.

Tantum ergo abest, ut Semoni Sancho *erectæ statuæ historiæ hujus veritatem lædant* (*quam cæteroquin præter* S. Justinum, S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus *tuentur*), *ut potius ex disseminato cultu Semonis Sanchi, per conjecturam quidem, detegamus artem, cujus ope Simon Magus persuadere potuerit, ut sibi simulacra erigerentur.*

** *Ad Simonis Magi volatum quod attinet, omnes seculi quarti Scriptores, ac deinceps, consentiunt, tametsi tribus prioribus seculis nemo unus hac de re distinctis verbis locutus fuerit. Hinc orta inter eruditos nostrorum temporum criticos Viros non parvi momenti controversia, opinantibus aliis, id pro vero habendum non esse, utpote ex apocryphis monumentis desumptum; aliis vero, iisque paucioribus (in quorum tamen numero merito sunt Tillemontius, & Abbas* Fleury, *quibus certe singularis doctrinæ, ac perspicacia laudem nemo negaverit) id ipsum veritati consonum judicantibus. Inter hos media via incedit Cotelerius, judicium suspendens; ac si verum fatetur, neque in negantem, neque in affirmantem partem pendet. Nos interim referemus, quicquid super* hac

hac quæstione clarissimus Auctor animadvertit, addemusque, quid ex ejus animadversionibus inferri possit. Is ergo ad Clementinarum Constitutionum lib. VI. cap. IX. utriusque partis argumenta proponit, sed ita tamen, ut non nihil in negantem pendens videatur. En ejus verba: Quæres, quid sentiendum videatur de stupendo Simonis interitu? Ego præclaræ illius sententiæ memor,

Periculosum est credere, & non credere, nec assevero, neque pernego, sed iræ... plerumque. Cui cordi erunt hujusmodi miracula (sunt autem non paucis), habet in præsenti auctoritatem plurimorum, gravissimorumque utriusque Ecclesiæ Magistrorum.... Qui vero ad diffidentiam propendebit magis (quo morbo magna pars Eruditorum hodie jactatur), retardabitur ab assensu, partim narrationis origine e libris apocryphis, & pseudepigraphis; partim discrepantia referentium; partim silentio multorum, præsertimque Romanorum Pontificum, qui sua tacere non solent; partim ob adnotationem S. Augustini, scribentis ac Casulanum: *Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit, & consecuto tam prospero, gloriosoque successu, eumdem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ*. Certe obscuram valde, ac incertam Romæ fuisse eam famam innuit satis Liber Pontificalis, quum habeat dumtaxat in Petro (idque juxta quædam Exemplaria; alia enim iis carent): *Et dum diutius altercarentur, Simon divino nutu interemptus est. Hactenus Cotelerius, infinitæ lectionis Vir, nec sane minoris perspicaciæ.*

Nihilominus si res sedulo perpendatur, argumentum ab Auctorum, qui tribus primis Ecclesiæ sæculis floruere, petitum a Cotelerio non parum infirmatum videtur, dum ita locutus est: partim silentio multorum: *cum potius dicere debuisset*: partim Antiquorum omnium silentio; *quandoquidem ab eo tempore, ad quod ejusmodi narratio spectat, nempe a sæculo primo ad finem vergente, ad annum Æræ Christianæ 300. quicumque fuere Scriptores, eam silentio prætererunt. An vero credibile est, fieri potuisse, ut tot apologiarum, in Christianorum gratiam editarum Scriptores de tam insigni miraculo, quod publice in omnium oculis Romæ contigerat, conticescerent, siquidem illud iis notum fuisset, aut illud, si reapse contigisset, penitus ignorarent? Atqui hac de re siluit Tertullianus, siluit Irenæus, ambo cæteroquin in statua Simoni Mago dicata ejusque cæteris rebus gestis loquacissimi; siluit (quod sane majus est) S. Justinus Martyr, cujus multum intererat ea de re verba facere, ob caussam scilicet, quam agebat. Quidni? Ejus erat Romanis ostendere, scelesti impostoris statuam rejiciendam esse. An vero, ut id obtineret, graviore argumento uti poterat, quam si demonstrasset, S. Petri precibus factum esse, ut is nebulo præceps rueret, qui suis usus præstigiis volatum edere aggressus erat, ut sibi divinitatem inesse significaret. Cum autem hujus rei nullam prorsus mentionem fecerit, nonne luculenter ostendit, sibi quidem de Simonis Magi volatu nihil penitus innotuisse, vel ut apertius dicamus, quod res est, historiolam hanc S. Justini tempore nondum excogitatam fuisse?*

Addo & illud, utcumque negetur assensus negantibus argumentis, ex cæterorum in tanti momenti re Scriptorum silentio depromptis; dubio procul ex S. Justini silentio (cui quidem in hoc negotio nulla silendi causa, immo vero loquendi necessitas erat) conjici posse, perniciosum volantis Simonis consilium ei prorsus ignotum fuisse. Conveniat ergo de hac re tota; S. Justinus de Simonis volatu ignoraverit, quamvis id impune, qui contendere vellet, negare posset. Quid tum postea? An suspicabimur, id totum commentitium esse? Haud me quidem subibit suspicio hac. Poterant enim multa in causa esse, quamobrem S. Martyrem id lateret. Eo sane tempore sæviit persecutio, nec liberum Christianis erat in publica luce versari, quippe qui sub-

terraneis in locis, quaque Ethnicis ignota essent, vivere cogerentur. Praeterea si quid erat a Veteribus ante S. Justini tempora de Simonis volatu posterorum memoriae traditum; aut id monumenti alicubi delitescebat, aut ex Urbe Roma in alias regiones ab aliquo harum rerum studioso, ac perito delatum fuerat. His, & aliis de causis estne, quod miremur, S. Justinum natione extraneum, utpote in Palestina natum, id, quod Simoni contigerat, adeo Christianae Religioni contrario, dum suam pro Christianis Apologiam scriberet, nescisse? Id porro scire, Ecclesia pace gaudente, & Christianis libere versantibus, facile potuisset. Ac de S. Justini silentio satis; S. enim Irenaeum, aliosque, qui e S. Justino sumpserunt, siluisse nil mirum.

At quia multum refert, per annos omnino tercentos nullum de hoc volatu testimonium occurrere, idque gravissimae Christianorum Scriptorum oscitantiae, tantae scilicet, ut prope incredibilis videatur, tribuendum est; ut omnis proinde dubitatio super hujus narrationis veritate tollatur, nostrorum negligentiae opportunum subsidium, & opem afferet exterorum diligentia, suspicioni minus obnoxia. Satis nota sunt monumenta duo, unum quidem Dionis Chrysostomi, *qui altero Christiani nominis saeculo, Trajano imperante, floruit, alterum vero* Suetonii, *qui non modo Trajani, sed etiam Hadriani temporibus vixit; quae sane non, nisi de Simone Mago explicari possunt.*

Dio *Oratione* XXI. *cui titulus*, de pulcritudine, *cum de Neronis stultitia locutus esset, qui ea jubebat, quae fieri, aut esse omnino non poterant, haec subdit*: Hac vero parte maxime excellebat Nero; nec adeo illi quisquam de re ulla, quamcumque dixisset, contradicebat, aut impossibile, quod jussisset, esse affirmabat; ita ut etiam si quem forte volare jussisset, & ille id ei sponderet, & multo tempore intus apud eum in aula, tamquam volaturus, nutriretur. *Nemo non videt, his verbis non alium, quam Simonem describi. Nec locum habet exceptio Tillemontii (qui tamen Dionis verba ad Simonem Magum refert) subtiliter animadvertentis, Dionem referre, volatum promissum quidem, non autem executioni mandatum fuisse; Dio quippe hoc loco id unum sibi dicendum proposuerat, Neronem ea imperare consuevisse, quae omnem naturae vim superabant, & assentatores quidem non defuisse, qui ea ipsa eidem promitterent; quin idem Dio de referendis promissorum eventis sollicitus esset.*

Ceterum promissi exitum, de quo Dio locutus non est, attigit Suetonius *in vita Neronis cap.* XII. *paucis his verbis*: Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus (*Neronis*) *decidit, ipsumque cruore respersit. Neque omittendum, eum, qui volare aggressus est, Icarum non fuisse, sed ita nuncupatum, quia Icarum imitatus est, simulavitque.*

Jam vero ex hactenus dictis compertum fit, nihil obesse, quin narrationi de Simonis Magi volatu, lapsuque, quam a S. Justino, aliisque deinceps per tria priora saecula praetermissam profani quoque Scriptores innuunt, subscribamus.

Simonia, impium commercium, quod is init, qui temporalem rem aliquam pro spiritali dat, aut recipit. A sacrilego Simonis facinore, qui Spiritus Sancti conferendi potestatem emere voluit, Simonia nomen trahit; iique Simoniaci nuncupantur, qui sacrarum rerum mercaturam agunt. Primus in nova Lege Simon sanctarum rerum turpis negotiationis exemplum praebuit; neque vero anathema ab Apostolorum Principe pronuntiatum, multorum doctrina & sanctitate praestantium Virorum sollicitudo, tot Conciliorum sanctiones, Summorum Pontificum censurae, uno verbo quaecumque pro re nata fidelibus Ministris charitas inspiravit, consilia impedire potuerunt, quominus tetri mali contagio latius in dies serperet, & altas in Ecclesiae dedecus, ac perniciem radices ageret. At crassa haec, & in apertum scandalum effusa Simonia, quae temporali pretio beneficia, dignitates, officia fa-

facra vendit, non ea demum eft, quam potiffimum deploremus. Eft alia longe periculofior, quæ minus fenfus afficit, quippe quæ mollior, callidiorque, ac fpiritalis eft; videlicet in follicitationibus, in ambitionibus, in officiis pofita, in quam illud optime cadit: latet anguis in herba. Simonia hæc jam lariffime diffeminata, & quæ flocci facta fine fcrupulo apud omnes obtinet, non minus criminofa eft, ac digna, in quam omnia Ecclefiæ anathemata congerantur; qui enim, ut prudens, piufque Scriptor monet, ejufmodi rationibus utitur, ut Ecclefiæ munia obtineat, eadem profecto emit; is autem, qui temporalibus rebus, feu terrenis bonis movetur, ut ea conferat, aut conferenda curet, eadem fane vendit. Quicquid hominem facris minifteriis dignum non efficit, tamquam legitima collationis caufa a collatoribus fpectari non poteft. Id omne locum tenet pretii ab iis oblati, qui ea obtinent, & ab iis recepti, qui eadem conferunt, efficitque, ut utrique in Templo Dei vere ac proprie dicti emptores, & venditores habendi fint. *

* *Simonia triplicis omnino generis eft.* I. *Simonia* Realis *dicta, cum fcilicet quifpiam pecuniam, aut aliquid aliud pretio æftimabile, feu pecuniæ refpondens aut dat, aut accipit, ut fpiritalem rem, aut aliquid eidem adnexum conferat, vel obtineat.* II. Conventionalis, *fi quis nempe ftipuletur, fe pro temporali re fpiritalem daturum; quod fi ftipulationem fubfequatur effectus, Simonia* realis *eft, fi minus*, conventionalis, *fi denique conventio ab una tantum parte executioni mandata eft, mixta dicitur.* III. Mentalis, *cum fcilicet aliquid fpiritale confertur, temporale aliquid accipiendi animo; vel cum aliquis temporalem rem tribuit, ea mente ut fpiritalem recipiat, etfi nullum reciprocum pactum, feu ftipulatio interfuerit.*

Ea porro, quæ tribus his Simoniæ generibus materiæ loco effe poffunt, funt I. *nummus ipfe, qui alicui datur;* II. *Officia, quæ exhibentur;* III. *Alicujus auctoritate, ac poteftate præftantis preces, exiftimatio, favor, feu gratia; quibus quifpiam utitur, ut ab alio fpiritale bonum accipiat. Hæ fpiritalium rerum obtinendarum rationes a Theologis nuncupantur:* Munus a manu, a lingua, ab obfequio; *ut proinde mentalis fimoniæ reus fit, qui Beneficium ad alicujus preces, & follicitationem confert, aut precibus, & follicitationibus utitur, ut Beneficium obtineat, fiquidem preces, & follicitatio fint vera caufa, atque una ratio, quæ collatorem ad Beneficium conferendum determinet. Idem de eo fentiendum, qui alicui defervit, eo confilio, ut Beneficium ab eo confequatur.* S. Thomas 2. 2. q. 100. Jus Canonicum *Can.* 2. Extra de Simon.

Eft etiam Simonia confidentialis *dicta; quæ tum adeft, cum aliquis per refignationem, feu per collationem Beneficium obtinuit, ea conditione tacita, vel expreffa, ut illud aut ei, qui contulit, aut alteri reddat, eive fructuum partem tribuat. Eft etiam Simonia, cum Ordinarius, aliufve Collator Beneficium confert, quocumque modo vacet, ea conditione tacita, vel expreffa, ut is, cui illud contulit, eo fe in alterius a Collatore nominandi favorem fpoliet, vel ejufdem Beneficii fructuum partem perfonis a Collatore ipfo nominandis tribuat. Ita id explicat* Pius V. *in Bulla, quæ incipit*, Intolerabilis.

Realis, & conventionalis *Simoniæ pœnæ funt,* I. *excommunicatio major, Pontifici refervata, fi publica Simonia eft, & Epifcopo, fi occulta;* II. *Beneficii privatio, quod per Simoniam quifpiam obtinuit;* III. *inhabilitas ad alia poffidenda. Qui porro mentalem tantum Simoniam commiferunt, in has quidem pœnas non incidunt; haud minus tamen rei gravis peccati funt.*

Si Beneficium, quod Ecclefiafticus aliquis poffidet, per Simoniam, vel per alium acquifitum eft, ut fi filius per patris Simoniam Beneficio frueretur; ei acquifitus titulus nullus eft; ut proinde, cum primum in Simoniæ notitiam venerit, fe Beneficio abdicare debeat, fubiturus alioquin pœnas in Simoniacos

in-

inflictas. *Cæterum se per dispensationem redintegrandum curare potest; dummodo tamen Superior, seu prudens vir postulatam dispensationem Ecclesiæ necessariam, vel utilem judicaverit*.

Ad eos quod attinet, qui per Simoniam Ordinibus initiantur, *Toletanum octavum Concilium excommunicationi obnoxios vult, corporisque, & sanguinis Filii Dei participes fieri vetat*. Paulus II. *Summus Pontifex in hoc genus hominum omnes excommunicationes, suspensiones, interdicta, aliasque censuras renovat, quas ejus Decessores in Simoniacos hactenus pronuntiarunt, seu manifesta, seu occulta Simonia sit, & præterea quicumque per Simoniam initiati fuerint, eos omnes a susceptorum Ordinum officio suspensos edicit*; in cap. Cum detestabile de Simon. in Extravag. commun. *Hanc autem* Pauli II. *Bullam altera confirmavit a* Pio V. *edita, cujus initium*: Cum primum Apostolatus.

Sin, *cespes*, Arabiæ Desertum, Elim inter, & Sinai: *Profecti sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in Desertum Sin, quod est inter Elim, & Sinai*. In hoc Deserto Israelitæ Mosi oblocuti sunt, annonam deficere conquerentes; ad quos statim coturnicum ingentem vim, & postridie Manna Dominus misit. Hujus Deserti nomen per *Samech* effertur; & sacra Scriptura de alio Deserto loquitur, cujus nomen per *Tsade* scriptum est; quod & ipsum in Arabia, sed Mari Mortuo propius erat. In hoc posteriore aderat Cades, quæ tricesima secunda Israelitarum statio fuit; ubi aqua deficiens eos impulit, ut Mosi rursus obstreperent, qui Dei jussu petram percussit, e qua fons uberrimus prodiit, *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas .... & egressæ sunt aquæ largissimæ*. Ex hoc etiam Deserto Legati missi, qui promissam Terram explorarent; ibique tandem Maria Mosis soror occubuit. In his Desertis singulis erat Urbs, quæ sui Deserti nomen gerebat. *Exod.* XVI. & XVII. *Numer.* XIII. *Deuter.* XXXII.

Sina, seu *Sinai*, *nemus*, insignis Arabiæ Petrææ Mons, Israelitarum statio decima secunda, ubi per annum fere morati sunt, & ubi Lex indicta est tonitrua inter, & fulgura, quorum vi, ac fragore Mons omnis contremuit: *Totus autem Mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis*. Situs erat in quadam quasi Peninsula, a Maris rubri duobus veluti brachiis effecta, quorum unum est sinus, quem *Colsum* vocant, & ad boream vergit, alterum sinus Elaniticus, & ad Ortum protenditur. Hodie Montem hunc Arabes *Tor* nuncupant, nempe Montem per excellentiam, seu *Gibel Mousa*, Montem Mosis. Mons Oreb partem Montis Sinai conficiebat, ei ad occasum adjacens. *Exod.* XVIII. *Levit.* XXV.

Sinapis, herba, cujus semen dulciariis inservit, omnium sane seminum minimum; *quod minimum quidem est omnibus seminibus*. Itaque Christus in Evangelio pronuntiat, non nihil fidei, quæ sinapis granulo significatur, homini satis esse, ut Montes transferat: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*. At granum hoc idoneæ terræ mandatum in arborem magnam excrescit: *fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare*. Id in Palæstina potissimum cernitur, ubi plantæ multo, quam in cæteris regionibus, majores evadunt. Quamobrem Christus Cælorum Regnum, institutam scilicet Ecclesiam cum hoc granulo comparat, quia Religionis semine in ipso quidem exordio nil minus extitit; et cum Divina omnipotentia sub ea humili, abjectaque specie, quodam quasi velo tecta, lateret, ejus progressus splendidi, amplique fuere.

Sineen, *Sinæus*, octavus filiorum Chanaan, cujus posteri Desertum Sin incoluerunt. *Genes.* X. 16.

Sindo significat I. pannum: *Et accepto corpore, Joseph involvit illud Sindone munda*; II. tunicam, vestem lineam: *Dabo vobis triginta Sindones*: ita ad eos adolescentes Sampson, qui eum ad nuptias comitabantur. Denique Zonam etiam quamdam significat, qua sibi fœminæ caput obtegunt: *Sindonem fecit, & vendidit*. Hoc ornamenti genus a Sidoniis acceptum credi-

ditur, quorum nomen gerebat.

Sion, *excubiarum turris*, in Urbe Jerusalem celebris Mons, in quo Arx, quam David, Jebuæis expulsis, incoluit, & Davidis Urbem dictam voluit. Ibi Arcam deposuit, quoad poneretur in Templo, quod Salomon in Monte Moria, exiguorum montium uno, e quibus Mons Sion constat, ædificavit. Ob hanc causam locus hic ubique terrarum obsequio dignus habitus, & nomen Sion pro Templo, pro Urbe Jerusalem, pro Ecclesia, pro Cælo ipso in sacris Litteris positum. Psalmi potissimum referti sunt sancti hujus Montis laudibus, in quo suæ ipsius præsentiæ splendidiora, quam alibi, specimina Deus exhibebat: *Mons, in quo placitum est Deo habitare in eo*. Cum porro Sion Hierosolymæ præesset, hanc proinde Urbem sacra Scriptura filiam Sion nuncupat: *Noli timere, filia Sion*.

Sion, unum e nominibus Montis Hermon: *Ad Montem Sion, qui est & Hermon*. De hoc Monte loquitur David: *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*: Sacerdotum, & Levitarum societas, & animorum consensio æque grata, jucundaque ac ros est, qui in Hermon, & Sion decidit, contiguos Montes duos, qui unum, eumdemque conficiunt.

Sirach, *canticum fratris*, pater Jesu ex Urbe Jerusalem, a quo Canonicus liber editus est, qui inscribitur Ecclesiasticus: *Doctrinam sapientiæ, & disciplinæ scripsit in Codice isto Jesus filius Sirach, Hierosolymita*. Eccles. cap. L. 29.

Sis, *altitudo*, Mons, cujus declive pertransiiit Moabitarum, & Ammonitarum exercitus, quem Josaphat profligavit ad torrentis fines, qui Jeruel Desertum prospectat: *Cras descendetis contra eos; ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, & invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel*. I. Paralip. cap. XX.

Sisara, *equorum domitor*, supremus Dux exercitus Jabin Regis Asor; a quo in Barac, & Deboram missus est, qui super monte Thabor hominum centum millia coegerant. Sisara ergo suas omnes copias, & nongentos currus falcibus armatos ducens, ex Heroseth ad torrentem Cison se contulit. Tum Debora Barac hortata est, impulitque, ut progrederetur, & pugnam iniret; Dominum enim in ejus potestatem tradidisse Sisaram, eique præire: *Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram, principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua*. Itaque Barac instructis copiis e Monte descendit, eoque impetu in Sisaræ exercitum irruit, ut eum funderet, trucidaretque. Descendens e curru Sisara fugit pedes, ac tandem in tabernaculum Haber Cynæi se recepit. Lassum, ac defatigatum videns Jahel, uxor Haber, lacte refectum, cubare jussit, & pallio texit; at cum somnus Sisaram occupasset, Jahel in dormientis caput ingentem clavum defixit, cujus vim miser Dux vix sentiens periit: *Posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram; qui soporem morti consocians defecit; & mortuus est*. Judic. IV. & V.

Sistrum, ænei timpani genus, quod usui erat apud Ægyptios in sacrificiis, quæ Isidi offerebant. In balthei modum confectum erat, exiguis ex ære virgis utrinque ductis, quæ, moto, agitatoque sistro, acutum, intentumque sonum edebant. Hebræi quoque instrumento hoc utebantur; monetque sacra Scriptura, cum David, occiso Goliath, ab exercitu reverteretur, mulieres undique turmatim egressas, canentesque, & saltantes, timpana & sistra pulsasse: *Cum reverteretur, percusso Philisthæo, David, egressæ sunt mulieres de universis Urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul Regis in timpanis lætitiæ, & in sistris*. I. Lib. Reg. cap. XVIII.

Sivan, *spina*, Hebræorum mensis, anni sacri tertius, & civilis anni nonus. Partim Majo nostro, partim Junio respondet: *Erat autem tempus tertii mensis, qui appellabatur Sivan*.

Smyrna, *myrrha*, Urbs Asiæ minoris in Ægæo Mari cum elegantissimo portu: Christus Dominus in Apocalypsi per S. Joannem hujus Urbis Episcopo testatus est, se probe nosse, quam gravia perferret, qua paupertate premeretur, quibusque persecutionibus obnoxius esset ob eorum calumnias, qui e Satanæ Synagoga sunt; sed eum hortatur, ut ad mortem usque fide-

fidelis fit, eique vitæ coronam promittit: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam; sed dives es, & blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ; nihil horum timeas, quæ passurus es .... esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Angelus hic, seu Episcopus Smyrnæ S. Polycarpus esse vulgo creditur, qui a S. Joanne Smyrnensis Episcopus creatus fuit. *Apocalyp. cap.* II. *v.* 8.

Soba, *exercitus*; Syriæ regio, Terræ sanctæ ad septentrionem adjacens, cujus Rex Adatezer erat, quem David profligavit; *Percussit David Adarezer Regem Soba*. Quorsum pateret Sobæ Syria, non constat; haud alibi tamen, quam ad Cælesyriæ, & Libani septentrionales fines Antiochiam versus esse potuisse videtur. I. *Reg. cap.* VIII.

Sobab, *venditio*, Davidis, & Bethsabeæ filius: *Hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem*: Samia, Sobab, Nathan, Salomon. II. *Reg. cap.* v.

Sobach, *filum*, Dux exercitus Adatezer, qui, commisso cum Davide prælio, subactus, & lethali vulnere affectus fuit: *Sobach, principem militiæ percussit, qui statim mortuus est*. II. Reg. cap. x.

Sobachai, *tentorium*, ex Urbe Husathi, unus e strenuis viris in Davidis exercitu, qui in prælio Gazer inito gigantem Saph interfecit. *Tunc percussit Sobachai de Husathi Saph de stirpe Arepha*. II. *Reg.* cap. XXI.

Sobi, *requies*, filius Naas ex Urbe Rabath, qui una cum Berzellai ab Absalone fugienti Davidi occurrit, eique jentacula obtulit. II. *Reg. cap.* XXVII.

Sobna, *qui quiescit*, Præfectus, & Custos Thesauri Templi, eorum unus, quos Rex Ezechias misit; ut intelligeret, quid Rabsaces proponeret. Isaias in Sobnam hunc vaticinia protulit, eique futurum prædixit, ut a Deo ex Urbe Jerusalem efferretur, in latum agrum, ubi occumberet, projiceretur, ab officio removeretur, & in ejus locum Eliacim, Helciæ Pontificis filius sufficeretur: *Ecce Dominus exportari te faciet, sicut exportatur gallus gallinaceus .... coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam; ibi morieris .... & vocabo filium meum Eliacim filium Helciæ*. IV. *Reg.* XVIII.

Socho, *ramus*, Urbs Tribus Juda, ubi Philistæi castra posuerant, cum Goliath exercitum Israel provocavit. Erat Urbs alia ejusdem nominis in Tribu Ephraim, in qua Cisterna, quo profectus Saul, ut Samuelem quæreret: *Venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho*. I. Paralip. IV.

Sochoth, *tentoria*, prima Israelitarum statio, cum ex Ægypto egressi essent: *Profecti sunt filii Israel de Ramesse in Sochoth*. Inter torrentem Jaboc, & Jordanem locus erat, quem Jacob, cum e Mesopotamia rediret, Sochoth nuncupavit quia scilicet ibi domum ædificavit, & tentoria extulit: *Appellavitque nomen illius Sochoth, id est, tabernacula*. Ibi subsecutis temporibus condita Urbs, quæ Tribui Gad tributa fuit, & in qua Gedeon spinis obrui, & conteri jussit incolarum præcipuos, qui ei cibum sibi, suisque petenti arroganter responderant. In agro prope Sochoth Salomon æneum mare, ac Templi vasa cætera fundenda curavit: *Fudit ea Rex in argillosa terra Sochoth, & Sarthan*. Genes. XXIII. Exod. XII.

Sochot-Benoth, *puellarum tabernacula*, Idoli nomen, quod Babylonenses Samariam delati ipsi sibi confecerunt, cui cultum præstarent: *Unaquæque gens fabricata, est Deum suum .... Viri Babylonis fecerunt Sochot-Benoth*. Contendunt nonnulli, eum locum fuisse Veneri sacrum, in quo puellæ se in hujus turpis Numinis honorem semel in vita prostituebant. Exsecrandam hanc consuetudinem Babylonenses attulerant e patrio solo, ubi Veneri religiosus cultus exhibebatur. IV. *Reg.* XVII.

Sodi, *secretum meum*, Babylonis flumen, apud quod Baruch prophetias suas legit Judaico populo; qui in ea regione captivus detinebatur. Ubinam flumen hoc situm fuerint, ignoratur, nisi forte fuerit Euphrates ipse, quem Propheta *Sodi* de Zed, superbum, elevatum, ob amplitudinem scilicet, appellabat. *Numer.* XIII.

Sodoma, *secretum*, Palestinæ Urbs, Pentapoleos Metropolis, in jucunda, fertilique planitie sita, quæ in sacris Litteris cum Paradiso Terrestri comparatur: *Elevati*-

vatisque. Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisum Domini. Loth, cum ab Abraham se sejunxisset, sibi regionem hanc in domicilium elegit, & cum Sodomam se contulisset, ibidem constitit. At hujus infamis Urbis scelera cœlestia fulmina paulatim in ejus exitium traxerunt, quæ alias quoque proximas Urbes tres, quæ & ipsæ flagitiis involutæ erant, obstruerunt: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatur, & peccatum eorum aggravatum est nimis*. Sulphureum, igneumque imbrem demisit Deus, qui eas criminosas Urbes absumpsit, & cum bitumen, quo terra referta erat, flammam eodem tempore concepisset, adeo læta, & amæna regio in triste, visuque horrendum Desertum abiit, in quo Jordanis aquæ, ibidem expansæ lacum effecerunt, qui Mare Mortuum, seu Lacus Asphaltites dictus: *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de Cœlo, & subvertit Civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores Urbium & cuncta terræ virentia*. Josephi quoque tempore, conspiciebantur ad Lacum formidandi incendii funesta effecta, miseræque earum Urbium reliquiæ, quarum excidium, tamquam unum e formidandis Divinæ indignationis effectis, nobis in sacris Litteris exhiberur: *Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam, & Gomorrham, & facti estis, quasi torris raptus ab incendio*.

Sodomitæ, incolæ Sodomæ, quorum execranda flagitia æque nota, atque ultio gravissima, qua Deus ea puniit: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*. Ab iis turpissimæ impudicitiæ nomen, quod etiam peccatum contra naturam dicitur, cujus causa Deus Chananæos delevit, quodque indicta mortis pœna Moses prohibuit: *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur, sit sanguis eorum super eos*. Levit. cap. XXIV.

Sohar, albus, quintus e filiis Patriarchæ Simeon, qui etiam Zara nuncupatur. Genes. XLVI.

Sol, lucidum corpus, quod Deus in ipso Mundi exordio creavit, ut præesset diei, quemadmodum Lunam condidit, ut nocti præesset: *Fecitque Deus duo Luminaria magna, Luminare majus, ut præesset diei, & Luminare minus, ut præesset nocti*. Quod sacra Scriptura de hujus Planetæ creatione tradit ea simplicitate, quæ supremo Opifice digna est, cujus infinitæ virtuti æque omnia facillima sunt, id ipsum Psaltes adeo magnificis verbis repetit, ut nihil magis. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo; exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo Cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, non est, qui se abscondat a calore ejus*. Sol sibi cultum apud Orientis plerosque populos conciliavit. Eum Phœnicii, Moabitæ, Ammonitæ variis nominibus coluerunt; eumdemque cultum Moses, in regione Chanaan adeo inveteratum, firmumque comperit, ut non minore quam mortis pœna Israelitas ab eo arcendos putaret: *Ut vadant, & serviant Diis alienis, & adorent eos, Solem, et Lunam, et omnem militiam Cœli, quæ non præcepi .... Educes virum, et mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas Civitatis tuæ, & lapidibus obruantur*. Sol bene multis tropicis locutionibus, & similitudinum splendidissimis locum præbuit. Ut aliquod exemplum afferam, Prophetæ, dum calamitatem aliquam, seu vastationem describere volunt, inobscuratum Solem dicunt: *Obtenebratus est Sol*. Pro felicitate sumitur Sol: *Occidit ei Sol*: non amplius Hierosolymæ Sol illucet, nempe felicitas ejus evanuit. Sol designat Christum Dominum, qui dicitur Sol justitiæ, quoniam ejus gratiæ lumen nos justos efficit: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*. Sumitur etiam pro Christi doctrina. Ardor hujus Astri in Cantico persecutionem, & afflictionem significat: *Decoloravit me Sol*: me colore Sol exuit; Ecclesia est, quæ de subeundis persecutionibus loquitur. Prodigia tria memorantur in sacris Litteris, quæ in Sole contigerunt. Primum contigit, cum Josue jussu constitit: *Sol, contra Gabaon ne movearis, & Luna, contra vallem Ajalon; steteruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis*. Alterum, cum retrocessit, Ezechiæ Regis tempore; In-

Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. Tertium denique, cum se tenebris texit, etsi Luna esset in sua plenitudine, per illud tempus, quo Christus Cruci suspensus fuit: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*.

Solarium. Nomen hoc in sacris Litteris pro loco sumitur, qui in summis Hebræorum domibus erat, Soli expositus, circumque munitus muro, cui posset incumbi, ne quis illinc in viam laberetur. Hanc loci formam in Deuteronomio Moses præscripserat: *Cum ædificaveris domum novam, facies autem tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus, labente alio, & in præceps ruente*. Hebræi fere in his solariis dormiebant: *Stravit Saul in Solario, & dormivit*. Medius erat hiatus, qui aulæ infra positæ respondebat; ac proinde Rex Ochozias in prandii aulam prolapsus est. *Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit*. Inde per scalas descendi poterat, quę extra domum positę erant. Quamobrem, ut in Evangelio legimus, qui Paralyticum afferebant, impediente multitudine, quominus eum per domi januam inferrent, in solarium elatum, in aulam; in qua Christus erat, per hiatum demiserunt: *Et cum non posset offerri illi præ turba, nudaverunt tectum, ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo Paralyticus jacebat*.

Solidus, a quo vulgare nomen, *soldo*, scutum aureum, nummi genus apud Hebræos, cujus valor quatuordecim paulo amplius librarum erat: *Dederunt in opera Domus Dei talenta quinque millia, & solidos decem millia* I. Esdr. cap. II.

Somer, custos, complurium hominum nomen, de quibus sacra Scriptura loquitur. Omnium notissimus est Somer, ad quem mons pertinebat, in quo Samaria Urbs ædificata fuit: *Emit montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti*. III. Reg. cap. XVI.

Somnium id significat, quod dormientes cogitant. Passim sacra Scriptura de somniis loquitur, eorumque distinguit genera duo; ut alia naturalia sint, nempe nihil aliud, quam imaginationis effecta, quibus ne fidem adderet, eosve consuleret, qui eam sibi vim inesse dictitabant, ut ea explicarent, suo Deus populo expressis verbis prohibuerat: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*. Alia vero supernaturalia, quæ Deus immittebat, & per quæ dormientibus, quemadmodum per visiones vigilantibus, se ipse manifestabat: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Sunt sane mystica, & prophetica somnia, ut Jacob, Joseph, Salomonis, aliorumque complurium; iique, ad quos Deus ejusmodi somnia mittit, evidenter agnoscunt, & intime convicti sunt, eadem ab ipso esse; qui sane unus detegere potest, quod umbra somniorum tegit, quippe qui futura unus novit, unusque proinde prædicere potest: *Numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quid videritis*. Eos ergo, quorum animis obversabantur somnia, ad Deum, & ad Prophetas, quibus eorum notitiam Deus ipse dederat, interpretationis obtinendæ gratia, confugere necesse erat. Summus quoque Pontifex, indutus Ephod ea interpretane di privilegio, singularique dono gaudebat. Quoniam vero pseudo-Prophetæ eodem se jure frui contendebant, falsisque interpretationibus populum decipiebant, Israelitis proinde vetuit Moses, ne eos audirent: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum; non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris*.

Sopater, *salus patris*, Judæ Machabæi Dux, qui hominum decem millia ex Timothei exercitu cum Dositheo profligavit. *Sopater* alter, seu *Sosipater* ex Urbe Beroe S. Pauli socius, & comes erat: *Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroensis*. Eum alibi S. Paulus consobrinum suum nuncupat, seu quod ambo ex eadem Urbe, ex eadem Tribu, ex eadem familia essent, seu quod eamdem Religionem profiterentur. Nonnulli etiam contendunt, eum, qui Romæ erat, quo tempore Apostolus suam ad Romanos Epistolam Romæ scripsit, non alium, quam Sosipatrem Beroensem fuisse. II. *Machab.* XII. *Act.* XX. 19.

So-

Sophar, *mane vigilans*, ex Urbe Naamach in Idumæa, unus erat e tribus amicis Job: *Venerunt singuli de loco suo .... Sophar Naamachites*. Nonnulli volunt, Naamach ejus patris nomen esse. *Job.c.* II.

Sopher, *qui a secretis est*, unus e præcipuis Sedeciæ ministris, cui id officii demandatum erat, ut juniorum militum periculum faceret, qui e populo selecti erant: *Tulit quoque Princeps militiæ .... Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ*. IV. *Reg.* XXV.

Sophonias, *Secretum Domini*, filius Masiæ, Pontificiæ dignitatis officia obibat secundo loco, cum *Sacerdos primus* Sarajas esset. Hierosolyma a Chaldæis capta, Sarajas, & Sophonias ad Regem Nabuchodonosor, Reblatæ versantem missi fuerunt, qui utrumque interfici jussit: *Tulit Princeps militiæ Sarajam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum*. IV. *Reg. cap.* XXV.

Sophonias, filius Chusi e Tribu Simeon, & nonus e minoribus Prophetis duodecim. Sacra Scriptura, ad ejus vitam quod attinet, nihil peculiare commemorat; ac de ejus ortu id unum innotescit, quod ipse in prophetiæ suæ exordio tradit: *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon Regis Judæ*. Ezechiæ nomen, quod inter ejus proavos occurrit, nonnullos adduxit, ut crederent, Prophetam hunc e Regia stirpe fuisse; verum ostendendum imprimis esset, Ezechiam hunc eum esse, qui Judæ Rex fuit; quod tamen certo demonstrari non potest. Sophonias ergo vixit Josiæ tempore, qui an. Mund. 3363. regnare cœpit; ac probabile est, eum ante prophetam egisse, quam abusus, qui grassabantur, & quos Propheta ad vivum exprimit, pius Princeps reformaret, subditosque a recto tramite aberrantes in ordinem redigeret: *Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina Æditorum Sacerdotibus, & eos, qui adorant super tecta militiam Cœli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom, & qui avertuntur de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum .... & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo*. Propheta deinde populos omnes enumerat, qui Divinæ indignationis vim subituri erant. Ninives Urbis excidium portendit; & cum formidandas minas in Hierosolymam intendisset, prophetiæ finem imponit per jucunda promissa super reditu a captivitate, super novæ Legis institutione, super Gentium vocatione, denique super Ecclesiæ Christi propagatione: *Dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus*. Sophoniæ Prophetia capitibus tribus constat; stilus autem admodum Jeremiam sapit, quem in compendium redegisse videtur.

Sorec, *vinea*, magni nominis vallis in Palæstina, in qua Daila morabatur: *Amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec*. Sita erat inter Tribus duas, eamque torrens, dictus torrens Sorec, prætergrediebatur. Erat in hac Valle vinea, qua in Palæstina nulla pulcrior; e qua quidem insignis racemus allatus creditur, qui Israelitis argumento futurus erat, quanti Terra promissa facienda esset.

Sori, *vinculum*, *seu Isari*, filius Ithum, cujus familia quarta erat e Levitarum viginti quatuor, qui Templo deserviebant. I. *Paralip.* XXV.

Soror. Id nominis penes Hebræos multiplicem significationem obtinet, præter eam, quæ Nationum omnium communis est. Significat enim primo proximam consanguineam, seu consobrina, seu neptis sit: *Non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem;* atque in Evangelio sorores Christi sunt ejus consobrinæ: *Sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Secundo significat propensionum similitudinem; ita Propheta Hierosolymam Sodomæ, & Samariæ sororem nuncupat, propterea quod earum idololatriam, impietatemque imitata est: *Soror tua major Samaria, soror autem tua minor te Sodoma, & filiæ ejus*. Tertio pro vocabulo sumitur, quod amorem, studiumque significat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa;* ita Sponsus in Can-

Cantico Sponsam alloquitur. Quarto demum accipitur pro persona, quæ nobis apprime chara, summeque devincta est: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est*. Christus Dominus eos omnes arctissima sibi cognatione devinctos habet, qui Divini Patris voluntatem perficiunt; hanc autem cognationem Charitas efficit.

Sors, e græco vocabulo, quod latino *acervus* respondet; quoniam in cumulum congeruntur, quæ per sortem ducuntur; vel a verbo *trahere*; quia nempe per sortem e vasis fundo trahuntur. Sortis usus apud Hebræos admodum communis erat; ejusque exempla in sacris Litteris passim occurrunt. Terra promissa sorte divisa fuit; & in eundem modum Levitæ partem suam receperunt. Voluit Deus Expiationis die mitti sortes in hircos duos, ut ita innotesceret, uter immolandus esset. Sacerdotum etiam, qui Templi servitium obituri erant, familiis viginti quatuor David sortis ope loca distribuit. Ducendæ sortis ratio e sacræ Scripturæ verbis non satis elucet; una tantum ejus ratio nobis occurrit, quam Salomon explicat: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Sortes in marsupium conjiciebantur, eoque agitato satis permixtæ tandem educebantur. Sortis usus ipse per se permissus est; eum quippe Deus non semel præcepit, ejusque utilitatem Sapiens fatetur: *Contradictiones comprimit sors*. Ex alia parte nihil nos vehementius convincit, quam Deum esse, qui omnia humana eventa moderatur, ejusque Providentiæ distinctim subesse, quæcumque eadem evenia circumstant, ut nihil fit, nihilque contingat, quod Deus ipse non ponat, dirigat, & ad sua consilia referat. Ita sorte ducere, nihil est aliud, si proprie loquimur, quam Deum interrogare, eumque obsecrare, ut nobis hac ratione patefaciat, quod nos scire par est, quodque alio modo cognoscere minime possumus; sed id tamen admodum caute, prudenterque faciendum est, & in gravibus tantum negotiis, quæ non aliter absolvi, ac dirimi possunt, quam si Dei judicium, ejusque suprema auctoritas intercedat.

Sors etiam ponitur pro portione, pro parte: *Sors filiorum Judæ ista fuit*. Iniqua fœmina peccatoris portio esse debet: *Sors peccatorum cedat super illam*; videlicet peccatores digni sunt, qui malæ mulieris depravato ingenio subsint, quod eorum aberrationibus erit supplicii loco.

Sosthenes, *Salvator fortis*, Synagogæ princeps, quæ Corinthi erat, cum eum Sanctus Paulus fide imbuisset, a Judæis accusatus fuit, & ad Gallionis Achajæ Proconsulis tribunal ductus, eoque spectante, nec impediente, aut læsam dignitatem querente, cæsus; *Apprehendentes omnes Sosthenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante Tribunal; & nihil eorum Gallioni curæ erat*. Is ipse Sosthenes esse creditur, cujus nomen in ipso primæ ad Corinthios Epistolæ exordio legitur: *Paulus, & Sosthenes frater*.

Sostratus, *Salvator exercitus*, unus e præcipuis viris Antiocho Regi militantibus, qui arci præerat, quam Græci Hierosolymis obtinebant: *Sostratus, qui arci erat præpositus; ad hunc exactio vectigalium pertinebat*. Idem Insulæ deinde Cypro præfectus fuit. II. *Machab. c.* IV.

Spartiatæ, aliter dicti Lacedæmones, Lacedæmonis, seu Spartæ incolæ, Urbis celeberrimæ in orientali parte Peloponesi, quæ Græciæ Peninsula meridionalis erat. Lacedæmones se Judæorum socios, & ex Abrahæ progenie esse dicebant; idque Arius eorum Rex professus est, ad Oniam Pontificem scribens: *Arius Rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti Magno salutem. Inventum est in Scriptura de Spartiatis, & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham*. Doriani, quorum partem Lacedæmones conficiebant, originem traxisse feruntur ex Arabiæ, Syriæque finibus, ubi Abrahæ, & Cethuræ posteri sibi sedem posuerant. Ergo Judæorum fratres erant, eo nempe titulo, quod a communi patre, qui Abraham erat, descendebant. Post hanc scriptam epistolam, inter populos duos constans, & firma amicitia viguit; & aliquanto post Jonathas Machabæus, ut magis magisque societatem firmaret, ad Lacedæmones, tamquam ad fratres scripsit: *Jonathas summus Sacerdos, & Seniores, & Sacerdotes, & reliquus populus Judæorum Spartiatis fratribus salutem*.

tem. Post Jonathæ mortem, Lacedæmones, missis Legatis, Simoni ejus fratri Pontificiam dignitatem gratulati sunt, & fœdus cum eo renovarunt.

Spectacula. Vocabulum hoc quemvis profanum cœtum significat, sed peculiariter loca, theatralibus ludis addicta, seu comice, seu graviter, ac tragice, seu denique musicis modis, non sine choreis, agerentur; qui drammatum, seu saltationum *nomine noti sunt.*

Ecclesiasticis Legibus, nempe Conciliorum communi voce Christianis spectacula expressis verbis prohibita sunt. Apostolicarum Constitutionum vi Fideles a spectaculis abstinebant, quæ in Circo, in Theatro, in Amphitheatro exhibebantur, uno verbo ab iis omnibus, quæ minus decerent, lib. I. cap. 3. *Primum Arelatense Concilium an.* 317. *celebratum Can.* 4. *comædos, & saltatores, quandiu in indignæ artis exercitatione persliterint, ab Ecclesiæ communione exclusos vult.*

Cum enim vitia, ut animum subeant, oculos, aureſque jucundis illecebris, blandisque sollicitationibus fascinare consueverint; Sacerdotes proinde inhonestas oblectationes evitare, quæ moribus periculosæ sunt, & ab iisdem alios avertere debent, ut in Turonensi Concilio III. *an.* 813. Can. VII. *præscribitur.*

Sancti Patres, & Doctores, qui rem hanc pertractarunt, sanctionis hujus rationes plures, easque solidissimas attulerunt, quarum hæc expressa vis est.

Prima petitur ex Comicorum arte, quæ ipsa per se illicita est; per eam quippe viri, ac fœminæ varias, quibus homines agitantur, cupiditates, odium, indignationem, ambitionem, vindictam, & præsertim amorem ad vivum exprimunt, atque ita, ut agi potius, quam fingi videantur; eo fine sibi proposito, ut spectatorum animos permoveant, eaque affectione, quam exhibere student, afficiant. Ita eos ars ipsa cogit abjonas cupiditates in aliorum animis excitare, ut quodammodo pronuntiari possit, spectacula scholam, exercitationemque vitiorum esse. Cum ergo hujus generis hominum vita omnis in hac demum exercitatione posita sit, nihil magis Christianum hominum dedeceat, quam hæc ipsa occupatio; ac proinde cum ii quidem ab ea recedere omnino debeant, aliis non licet, ad eos in hac ipsa arte detinendos conferre. Ethnici ipsi spectacula improbabant. Transitus fit, inquit Plato, ab imitatione ad rem ipsam. Theatralis omnis pompa, hujus ethnici Philosophi judicio, eo spectat, ut homines cupiditatibus implicet, brutisque similem, & rationis impotem hominis partem foveat, roboretque, quæ omnis humanæ imbecillitatis fons, & origo est.

Ratio altera ex eo ducitur, quod obsceni, ac turpis amoris vis spectaculis excitatur, & alitur; ratione quippe ad ejus voluptatem sentiendam aptissima exprimitur, & per nobile deliquium, cujusmodi Heroum deliquium est, se prodit; contra virtus, & pudor ita exhibentur, ut derideri videantur; interdum levi tantum velo turpitudines tectæ sunt, & per imagines, quæ maxime decipiant, seducantque, vitium exponitur. Morum depravatio, inquit clarissimis Bossuet *in suis in spectacula animadversionibus, ad certam regulam, firmumque principium in Comœdiis redacta est; quæ nihil sunt aliud, quam subdola juventuti, ut genio indulgeat, incitamenta; admixto præsertim cantu, qui mollitiem inspirat. Is sane Mundi fastus est, in suas omnes fascinationes effusus, quem Theatra, & Comediæ potissimum exhibent. Luxus, vanitas, inverecunda ornamenta, & quæ Dæmonis pompæ nuncupantur, in iisdem spectaculis non sine illecebris omnibus ob oculos ponuntur. Quid vero periculosius, quam ludis interesse, qui eo referuntur, ut in nobis intimum vitiorum fontem, concupiscentiam accendant, quæ venefica veluti radix per omnes sensus serpit, quasique ramos extendit, & effrænis excurrit? Quo enim vehementius hominum terrenis rebus inhærentium oculi exhibitis iis omnibus, quæ voluptatem excitant, aureſque sermonibus, aut cantibus ad emolliendum animum apprime factis per spectacula commo-*

moventur; eo jucundius spectatores detinentur, eoque libentius ei quasi veneficio se dedunt, quo se abripi sentiunt.

Nec refert, amoris cupiditatem, quæ in Theatro se prodit, & primas agit, ad legitimum finem, scilicet ad matrimonium referri. Nunquam enim non absonum, malumque fuerit, præposteram cupiditatem in se, vel in aliis excitare, ejusque jucundam, blandamque imaginem exhibere. Amoris repræsentatio seu legitimus, seu lascivus, turpisque sit, eumdem fere effectum producit; ante quam enim scæna ad exitum perducatur, totiusque repræsentationis tempore, non minus amor ab honestate alienus in omnium spectatorum animis excitatur, quorum plerique ad voluptatem proclives sunt. Id unum obversatur adstantium animo, a quo tum quidem longissime abest ea cogitatio, quæ ad matrimonium refertur. Hæc autem adeo dissita qui demum periculosas jam alte impressas imagines corrigat, deleatque, quas repræsentatio, seu actio producit? Remedium dici potest, quod tum solum adhibeatur, cum amplius opportunum non est.

Frustra etiam dixerit quispiam, Theatrum hodie jam purius, quam primis temporibus, nempe minus in apertam petulantiam, & procacitatem effusum esse; hæc enim jactata puritas utplurimum verborum selectu, exquisitaque elegantia continetur., quibus sæpe gravius periculum conjunctum est; ut haud distinctim perspici liceat, quid tandem utilitatis ex hac reformatione moribus allatum sit.

Prætexunt nescio quid aliud sane levissimum præsertim ii, qui spectacula frequentare consueverunt; se nihil damni sentire; atqui id ipsum eorum animi depravationem ostendit. Si enim id auderent de spectaculis dicere, de nudis idem, obscænisque picturis asserere non dubitarent. Infirmam præterea excusationem non dubitarent. Infirmam præterea excusationem offerunt ubique pericula occurrere, cupiditates ubique excitari posse; at in promptu responsio est; non proinde oportere periculorum numerum augeri, & oblectamento præsidium quæri, quod non alio spectare videtur, quam ut cupiditatibus vis addatur, ut conjunctim oculis subjiciatur, quicquid eos movere, vel allicere potest; in Theatro quippe ambitioni, gloriæ, vindictæ, jactantiæ plauditur, quæ Christus expressis verbis cum communi hominum pravitate damnavit.

Rationem tertiam id suppeditat, quod ea, quæ in Theatris aguntur, & recitantur, cum multiplici sollicitatione conjuncta sunt; sensus omnes voluptas emollit, exhibita deliramenta totum animum occupant, ut proinde Christianæ vigilantiæ sit prorsus ineptus, qua adeo opus habet, ut cupiditatum illecebris obluctetur. Qui ergo spectaculis interest, ea quærit ex animi lætitia, quibus ad malum trahatur. Ejus autem intolleranda temeritas fuerit, qui se a periculo per Dei gratiam liberandum putat, in quod ultro ipse se conjicit. Quid? Quod ut spectacula quorumdam animis ne minimum quidem detrimentum afferrent, haud proinde tamen a crimine magis immunia essent; exhibentur enim coram ingenti hominum numero, qui infirmo, depravatoque animo sunt; quibus evidenter periculosa censeri debent; atque in eorum culpæ partem profecto veniunt. Quamobrem non modo malum, quod oritur ex aliqua re, timendum est, verum etiam scandalum, quod aliis affertur.

Quarta ratio ea est, id Comœdiis inesse, ut facilem, & ingeniosum, quo se cupiditates prodant, & ingerant, modum edoceant; quod ipsum maximi periculi plenum est. Voluptatem inspirant in eo positam, ut ames, & vicissim ameris. Re sane ipsa vehementem hanc hominum erga fœminas propensionem spectaculum ad vivum exhibet; eoque nihil fœminis periculosius, quam voluptate perfunduntur, quam ex hominum amore percipiunt; ea quippe Christianæ Religionis vis, & ratio est, ut horrori tibi sit, te ipsum alienæ cupiditatis argumentum, & ut ita dicam, idolum esse.

Quinta inde ratio petitur, quod spectacula cum præcipuis animi præparationibus ex diametro pugnant, quibus Chri-

Christianus quisque affectus esse, & ad quas contendere debet; cujusmodi sunt fervidæ, assiduæque preces, quarum ope tentationibus, quibus nunquam non obsidetur, obsistat; & divini verbi studium, quod animum cibi instar fovet, ac roborat. Jam vero nihil magis animum a recto tramite, quasique a se ipso abducit, eumque divinis rebus percipiendis, expendendisque ineptum efficit, nihil eum magis in pietatis fastidium adducit, quam mollities, ac relaxasatio quam crebra spectacula pariunt; quæ tandem, ut Bossuet *animadvertit, Clericis prohibita sunt iis ipsis de causis, quæ contra Christianum quemque faciunt, quemadmodum Clericis ipsis vetita usura est.*

Denique sexta ratio ex oppositione repetitur, quæ spectacula inter, & obligationes intercedit, quas per Baptismum quisque contraximus, & quarum vi, quæcumque facimus, ea nos ad Dei gloriam referre necesse est, ut dicere vere possimus, ea nos in Dei gratiam, & ob ejus amorem facere. Præterea quacumque se tandem ratione spectet, qui Christianum se profitetur, nullius profanæ oblectationis particeps fieri potest. Si enim ita spectetur, ut qui per Baptismum Dei filius, Christi membrum, ejusque Regni hæres evaserit, nihil magis eum ejusmodi titulis pugnat; quod si tamquam peccator reputetur, haud sane id genus oblectamentum cum pœnitentiæ studio, & voluptatis odio conjungi potest, quemadmodum affectus sit, oportet, qui se peccatorem, & pœnitentiæ proinde obnoxium fatetur.

Stacten, liquor, qui ex arbore myrrha per incisionem effluit: *Sume tibi aromata, Stacten, & Onycha*. Ex hoc etiam aromate odoramentum constare debebat, quod in Sancto Sanctorum super Altare aureum offerebatur. *Exod. cap.* xxx.

Stachys, *spica*, S. Pauli Discipulus, cujus ipse honorificam mentionem facit in sua ad Romanos Epistola: *Salutate Stachyn dilectum meum*. Ad ejus vitam quod attinet, nil peculiare constat.

Stadium, viæ mensura, quæ 125. geometricis passibus constat: *Ibant in Castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta*; quod duodecim circiter Italica passuum millia conficiebat. Stadium dicitur etiam locus in quo publicæ cursus exercitationes edebantur: *Ii, qui in stadio currunt, omnes quidem unus accipit currunt, sed bravium.*

Starbuzanai, *inquisitor*, unus e Magistraribus Persarum Regis ultra Euphratem, qui ad Regem scripsit de Judæis, qui paulo ante a captivitate redierant: *Exemplum Epistolæ, quam misit Thacanai Dux Regionis trans flumen, & Starbuzanai, & consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium Regem*. I. *Esdr. cap.* v.

Stater, a græco verbo, quod significat nummi genus, qui siclum valebat: *Aperto ore ejus, invenies staterem*. Christus Dominus Petrum misit, ut in lacu Tiberiadis piscaretur; & Apostolus arundine piscem cæpit, in cujus ore staterem invenit. Nummus solvendo fuit, quod Christus, & Petrus Templo debebant, uterque nempe sicli dimidium.

Statio. Hebræorum multæ in Deserto per annos quadraginta stationes fuere. Prima fuit in *Ramesse*, ubi Paschalem Agnum comederunt. Altera in *Socbot*; tertia in *Etham*; *quarta* in *Phiahirot*, ubi cæperunt de Mose conqueri. Quinta statio fuit in *Mara*; *Et murmuravit populus contra Mosem, dicens: quid bibemus?* Sexta ad oram Maris Rubri; septima in *Elim*; octava in *Sin*, ubi populus in Mosem rursus, & Aaron insurrexit: *Cur eduxisti nos in Desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Nona in *Daphca*; decima in *Alus*; undecima in *Raphidim*, ubi populus aquam, quam biberet, non inveniens, obstrepuit Mosi: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, & armenta siti?* Decima secunda in *Sinai*; decima tertia in *sepulcris concupiscentiæ*, ubi Judæi carnem concupierunt, & morte perculsi fuere numero 24000. Conquesti sunt etiam de itineris longitudine; ac Deus ignem immisit, qui complures absumpsit. Decima quarta in *Cades barne*, unde missi Exploratores, qui terram Chanaan expenderent. Decima quinta in *Remmomphares*; decima sexta in *Lebna*; decima septima in *Ressa*; decima octava in *Celatha*;.

tha; decima nona in *Sepher*; vicesima in *Arada*; vicesima prima in *Macelotb*; vicesima secunda in *Jabat*; vicesima tertia in *Thare*; vicesima quarta in *Methca*, ubi Core, Dathan, Abiron, & Hon terra deglutiit, quod in Mosem, & Aaron insurrexissent. Vicesima quinta in *Hesmona*; vicesima sexta in *Moseroth*; vicesima septima in *Benejacan*; vicesima octava in *Gogdat*; vicesima nona in *Jetbabata*; tricesima in *Hebrona*; tricesima prima in *Asiongaber*; tricesima secunda in *Zin*, aliter *Cades*, ubi decima prima in Mosem, & Aaron populi oblocutio contingit: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem? Insuper & aquam non habet ad bibendum*. Tunc Deus Mosi præcepit, ut Virgam sumeret, eaque rupem percuteret: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas .... Et egressæ sunt aquæ largissime*. Hæ porro aquæ sunt, quas *contradictionis aquas* sacra Scriptura nuncupat. Tricesima tertia statio fuit in Monte *Hor* ad Idumææ Regni fines, ubi Aaron occubuit. Tricesima quarta in *Salmona*, ubi cum populus sibi manna fastidio esse significaret: *anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo*: Deus serpentes misit, quorum morsus, ignis instar, urebat; ac Moses, ut iis opem ferret, æneum serpentem condidit, quorum aspectus eos omnes, qui vulnerati fuerant, in pristinam valetudinem restituit. Tricesima quinta in Phunon; tricesima sexta in *Oboth*; tricesima septima in *Jeabarim*; tricesima octava in *Dibongad*; tricesima nona in *Helmondeblathaim*; quadragesima in montibus *Abarim*; quadragesima prima in *Bethsimot*; quadragesima secunda in *Abelsatim* in planitie Moab ad Jordanem, ubi flumen transierunt, & ad obsidendam Urbem Jericho se contulerunt. *Legatur Exodus, & Numerorum liber*.

Statua, imago sculpta, quæ aliquem exhibet: *Nec facies tibi, neque constitues statuam*. Statua salis, in quam uxor Loth versa est, quæstionibus multis locum præbuit, super rationis explicatione, qua ejusmodi mutatio contigit: *Respiciensque ejus uxor post se, versa est in statuam salis*; At cum mutatio hæc dubio procul miraculum fuerit in ejus fœminæ pœnam editum, docili Christiano satis fuerit id humiliter credere, quin frustra ingenium torqueat, ut divinet, an ea curiosa fœmina reapse salis statua, quod est textui conformius, evaserit, an vero Scripturæ locutio metaphorica habenda sit, ut nempe immobilem, in quo ea jacuit, statum significet; præterea an ignis, qui Sodomæ regionem omnem incendit, vi sua parato salis partibus in fœminæ corpus transitu, illud soliditate donaverit, suaque naturæ particeps quodammodo effecerit; an ejus corpus in nitroso Maris mortui solo saxeam deinde duritiem induerit; quamquam Moses, qui vim eam regioni insitam non ignorabat, salis statuam vocare corpus non potuit, quod purgandum noverat; denique an massa quædam tantum fuerit, & fœminæ figuram servaverit, ut Josephus testatur, qui eam ætate sua adhuc extitisse contendit.

Statua, quam Nabuchodonosor in somniis vidit, erat immani altitudine, aspectuque, qui terrorem incuteret. Aureum caput erat, brachia, & pectus argentea, ænea venter & femora, crura ferrea, pedes partim ex ferro, partim ex creta. Excitatus a somno Princeps, & somnii oblitus, suorumque proinde Magorum artem aspernatus, ad Danielem confugere coactus fuit, qui Divino instinctu afflatus omnes, qui Babylone sapientes audiebant, pudore suffudit, & in contemptum adduxit. Ergo Regni notum voluit, ei Deum per imaginem statuæ patefecisse, quicquid Imperiis, lapsu temporis, futurum erat; aureo statuæ capite significari Assyriorum Imperium, cujus magnificentiam aurum inter metalla pretiosissimum designabat; pectore, & brachiis argenteis exhiberi Persarum Regnum a Cyro conditum; ventre, ac femoribus æneis, Græcorum per Alexandrum institutum Imperium; cruribus ferreis, Romanorum Imperium. Subdidit Daniel, tenui saxo, quo Rex e monte collapso statuam inversam viderat, nuntiari postremum Regnum, quod cætera omnia eversurum, æternumque futurum erat. Hoc autem Messiæ Regnum est, cujus Evangelium per universum terrarum Orbem nuntiatum, propagatumque subegit Regna omnia, & ex omnibus conflavit Imperium unum, cui æternitas promissa est.

Sta-

Statua aurea, quam idem Princeps in planitie Dura erectam voluit, alta sexaginta cubitis erat, & lata sex. Eam colere jussi subditi omnes paruerunt, tribus exceptis Danielis sociis, quos proinde Nabuchodonosor in flammas conjici jussit, e quibus per insigne prodigium vivi, adeoque sospites, & incolumes educti suere. Numen porro, in cujus honorem statua erecta fuit, haud sacra Scriptura nominat. Credidere nonnulli ipsius impii Principis statuam fuisse; sed hanc opinionem mendacii arguit ipse Nabuchodonosor, qui adolescentes tres increpat, qui renuerent ejus Deos colere, de se ipso alte silens: *Verene Sidrach, Misach, & Abdenago, Deos meos non colitis, & statuam auream non adoratis?* Est tamen vero simile, in honorem Beli statuam erectam fuisse.

Stephanos, *corona*, unus e primoribus Urbis Corinthi, quem S. Paulus cum universa familia baptizavit. Is se dicavit Ecclesiæ servitio, eumque cum Achaico, & Fortunato Ephesum Corinthii miserunt, ut S. Paulum consulerent de variis doctrinæ capitibus, de quibus agit Apostolus in prima ad Corinthios Epistola, quam idem Stephanos attulit. *

* *Stephanus, protomartyr Ecclesiæ nostræ. S. Stephanus, inter septem Diaconos primus, ab Apostolis electus, in Gamalielis schola institutus fuit. In eum Judæi conspirarunt, at cum Spiritui Sancto obluctari non possent, qui per ejus os loquebatur, falsos testes oblata pecunia impulerunt, ut eum blasphemiæ in Templum, Legemque accusarent. Ergo in frequentissimum cætum accitus, strenue se defendit, & impietatem Judæis exprobravit. Stephani increpatio eorum furorem excitavit. In eum irruerunt, tractumque ex Urbe lapidibus obruerunt. Stephanus, in ipso lapidum jactu, Deum pro persecutoribus exorabat; & id gloriæ consecutus, ut primus pro Christi nomine moreretur, et suum ipse sanguinem obtulit in eorum gratiam, a quibus effundebatur. Hujus S. Martyris antiquissimus in Ecclesia cultus est, Deusque per ejus Reliquias miracula plurima edidit.* Actorum VI.

Stigma, signum, seu incisio, qua suam sibi carnem Ethnici in falsorum Numinum suorum honorem insigniebant. Deus Israelitis prohibet, ne eos imitentur: *Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Ptolomæi Philopatoris jussu impressam hederæ frondem Judæi gerebant, qui a sua Religione defecerant, ut Ethnicæ superstitioni se dederent; eamque ignominiam S. Joannes in Apocalypsi spectat, dum ait a Bestia caracterem suum impressum esse eorum manui dexteræ, ac fronti, qui ei sedediderant: *Et facient omnes caracterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* S. Paulus Christi Domini stigmata suo in corpore se ferre testatur: *De cetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini in corpore meo porto*: plagarum scilicet cicatrices, quas ei Christus impresserat, certam veluti notam, e qua palam fieret, eum ad Christum ipsum spectare.

Stilus, instrumentum ex ferro, aliave materie, ex una parte acutum, ad efformandas litteras in tabula cera expolita; & ex alia obtusum, ad easdem delendas. Hic Veterum mos in sacris Litteris descriptus occurrit: *Delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ, & delens vertam, & ducam crebrius stilum super faciem ejus.* His verbis Deus significare volebat, se ne minimum quidem sceleftæ hujus Urbis vestigium relicturum, sed eam eversurum; quemadmodum, inverso, superque ducto stilo, deletur, quod scriptum est. Jeremias ait, peccatum Juda stilo ferreo, & adamantis acie scriptum, quasique cordis tabellis insculptum esse: *Peccatum Juda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Quæ verba id etiam ostendunt, stilum, & tabellas in usu fuisse: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis*: stilo scilicet, quo ad scribendum homines uti solent. Hoc autem loco stili, seu styli nomen non eum stilum significat, de quo loquimur; hoc enim homines non utebantur, nisi ut in cerata tabula scriberent, non autem in pergamena charta, quam hic libri nomen significat. Probabile est, hac locutione eam scribendi rationem innui, quæ intellectu facilis, simplex, naturæ consona, & ænygmatico Prophetarum stilo opposita est.

Storax, pretiosus liquor, ex ejusdem nominis arbore difluens, quæ in Arabia, seu Syria occurrit. Jacob ejusmodi donum ad su-

fupremum Ægypti Minifirum mifit, quem nondum filium fuum effe noverat.

Struthio, avium maxima, quam Mofis Lex immundam declarat: *Comedere non debetis ftruthionem, & noctuam*. Cum autem hoc animal Defertis gaudeat, Ifaias, ut Babylonis excidium ob oculos ponat, futurum ait, ut in ea ftruthiones verfentur: *Habitabunt ibi ftruthiones*. Clamores, & ululatus emittit, fumiturque proinde in eorum exemplum, qui de miferiis dolent: *Faciam luctum, quafi ftruthionum*. Confertur etiam cum inhumanis matribus, quæ infantes fuos deferunt; ftruthio enim ova edit, & fabulo tegit, inftinctuque naturæ eam Soli curam relinquit, ut eadem excludat: *Filia populi mei crudelis, quafi ftruthio in Deferto*.

Stuprum eft virgini, vel alicui fœminæ illata vis; prohibetur autem Legibus duabus. Prima eft ejufmodi: Si aliquis in Civitate concubuerit cum puella virgine, quæ alteri defponfata eft, & illa non clamaverit; educes utrumque ad portam Civitatis, & lapidibus obruentur; fin autem in agro id fecerit, ipfe morietur folus, puella nihil patietur; præfumitur enim clamaffe, fed quia fola erat, non potuit audiri, & liberari. *Utrumque Lex hæc ob ftupri crimen lapidibus obrutum vult; puellam quidem, quod non clamaverit, virum autem, quod alienæ fœminæ vim intulerit. Lex altera mandat, ut vir puellam nactus, eique vim inferens, puellæ patris, in illatæ ignominiæ compenfationem, ficlos quinquaginta folvere a Magiftratibus jubeatur, eamque, quin unquam repudiare poffit, fibi conjugem fumat*: Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet fponfum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit, qui dormierit cum ea, patri puellæ quinquaginta ficlos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, non poterit dimittere illam cunctis diebus vitæ fuæ.

Sua, magnificus, Ægypti Rex, cujus auxilium in Salmanafar imploravit Ofee Rex Ifrael: *Cum deprehendiffet Rex Affyriorum Ofee, quod rebellare nitens, mififfet nuntios ad Sua Regem Ægypti*. At hujus Principis patrocinium inufile fuit Regi Ifrael, cujus Regnum Salmanafar evertit. Is Sua creditur effe octavus Pharao, cui Necbao fucceffit. Hujus nominis alii nonnulli in facris Litteris memorantur. IV. *Reg. c.* XVII.

Suali, vulpes, regio in Tribu Beniamin, pariterque in Tribu Ephraim, quam Philiftæi vaftarunt Saulis tempore: *Egreffi funt ad prædandum de caftris Philiftæorum, tres cunei; unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Suali*. Hoc etiam hominis nomen fuit, filii Sopha, e pofteris Afer. I. *Reg. c.* XIII. I. *Paral.* VII.

Suba, exercitus, regio fpectans ad Tribum Nephtali, ad Libani radices fita, quam Chananæi fibi fervarunt, quoad eos David vectigales fecit: *Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam*. Iidem populi poft Davidis mortem, cum jugum excutere nitentur, Salomonem ipfum impulerunt, ut eorum regionis iterum potiretur.

Subael, converfio, filius Amram, qui una cum filiis duodecim decimum tertium locum inter Levitarum familias viginti quatuor occupabat: *De filiis Amram erat Subael*. Fuit alter Subael filius Gerfon, feu Mofis nepos, e cujus pofteris unus erat Thefauri cuftos Davidis tempore. I. *Paral.* XXIV. & XXXII.

Sudarium, feu linteolum, ad vultus fudorem abftergendum accommodatum: *Ita ut etiam fuper languidos deferrentur a corpore ejus fudaria, & femicinctia*. Hoc ipfum vocabulum fignificat etiam quoddam veli genus, quo mortuorum caput, & facies tegebatur: *& facies illius fudario erat ligata*. Verum id nominis fignificando velo potiffimum addictum eft, quod Divini Servatoris capiti in fepulcro impofitum erat: *Sudarium, quod fuerat fuper caput ejus*. Plures Ecclefiæ id honoris fibi tribuunt, ut Sudarium oftentent; quod fane nos cogit fufpicari, illud earum nulli fuppetere.

Sue, vanitas, nomen, quo viri quatuor infigniti fuere. I. Sue, filius Abrahæ, & Cethuræ (*Genef.* XXV.). II. Sue Chananæus ex Urbe Odollam, pater Sponfæ Patriarchæ Juda, e qua ei nati filii tres, Her, Onan, & Sela. Eft in Judæorum Traditione, fœminam hanc infpiraffe filiis duobus, Her, & Onan execrandum confilium impediendi, quominus Thamar eorum conjux mater evaderet, eamque in nequiffimi confilii pœnam fubita morte prærepram fuiffe (*Genef. c.* XXXVIII.). III. Nepos Caleb. IV. Unus e filiis Supha e Tribu Afer.

Su-

Subites, qui est e regione Sue, Arabiæ Desertæ Provincia, cui Sue filius Abrahæ incolas dedisse fertur, & e qua erat Baldad, amicus Job: *Baldad Subites*. Job c. II.

Sulamitis, *pacifica*, Sponsæ nomeo, de qua in Cantitorum Cantico, adlusione ad Salomonem facta, perinde ac si diceretur *Salomonia*, Salomonis uxor. Nomen hoc spiritali significatione Ecclesiam significat, quæ veri Salomonis Sponsa est: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Ecclesia cum insigni exercitu ad pugnam instructo comparatur.

Sulphur, fossile quoddam, facile flammam concipiens, de quo sæpissime sacra Scriptura loquitur: *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de Cælo*. Cælestis ignis in has sceleftas Urbes prolapsus bitumen, & nitrum accendit, qno solum refertum erat, & in cinerem regionem omnem redegit, quam hodie Mare Mortuum occupat. *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur*: peccatoris domus sulphure perfundatur; imprecationis ratio, qua omnia malorum genera peccatori expetuntur. Sulphure, & Solis æstu humum comburere, nihil est aliud, quam eam omnino sterilem reddere: *Sulphure, & Solis ardore comburent, ita ut ultra non feratur, nec virens quicpiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ, & Gomorrhæ, quas subvertit Dominus in ira, & furore suo*. Psaltes, ut vindictam innuat, quam Deus ex peccatoribus sumet, futurum ait, et in eos ignem, sulphur, & vehementes ventos immittat: *Pluet super peccatores laqueos; ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Isaias incendium describens vallis Sopbet, per idololatriam pollutæ, ingentem rogum paratum ait, ut igne purgetur, futurumque, ut Domini flatus eam, tamquam sulphuris torrens inflammet: *Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam*. Id pœnas ad vivum exprimit, quæ reprobos io Inferis manent. Has ipsas pœnas idem Propheta alibi luculentius exhibet: *Et convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur, & erit terra ejus in picem ardentem, nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus*.

Sunam, *eorum mutatio*, Urbs Tribus Issachar, apud quam Philistæi castra posuerunt: *Venerunt, & castrametati sunt in Sunam*. Abisag, quam David ætate provectus conjugem duxit, erat ex Urbe Sunam: *Invenerunt Abisag Sunamitidem*. Fœmina quoque, apud quam Elisæus divertir, cujusque filium amorte excitavit, Sunamitis erat, e Sunam scilicet: *Voca Sunamitidem istam*.

Suni, *mutatus*, tertius filiorum Gad, Sunitarum familiæ caput: *Suni, ab hoc familia Sunitarum*. Genes. XLVI.

Superhumerale, quod humeris imponitur, Ephod, Summi Pontificis indumentum: *Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito*.

Superstitio. Nomen hoc, quod immoderatum, absonumque cultum significat, in Novo Testamento tantum occurrit: *Quæstiones quasdam de sua superstitione habebant adversus eum*. Festus Judææ Præses, Agrippam Regem alloquens, dixit, Paulo cum Judæis cæteris nonnullas difficultates esse, ad eorum superstitionem spectantes. Ita de hac duplici Religione loquebatur ignarus Ethnicus, qui neutram noverat. *

* *Superstitio generatim peccatum est, quo creatæ rei divinus honor, uni Deo debitus exhibetur, quod Idololatræ faciunt; atque hac significatione repugnat præcepto primo, ut nempe Deo tantum cultus, & servitium præstetur. Sex ejus genera sunt*. I. *Idololatria, quæ Solis, aut Lunæ, aut alterius creatæ rei cultu continetur*. II. *Magia, cum scilicet Dæmoni cultus aliquis exhibetur, non quod Deus esse credatur, sed ut ex eo utilitas aliqua percipiatur, & mira nescio quæ per Diabolicam artem edantur. Concilia gravissimas penas in eos indixerunt, qui Magiam profitentur. Sanctio hæc ipsa non minus eos afficit, qui, dum malis premuntur, ad Magorum remedia confugiunt, tametsi certis quibusdam verbis, ac ceremoniis, nullam minus rectam speciem præseferentibus eadem remedia continerentur; docentibus enim Sanctis Patribus, preces, & signa non in eum finem instituta sunt, eorumque remediorum vis pacto tribuenda est, quod, qui ejusmodi artem profitentur, cum Dæmone jam inierunt*. III. *Maleficium, quæ est per Dæmonis potestatem, opemque nocendi ars, ut si quis matrimonii usum impedire contendat*. IV. *Divinatio, quam ii profitentur, qui dant operam, ut ridiculis,*

pravisque rationibus occulta detegant, & praedicant, cujusmodi sunt cogitationes, & futura, quod sex omnino modis fit. 1. Per Daemonis invocationem. 2. Per somnia. 3. Per inspectionem partium humani corporis, cujusmodi sunt lineae manus, & lineamenta vultus. 4. Per astrorum observationes. 5. Per avium cantum, & animalium quorumdam occursum. 6. Per sortem; quae omnia a Patribus, Conciliisque prohibentur. V. *Vana quadam observatio, ut cum certi quidam dies observantur qui felices, aut infelices nuncupantur, & ejusmodi alia, quae veluti ad bonum, malumve augurium accommodata spectantur*. VI. *Superstitiosus cultus, in eo positus, ut Religio, Deique honor ad vanas quasdam, & inutiles caeremonias, quasque Ecclesia non instituit, redigatur. Tridentina Synodus* Sess. II. *Decretum edidit, quo ejusmodi abusus funditus extirparet. Porro postrema duo superstitionis genera nonnunquam ex ignorantia, & simplicitate derivari possunt; & habita eorum ratione, qui in eos abusus inciderunt, excusatione digna sunt; at priora quatuor nulla ratione excusari possunt, & criminosa sunt, Maleficium potissimum. Legatur Tractatus de superstitione* D. Thiers, *itemque Tractatus in eandem rem* P. le Brun *Oratorii Presbyteri; legantur etiam ex SS. PP.* S. Augustinus *lib.* 4. *Confess. cap.* 3. S. Basilius *in Isaiae caput* II. S. Thomas 2.2. *q.* 92.93. &c.

Suph, *dies*, hominis nomen, atavi Helcanae, matris Samuelis; a quo Suphimitarum, seu Sophimitarum familia, qui Ramatham incolebant; hinc Urbi huic nomen Ramathaim Suphim, seu Sophim. I. *Reg. cap.* 1.

Supha, *ordo ligans*, filius Helem e Tribu Aser, pater Sue, Arnaphel, Soal, aliorumque complurium. I. *Paralip.* VII.

Supplicia penes Hebraeos. Sacra Scriptura commemorat multa apud Hebraeos suppliciorum genera, quorum praecipua sunt, lapidatio, ignis, decollatio, funis; atque hae fere erant mortis poenae. Crux apud Nationes caeteras in usu erat; at ea Judaei nunquam utebantur, ut aliquem morte damnarent; tantummodo post mortem, Delinquentis cadaver exponebant, ut omnibus palam facerent, eum delicti poenam tulisse. Christus etiam, cum suae mortis genus praedixit, eodem tempore futurum significavit, ut ad mortem ab Ethnicis damnaretur. Ita Crucifixi omnes, de quibus sacra Scriptura loquitur, ante obierant, quam in Cruce ponerentur. Praeter haec supplicia quatuor, Judaei a finitimis populis alia mutuati fuerant, cujusmodi erant, in mare projicere molari lapide ad collum appenso, de quo supplicii genere Christus loquitur: *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Ex edita rupe praecipitem agere; ita Amasias Rex Juda Idumaeorum decem millia, quos in bello ceperat, in praeceps e turri dejici jussit: *Et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, & adduxerunt ad praeruptum cujusdam petrae, praecipitaveruntque eos de summo in praeceps, qui universi crepuerunt*. Medium corpus secare, cujusmodi supplicium fuit, quo impius Manasse Isaiam affecit, cujusque supplicii meminit Daniel: *Ecce enim Angelus Domini, accepta sententia ab eo, scindet te medium*. Spinis obrutum conterere; unum supplicii hujus exemplum occurrit in libro Judicum, ubi legimus, Gedeonem, victorem ex praelio cum Madianitis inito revertentem, spinis, vepribusque Deserti, proceres Urbis Sochot, qui ei contumeliam intulerant, pressos contritosque voluisse: *Tulit ergo Seniores Civitatis, & spinas Deserti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Sochot*. Alia praeterea nonnulla suppliciorum genera in Machabaeorum libris commemorantur quibus insignia quaedam flagitia plectebantur.

Sur, *petra*, Princeps Madian, & pater prostitutae foeminae, quam cum Zambri Phinees occidit: *Interfecta est cum Zambri filia Sur, Principis nobilissimi Madianitarum*. Porro Sur captus, & morti addictus cum caeteris Madianitarum Principibus. Fuit etiam hoc insignitus nomine filius Jehiel, e Tribu Beniamin, qui Gabaon condidit. *Numer. cap.* XXIX.

Sur; Desertum Sur, quod limites Terrae Chanaan ad Aegyptum statuit, & ad Rubrum usque Mare protenditur: *Profectus inde Abram in terram australem, habitavit inter Cades, & Sur*. Hoc etiam nomen erat unius e Templi portis: *Tertia pars sit ad portam Sur*. Genes. XVI.

Surdus. In Evangelio surdi multi per mira-

raculum a Christo sanati memorantur: *Et surdos fecit audire*. Nomen hoc ipsum metaphorica significatione pro eo sumitur, qui non adest, adeoque audire non potest: *Non maledicas surdo*, absenti scilicet. Id nominis iis quoque tribuitur, qui spiritali ratione surdi sunt, qui scilicet ea non intelligunt, quæ ad Religionem spectant. Isaias ait fore, ut in Messiæ adventu surdorum aures patefiant: *Audient in die illa surdi verba Libri.*

Suri Saddai, *Omnipotentis petra*, pater Salamiel, qui, Hebræis ex Ægypto egredientibus, caput erat Tribus Simeon: *De Simeon Salamiel filius Suri Saddai*. Num. I. 6.

Susa, *lilium*, Persidis Urbs, Susianæ Metropolis, ad ipsum in amplam planitiem aditum ædificata, in qua Persarum Reges hiberno tempore versabantur, quod ea tempestas admodum commoda ibidem esset. In hac Urbe, & ad Eulæum flumen, quod eam prætergrediebatur, Danieli contigit Arietis visio, cui cornua duo, itemque hirci, cui unum tantum cornu erat. Susæ etiam accidit Esther historia; ibique Neemias reparandæ Hierosolymæ facultatem obtinuit. Hodie funditus eversa jacet, & vix innotescit locus ubi posita erat; etsi non desunt, qui contendant, eamdem fuisse, ac Tuster, Khusitaæ metropolim. *Daniel c.* VIII. II. *Esd. cap.* I. *Esther. cap.* I.

Susanachæi, *rosæ*, populi, qui e regione ultra Euphratem sita venerant, ut Samariam incolerent, quique Templi reparationi obstiterunt: *Reliqui consiliatores earum*, *Babylonii*, *Susanachæi*. Probabile est, hos populos e Susianæ incolis fuisse. I. *Esdr.c.*IV.

Susanna, *lilium*, Helciæ filia, & uxor Joakim, in sacris Litteris castitate celebris est. Babylone cum viro versabatur, qui inter Hebræos ditissimus, & spectatissimus erat; eoque certe a Rege Nabuchodonosor, eo ipso tempore, quo Daniel, delati fuerant. Quamquam porro Judæi in ea regione tamquam captivi spectarentur, quia scilicet extero dominio suberant; magna tamen libertate gaudebant, eaque facultate instructi erant, ut fundos acquirerent, legibus suis ad regimen uterentur, & Judices e sua sibi Natione statuerent, a quibus orta dissidia componerentur. Id e Susannæ historia licet intelligi, e qua constat, ejus Virum inter Judæos primas egisse, ad eum Judices identidem se contulisse, eosque omnes pergere consuevisse, quibus negotium aliquod esset, examini, judicioque subdendum. Singularis, qua natura Susannam instruxerat, pulcritudo in Seniorum duorum animo, qui tunc in Israel Judices erant, vehementem, pravamque cupiditatem excitavit; qui crebro Susannam se in viri horto oblectantem intuiti, cum populus recessisset, in dies magis insano amore flagrantes, sui compotes non amplius fuerunt, & in omnem vesani æstus pruriginem se dederunt: *Et exarserunt in concupiscentiam ejus, & averterunt sensum suum; & declinaverunt oculos suos, ut non viderent Cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum*. Hi duo depravati Senes diu non ausi vicissim turpe animi vulnus detegere, perfricta tandem fronte, abjectoque pudore, qua flagrabant, flammam invicem evomuerunt, ut de ratione conferrent, qua Susannam in horto versantem, remotis arbitris, aggrederentur. Quadam ergo die in eum se clam receperunt; Susanna porro ingressa, cum æstus vehementior esset, se voluit abluere, misitque ancillas, ut ea, quibus opus erat, afferrent. Capta occasione, perditi Senes ad eam cucurrerunt, execrandamque pruriginem aperuerunt, minitati, ni se dederet, eam se in adulterio cum adolescente deprehensam edicturos. Eo redacta Matrona, ut vel atrocissimæ calumniæ subesset, si procacium Senum execrando proposito assentiri renuisset, vel suæ ipsius animæ mortem afferret, si impuro eorum amori se dedidisset; se supra naturæ sensus per fidem erexit, nullamque aliam calamitatem agnoscens, quam si in Deum suum peccaret, publicum dedecus perpeti statuit, ut animum purum, mundumque servaret: *Angustiæ sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras, sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*. His auditis, Senes, amore in furorem, ad summam improbitatem, verso, ei, quam perdite amabant, per execrandam accusationem, publice adulterii crimen, quod patrare noluerat, affinxerunt. Postridie Joachimi domum de more obeuntes Senes ambo Susannam in jus vocarunt, quæ, universa comitante familia, se sistit. Tar. I-

po

postores, imposita capiti manu, eam se in horto cum adolescente adortos restati sunt, quem utpore robustiorem sistere non poterant. Ita Susanna, tametsi innocens esset, a viris duobus, existimatione, & auctoritate pollentibus accusata, quos nec refellere potuit, nec mendacii convincere, nulloque suppetente defensioni loco, se morti damnatam vidit ipsis Legis verbis: *Sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum*. At ejus animum roborabat in Deum fidentia, ad quem confugit, ut Calumniatorum suorum testimonio ejus fidem opponeret: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me; & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me*. Ejus preces exaudiit Deus, ostenditque in hac facti specie, si quando calumniam patitur triumphum agere, non id oscitantiæ cujusdam, aut imbellitatis esse, sed summæ potius sapientiæ, quæ nostris se celat oculis, ut in nobis ipsis fidem exerceat. Adolescentem ergo, Danielem nomine suscitavit, ut & Susannæ castitatem, & accusatorum nequitiem detegeret. Daniel, quem suo Deus spiritu cumulaverat, judicio, quod imminebat, obluctari non timuit; qui tunc nimirum adfuit, cum ad supplicium Susanna traheretur, populoque persuasit, ut ad examen rediret: *Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam*. Annuit populus; & Daniel seorsim interrogatos Senes, & in contradictionem tractos, fatentes ipsos, falsi crimine convicit. Cum enim sejunctim ex iis quæsiisset, sub qua tandem arbore Susannam cum adolescente deprehendissent; unus sub ilice viridi, alter sub schino respondit, cum id se non animadvertisse reponentes, quæstionem eludere possent. Una statim fuit totius populi vox, Deo benedicentis, qui eos servat, qui suam in ipso spem collocant; Senes duo, calumniæ convicti, supplicium idem, ex Legis præscripto, subiere, cui Susannam addictam volebant, & lapidibus obruti perierunt: *Cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit*. Ita innocenti servato sanguine, punitisque calumniatoribus, universa Susannæ familia Deo gratias egit, qui haud passus esset, veritatem mendacio, innocentiam improbitari, integritatem calumniæ succumbere.

Susanna, sanctarum Mulierum una, quæ Christum Dominum comitabantur, suisque facultatibus sustentabant. De ea id unum constat, quod Evangelium refert: *Joanna uxor Chusæ, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*.

Suthala, *vas ad potum*, filius Ephraim, Suthalitarum familiæ caput: *Suthala, a quo familia Suthalitarum*. Numer. XXVI. I. Paralip. VII.

Sycomorus, arbor, quæ morum, ficumque refert, *ficus morus*; ei posterioris frondes, prioris fructus natura indidit. Hæc arbor vellicanda est, ut fructum ad maturitatem perducat; & Amos quidem refert, id officii sibi fuisse: *Armentarius ego sum, vellicans sycomoros*. Ita respondet Amasiæ Regi, eum increpanti, qui lucri causa prophetam ageret, cum nihil esset, quod ita sibi victum quæreret; eum quippe vellendis sycomoris operam dantem satis habere, quo subsisteret. *Amos c.* VIII. 4.

Syene, *rubus*, Urbs, ad Ægypti fines, Nilum inter, & Mare Rubrum. Ægyptum claudit ad meridiem. In ea Turris, quam sacræ Litteræ Syenis turrim appellant: *turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ*. Ezechiel. cap. XIX. 10.

Symbolum, Grecum nomen, quod notam, tesseram, characterem significat, quo, quicumque in illud consentiunt, dignoscuntur. Ita Apostoli, antequam mutuo secederent, doctrinæ Christi Domini compendium composuerunt, quod veluti signum erat, quo se vicissim Christiani cognoscerent *. *Symbolum* id quoque significat, quod ad prandium communibus impensis instruendum, pro rata, ut dici solet, singuli conferebant; quo sensu *Symboli* nomen sumitur in Proverbiis: *Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur*. Ecclesiastico sermone *Symbolum* quoque dicitur, quod Sacramentorum materiam constituit, quod ob oculos ponitur, & sub sensus cadit; ita in Baptismate, internæ purificationis symbolum aqua est.

* *Symbolum præcipuarum rerum summa est*

est, quas Christifideles animo credere, & ore fateri debent. Id nominis origine græcum est, signumque innuit, quo milites, e quo essent ordine, profitebantur. Illud hac ipsa significatione suum fecit Ecclesia; quia scilicet eorum, quibus Symbolum constat, articulorum Fidei compendium cujusdam signi loco est, cujus ope se mutuo Christiani cognoscunt. Symbolum hoc SS. Patres Regulam, Confessionem, Professionem, Formulam *Fidei nuncuparunt. Porro Symbolum institui apprime utile fuit.* I. *Ut in maximo hominum numero, qui unum & idem Christiani nomen gerunt, quinam vere Catholici essent, & Ecclesiæ filii, palam fieret.* II. *Ut Fideles, qua par erat, methodo edocerentur, imbuerenturque, quin falli possent, mysteriis, quorum ad salutem necessaria cognitio est. Quoniam vero Fides, quoad varios, quos complectitur, articulos plus, minusve explicari, atque illustrari potest; varia proinde Symbola edita sunt. Symbolum primum dicitur* Apostolicum, *seu* Apostolorum *Symbolum, quippe quod, testibus SS. Patribus, ii concinnarunt, antequam alii in alias Orbis terrarum partes, Evangelium nuntiaturi secederent.* Tertullianus, *qui altero Ecclesiæ sæculo scribebat, in libris* de Præscriptionibus *asserit, Regulam, ad quam se Catholica Ecclesia conformat, eam esse, quam Ecclesia ipsa ab Apostolis, & Apostoli a Christo acceperunt.* S. Ambrosius *lib.* I. Epist. VII. *Hæreticos, ut ab errore revocentur, ad Apostolorum Symbolum mittendos ait, quod a Romana Ecclesia sartum tectumque servatum esse testatur.*

Ut verbo expediam, constans firmumque est, Ecclesiis omnibus, quarto, & quinto sæculo, unam, eamdemque Fidei formulam fuisse; quod argumento est, Symbolum, quod Apostolorum nomen gerit, ab iis derivari, ex S. Augustini *regula (Epist. 54. ad Januar.), quicquid ubique receptum est, nec scripto traditum, ex Apostolica institutione esse. Constat Symbolum hoc articulis duodecim, quorum explicationem articulus quisque ad litteram exhibet.*

Symbolum alterum Nycenum dicitur, utpote quod in hujus nominis primo, & Æcumenico primo Concilio an. 325. *Constantino Magno imperante, editum fuerit. Dicitur etiam Constantinopolitanum Symbolum, propterea quod in altero hujus nominis Generali Concilio an.* 381. *Magni Theodosii tempore celebrato nonnullæ haud parvi momenti additiones ei factæ fuerint, addente deinde Latina, quoad Spiritum Sanctum, Ecclesia, eum æque a Filio, atque a Patre procedere:* Filioque procedit; *ut eorum errorem impugnaret, everteretque, qui ex additione Constantinopolitanæ Synodi,* & in Spiritum Dominum, *inferebant, Spiritum Sanctum a Filio nequaquam procedere; quem deinceps errorem Græci secuti sunt. Symbolum hoc in Missa recitatur. Sæculo sexto factum est, ut Timotheus Alexandrinus Patriarcha illud in Ecclesia concini vellet; quod in Ecclesia Latina Toletanum Concilium can.* 2. *an.* 589. *præcepit.*

Symbolum tertium est, quod ex longo jam usu S. Athanasii *nomine inscribitur; dieque Dominica in Hora Prima Canonica recitatur. Eorum, qui sapiunt, sententia est, illud Vigilio potius Tapsensi in Africa Episcopo tribuendum esse, qui sub sæculi quinti finem vivebat; nullus enim ex Auctoribus S. Athanasio cœvis ante sæculum* VI. *id Operis eidem tribuit; ac stilus ostendit, Opus idem Latini, non Græci Auctoris esse.*

Cæterum alia multa sunt Fidei Dogmata, quæ Symbolis inserta non sunt; cujusmodi est, quicquid spectat ad Sacramenta, ad Purgatorium, ad æternas pœnas, &c.

Synagoga, græcum nomen, quod Cætum, seu Cœtus locum significat. Priore notione de Judæorum Ecclesia dicitur, pro ut cum Christianorum Ecclesia confertur; ita Synagoga captiva, reprobata, Christianæ Ecclesiæ æmula dicitur; at posteriore sensu, qui longe usitatior est, pro loco sumitur, qui Legis, & Prophetarum lectioni addictus est: *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Quæ his Synagogis origo fuerit, haud satis constat; contenduntque non pauci, earum usum cœpisse, Babylonicæ tantum Captivitatis tempore, quo Judæi, omni Tem-

Templo carentes, conventuum loca hæc ædificare cæperunt, ut orarent, & Lege imbuerentur. At post Machabæorum tempora, Synagogæ in eum numerum excreverunt, ut ubique fere locorum existerent, & in Urbe una Hierosolyma quingentæ ipsæ recenserentur. Sua cuique arti, seu professioni Synagoga erat; ipsique advenæ in suorum gratiam alias ædificarunt. Ita in Actis Apostolicis Synagogæ leguntur, quæ aderant Alexandrinis, Libertis, *Asiaticis*; *Ciliciis &c.* Intra, vel extra Urbem, ac fere in edito loco Synagogæ conditæ erant. Unaquæque ministros suos obtinebat, qui non unius generis erant; Præsides, seu Principes Synagogæ, qui ætate provecti homines erant, sapientia, perspectaque probitate præstantes: hebraico vocabulo designabantur, quod *Sapientes* significat. Nulla non auctoritate in Cætu gaudebant, ac de causis omnibus judicium ferebant. Iidem ad habendum sermonem eos excitabant, quos idoneos censebant. Ita qui ex Antiochena Synagoga erant, S. Paulum hortati sunt, ut aliquid ad pietatem, atque institutionem accommodatum diceret: *Post lectionem autem Legis, & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri Fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* Præter Præsides, Synagogę cuique Minister veluti quidam erat, qui preci, Legisque lectioni præerat, & *Sejamas*, *scilicet Inspector* appellabatur. Huic Ministro suberant alii, qui pauperum curam agebant, & elecmosynas colligebant.

Synagoga sumitur etiam pro cujusvis generis cœtu: *Synagoga potentium quæsierunt animam meam*: hominum cœtus, quibus potestas erat, operam dedit, ut me in perniciem ageret, perdereturque.

Syntiches, *qui loquitur*, Cristiana Fœmina, de qua S. Paulus in Epistola ad Corinthios, virtute, ac recte factis illustris: *Evodiam rogo, & Syntichem deprecor, id ipsum sapere in Domino*. Hę duę fæminæ veluti Philippensium Ecclesiæ præerant; at cum inter eas aliqua dissensio coorta esset, horratus proinde est ipsas Apostolus, ut eadem sensa in Domino amplecterentur.

Syracusa, *vi trahens*, Urbs clara Siciliæ, alias hujus Insulæ Metropolis, & ad oram orientelem sita. Eo S. Paulus appulit, cum Romam pergeret, ibique triduum constitit: *Cum venissemus Syracusam, mansibus ibi triduo*. Actor. cap. xxviii. *

* *Illustris est etiam Syracusa S. Luciæ martyrio, quod Æræ Christianæ an. 303. Diocletiano, & Maximiano imperantibus contigit.*

Syrenes, marina monstra, Poetarum fabulis bara, qui finxerunt, ea partim fœminas, partim pisces fuisse, atque ad oras Siciliæ constitisse, ubi viatores cantuum suorum concentu detinebant. Id nominis in sacris Litteris pro monstroso, crudelique animali sumitur: *Respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Syrenes in delubris voluptatis;* Isaias de Babylone loquitur, ejusque extremum excidium portendit, fore scilicet, ut sæva monstra splendidas ejus ædes incolant; monetque S. Hieronymus, eas sylvestres belluas, quæ in Babylonis ruinis delitescunt, Dœmonum imaginem esse, qui peccatorum animis insunt; & Syrenum nomine cæcos, & mercenarios duces significari, qui subdola, sævaque blanditie, ac suavitate præcipites animas agunt: *qui dulci*, inquit, *& mortifero carmine animas pertrahunt in profundum*.

Syria, *elevata*, Hebraice *Aram*, nomen quinti filiorum Sem, a quo Syrii originem ducunt, erat Asiæ ampla regio, de qua sacræ Litteræ, quæ in plures eam provincias tribuunt. I. Est Syria proprie dicta inter Euphratem ad Ortum, Mediterraneum ad Occasum, Ciliciam ad Septentrionem, Phæniciam, Judæam, Desertum ad meridiem. II. Syria duorum fluminom, seu Mesopotamia Syriæ, inter Euphratem, & Tigrim sita; & ex hac regione Chusan Rasathaim: *Tradidit in manus ejus Chusan Rasathaim Regem Syriæ*. III. Syria Damasci, cujus hæc Urbs Metropolis erat, ad Ortum protendebatur ad Libanum: *Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer Regi Soba*. IV. Syria Soba, quæ, ut est probabile, Cælesyria erat: *Pertransiens Syriam Soba*. V. Syria Maacha, regio ultra Jordanem in Tribu Manasse: *Filii Ammon miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba currus, & equites*. VI. Syria Rohob, ea nempe Syriæ pars, cujus Rohob Metropolis erat, quæque Tribui

Aser

Afer data fuit: *Afer quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, ... & Rohob.* Ammonitæ opem in Davidem a Syriis Rohob, & a Syriis Maacha implorarunt: *Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, & Syrum Maacha mille peditum.* VII. *Syria* Tob ad feptentrionales Palæstinæ fines erat: *Syrus autem Soba, & Rohob, & Tob, & Maacha seorsum erant in campo.* VIII. Syria Emath, ea fcilicet, cui Emath ad Orontem Metropolis erat.

Porro *Syria* fimpliciter Syriæ Regnum defignat, cujus Antiochia Metropolis evafit poft Seleucidarum Regnum. Ante id tempus Syriæ nomen abfolute pofitum non occurrit; at hujus regionis partes variæ per eam quæque Urbem diftinguuntur, quæ earum Metropolis erat. Syria primo paruit propriis Regibus, qui in fua quifque parte regnabant. Hos populos fubegit David, quia Ammonitis opem ferre voluerunt, quibufcum Princeps hic bellum gerebat. Cum ad Salomonis mortem ufque fub jugo fuiffent, illud excufferunt, eofque non nifi Jeroboam, hujus nominis fecundus, Rex Ifrael in ditionem redegit. Syriam deinde Affyriæ Regum imperio addidit Teglatphalaffar, qui Rafin, ejus Regum ultimum vita fpoliavit, & Syros ultra Euphratem afportavit. In Chaldæorum deinceps, tum in Perfarum dominium venit, quibus ademptam Alexander Macedo fibi fubdidit; quo fato functo, Seleucus, unus ex ejus Ducibus, primum Præfidis, deinde Regis Syriæ titulum fibi fumpfit. Is Regum Seleucidarum caput fuit, qui octodecim numero per annos ducentos quinquaginta feptem regnarunt; quibus elapfis, Pompejus Syriam in Romanorum provinciam redegit an. Mund. 3939.

Syrophænicia, *Phænicia Syriæ*. A Syriæ Regibus fubacta Phænicia nomen fuum cum Syria ipfa copulavit, atque ut ejus pars habita eft. Ita Chananæa dicitur Syrophæniciana: *Erat Mulier gentilis Syrophænissa genere;* erat enim e Phænicia, quam tunc Syri adminiftrabant. *Marc. cap.* VII. & XVII.

T

TA

Tabbaoth, *annuli*, hominis nomen, a quo Mathinæi: *Filii Hasupha filii Tabbaoth.* I. Efdr. cap. II.

Tabeel, *Deus bonus*, eorum unus, qui Templi reparationi obftiterunt: *Mitridates, & Tabeel, & reliqui.* Fuit Tabeel alter, cui filius, quem Phacee, & Rafin Reges in locum Achaz ftatuere volebant: *Ponamus Regem in medio ejus filium Tabeel.* De hoc filio Tabeel id unum conftat. E qua Natione, & familia fuerit, ignorantur. I. *Esdr.* IV. *Isai. c.* VII.

Tabelias, *Baptismus*, *Domini*, Levita e pofteris Merari, inftitutus janitor: *Helcias secundus, Tabelias tertius.* I. Paralip. XXVI.

Teberra, *incendium*, hebraicum nomen unius Ifraelitarum in Deferto Stationibus. Locus hic ita dictus quia ignis e Domini Tabernaculo egreffus, magnam Ifraelitici exercitus partem in quærimoniarum pœnam incendit: *Vocavitque nomen loci illius Incensio, eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.*

Tabernaculum. Vocabulum hoc, quod proprie tentorium fignificat, in facris Litteris pro loco potiffimum fumitur, in quo Ifraelitæ, quandiu per Defertum iter fecerunt, facrificia offerebant, & Dominum adorabant. Deus ipfe in Monte ejus formam Mofi præfcripfit: *Facientque mihi Sanctuarium, et habitabo in medio eorum, juxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi.* Nimirum Deus in populo conformem cultum, ftatafque cæremonias ftatuere volens, manuale Templum mediis in caftris erigi juffit, pro viatorum ratione, quod componi, folvique, & quolibet afportari poterat. Tabulis, pellibus, velifque conftabat; longum erat cubitos triginta, decem altum, & totidem latum, Tributum erat in partes duas; e quibus ea, quæ ingredienti prima occurrebat, *Sanctum* nuncupabatur; ibique erant Candelabrum, Menfa panum propofitionis, & Altare aureum, ubi odoramenta combutebantur: *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant Candelabrum, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta.* Primam hanc partem pretiofum velum fejungebat ab altera, quæ *Sanctuarium*, feu

seu *Sanctum Sanctorum* appellabatur, ubi Fœderis Arca erat: *Post velamentum autem, secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam Testamenti*. Spatium, quod circum Tabernaculum erat, *atrium* dicebatur, in quo ad Tabernaculi ingressum aderat *holocaustorum Altare*, magnumque vas æneum, aqua plenum, qua se Sacerdotes tergebant, antequam ad obeunda ministerii sui officia accederent. Spatium hoc, quod longum cubitos centum, & quinquaginta latum erat, cortinarum ordine, æneis columnis fulto concludebatur; ipsumque Tabernaculum pretiosis velis pluribus obtegebatur, quibus imposita e caprinis pilis alia pluviam, & aeris injuriam arcebant. Tabernaculum hoc tamquam Altissimi Palatium, sedesque Dei Israel. spectabatur; in eo quippe sensibus ipsis præsentiæ suæ signa exhibebat, videbaturque ibidem populi sui rationibus invigilare, & semper paratus esse, ejus preces audire, votaque, & oblationes recipere. Hac de causa Deus illud mediis in castris situm voluit, omnibus circum stantibus Israelitarum tentoriis, quæ undique pro singulorum ordine posita erant; Judas, Zabulon, & Issachar ad Ortum; Ephraim, Beniamin, & Manasse ad Occasum; Dan, Aser, & Nephtali ad Septentrionem; Ruben, Simeon, & Gad ad meridiem. Erectum, dicatumque fuit Tabernaculum ad radices montis Sinai prima die primi mensis anni secundi post exitum ex Ægypto an. Mund. 2514. Templi loco fuit apud Hebræos ad illud usque tempus quo Solomon Templum ædificavit ad exemplar illud, quod David expresserat; quod unum & unicum Divini cultus centrum fuit, Deique unitatem, & magnitudinem, ac totius electi populi in idem Religionis corpus unionem universo terrarum Orbi nuntiavit. Legis veteris Tabernaculum, ex S. Pauli doctrina, erat imago Cœli, ubi Christus Dominus ad Divinæ Majestatis throni dexteram sedet, utpote Sanctuarii, Tabernaculique veri Minister, quod Dominus, non homo erexit: *Qui consedit in dextera sedis magnitudinis in Cœlis, Sanctorum Minister, et Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo*. Conferri potest, Apostolo facem præferente, cum terrestris Tabernaculi partibus variis Mundus visibilis, & invisibilis, æque uterque Christi Domini imperio subjectus. Mundus prior atrium est, Impiorum profanationibus patens, quemadmodum Tabernaculi atrium aeris injuriis injuriis suberat: *Quoniam datum est Gentibus, et Civitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*. Tabernaculi pars, *Sanctum*, dicta, in quam aditus Sacerdotibus tantum patebat, Beatorum sedem significabat, in quam tantummodo Sacerdotes Reges ingredi possunt, ut ibidem per omnem æternitatem laudum suarum incensum super aureum Altare offerant, quod ante Dei thronum est: *In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, Sacrificiorum officia consummantes*. Sanctum Sanctorum, ubi Arca quiescebat, quod Divinitatis ipsum veluti solium erat, & quo semel in anno Summus Pontifex ingrediebatur: *in secundo autem semel in anno*; Cœli locum maxime intimum, eminentemque significabat, ubi perfectiones suas Deus vividissimis coloribus pinxit, amplitudinisque suæ vim omnem collegit; ibi adorandæ Trinitatis inaccessum lumen, & gloria residet. Hoc verum Sanctuarium est, non humana, sed divina manu confectum, in quod Christus, tamquam verus Pontifex, æternamque oblationem edens, ingrediendi jus obtinet: *Cristus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius Tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta æterna redemptione inventa*.

Ante quam magnum Tabernaculum construeretur, Moses Tabernaculum aliud minus erexerat, quod tentorium veluti quoddam erat, mediis in castris situm, quod ipse subibat, ut cum Deo loqueretur, ejusque voluntatem perciperet. Hoc autem Tabernaculum Fœderis dicebatur; illudque Dei jussu extra castra Moses erexit, cum Israelitæ per aurei Vituli cultum Divini Numinis iram in se concitassent: *Moyses tollens Tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus Tabernaculum Fœderis*.

Tabernaculum in sacris Litteris sæpe numero pro domo sumitur: *Remisit unumquemque in tabernacula sua*. Pro puro etiam, putoque tentorio accipitur: *Inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo*. Præterea pro Cœlo, Beatorum sede ponitur: *Sanctorum Minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo*. Ad hæc pro Ecclesia usurpatur, quam sua

sua Deus præsentia insignit, & ornat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Denique nomen hoc idem nonnunquam Tabernaculi partes omnes, Sanctuarium, locum Sanctum, atrium, Templumque ipsum significat.

Tabernaculorum Festum ex insignibus tribus apud Judæos solemnibus Festis unum erat, quod post messem die decima quinta Mensis Tisri celebrabant per septem omnino dies, quos sub tentoriis, quæ ex arbusculis confecta erant, ad Majorum suorum in Deserto stationem commemorandam, transigebant: *Mense septimo Festa celebrabitis in umbraculis septem diebus; omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis; quod in iis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti*. Festis septem diebus singulis certus victimarum numerus in holocaustum, & bos in sacrificium pro peccatis offerebantur; Judæi porro per id omne tempus læta convivia cum Uxoribus, filiisque agitabant, ad quæ Levitas, advenas, Viduas, & Orphanos recipiebant. Elapsis diebus septem, solemni lætitiæ finem imponebat novum solemne Festum, quod octavo die peragebatur, omni, ut in primo, labore prohibito. Masculi ad unum omnes ad Tabernaculum, ac deinde ad Templum pergere jubebantur; atque ita quidem, ut non vacuis manibus accederent, sed dona, & sacrificia, & gratiarum actiones Domino singuli offerrent, pro beneficiorum ratione, quæ a Deo acceperant: *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque, secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei*.

Tabitha, *capra*, Christianæ Fœminæ nomen, quæ versabatur in Urbe Joppe, bonis edendis operibus, erogandisque in pauperes eleemosynis dedita: *Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat*. Cum Tabitha obiisset, tabulæ imposita est, quoad in feretro poneretur; cum autem S. Petrus sub idem tempus Joppen venisset, Viduæ, quibus Tabitha indumenta suppeditabat, eì se flentes stiterunt; qui, Deum precatus, se ad cadaver convertit, dixitque: *Tabitha surge*; quam, cum statim oculos aperuisset, & consedisset, Petrus vivam Sanctis, & Viduis reddidit: *Et cum vocasset Sanctos, & Viduas, assignavit eam vivam*. Actor. cap. ix.

Tabula Legis. Deus in monte Sinai duas Mosi tabulas dedit, quibus ejus manu ipsa inscripta erant Fœderis verba decem, seu decem præcepta, quæ præcipuos conventionis articulos Deum inter, & ejus populum initæ complectebantur: *Dedit Dominus Moysi tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei*. Cum Patriarcha hic e monte descendisset, & Israelitarum, aureum Vitulum colentium delictum perspexisset, sancta indignatione permotus, tabulas, quas præ manibus habebat, infregit, ut populo significaret, fœdus, cujus eæ tabulæ momumentum, & figura erant, per eorum perfidiam fractum esse, Deumque, nullo amplius titulo devinctum, eos tamquam perduelles servos puniendi jure gaudere: *Projecit de manu tabulas, & confregit ad radicem montis*. Mosi in montem reverso Deus novas tabulas iisdem præceptis inscriptas dedit: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*. Hæ posteriores tabulæ sunt, quas Moses in Arca posuit. Eæ sane, prorsus ut priores, non nisi Decalogum continebant, qui omnia hominis officia complectitur; verum in idololatriæ pœnam, in quam populus lapsus erat, ei Deus cæremonialium legum, imperfectorumque, & inutilium præceptorum multitudinem per Mosem imposuit, quorum custodia ad vitam ducere non poterat, quod officiorum in Decalogo præscriptorum fidelis executio præstitisset: *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in Desertum, & dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*. Ejusmodi erat Decalogi Lex, qua fœderis Deum inter, & Israelitas transactio nitebatur; at ii quidem, cum conventionem per idololatriam primi violassent, digni fuere, quos Deus gravi, adeoque intolerando complurium Legum jugo premeret: *Et irritaverunt me domus Israel in Deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis . . . . Ergo et dedi eis præcepta bona, & judicia, in quibus non vivent*.

Talentum. Hebraicum talentum Siclorum tria millia valebat, & mille circiter & quingentorum vulgarium Ducatorum valori respondebat. Sunt, qui contendant, duorum generum talenta Judæis fuisse, sacrum unum, civile alterum; at discrimen hoc, in id unum excogitatum, ut creditu facilior evadat immensa pecuniæ vis, quam David ad Templi ædificationem filio reliquit, nullo in-

sacris Litteris fundamento nititur, prorsusque inutilis est, si reputetur, quæ, Davidis ætate, Regni amplitudo, quæ victoriæ, quæ florentis imperii ratio fuerit.

Talio. Mosaica Lex talionis pœnam in eos statuebat, qui alterum læsissent, inflicto corpori vulnere; hæc erant Legis verba: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, vulnus pro vulnere*. Super hujus Legis sensu Interpretes secti sunt. Eam alii ad verbum accipiunt, summoque jure; verum alii, & quidem saniores afferunt, eam non quoad verba servandam fuisse, sed solum jussisse, ut Judices æqualitatem, justamque rationem delictum inter, & pœnam ponerent. Cæterum Lex hæc, quacumque tandem significatione sumatur, ad Judices tantum spectabat, certamque publicis pœnis regulam statuebat. Verum Judæi Doctores, Scriptura abutentes, ut falsis moralium suorum dogmatum principiis auctoritatem quærerent, eamdem Legem longe aliter explicabant, privatisque hominibus licere volebant, malum pro malo reddere; quam sane absonam explicationem Christus explodit, & in eos homicidii, ac vindictæ Doctores veram Legis notionem affert: *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente; ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*.

Talitha-Cumi, filia mea, surge, Syriaca vox, qua Christus Dominus usus est, cum filiam Jair a morte excitavit: *Talitha-Cumi, quod est interpretatum, puella, tibi dico, surge*. Marc. c. v.

Talmud, celebris Judæorum liber, qui Doctrinæ quoddam quasi corpus est, quod eorum Religionem, leges, moresque complectitur. Ejusmodi libri duo sunt; Hierosolymitanus unus, sub Æræ Vulgaris annum 200. ab Hierosolymitanis Rabbinis editus in Judæorum gratiam, qui Judæam incolebant; Babylonicus alter, ducentis circiter post primum annis Babylone concinnatus, ad Judæorum usum, qui ultra Euphratem versabantur. Hoc posteriore Judæi libentius utuntur, quippe qui fusior altero, clariorque est. Utriusque Talmudici libri partes duæ sunt; *Misna*, seu secunda Lex, seu congestæ omnes Judæorum Doctorum traditiones, quas Rabbinus Judas, cognomento *Sanctus* in unum corpus redegit, collegitque, ne per Nationis dispersionem perirent; & *Gemara*, seu *complementum*, quod Rabbinus Jehanan addidit Misnæ, ut Talmud Hierosolymæ reformaret. Talmud Babylonici Gemara elaboratum fuit a Rabbino *Ase*, qui centum circiter annis post Johanan vixit, quique post longam *Sare* haud Babylone procul exercitationem, suum super Misna commentarium emisit. Laboriosum opus, quod ipse perficere non potuit, ejus Discipuli prosecuti sunt. Judæi futilem hunc, risuque excipiendum librum, qui absurdis traditionibus, inepti fabulis, execrandisque in Christum blasphemiis scatet, singulari observantia prosequuntur, atque adeo sæpe sacræ ipsi Scripturæ præferunt. Rabbinus Maimonides hujus ingentis operis compendium edidit; eique demptis iis, quæ inutilia, fabulosa, puerilia occurrebant, Legum, morumque Judaicorum Digestum cumulatissimum efformavit.

Talpa, animal, quod impurum Mosaica Lex declaravit: *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ moventur in terra, mustela, & mus . . . & talpa* Animalis hujus occurrit etiam apud Isaiam mentio, qui Judæos ait eo cæcitatis devenisse, ut hoc ipsum vile animal divinis honoribus afficerent: *In die illa projiciet homo Idola argenti sui, & Simulacra argenti sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones*.

Tanis, monumentum, Ægypti Urbs, e totius regionis spectatissimis, & vetustissimis: *Hebron septem annis ante Tanim Ægypti condita est*. Sita erat in Delta, ad unum e Nili ostiis, ut proinde *Taniticum ostium* nuncuparetur. Ibi Deus, editis per Mosem prodigiis pluribus insignia Omnipotentiæ suæ specimina exhibuit; *Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos*. Hujus Urbis Principes Isaias deridet, qui per pravam sagacitatem se sapientia, & prudentia apprime instructos jactabant. *Num.* XIII.

Taphet, podagra, Salomonis filia, quæ nupsit Ben-Aminadab, qui universam regionem Or administrabat: *Ben-Aminadab, cujus omnis Nephatdor, Taphet filiam Salomonis habebat uxorem*. III. Reg. IV.

Taphne, fuga abdita, Ægypti Regina, & Pharaonis uxor, cujus soror in matrimonium data fuit Adad filio Regis Idumææ: *Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem sororem uxoris suæ germanam Taphnes Reginæ*. III. Reg. cap. XI.

Ta-

Taphnis, *protectio tecta*, Ægypti Urbs, quæ eadem ac Tanis creditur. Cum Jeremias, & Israelitæ, qui cùm eo erant, Taphnin se recepissent, Dominus Jeremiæ notum voluit, fore, ut Nabuchodonosor eam Urbem caperet, suumque in ea solium poneret, & quidem eo ipso in loco, e quo Jeremias petras eruerat: *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens .... Ecce ego mittam, & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum; & ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos*. Numer. XLIII.

Taphsar, hebraica vox, quam alii aliter explicant. Eam nonnulli pro loci nomine sumunt: *Numerate contra eam Taphsar*: milites in Taphsar legite, qui Babylonem invadant. Eamdem alii pro nobilitate, seu pro dignitate nominis accipiunt. Per eam demum alii bellicam machinam significari putant. *Jerem. cap.* LI.

Taphua, *pomum*, Urbs in Tribu Ephraim prope arundinum vallem sita, quæ huic, & Tribui Manasse fines statuebat. Huic Urbi addictus ager Tribui Manasse per sortem obtigerat; Urbs autem ipsa filiis Ephraim tradita fuit: *In sorte Manasse ceciderat terra Taphua; & Urbs Taphua, quæ est juxta terminos Manasse, filiorum Ephraim*. Alia hujus nominis Urbs erat in Tribu Juda; idemque nomen gerebat filius Hebron: *Porro filii Hebron, Core, & Taphua, & Recem*. Jos. c. XV.

Targum, *interpretatio*, nomen, quo suas in sacram Scripturam glossas, seu paraphrases Judæi designant. Hæ paraphrases eo sermone scriptæ sunt, qui Judæis a Babylonica captivitate reversis familiaris erat, cum per illud tempus patriæ linguæ propemodum obliti essent. Probabile admodum est, Esdræ tempore Judæos ea lingua uti cæpisse, quandoquidem legimus, hunc sanctum Sacerdotem cum cæteris Sacerdotibus legem populo in Templo legisse, & auditoribus explicuisse: *Dixit autem Nehemias, & Esdras Sacerdos, & Scriba, & Levitæ, interpretantes universo populo*. Non efficit tamen hujus moris antiquitas, ut iis paraphrases nisi post Onkelosum, & Jonathanum scriptæ suppeterent, qui Christi circiter temporibus vivebant. Omnium maximi fit Onkelosi Targum, quod in Mosis tantum libris quinque versatur, quorum litteralis explicatio est. Jonathani autem Targum in Majorum, & Minorum Prophetarum interpretatione occupatur. Hæc Opera duo puro stilo scripta sunt, qui ad primum Babylonicum sermonem accedit.

Tarsus, *alæ*, Urbs clara Ciliciæ, S. Pauli natalibus clarior: *Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ*. Urbs hæc libera erat Romanæ Coloniæ privilegium consecuta, propterea quod a Julii Cæsaris partibus fidelis constansque stetisset. Cum ergo hujus privilegii vi omnes ejus incolæ gauderent Romanorum Civium titulo; id proinde juris S. Paulus ob natalia obtinebat: *Si hominem Romanum licet vobis flagellare?*

Taurus, animal, quod Hebræis purum erat, quoque ii fere ad sacrificia utebantur: *Numquid manducabo carnes Taurorum?* Edicit Deus, se minime de oblata Taurorum carne sollicitum esse, sed protsus internam animi ad humilitatem compositi immolationem velle. Metaphorica locutione Tauri nomen pro adversariis sumitur, quorum magna potestas est: *Tauri pingues obsederunt me*. Ita Christus Judæorum Sacerdotes nuncupat, qui cæterorum acerrime in eum furebant. *Descendant Tauri cum potentibus, inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium*. Isaias, ait, Deum jam jam Taurorum pinguium, scilicet Idumææ Principum, qui infirmos oppresserunt, extremam cladem editurum.

Tebbath, *bonitas*, nomen Urbis, seu regionis in Tribu Ephraim: *Fugientes usque ad Bethseta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath*. De Madianitis sermo est, qui Gedeonis tempore in Valle Jezrael castrametati, armis in se ipsos conversis, Bethsetam, altamque Tebbath usque fugerunt. *Jud. c.* VII.

Tebet, seu *Tevet*, *inundatio*, Ecclesiastici anni apud Hebræos mensis decimus, & Civilis anni quartus, qui partim Januario, partim Februario respondet: *Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri, mense decimo, qui vocabatur Tebet*. Hujus mensis secunda dies finem imponebat Dedicationi Templi, quod Judas Machabæus purgaverat, ejusdemque mensis die decima Judæi jejunabant, ob Legis versionem, quæ Philadelphi jussu confecta fuerat.

Templum, Deo sacer locus. Nomen hoc in sacris Litteris potissimum sumitur pro insigni, claroque Templo, quod Salomon Hierosolymis

mis ædificaverat. Deus Mosi mandaverat, ut Tabernaculum construeret in eam formam, quam ipse eidem exhibuit; at illud desiturum erat, statim ac Deus ipse peculiarem locum elegisset, in quo sibi sacrificia offerri vellet: *Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus*. Deus deinde Davidi revelavit, Hierosolymam eum locum esse, in quo sibi Templum erigi volebat; piusque Princeps hic se ad ea comparabat, quorum ope magnum istud consilium exequeretur; at eum Deus monitum voluit, id honoris ejus successori servari: *Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo*. Sanctus hic Rex, de Dei gloria apprime sollicitus, & Religionem singulari observantia prosecutus, aliqua saltem ratione ad hoc eximium opus conferre voluit, paratis nimirum ruderibus, quibus ad insignis ædificii constructionem alter usurus erat. Ergo triginta & amplius annos in id impendit, ut aurum, argentum, & alia metalla congereret, ad erigendum Templum, cujus magnificentia responderet Divinæ magnitudinis imagini, quam fides ejus animo indiderat, quodque universi terrarum Orbis cultum ad se pertraxit. Ipse ejus exemplar, & formam filio proposuit, qui paulo post quam regnare cepisset, manum admovit operi, illudque strenue prosecutus, intra biennium, immensis impensis, incredibilique magnificentia perfecit. Primum omnium ad Hiram Regem Tyri confugit, ut sibi in omni genere idonei opifices, & pretiosissima quæque Libani ligna præsto essent. Ad magnificam erigendam molem electus locus in monte Sion fuit, *Alloria* dictus, quem David paraverat. Ad varios labores incredibilem opificum numerum adhibuit, qui scilicet afferrent e Joppe ligna, unde Rex Hiram Hierosolymam ea mittebat, eruerent lapides, quos inciderent, expolirentque, atque ita paratos, illæsosque in montem usque perferrent, ubi Templum ædificabatur. Ædificium hoc ad Tabernaculi formam confectum fuit; at nihil non longe majus erat, & opulentius. Constabat viis multis, ædificiisque, quæ magnum soli spatium occupabant, quod nempe Ministros omnes, omnemque populum excipere posset. Tres erant eorum ambitus; quorum primus Gentium atrium dicebatur, amplasque aulas complectebatur; ambitus alter Israelitarum atrium nuncupabatur, in quod populus ingrediebatur; & hoc ipsum cingebant undique aulæ magnificæ, duobus, tribusve columnarum ordinibus fultæ, in quibus Sacerdotum, & Levitarum domicilia, qui Divino servitio addicti erant, & cubicula, quibus includebatur, quicquid ad Dei cultum requirebatur. In medio populi atrio, Sacerdotum atrium erat, quod perfecte quadratum aulæ quoque, atque ædificia in eumdem usum cingebant. E medio posteriore hoc ambitu conspiciebatur pars proprie dicta Templum, nempe Sanctuarium, Sanctum, Vestibulum. In Sancto erant Candelabrum aureum, mensa panum propositionis, & Altare aureum, super quo incensum offerebatur. In Sanctuario nihil erat aliud, quam Arca Fœderis, quæ legis tabulas continebat; at expressis palmis, Cherubin, ligno aureis laminis tecto, aliisque elegantissimis ornamentis insignitum erat. Omnem etiam internam Templi partem exornabat, quicquid per artem, opesque sumptuosissimum excogitari potuerat. Aurum ubique mirum in modum profusum; mensæ, candelabra, omnisque generis vasa, quorum ingens aderat numerus, ex hoc pretioso metallo constabant. Cum ergo opera hæc omnia ad exitum perducta essent, extremamque manum splendidissimo huic ædificio Salomon imposuisset, ejus dedicationem singulari apparatu, maximeque solemni ratione celebravit, festo multum splendoris addente Deo miraculis pluribus, quæ sane argumento erant, locum Dei præsentia illustrari, Deumque ipsum se ibidem coli velle. Nubes occupavit Domum Domini, ut palam fieret, præsentis Dei patrocinium præsto fore tum loco ipsi, tum iis, qui eo se sanctum ejus nomen invocaturi conferrent. Descendit e Cælo ignis, & Holocausta, victimasque consumpsit, ac Dei majestatem lumen exhibuit, quod Sacerdotes, & populum sancto timore perfudit: *Ignis descendit de Cælo, & devoravit holocausta, & victimas, & Majestas Domini implevit Domum*.

Templum hoc, cujus consecratio in annum Mundi 3000. incidit, varias deinceps vicissitudines subiit. Illud, Roboamo regnante, vastavit Sesac Ægypti Rex, tum Achaz ipse Rex Juda; polluit impius Manasses, qui idola in illud inferre ausus est; denique diruit a fundamentis Nabuchodonosor, Sedeciæ tempore,

pote,,

pore, prout Jeremias Dei nomine portenderat, in abominationum pœnam, quas ibidem populus, & Sanctuarii Ministri ipsi patrabant: *Dabo demum istam sicut Silo, & Urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ*. Templum ergo suis in ruinis per annos quinquaginta duos, scilicet ad primum usque Babylonici Regni Cyri annum sepultum jacuit. Tum vero Deus, qui per Jeremiam futurum promiserat, ut Templum repararetur, eam huic Principi mentem indidit, ut insigne Edictum per universum Regnum vulgatum vellet, quo Judæis Hierosolymam redeundi, ibique Templum Domino rursus ædificandi facultas concedebatur. Ergo turmatim abiere, Duce Zorobabel, cumque in Judæam pervenissent, operis fundamenta jacere sollicite aggressi sunt. At qui primum a Salomone conditum Templum conspexerant, reputantes, quantum ei posterius magnitudine, & magnificentia concederet, lacrymas cohibere non potuerunt: *Qui viderant Templum prius, cum fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magna*. Interea Judæorum hostes ea vafritie usi sunt apud Cyri Ministros, ut tandem prohiberetur operis prosecutio, quod usque ad Darii filii Istaspis Regnum suspensum mansit. Tum vero Judæi alacriter ad opus rediere, animos addentibus Aggæi, & Zachariæ cohortationibus; neque adversariorum prava voluntas, & pertinax obluctatio impedimento esse potuit, quominus illud ad exitum tandem perducerent. Templum hoc Deus per Omnipotentiæ suæ specimen a vastatione servavit, Ethnici Regis Ministrum insignem in modum puniens, qui sanctum locum vi facta ingredi non est veritus. At Dominus tandem populi prævaricationibus exacerbatus, qui sacras ædes furtis, & sacrilegiis polluebat, suam ipsam domum impii Antiochi profanationibus tradidit, qui sacrificio perpetuo finem imposuit, & *abominationem desolationis* in Templum induxit, quemadmodum Daniel prædixerat, Idolo Jovis Olympii in Altari posito: *Et pollutent Sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem*. Triennio post Judas Machabæus, cum patriam regionem a Syriis armis liberasset, Templum purgavit, in eoque Divinum cultum restituit. Atque hæc Templi ratio fuit ad Herodis usque tempus, qui, ut sibi Judæorum animum devinciret, & monumentum erigeret, quo suo nomini gloriam compararet, illud instaurare aggressus est. Congessit intra biennium incredibili impensa, & labore, quicquid ad propositum opus perficiendum spectabat; cumque omnia in promptu essent, vetus Templum demolitus est, quod ab annis quingentis, quibus steterat, vicissitudines multas a tempore, & ab hostium impetu jam subierat. Ergo novum inchoatum voluit, quod spatio annorum novem, & mensibus prærerea sex ad exitum perductum fuit, tametsi adhuc externis ædificiis adlaboraretur, eo ipso tempore, quo suum Christus Dominus ministerium obiit: ab annis jam quadraginta Templum ædificatur, ita ad Christum ipsum Judæi. Ita quidem Josephus de Templo, quod Herodes ædificavit, ac siquidem ei fides habenda, Templum hoc tertium est, quod penes Judæos fuerit. At nihil magis Judæorum opinioni repugnat, qui semper secundum Templum vocarunt illud, quod a Romanis combustum fuit, & quidem ex Aggæi vaticinio, qui futurum prædixerat, ut Messias sua præsentia secundum Templum exornaret, ipsumque Templum longe gloriosius, quam primum evaderet: *Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo Domum istam gloria, dicit Dominus Exercituum..... magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ*. Est ergo prorsus indubitatum, Templum, in quo Christus Dominus a Sancta Virgine præsentatus fuit, & in quod ipse non semel ingressus est, reapse Secundum Templum fuisse, quod Herodes ornandum tantum, expoliendumque suscepit, quodque flammis addictum fuit, & a fundamentis eversum, Hierosolyma a Tito capta, licet hic ipse Princeps nihil non egerit, ut illud servaret. At tempus jam venerat, quo Deus Filii sui interfectores, apertos, capitalesque suæ Religionis hostes, & pertinaces Sanctorum suorum persecutores insigni ratione punitos volebat. Divina justitia, quæ se adeo perspicue in prima Templi per Regem Nabuchodonosor eversione prodiderat, in altero excidio per Titum illato se longe apertius, & gravius exhibuit, quia scilicet Judæorum delictis cumulus jam accesserat, eorumque animos extrema pertinacia occupaverat. Vindictam hanc singularia quædam, & insolitata signa nuntiarunt, quæ totidem erant ejus desolationis auguria, qua nulla unquam major audita est; ac ne populus

pulus dubitare posset, an Titus, quemadmodum olim Nabuchodonosor, Divinæ Indignationis instrumentum esset; Deus inutilia reddidit omnia consilia, quæ Romanus Princeps iniit, ut a comumni excidio magnificum illud ædificium eximeret. Quidam miles, peculiari quodam imperu actus, cum sociorum opem implorasset, ut ad fenestram extolleretur, in hoc augustum Templum ignem injecit. Accurrit Princeps, elataque voce in mandatis dedit, ut inchoata vix flamma extingueretur; at ea momento temporis propagata universum templum occupavit; atque ita boc mirandum Ædificium eo ipso mense, ac die, quo jam sub Assyriæ Rege primum, in cinerem redactum est.

Sacra Scriptura aliorum plurium Templorum meminit, quæ in Palæstina erant; sive ea in Dei bonorem erecta essent, cujusmodi Templum Garizim, a Samaritanis ædificatum, & ducentos post annos ab Hircano dirutum, de quo Templo apud S. Joannem sermo est: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet;* sive eadem Templa Idolis dicata essent, ut Templa Dagon in Urbe Gaza, Baal in Urbe Samaria, Remnon Damasci, Nesroc Babylone, Chamos, & Moloch, quæ Salomon in Olivarum monte ædificaverat, & alia complura.

Vocabulum boc ipsum, *Templum*, sumitur etiam I. Pro Christi Domini Ecclesia: *Ita ut in Templo Dei sedeat*: Antichristus sedebit in Templo Dei, scilicet in Ecclesia, in qua sibi cultum tamquam Deo vindicabit. II. Pro Cælo, quæ Dei sedes est: *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes ejus*. III. Denique Fideles quoque significat, qui Dei Templum nuncupantur, quia scilicet per spiritum suum Deus in iisdem residet: *Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis*.

Tempus. Vocabulum hoc proprie durationem, seu spatium significat, quod inter terminos duos intercedit: *A tempore usque ad tempus comedes illud*. Aliis multis præterea significationibus sumitur. I. Pro momento ad aliquid faciendum accommodato: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*. II. Pro anni parte: *ut sint in signa, & tempora, & dies & annos*. III. Pro unius anni spatio: *Usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Hæc autem Danielis, & Joannis in Apocalypsi verba tres annos cum dimidio designant, quorum spatio Antiochi in Judæos, & Diocletiani in Christianos gravissimæ persecutiones grassatæ sunt. Nimirum *tempus* annum, *tempora* biennium, *dimidium temporis* anni dimidium significant. IV. Tempus alicujus adventum innuit: *Prope est, ut veniat tempus ejus*. Redimere tempus, est, tempus lucrari, tempus sibi sumere, quemadmodum Magi, quos Nabuchodonosor consuluerat, tempus petierunt, ut ejus somnium explicarent, ea scilicet spe, fore, ut vel ejus desiderium evanesceret, vel ei somnium ipsum in mentem rediret: *Certe novi, quod tempus redimitis*. In eumdem sensum loquitur S. Paulus: *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*; sinentes nempe nequam hominum indignationis tempus elabi, expectantesque, dum aptius tempus adveniat. Alicujus tempus nihil est aliud, quam momentum, quo delicti sui pœnam recipit: *Civitas effundens sanguinem in medio sui, & veniat tempus ejus*. Præteritorum sæculorum tempora ea sunt, quæ primum Christi Domini adventum anteverterunt: *Ante tempora secularia*. Ignorantiæ tempus illud est, quod Messiæ adventum, & Evangelii promulgationem præcessit, quo tempore nationes densissimis tenebris involutæ erant: *Et tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant*.

Tenebræ, *obscuritas*: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Cum scilicet lumen nondum creatum esset, proinde Chaos crassissimis tenebris obrutum erat. Tenebrarum plaga, qua Deus Ægyptum puniit, gravissima, si qua alia, maximeque horrenda fuit: *Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati*. Miserrimam conditionem, in quam prodigiosæ tenebræ Ægyptios conjecerant, ad vivum exprimit Auctor Sapientiæ: *Tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes, horrendi, & cum admiratione nimiâ perturbati .... Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam*. Tenebræ, quæ universam terram, moriente Christo, texerunt, per id omne propemodum tempus perdurarunt, quo Christus in cruce fuit, ab hora sexta ad nonam, tribus post meridiem horis: *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*. Nonnulli opinati sunt, iis tenebris tectam

fuisse

fuisse Judææ partem tantum, quæ nonnunquam universæ terræ nomine designatur; verum alii contendunt, eas ad totum Emisphærium nostrum, aut saltem ad ejus partem maximam pertinuisse. Jam metaphorica significatione sumptæ tenebræ significant, I. veritatis ignorationem: *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. II. Peccatum: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*. III. Calamitatem: *Fuitque dies illa tenebrarum, & discriminis*. IV. Infernum, Inferos, seu damnatorum locum: *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. V. Mortem: *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* An vero Divina prodigia in morte ipsa perspicientur?

Tentare, verbum, quod significationibus pluribus, quæ faciles intellectu sunt, in sacris Litteris sumitur, sed ita imprimis, ut significet, seu in bonam, seu in malam partem probare. Ita Deus homines tentat ad bonum, & ad suam ipsius gloriam, ut eorum virturem probet; seu difficilia, & injucunda præcipiens, seu calamirates, & persecutiones excitans. Primum in Abraham præstitit, cui mandavit, ut filium suum immolaret: *Tentavit Deus Abraham*. Ita quippe ejus obedientiam, fidemque experire voluit, eum in virtute firmare, ipsumque, ut perfectæ observantiæ exemplar posteris omnibus exhibere. Alterum ostendit in electo populo, quem per annos quadraginta in Deserto detinuit, ut perspiceret, impositisne præceptis fidelis esset: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non*. Id unum, ad Deum quod attinet, significare potest ejusmodi loquendi ratio; neque enim tentat Deus, ut seducat, & in peccatum pertrahat: *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. Is enim Dæmon est, qui nos ut ad malum inducat, divinæque indignationi subdat, hac ratione tentat; itaque tentator dicitur: *Ne forte tentaverit vos is qui tentat*. Ita Dæmon Davidem tentavit, cui subditorum numerum cognoscendi vanam curiositatem inspiravit: *Satan.... concitavit David, ut numeraret Israel*. Christum quoque ipsum in deserto tentare ausus est; & Salvator quidem id pati voluit, ut suo nos exemplo doceret, qua potissimum ratione Dæmonem vinceremus, nec nos ad malum trahi pateremur: *Tunc ductus est in Desertum a spiritu, ut tentaretur a Diabolo*. Tentant etiam homines Dominum, dum inepte, ac perperam ejus Omnipotentiæ argumenta petunt, ipsi se in pericula conjicientes, e quibus citra divini auxilii prodigium evadere omnino non possunt: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Non ii sane sumus, in quorum gratiam Deus miracula non edere non possit; neque vero ex nobis ipse requirit, quæ nostras ipsorum vires superant. Per diffidentiam quoque Deum homines tentant, dum nempe de ejus promissis dubitant, neque ipsius verbis cumulatissimam fidem præstant. Hac eum ratione Israelitæ in Deserto post tot prodigia tentarunt, quæ in eum finem ediderat, ut de sua potestate, paternaque sollicitudine, qua iis invigilare non cessabat, certos redderet: *Tentaverunt Dominum, dicentes: estne Dominus in nobis, an non?*

Tentatio, Israelitarum in Deserto Stationis nomen, quæ aliter Raphidim dicta: *In incendio quoque, & in tentatione, & in sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum*. Populus, quem aqua deficiebat, cum Mose conquestus est, eumque increpuit, a quo ex Ægypto in Desertum ductus esset, siti extinguendus; ideoque Moses locum hunc *tentationis* nomine designavit: *Et vocavit nomen loci illius, Tentatio*.

Terebinthus, resina referta arbor, maxime in Judæa communis, de qua sæpe sacra Scriptura loquitur. Terebinthus, sub qua fertur Abraham Angelos tres suscepisse, apud Veteres celebratissima est, eamque sua quoque ætate in magna observantia fuisse testatur Eusebius. De hac jactata Terebintho venditatæ fabulæ; quibus ut aliquid fidei quæreretur, primum omnium ostendi oportuisset, ejusmodi reapse arborem fuisse, sub qua cælestes Hospites Abraham recepit; quod e sacra quidem Scriptura evinci non potest, quæ de ejus nomine silet: *Et requievit sub arbore*. Jacob Idola contrivit (quæ ejus familiares e Mesopotamia detulerant, quæque iis scandali, plusque occasio fuissent) sub Terebintho, quæ infra Urbem Sichem erat: *At ille infodit ea subter Terebinthum, quæ est post Urbem Sichem*. Umbræ multum exhibet arbor hæc, & admodum longos ramos extendit; ac proinde Sapientia, cujus vis, ac robur in omnes se partes exerit, cum Terebintho comparatur: *Ego quasi Terebinthus*. Isaias quoque Judæ-

cum populum cum Terebintho ficca confert, cujus exficcati rami longius protenduntur: *Erit in ostensionem, sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ extendit ramos*. Genef. c. xxxv.

Terphalæi, *fures*, Affyriæ populus, qui a coloniis eo deductis ortum trahebat: *Reliqui consiliatores eorum, Dinai, Terphalæi* .... I. Efdr. cap. iv.

Terra fignificat I. terrestre elementum, quod nos fustinet: *Vocavit Deus Aridam, Terram*. II. Materiem omnem, quæ in ipso Mundi exordio creata fuit: *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*. III. Quicquid in terrestri globo continetur: *Domini est terra, & plenitudo ejus*. IV. Homines, qui eamdem incolunt: *Corrupta est terra coram Deo*. V. Terræ nomen pro peculiari aliquo loco fumitur. *Et tu, Bethleem, terra Juda*. VI. Pro terræ fructibus: *Si præcepero locustæ, ut devoret terram*. V. Pro fepultura: *Antequam vadam ad terram tenebrosam, terram miseriæ, & tenebrarum*. VIII. Pro pulvere: *Terram comedet*. Viventium terra Beatorum commorationem, fedemque defignat, cujus quidem Judæa, in qua Deus peculiari ratione regnabat, figura erat.

Tertullus, Judæorum Orator, qui in S. Paulum apud Felicem Præfidem peroravit: *Cæpit accusare Tertullus*. Actor. c. xxiv.

Tertius, Christiani hominis proprium nomen, qui S. Paulo a fecretis erat: *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino*. Nonnulli reputantes nomen hoc, *Silas*, hebraice Tertium fignificare, contendunt, eum, qui fe Tertium dicit, non alium fuiffe, quam Silam, qui S. Paulum non uno in itinere comitatus eft.

Testamentum, latinum nomen, quod alicujus, qui de fuis ipfius bonis ftatuit, ultimæ voluntatis actum fignificat. Verum in facris Litteris Hebraicum vocabulum, *Berith*, quod per græcam vocem, qua Teftamentum exprimitur, Interpretes Septuaginta vertetunt, *pactum*, *fædus*, defignat; ufurpaturque ad fignificanda fœdera duo, quæ Deus, primum in Veteri, alterum in Nova Lege cum hominibus iniit. Fœdus primum per Mofis minifterium cum Hebræo populo tranfactum eft, cui Deus, dummodo præfcriptam Legem fervaffet, terram Chanaan, magnamque temporalium bonorum copiam promifit. Fœdus hoc, infirmum fane, & inutile, locum alteri dedit, quod longe melioribus promiffis nititur, nihilque demum aliud, quam ejus fidei complementum eft, quam Abrahæ Deus olim obftrinxerat, fore fcilicet, ut copiofiffimæ familiæ pater effet, quæ æternam falutem, quod hominis maximum, & unicum bonum eft, per Chriftum Dominum confequeretur. Jeremias fœdera hæc duo per notas utriusque proprias his verbis diftinguit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & faciam Domui Israel, & Domui Juda fædus novum, non secundum pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum; sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos... dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum*. S. Paulus in Epiftola ad Hebræos, *Testamenti* nomen proprie fumens, ait, fœdus primum non nifi animalium fanguine obfignatum fuiffe: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*; at novum fœdus, cum verum Teftan entum fit, confirmatum effe, tamquam Teftamenta, Teftatoris fanguine, nempe Chifti morte: *Ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est, mors, necesse est, intercedat Testatoris*.

Nomen hoc idem, *Testamentum*, pro ut ad duorum fœderum alterum refertur, multiplicem fignificationem habet. Dicitur *Arca Testamenti*; hæc Arca eft, in qua Legis tabulæ erant. *Mons Testamenti* eft Mons Sion, in quo Templum fitum erat, in quo Arca cuftodiebatur. *Angelus Testamenti* eft Chriftus Dominus, ad fœdus hominibus nuntiandum miffus, cujus Mediator per fuum fanguinem futurus erat, quem fcilicet Dei Filius ad confirmandum fœdus effudit. *Testamentum Circumcisionis* eft fœdus, quod Deus cum Abraham iciit, dum ei circumcifionem præfcripfit: *In carne ejus stare fecit testamentum*. Sumitur etiam Teftamenti nomen pro Dei Lege: *inique non egimus in testamento tuo*. Sumitur pro decreto, re determinata: *Memento, quoniam mors non tardat, & testamentum Inferorum, quia demonstratum est tibi*, immi-

imminet nimirum certa mors, cujus decretum omnibus indictum est.

Veteris, & Novi Testamenti nomine veniunt sacræ Scripturæ veteris, & novæ Legis. Legatur articulus *Biblia*.

Tetrarcha, græcum nomen, quod eum significat, qui ditionis alicujus quartam partem absque Regis titulo administrat: *Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu*. Herodes hic, de quo sacra Scriptura loquitur, Antipas erat, Magni Herodis filius, cui Augustus quartam paterni Regni partem Tetrarchiæ titulo contulerat; cum secundam partem Philippo, cum eodem Tetrarchæ nomine, denique reliquas duas Ethnarchiæ titulo Archelao tribuisset. Nonnunquam Tetrarchæ dicebantur Reges, itemque ii, qui alicujus Dominii parvam tantum partem possidebant.

Thabor, altitudo, mons celebris Galilææ prope Nazareth, qui ex amplo agro medio ad stadiorum triginta altitudinem assurgit. In ejus jugo satis magna planities, in qua condita Arx, ac deinde cum magnifica Ecclesia insigne Monasterium erectum. Barac, cum Sisara pugnaturus, qui Regis Tabin supremus Dux erat, exercitum in hocipso monte coegit: *Vade, & duc exercitum in montem Thabor;* atque in planitie Esdrelon, ad ejusdem montis pedes, Sisara victus fuit. Vallis quoque Jezrael, ubi Gedeon Madianitas, & Amalecitas subegit, huic monti proxima est, atque hinc etiam torrens Cisson oritur. Fere creditur in hoc monte Transfiguratio Christi Domini contigisse; quamquam Evangelistæ hac de re alte silent, iterque, quod a Christo confectum memorant, non videtur huic opinioni favere. Erat hujus nominis Urbs in Tribu Issachar, & item alia in Tribu Zabulon. Quercus Thabor, ad quam Saul obvios habuit homines tres, a quibus panes septem accepit, *cum veneris ad quercum Thabor*, Bethleem inter, & Bethel sita erat.

Thacasin, *hora Principis*, Urbs in Tribu Zabulon: *Pertransitusque ad orientalem plagam Gethopher, et Thacasin*. Jos. cap. XIX.

Thadal, *qui jugum frangit*, Rex Gentium, *Thadal Rex Gentium*, seu *Goim*, ut in Hebræo textu legitur. Præfuisse creditur Galilææ Gentium, quæ ultra Jordanem erat. *Genes.* XIV.

Thaddæus, *laus*, cognomen Judæ, qui Jacobi Minoris frater erat; ita nuncupatur, ut a perfido Juda secernatur: *Jacobus Alphæi*, & *Thaddæus*. Alius esse creditur a Thaddæo, e Septuaginta Discipolorum numero, de quo in Abgari, Edessæ Regis Historia apocrypha sermo est.

Thahat, *terror*, loci nomen, in quo Israelitæ, cum in Deserto versarentur, castra posuerunt: *Profectique sunt de Maceloth, & venerunt in Thahat*. Fuerunt ejusdem nominis homines duo. *Numer. cap.* XXXIII. I. *Paralip. cap.* VI. & VII.

Thalassar, *canticorum collectio*, Asiæ Provincia, quæ ubinam potissimum sita fuerit, ignoratur; probabile tamen est, eam ad Euphratis, & Tigridis fontes extitisse. Rabsaces, qui Regi Sennacherib a poculis erat, Ezechiam monuit, Nationum Diis eam vim non fuisse, ut filios Eden, qui erant in Thalassar, a Domini sui manibus tuerentur: *Subverterunt patres mei Gozam, & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar*. Isaiæ cap. XXXVII.

Thalassa, *mare*, nomen Urbis ad meridiem Cretæ Insulæ: *Venimus in locum quemdam, qui vocatur boni portus, cui juxta erat Civitas Thalassa*. Actor. cap. XXVII.

Thamar, *palma*, conjux Her, primogeniti Judæ: *Dedit Judas uxorem primogenito suo Her nomine Thamar*. Her, quem delicta oculis Domini invisum reddiderant, morte perculso, Onam secundogenito præcepit Judas, ut viduam duceret, ut fratris nomen suscitaret in filiis, quos ex eo matrimonio suscepisset; qui mos ex traditione familiæ Noe originem suam trahebat, & Mosaicæ Legis præcepto firmatus erat. Onam, haud ignorans, filios ad se minime spectaturos, fratri posteritatem dare noluit; Deusque proinde eum quoque e vivis sustulit. Tum vero Judas hortatus est Thamar, ut se apud patrem reciperet, quoad Sela, filiorum tertius eam ducere per ætatem posset; at veritus, ne is quoque fratrum duorum sortem subiret, neglexit promissa facere; quare Thamar Judam ipsum adoriri statuit, e quo filios reciperet. Ergo quæstuariam fœminam vestibus simulans, qua die Judam in Urbem Thamnatham profecturum intellexit, ad viam constitit. Judas, qui eam non agnovit, & e scelestarum fœminarum numero esse credidit, hædum promisit, siquidem ejus cupiditatibus annuisset; eique in obstrictæ fidei pignus, annulum, armillas, & baculum dedit.

Post trimestre spatium, Judas commonefactus, nurum ventrem gerere, mortis sententiam in eam protulit: *Producite eam, ut comburatur*. Ea vero, cum ad supplicium duceretur, baculum, annulum, & armillas remisit ad socerum, quem monitum voluit, se ex eo concepisse, ad quem ea pignora pertinebant: *De viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce, cujus sit annulus, & armilla, & baculus*. Tunc Judas eam se ipso justiorem professus est; se enim, explendæ tantum libidinis causa, in peccatum prolapsum esse; eam vero non alia de causa id egisse, quam ut ex ejus familia filios obtineret; subditque, se injustum fuisse, qui ei filium Selam conjugem non dedisset. Geminos interea Thamar, nempe Pharez, & Zaram, in lucem edidit. Pharez hic, incontinentiæ Judæ filius, in nimium est, e quo per posterorum seriem Justus per excellentiam, scilicet Christus Dominus natus est; & Thamar, per incestum effecta mater, occurrit in Divini Servatoris genealogia, qui pravis moribus parentes habere voluit, ut nos edoceret, mysterium salutis hominum unius Divinæ misericordiæ opus esse, nullumque adeo nequam hominem esse, qui sperare non possit, se Redemptionis fructus participem fore. *Genes.* XXVIII.

Thamar, quam David ex Maacha susceperat, eximia pulcritudine puella erat, cujus proinde effræni amore frater Amnon exarsit; cujus æstum cum extinguere non posset, ut tandem expleret, se ex Jonadab amici consilio ægrotantem finxit. Ergo patrem, qui eum convenerat, obsecravit, ut sororem Thamar ad se mitteret, e cujus manu cibum sumeret. Morem gessit pater; advenit Thamar, cui offerenti, quod coquendum curaverat, Amnon, dimissis, qui aderant, omnibus, vim intulit, quin ejus clamoribus, aut precibus tangeretur: *Noli, frater mi, noli opprimere me; neque enim hoc fas est in Israel; noli facere stultitiam hanc; ego enim ferre non potero opprobrium meum*. Huic cruentæ injuriæ, Amnon, cui violatæ sororis præsentia execrandum facinus exprobrabat, aliam addidit, ea turpiter expulsa, quæ clamans, acerbissimique doloris signa dans, recessit: *Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans*. Eam frater Absalon, qui obviam habuit, facile detecta mæroris causa, recepit apud se, ac, ne rumorem ederet, hortatus est. Ipse vero, quod in eo fuit, id utique ferens, jam tum insignem vindictam sumere statuit; quod paulo post præstans, mortis decretum executus est, quod Divina justitia in reum indixerat. Fuit etiam Thamar alia, Absalonis filia, & *filia una nomine Thamar elegantis speciei*. Fuit & Urbs Thamar, a qua Judææ limites ad meridiem statutos innuit Ezechiel: *Plaga australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis*. II. Reg. XIII. & XIV. Ezech. XXVII.

Thamna, *tumultus*, uxor Eliphaz filii Esau: *Erat autem Thamna concubina Eliphaz, filii Esau, quæ peperit ei Amalech*. Id etiam nominis fuit cuidam ex Esau posteris, qui post mortem Adad Idumæam administravit: *Hæc ergo nomina Ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis suis, Thamna dux &c.* I. Paralip. cap. 2. Genes. cap. XXXVI.

Thamnatha Palæstinæ Urbs in Tribu Juda, ad cujus viam sedit Thamar, ut Socerum adoriretur. Probabile est, hanc Urbem eamdem atque eam esse, quæ deinceps Toparchiæ Thamniticæ metropolis fuit, quæque Judaicæ Reipublicæ postremis temporibus clara evasit. Creditur etiam hæc Urbs Themnatha ea esse, in qua Samson uxorem duxit: *Samson gener Thamnathæi*, hominis scilicet ex Urbe Thamnatha. *Genes.* XXXVIII. *Judic.* XIV.

Thamnat Saraa, *fœtor*, Urbs Tribu Ephraim, in ea regione sita, quæ dicta Mons Ephraim, in qua Josue sibi sedem posuit, obiit, sepultusque est: *Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnat-Saraa*. Jos. XIX.

Thamnus, Judæorum mensis, Ecclesiastici anni quartus, & Civilis decimus, qui mensis Junii Lunæ respondebat. Hujus mensis die decima septima Judæi jejunium celebrabant in pœnæ memoriam, qua Deus aurei Vituli cultum puniit; morbum quoque commemorabant, quo Maria ob suam in Mosem oblocutionem percussa fuit.

Thana, *qui se ad humilitatem componit*, Urbs Tribus Manasse cis Jordanem, quæ Levitis ex Caathitarum familia concessa fuit. *Jos. cap.* XXI.

Thanat-Selo, *ficus erroris*, Urbs Tribus Ephraim, cui ipsa fines ad ortum ponit: *Circuit terminos contra Orientem in Thanat-Selo*. Judic. cap. XIV.

Thapsa, *transitus*, Urbs Tribus Ephraim, haud

haud Therfa procul, quæ ab usurpatore Manahem; cui portas clauserat, capta, & a fundamentis eversa fuit: *Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes, qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa: noluerant enim aperire ei*. IV. Reg. cap. XV.

Thara, *Heres*, e militaribus apud Artaxerxem Regem viris, Ædium Regalium custos, qui cum in Principem cum Collega Bagatha conspirasset, a Mardochæo detectus, & ad mortem damnatus fuit: *Qui de utroque habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem*. Esth. XII.

Tharaca, *inquisitor rudis*, Rex Æthiopiæ nempe regionis Chus, sitæ ad Maris Rubri Orientale littus. Princeps hic in aciem descendit, magno stipatus exercitu, ut Ezechiæ auxilium afferret, quem Sennacherib aggressus erat: *Audivit de Tharaca Rege Æthiopiæ dicentes: egressus est, ut pugnet contra te*. Sennacherib, qui tunc in Lachis obsidione occupatus erat, Tharacæ occurit; at eum per tempus assequi non potuit; eum enim cum aliis 95000. Angelus Domini unius noctis spatio interfecit. IV. *Reg. cap.* XIX.

Thare, *qui floret*, filius Nachor, & pater Abrahæ, Nachor, & Aran. *Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abraham, & Nachor, & Aran*. Thare morabatur in Ur in Chaldæa, unde egressus est cum filio Abraham, ut Haran, Mesopotamiæ Urbem peteret, ubi e vita migravit ætatis ao. 275. Mundi 2081. Sacra Scriptura disertis verbis ait, Thare idololatram fuisse, cum in Caaldæa versaretur: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, et Nachor, servierumque Diis alienis* At cum ex filio Abraham veri Dei cultum percepisset, Idola rejecit, iisque nullum amplius cultum exhibuit. *Genes cap.* XI.

Thare, Israelitarum statio in Deserto: *De Thahat castrametati sunt in Thare*. Illinc discesserunt, ut Methcam peterent. *Numer. cap.* XXXIII.

Tharsis, *lapillus pretiosus*, Secundogenitus Javao, qui in Cilicia regnavit, quæ ab ejus nomine dicta Tharsis: *Prædavitque omnes filios Tharsis*: vastavit, spoliavitque omnes incolas Tharsis, nempe Ciliciæ, cujus Tharsis metropolis erat. Fuit etiam hujus nominis quidam e Tribu Beniamin, & alius e Persarum Satrapis, apud Assuerum Aulicus, ex eorum numero, quos hic Princeps in consilium adhibuit, ut cognosceret, quomodo se gerere cum Regina Vasti deberet, quæ ad ejus cœnam venire renuerat. *Genes.* X. I. *Paralip. cap.* VII. *Esth. cap.* I.

Tharsis, regio, ad quam Salomon Naves mittebat, unde aurum, & pretiosa ligna referrent: *Classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis*. Ubinam hæc regio sita fuerit, non convenit inter Auctores. Nimirum pro Tarso Ciliciæ, Carthaginis, Tolosæ in Hispania, Tuneti in Africa, Tassi Insula Maris Ægei, & pro pluribus aliis locis sumitur. At cum hæ regiones ad varia loca spectent, ii textus omnes, in quibus de navibus Tharsis sermo est, non aliter explicari possunt, quam si per hanc vocem Mare generatim intelligatur; & per Tharsis Naves, eæ, quæ longis itineribus inserviebant, ut a minoribus distinguantur; si enim Tarsum Ciliciæ semper intelligi libeat, facile ostendi potest, Naves Tarsi paratas fuisse, ut eo pergerent, quo non est vero simile eas vela dare voluisse. Naves, exempli causa, quas Salomon ex Asion Gaber, portu Maris Rubri, Tarsum mittebat, haud sane Tarsum Ciliciæ, ad Mediterraneum sitam spectabant, cum Jonas eo pergere posset, navim in Urbe Joppe, Mediterranei portu conscendens: *Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis*; quo posteriore loco *Tharsis* significat Tarsum Ciliciæ, quod in priore significare non potest. Est ergo probabile, Hebræos sæpenumero per nomen *Tharsis* (quod eorum lingua *Oceanum* significat) Mare in universum intellexisse; quemadmodum mare generatim Poetæ per *Pontum* intelligunt, quod Maris Pontici peculiare nomen est; & Naves *Tharsis* modo eas fuisse, quæ ex Asion Gaber in Oceanum, modo eas, quæ Joppe in Mediterraneum solvebant. III. *Reg. cap.* X.

Tartac, Hevæorum Idolum, cui Asini forma erat: *Hævei fuerunt Neboboz, & Tartac*. IV. Reg. cap. XVII.

Thartan, *qui vectigalibus præest*, unus e Ducibus Sennacherib, qui Ezechiam allocuturus cum Rabsace missus fuit: *Misit Rex Assyriorum Thartan*. IV. Reg. cap. XVIII.

Thasi, *qui obliviscitur*, cognomen Simonis Machabæi, filii Mathatiæ: *Simonem, qui cognominabatur Thasi*. I. Machab. cap. II.

Thatanai, *qui dat*, Persa, vir princeps, eo-

eorum unus, qui Judæos impedire voluerunt, quominus Hierosolymæ Templum, & mænia repararent. Nimirum, Starbuzanai comite, Judæos adiit, quæsiitque, quo jure, quo jussu id agerent: *Quis dedit vobis consilium, ut Domum hanc ædificaretis, & muros ejus instaurareris?* Cum porro Judæorum responsum haud satis iis probaretur, Darium per litteras de suscepto opere monuerunt, qui mandavit, ut Judæos opus prosequi, Deique domum perficere paterentur: *Nunc ergo, Thatanai, Dux regionis, quæ est trans flumen, Starbuzanai, procul recedite ab illis, & dimittite fieri Templum Dei*. I. Esdr. cap. v.

Thau, Hebraici Alphabeti postrema littera, cui figura Crucis erat, antequam Judæi Chaldaico caractere uterentur, quæque S. Hieronymi tempore in Alphabeto Samaritano figuram hanc adhuc servabat. Mutata deinde est, & expressa per T, quod etiamnum fit. Littera hæc originem ducit ex Hebraica voce, quæ *signum* significat. Itaque Septuaginta ita vertunt ea Ezechielis verba: *Signa signum super frontem virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus*: pone signum in eorum fronte, qui gemunt, dolentque, dum mala vident, quæ in Urbe patrantur. Hi nempe Interpretes de signo fronti impresso intelligunt Prophetæ verba, quæ tamen, nihil prohibet, quominus de signo per litteram *Tau* expresso, quod S. Hieronymus præstitit, explicentur. Porro *Tau* signum salutis est iis, quos per miserationem suam Deus reservat, eodemque tempore salutiferam Christi Domini Crucem exhibet, quæ nos tuetur, & servat, quamque fronti inscriptam per Christianæ Religionis professionem singuli gerimus.

Thebath, *immolatio*, Urbs Syriæ, quam David cepit, vastavitque: *Nec non de Thebath, & Chun, Urbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum*. I. Paralip. xviii.

Thebes, *luteus*, Urbs Tribus Ephraim, in cujus obsidione Abimelech occisus fuit molari fragmine a fæmina in eum jacto: *Nonne Mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes?* II. Reg. c. xi.

Thebni, *prudentia*, filius Gineth, æmulus Amri in Regno Israel; eum sibi populus Regem volebat; at pervicit Amri factio: *Prævaluit populus, qui erat cum Amri, populo, qui sequebatur Thebni filium Gineth, mortuusque est Thebni, & regnavit Amri*. Occisus in pugna creditur. III. Reg. cap. xvi.

Thecel, *appensus*, verborum unum, quæ in Regis Baltassar sacrilego ipso convivio, invisa manu parieti inscripta apparuerunt: *Thecel, appensus es in statera, & inventus es minus habens*; nimirum significare volebat Deus, eum Principem, tamquam nullius momenti rem rejiciendum esse. *Daniel cap.* v.

Thecua, *buccina*, Urbs Tribus Juda, quæ duodecim passuum millibus aberat Hierosolyma: *Misit Thecuam, et tulit inde Mulierem sapientem*: Joab ex Urbe Thecua prudentem fæminam accitam voluit, quæ Absalonem cum Davide conciliaret. Erat ex hac Urbe Propheta Amos, quam prope Desertum, pascendis gregibus accommodatum, dictumque Desertum Thecuæ. Occurrunt in sacris Litteris viri duo, hoc insigniri nomine, pater Sellum, cujus uxor Holda Prophetissa: *Sellum, filii Thecuæ*; quibus verbis Sellum Thecuæ natum significari probabile est; & pater Jaasiæ, unus ex iis Judicibus, qui extraneas mulieres sibi conjuges sumpserant. IV. *Reg. cap.* xxii. *Machab. cap.* ix.

Theglat-Phalassar, *qui prodigiose captivitati catenas injicit*, Assyriæ Rex, Sardanapali filius, & successor, a profanis Historicis dictus Ninus Junior, qui Assyriæ Imperium, patris mollitie eversum restituit. Princeps hic Legatos suscepit, quos Achaz Rex Juda miserat, qui ut Syriæ, & Israel Regum jugum excuteret, Assyriæ Regis opem humiliter imploravit, quem omnibus Templi, suarumque Ædium thesauris, humilique servi, & filii titulo, datis ad eum litteris sibi imposito movere conatus est: *Servus tuus, & filius tuus ego sum, ascende, & salvum me fac de manu Regis Syriæ, & de manu Regis Israel, qui consurrexerunt adversum me*. *Theglat-Phalassar* annuit postulatis Achaz, progressusque est in Rasin Damasci Regem, quem interfecit. Damascum ipsam vastavit, diruitque, *Kir*, suæ ditionis Urbem asportatis incolis. Expeditionem hanc Amos fere ante annos quadraginta portenderat: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum .... & mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Benadab, & conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, & transferetur populus Syriæ Cy-

Cyrenen, *dicit Dominus*. Potitum ergo ditionis Rasio Assyriæ Regem Deus excitavit, ut in Phaceen Regem Israel victorem exercitum duceret, cujus Regnum depopulatus, Tribus duas, Ruben, & Gad, dimidiumque Tribus Manasse in Assyriam quoque transtulit. At Deus, insigni justitiæ suæ specimine vastatis iis duobus Regnis exhibito, in Achaz ipsum victricia jactati patroni arma vertit. Ei Princeps, cujus opem tanti emerat, extremam perniciem attulit; qui donis haud contentus, quæ Achaz miserat, Judæam triumphantis in modum ingressus, acerrimum se hostem prodidit, cujus somma aviditas impulit Achaz, ut Templi vasa funderet, atque ita pecuniæ vi a formidando hoste se liberaret, quem vanô doctus consilio in sinum receperat. Theglat-Phalassar, cum novendecim regnasset annos, naturæ debitum solvit, eique Salmanasar filius successit. IV. *Reg. cap.* xv. I. *Paralip. cap.* VI.

Thebem, *qui precatur*, unus filiorum Ephraim a quo familia Thehemitarum: *Thebem*, *a quo familia Thebemitarum*. Numer. xxvi.

Thel-Harsa, *qui congeriem solvit*, Urbs regionis Babylonis, e qua captivi nonnulli cum Zorobabel rediere, qui nec genealogiam suam detegere, nec se e stirpe Israel ortos ostendere potuerunt. I. *Esdr. cap* II.

Thema, *admiratio*, filius Israel, qui incolas dedisse creditur Urbi Thema in Arabia Deserta: *Considerate semitas Thema*; Id reputate, quod fit in regione Thema. *Genes.* xxv.

Theman, *meridies*. I. Filius Eliphaz, qui in Idumæa regnavit. II. Princeps quidam e Saulis posteris, qui & ipse Rex Idumææ fuit. III. Idumææ princeps Urbs, ab Eliphaz filio condita: *Numquid non ultra est sapientia in Theman?* Clara evaserat hæc Urbs eorum sapientia, qui eam incolebant; at Deus inania reddebat eorum consilia, qui Regi Nabuchodonosor Urbem tradere statuerat. Eliphaz amicus Job erat ex Urbe hac: *Eliphaz Themanites*.

Theocratia, nomen ad significandam excogitatum ejus apud Judæos regiminis formam, quod varias vicissitudines subiit; ita tamen, ut ei semper præesset Deus, tametsi sua aliter auctoritate pro alia temporum ratione usus esset. Hebræos primum Deus administravit ipse per se, Mosis tempore, quem suæ apud populum voluntatis interpretem elegerat. Omnes sibi honores Principi debitos vindicavit. In Tabernaculo, mediis in castris sito, tamquam Rex suis in ædibus residebat; consulentibus respondebat; & in eos ipse pœnas statuebat, qui ejus leges violaverant. Ac Theocratiæ quidem, quam late patet, acceptæ hoc proprie tempus est; Deus enim non modo Divinitas erat, cui religiosus cultus exhibebatur, verum etiam Princeps, & Rex, cui honores omnes, supremæ Majestati debiti tribuebantur. Eadem prope Judaici regiminis ratio fuit, imperante Josue, qui Mosis spiritu plenus, nihil aggrediebatur, quin Deum consuleret. Quicquid ad exercitum, populumque spectabat, a Dei jussu, nutuque pendebat, qui tantam proinde fidem, & obedientiam mira prodigiorum, victoriarum, & felicium successuum serie, quæ certa erant ejus patrocinii pignora, compensavit. Post Josue mortem, Deus ei successorem non dedit, qui unus suprema, sensibus obvia, & perpetua auctoritate polleret, at populus Omnipotentis sceptro proxime suberat, qui statis temporibus ei Defensores, & vindices e variis Tribubus suscitabat, quibus fere natalia, existimatio, gratia, quævis denique deerat humana vis; at aderat Divinus spiritus, quo ejus erga populum miserationum Ministri fierent, & ipsius potestatis in eos instrumenta, a quibus idem populus opprimebatur. Ejusmodi fuit Judicum administratio, quæ primo quidem absona, & perturbata visa est, Judæis nempe sine stato, certoque Duce viventibus, sine publicis, ut assolet, cætibus, & quin ulla inter eos suprema se proderet auctoritas, cui justitiæ procuratio demandata esset; at hæc ipsa administratio Israelitas monebat, eos proxime Deo subesse, e sommis Cœlis invigilanti, ut eorum ipse tum incolumitati, ac saluti consuleret, tum delicta puniret. Quoties initum fœdus violabant, eos ipse formidandis hostibus opprimendos tradebat. *Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per girum, nec potuerunt resistere adversariis suis*. At eidem populo pœnitentiam agenti, dolenti, opem humiliter imploranti Liberatores suscitabat, qui oppressioni finem imponerent: *Cumque Dominus Judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cade vastantium*. Ac Deus quidem

dem, ne quis ignorare posset, eum unum agere, se instrumentorum, & rationum, quibus nihil virium inesset, velo tegebat. Fœminæ duæ populum a Chananæorum tyrannide liberarunt. Israelitarum postremus, & minimus, 200. homines, eosque inermes secum ducens, innumerum Madianitarum exercitum profligavit. Concubinæ filius, qui latronem agebat, electus fuit, ut Ammonitas expugnaret; is aratri vomere, Philistæos disjecit; alter sine gladio, ac baculo occidit eorum mille asini maxilla, quam forte invenerat. Ita Deus populum adigebat, ut fateretur, eum adesse, proxime regnare, ac Judices ejus tantum legatos esse, quos ipse pro arbitratu mittebat, ita tamen, ut nunquam supremam auctoritatem iisdem conferret. Hæc Gedeonis confessio fuit, Judæis eum sibi principem statuere volentibus, quod a Madianitis eos liberasset. Renuit Gedeon, inquiens, se in eos minime regnaturum, sed eorum Regem Dominum fore: *Non dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Erratum, quod populus perpetravit, dum Gedeoni Regis titulum obtulit, ejus ingratum in Dominum animum consecuta vindicta est, qui eum tot beneficiis cumulaverat, eidemque prodigiosa tot patrocinii sui argumenta præbuerat. Statim Dei semper latentis proximum regimen ægre tulit, graviusque delinquens, Samuelem impulit, ut sibi Regem, ad cæterarum Nationum exemplum, daret. Frustra Samuel, de injuria Divinæ Majestati illata vehementer dolens, pertinaci populo significavit, quam indigne, ac turpiter Dei Legem hominis arbitrio posthabetet; in suscepto consilio animum obstinavit, pristinique Domini dulce, ac suave imperium rejiciens, dignus fuit, cujus postulatum primum exaudiretur. Samueli mandavit Deus, ut Israelitis, Regem petentibus morem gereret: *Non enim*, inquit, *te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Quæ verba ostendunt, Deum ipsum hactenus Israelitarum Regem fuisse; neque enim iis alia Lex erat, quam ea, quam a Deo ipso acceperant; at Regem esse desiisse, per alterius Regis institutionem, cujus suprema voluntas futura erat altera Lex, quam exequi cogerentur. Quapropter Samuelem jussit iis ob oculos ponere, quæ novi Regis jura futura essent, quid nempe impune, quoad humanam justitiam facere posset is homo eorum similis, cujus arbitrio se tum subdebant, si eo calamitatis deveniret, ut a Divina Lege recederet, quæ eum de officii sui ratione monebat; & qui populi propugnator esse debebat, oppressor, ac tyrannus evaderet; tum vero in regiæ potestatis abusum non aliam populo spem fore, quam ut ad Deum confugeret, ejusque auxilium exposceret: *Et clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiistis vobis Regem*. Hæc quoque verba supremam Dei auctoritatem innuunt, quippe qui Regem dat. *Hac ipsa hora*, ita ad Samuelem Deus, *quæ nunc est, cras mittam virum ad te de Tribu Beniamin, & unges eum Ducem super populum meum Israel*. Nec Samuel, nec Israelitæ eo jure gaudebant, ut Regem eligerent, expectandumque erat, dum Deus ostenderet, quem ipse statuisset. Id sane Moses Israelitis prædixerat. Nempe Legislator hic futurum prævidens, ut quamprimum inconstans populus de Principis, quem corporeis oculis non videbat, tegimine quereretur, ei commendavit, ut, si quem sibi Regem vellet, eum sumeret, quem Dominus elegisset: *Quum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me Principem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Saul ergo Rex fuit, quem primum Deus indignatus Israelitis dedit: *Dabo tibi Regem in furore meo*; atque hic infelix Princeps cum ejus potestati se subducere vellet, a quo solium acceperat, dignus fuit, qui eo spoliaretur: *Et auferam in indignatione mea*. Deus, qui Reges volebat, qui ei omnino subessent, nihilque eo inconsulto susciperent, sibi ejusmodi virum elegit, eumque populo suo præfecit: *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum*. Erat is David, ultimus filiorum Isai, neglectus, quasique inter familiæ quisquilias rejectus, ruri degens, ac veluti relegatus, ut gregem pasceret. Hunc nimirum elegit Deus, ut Regum Israel maximus esset, sanctissimusque: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*. Novum Theocratiæ argumentum in Judæorum regimine; quæ in hujus quoque Principis successoribus se se prodidit, qui se Religionis depravatores exhibuere, ac perniciosa impie-

impietatis, & apostasiæ exempla præbuere. Scisso Regno, Reges Israel, nullo prorsus excepto, in schismate perierunt; & in longa serie Regum Juda, tres tantum occurrunt, qui idololatræ, vel saltem idololatriæ fautores non fuerint; At suam Deus auctoritatem in hos impios Reges exeruit, qui pro suo ipsorum arbitratu regnare volebant, perfecitque, ut cognoscerent, quam durum sit ei obluctari. Ad eos passim Prophetas mittebat, quorum sollicitudine, vi, monitis, minis ad officium revocarentur, & ab audacia, ac temeritate, qua divina jura impetebant, abducerentur; at patientia tandem flagitiis victa, eorum perfidiam extremo Regnorum excidio, & populorum dispersione puniit. Nabuchodonosor divinæ vindictæ Minister perduelles subditos fetteæ virgæ subdidit; vastato Judaico Regno, omnibusque in vincula conjectis incolis, quos Babylonem cum Sedecia Rege asportavit. Ita Deus Pastorum postremum, qui populo in Reges dati, se tyrannos præstiterant, horrendum in modum puniit. Davidis solium evertit, nullumque ex ejus familiæ Principibus populo in posterum Regis titulo præesse voluit. Ipse sui rursus gregis Pastor evasit, quem a captivitatis fame in uberrima pascua deduxit: *Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & in pascuis uberrimis pascam eas.* Id sane contigit, cum Judæi a Babylonica captivitate in patriam redierunt. Iis non amplius præfuere Reges, & Zorobabel, e Davidis domo, qui iisdem præfectus erat, Regis nomen nunquam sumpsit. Esdras deinceps, ac Nehemias eadem auctoritate rexerunt; ac tum quidem Judæorum regimen aristocratia quædam fuit, a Persarum, seu Græcorum imperio pendens. Summi Pontifices sibi civilem administrationem addebant, sed ita, ut a populi consensu penderent, & pro ut quidam per dominantes Reges licebat. Viguit ejusmodi regimen ad Machabæorum usque tampus, qui excusso exterorum Regum jugo, sumpiere Principum titulum, supremaque auctoritate Pontificatui redintegrata, non obscura Theocratiæ specimina exhibuere, eo scilicet, qui Principem agebat, Sacerdotali dignitate insignito, quod iis verbis Moses prædixerat: *Eritis mihi in Regnum sacerdotale.* At divinam auctoritatem clarius exhibuerunt inauditi successus, quos Deus hujus familiæ armis contulit, quam suscitaverat, ut ejus cultum in pristinam dignitatem restitueret, & Israeliticum populum ab ignominiosa servitute liberaret, in quam eum ethnicæ Nationes conjecerant. Judæorum quoqua Respublica nunquam æqua floruit, divinamque Legem servavit, ac Mathatiæ filiis quinque rerum potientibus. At iis fato functis, successores, quibus non ita Dei gloria, & patriæ splendor, & utilitas cordi erat, deleta statim eorum felicium temporum memoria, vitiorum omnium exempla præbuere, quæ ipsi ejus ætatis ethnici Principes aversabantur. Hircanus Mathatiæ filiorum postremus filios quinque reliquerat, quorum natu maximus Aristobulus in pontificatu, ac principatu patri successit. Ut sibi satis utrumque firmatum vidit, diadema sumpsit, Regisque titulum, quo nullus eorum, qui a Babylonica captivitate Judæam administraverant, adbuc insignitus fuerat. Iis regnantibus, contigit, ut Romani Judææ potirentur, suoque eam dominio subderent; ita tamen, ut Religionem non attingerent, & præterea satis amplam Asmonæis auctoritatem relinquerent. Familia hæc post annos centum viginti novem, a Judæ regimine numeratos regnare desiit; atque Herode in solium evecto, novus ordo rerum extitit. Princeps hic natione Idumæus, alienigenarum primus Judaicum sceptrum tenuit; & quod est animadversione dignum, illud a Romanis acceperat, non a Judæis, qui proinde se jam eligendi Principis facultate spoliatos vidarunt. Monebat mutatio hæc, promissum Liberatorem quam primum venturum Jacobæi vaticinii vi: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Is reapse natus est, Herode regnante, inter Judæos se prodidit, qui eum expectabant, suamque missionam innumeris miraculis confirmavit. At tumens populus Messiæ, cujus sibi amplitudinem propoluerat, humilitatem contempsit; eique nationibus promisso Servatori, tamquam impostori illata morte, flagitiis cumulum addidit, & in horrendi Deicidii pœnam omnino a Deo derelictus, omnia divinæ indignationis fulmina subiit. Judæa omnino vastata Hierosolyma, Templumque diruta, Judæi partim occisi, partim dispersi; quos hæc postrema calamitas omni populi

puli forma spoliavit, & anathemati, horrorique Gentium, quæ eorum locum occupatunt, exposuit. Ejusmodi est ejus ingrati populi sors, quem Deus præ cæteris elegerat, cui ipse dominaretur, quique adeo glorioso privilegio se indignum exhibens, multiplicum flagitiorum consecutione Dominum impulit, ut omnibus per funestam vindictam beneficiis exutum ex octodecim jam sæculis jaceat sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine Altari &c. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Teraphim*. Judaica gens huic miseræ conditioni suberit, quoad Divinæ Providentiæ libuerit miserationis suæ quasi torrentes effundere in Abrahæ posteros, quorum ea tandem felicitas erit, ut in Ecclesiæ, suæ veræ patriæ sinum cum omnibus terrarum populis se recipiant: *Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad servum ejus in novissimum dierum*.

Theodas, *donum Dei*, Pseudo-Propheta, qui cum in Judæa se prodidisset, & populum concitasset, occisus fuit, dispersis omnibus ejus assectis: *Ante hos dies extitit Theodas, dicens, se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum*. Theodas hic, de quo Gamaliel, idem est, ut creditur, ac Judas quidam, qui in Herodis morte insurrexit. *Actor. cap.* v. 36.

Theodotion, *Deodatus*, Syrus, quem Nicanor ad Judam Machabæum cum duobus aliis de pace actorum misit: *Quamobrem Possidonium, & Theodotium, & Matthiam, ut darent dexteras, & acciperent*. I. Machab. xiv.

Teophilus, *qui Deum amat*, haud vulgaris notæ Vir, cui S. Lucas Evangelium, & Acta Apostolica nuncupavit. Optimi titulus, quo ab Evangelista insignitur, *optime Theophile*, argumento est, eum e præstantissimo ordine fuisse; is enim fere non nisi Provinciarum Procuratoribus, seu Præfectis tribuitur. Nonnulli tamen Theophili nomen pro generali vocabulo accipiunt, quod etymologiæ vi *hominem probum*, vel *Dei amicum* significat; contenduntque, S. Lucam iis omnibus Opus suum dicatum velle, qui Deum amant. *Luc.* I. *Actor.* I.

Therapeutæ, *servi Dei*, secta quædam inter Hebræos, ab Essenis alia, quod hi quidem activæ, ii vero contemplativæ vitæ addicti essent. Philo Judæus eorum vivendi rationem describit in libro de *Vita contemplativa*, ubi ait, Therapeutas in desertis locis asperam vitam egisse, in eo occupatos, ut Divinitatem contemplarentur, orationi vocarent, Divinas laudes concinerent, sanctasque Scripturas legerent. Veterum Patrum multi, inter horum Therapeutarum, primorumque Christianorum vitam multum affinitatis nacti credidetunt, Philonem id honoris nationi suæ tribuere voluisse, quod ad Christi Religionem spectabat. Re sane ipsa quicquid hic Auctor tradit, ad hos Therapeutas quod attinet, eos scilicet secessui studuisse, austeræ, occultæque vitæ vacasse, eorumque sectam per omnes terrarum Orbis partes propagatam fuisse, quod etiam de eorum exercitationibus, & Cætibus addit, videtur in Christianos congruere, qui singulis his notis insigniti erant; & hæc quidem opinio sæculis multis in Ecclesia obtinuit. Verum hoc tempore eam multi impugnant, & gravibus sane rationibus ducti, Christianæ Religionis argumenta, quæ in Therapeutis animadvertuntur, admodum ambigua sunt, & Judaicis ritibus mixta, ne statui possit, eos Christianos fuisse. Id unum ex argumentis utrinque productis conficitur, controversiæ caput hoc e problematum genere esse, tametsi sententia, quæ illud genus hominum Judæis accenset, majorem probabilitatis speciem præseferat.

Theraphim, Hebraica vox, quam veteres Interpretes *figuras*, *imagines*, *idola* verterunt; & hoc sane sensu non semel occurrit in sacris Litteris: *Fecit Ephod, & Theraphim*. Michas Ephod, & Theraphim, idola scilicet, conficienda curavit. Erant hæ figuræ ad superstitionem factæ, quas Judæi consulebant, quin tamen ita a Domini cultu recedere in animo haberent. Theraphim hæc Michas domi posuit, eademque incolæ Dan sibi sumpta in novum domicilium Lais asportarunt. Haud constat, quanam hæ statuæ figura fuerint; multas Hebræi fabulas, quas referre nihil attinet, super hac re venditarunt. Id unum pro certo haberi potest fuisse nescio quid ex multis animalium membris conflatum, quorum conjunctio inconditam, novamque speciem exhibebat. Nonnulli putant, Theraphim fuis-

fuisse *Talismania* quædam, imagines scilicet Planetarum aspectibus quibusdam impressas; quod iis occuitam vim indere putabatur. Simulacra hæc tamquam oracula consulebantur, futura cognoscendi causa; nec defuere, qui crederent, Rachelem, dum Labani patris Theraphim rapuit, fugæ detegendæ rationem eidem adimere voluisse. Theraphim quoque dicitur in sacris Litteris statua, quam Michol in Davidis lecto posuit, ut eorum persecutioni virum subduceret, quos ad ejus necem Saul miserat: *Tulit Michol statuam, & posuit eam super lectum*. Porro non est probabile, statuam banc ex earum, de quibus agimus, imaginum numero fuisse, quandoquidem David, utpote religiosissimus, & ab omni superstitione maxime alienus ejusmodi simulacra apud se retinere non poterat. Erat ergo dubio procul figura aliqua ex tempore ex ligni frusto confecta, telaque tecta, spectris similis, quæ in agris ad territandas, expellendasque volucres exponuntur. Voce hec Osee Propheta longe aliter utitur: *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim*. Postremum quippe vocabulum hoc loco significat eorum aliquid, quæ ad externam Religionis exercitationem spectabant; & Propheta conditionem describit, in qua Judæi jam versantur per universum terrarum Orbem dispersi, destituti Rege, ac Principe e propria Natione, Sacerdote, cultuque publico post eversam Hierosolymam, unum scilicet, & unicum locum, in quo iis licuit oblationes, & sacrificia peragere, & Festa celebrare, prout Lege statutum erat.

Thersa, *indulgens*, Urbs jucundissima in Tribu Ephraim, metropolis Regum Israel, a Jeroboam primo ad Amri, qui Samariam condidit, quæ Regni sedes esset. Urbem hanc primo Chananæi occuparunt, ejusque Regem Josue interfecit; deinde Manahem, cum Regnum Israel usurpasset, eamdem Urbem habuit acerbissime, quippe quæ ei portas occluserat: *Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes, qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa*. Num. XXVI. IV. Reg. XV.

Thessalonica, *victoria contra Thessalos*, Macedoniæ celebris Urbs, ad septentrionales Ægæi Maris fines sita, a Cassandro condita, Halis nomine, dicta deinde Thessalonica, ab insigni victoria, quam Philippus Macedo e Thessalis reportavit, hodie vulgo *Salonichi*, cujus incolæ fere Turcæ, Christiani Græci, & Judæi, quorum ingens numerus in ipso Ecclesiæ exordio ibidem aderat: *Venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum*. S. Paulus Philippis rediens, eo se contulit, Evangelium nuntiaturus, & Synagogam ingressus, de Christo sermonem babuit, tribusque integris Sabbatis Scripturas explicuit. Judæorum nonnulli non sine magno Ethnicorum numero Fidem amplexi sunt; at Judæi cæteri, odio in Christi Religionem acti turbas conflarunt, conatique sunt Paulum, & Silam perdere, qui apud Jasonem versabantur; eosque haud nacti, Jasonem apud Magistratum accusarunt; Paulus autem nocte egressus Urbe, cum eo non amplius regredi auderet, Timotheum misit, qui Neophytos ad custodiendam fidem, quam susceperant, hortaretur. Timotheus officio functus ad Sanctum Paulum rediit, qui tunc Corinthi morabatur, eumque monuit, Thessalonicensem Ecclesiam in fide persistere, nec persecutionibus, quibus suberat, deterreri. Tunc Apostolus primam ad Thessalonicenses Epistolam scripsit, quæ eorum in fide fervorem non sine paterni amoris significatione commendat. Eos monitos vult, se nulla lucri spe ductum, sed eorum tantum salutis causa Evangelicum nuntiasse; docetque, qua Christianum hominem deceat, ratione mortuos deflere, ea spe fore, ut e sepulcro gloriosi resurgant; erudit de postremo Judicio, & ad eum formidandum diem animos comparat; denique postremo capite, quod quintum est, egregia monita multa proponit. At cum Thessalonicenses perperam interpretati essent, quod ad eos Apostolus de finali judicio scripserat, sibique in animum inducerent credere, funestam eam diem jam jam adesse; ex eodem loco Apostolus, altera missa Epistola, vanum terrorem disjecit, monuitque, tametsi jam tum conflari inciperet iniquitatis mysterium, Christi tamen judicium non prius fore, quam *impius*, & *homo peccati*, qui Antichristus est, advenisset, futurumque, ut eum Christus potestatis, & gloriæ suæ splendore destrueret: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris, & destruet illustratione adventus sui illum*. Vehementius etiam Apostolus in hac

Epistola io eos invehitur, quos otiosos, ac turbulentos lo prima tantum notaverat, mandatque, ut se quisque ab hoc hominum genere segreget, quo saltem pudore suffusi resipiscant : *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. Epistola hæc capitibus tribus constat.

Thiras, *destructor*, septimus filiorum Japhet filii Noe, qui vulgo Thracum pater fuisse creditur. *Genes.* x. *Ezech.* XXVII.

Thobadonias, *meus bonus Deus*, Levita, Legisque Doctor, eorum unus, quos pius Rex Josaphat misit in Urbes Juda, ut populos edocerent. II. *Paralip. c.* XVII.

Thobias, *bonitas Domini*, Levitæ nomeo, qui in eumdem, quem modo diximus, finem missus.

Thogorma, *fragor*, tertius filiorum Gomar, a quo Phryges, vel Cappadoces, ut alii putant, bis nixi Ezechielis verbis : *De domo Thogborma equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum*. Thogotma equi, & muli ad Tyri nundinas ducebantur ; porro Cappadocia ejusmodi animalibus affluebant. *Genes. c.* x. *Ezechiel. c.* XVII.

Thola, *coccineus pannus*, filius primogenitus Issachar, Tholaitarum caput : *Thola, a quo familia Tholaitarum*. Aliter ejusdem nomiois successit Abimelech, & Judicum Israel septimus fuit : *Post Abimelech surrexit Dux Israel Thola filius Phua patrui Abimelech*. Præfuit annos viginti, sepultusque est in Urbe montis Ephraim, nomine *Samir*, in qua degebat. *Genes.* XLVI.

Tholad, *nativitas*, Urbs Tribus Juda, quæ Simeonis Tribui concessa fuit ; eadem creditur, atque Eltholad. I. *Paralip. c.* IV.

Tholmai, *qui aquas suspendit*, unus e tribus filiis Enac e Gigantum stirpe : *Venerunt in Hebron, ubi erant Achiman, & Sesai, & Tholmai, filii Enac*. Eum illinc Caleb expulit. Fuit etiam hujus nomiois Rex Gessur, Absalonis atavus, apud quem Princeps hic se recepit, cum fratrem Amnon occidisset : *Absalon fugiens abiit ad Tholmai*. Numer. *c.* XIII. II. Reg. *c.* III.

Thophel, *ruina*, loci nomeo ultra Jordanem e regione Maris Rubri, ubi Moses ad universum populum sermonem habuit, & ubi deinde Tribus Ruben versata est : *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri contra Mare Rubrum, inter Paran, & Thophel*. Deuteroo. cap. I.

Thopho, *stultitia*, Urbs Juda a Bacchide munita : *Ædificaverunt Civitates munitas in Judæa... Phara, & Thopho muris excelsis*. Eadem est ac Thaphua. I. Macbab. c. IX.

Thosa, *dissipatio*, patria Jedihel, & Joha filiorum Samri : *Jedihel filius Samri, & Joha frater ejus Thosaites*. Non constat, ubinam fuerit hæc Urbs Thosa. I. *Paralip. c.* XI.

Thou, *errans*, Rex regionis Emath, qui de Adarezer omnibus copiis a Davide profligatis monitus, Joram filium misit, qui ei victoriam gratularetur, & aurea argentea, & ænea vasa offerret : *Audivit Thou Rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer, & misit Thou Joram filium suum ad Regem David, ut salutaret eum congratulans*. II. Reg. cap. VIII.

Throni, Angeli, qui io Cælesti Hierarchia tertium ordinem tenent, ita dicti, quia Dei Majestati veluti throoi deserviunt : *In ipso condita sunt universa in Cælo, & in terra, sicut, Throni, sive Dominationes*. Adludunt hæc verba ad Cherubio, eos nempe Angelos, qui supra Arcam erant, vel ad eos, de quibus Isaias, & Ezechiel, qui supra, & circum Omnipotentis thronum sunt.

Thronus, sedes, seu tribunal Regis : *Sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus* : Salomon solium coosceodit, quod sacra Scriptura omnium, quæ cogitatione fingi possint, pulcberrimum, ditissimumque describit : *Non est factum tale opus in universis Regnis*. Erat ex ebore, puroque auro exornatum ; ad eum ducebant gradus sex ; sedi brachiis duobus fultæ utrinque aderant Leonis figuræ duę, & supra gradus sex, Leunculi duodecim. Divini quoque Throni descriptio, qua nihil magnificentius, & ad terrorem aptius, apud Isaiam, & Ezechielem occurrit. Erat ille veluti animatus currus, qui supra quatuor inusitata figura Cherubin ferebatur ; rotæ, quarum mira tum magnitudo, tum pulcritudo, animatæ erant, & a spiritu ductæ. Thronus Domini, qui supra rotas, & Cherubin erat, & supra firmamentum delatum, Saphyro similis erat. Qui throno assidebat, erat veluti homo lumioe splendens, a quo undique circumdatus erat. Nomeo hoc, *Thronus*,

pro

pro Regno, ac Ditione sumitur: *Roboretur clementia thronus ejus*. Regis quoque domicilium significat: *Neque per Cælum, quia thronus Dei est*. Christus Dominus prohibet, ne quis per Cælum juret, quia Cælum thronus Dei est; qui autem per thronum jurat, per eum quoque jurat, qui in eo sedet.

Thubal, *terra*, quintus filiorum Japhet, quem fere sacra Scriptura cum Mosoch conjungit, quod argumento est, regiones, quibus incolas uterque dedit, finitimas fuisse: *Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui*. Hi populi negotiationis causa ad Tyri nundinas se conferebant; & probabile est, per Mosoch, & Thubal intelligendas esse Cappadociam, & Iberiam, quæ ultra Pontum Euxinum est. *Genes. c. x.*

Thymum Lignum, ligni genus, insigni pulcritudine, & odore præstanti, quod classis Regis Hiram ex Ophir afferebat: *Classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir thyma ligna multa nimis*. Interpretes alii aliter vertunt Hebraicum *thymum*, alii corallum, alii lignum Braxilis, pinum alii. In hac veræ significationis ambiguitate, vox hæc *odoriferum lignum* vertitur, quin ullum peculiare lignum designetur.

Tiara, seu Mitra, capitis ornamentum, quo Sacerdotes utebantur: *Filiis Aaron parabis balteos*, ac *Tiaras in gloriam, & decorem*. Tiaræ huic non alius ornatus erat, quam corolla quædam lino confecta: *Mitras cum coronulis suis ex bysso*; cum Pontifex, præter primam tiaram lineam, aliam ex hyacintho gereret, quam coronæ tres aureæ circumdabant, cujusque fronti inerat aurea lamina, cui Dei nomen insculptum erat.

Tiatyra, *sacrificium contritionis*, Urbs Asiæ Minoris in Mysia, seu Lydia, cujus Episcopum, prius ob res bene gestas commendatum in Apocalypsi S. Joannes increpuit, qui Dei servos a quadam Jezabel pseudo-prophetissa seduci, & in fornicationem pertrahi pateretur: *quia permittis, mulierem Jezabel, quæ se dicis Prophetam, docere, & seducere servos meos fornicari, & manducare de idolothytis*. Subdit Dei Filius, eam, quia pœnitentiam agere noluit, a se puniri, eosque omnes, qui adulterium cum ea perpetrabant, æque puniendos, nisi sollicite resipuissent: *Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint*. Quinam Tiatiræ Angelus, seu Episcopus fuerit, quem afficiunt verba hæc, ignoratur; sitque probabile, nomine *Jezabel* S. Joannem notatam voluisse potentem, & arrogantem aliquam fœminam, cujus vanis prophetiis populi deciperentur.

Tiberius, *seductio*, Liviæ, & Tiberii Neronis filius, ex illustri Claudiorum familia, ab Augusto adoptatus fuit, eique in Romano Imperio successit. Ejus imperii anno quintodecimo Missionem suam in Judæa Christus Dominus inchoavit: *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam .... factum est verbum Domini super Joannem*. Triennio post, cum Servator in crucem actus fuisset, Tiberius, de prodigiis, quæ in ejus morte contigerant, a Pilato per litteras monitus, Christum in Deorum numerum inferre voluit; at ei Senatus obstitit.

Tiberias, *bona visio*, Galilææ clara Urbs ad oram Lacus Genasereth, cujus nomen gerit: *Post hoc abiit trans Mare Galilææ, quod est Tiberiadis*. Eam Herodes Agrippa in Tiberii honorem ædificavit; locique statim amœnitate spectata, totius Galilææ Metropolis evasit. Affluebat calidæ aquæ balneis, quibus infirmi plurimi convocabantur, ejusque Lacus nunquam non Piscatorum retibus obtegebatur. Vespasianus, cum hanc Urbem cepisset, Agrippa, ad quem spectabat, sollicitante, mœnium partem solo æquare satis habuit, nonnullique Judæorum Sacerdotes cum, eversa Hierosolyma, eo recessissent, Academiæ fundamenta jecerunt, quam celebrem reddidit doctorium Magistrorum existimatio. ex ea schola prodiere Misna, & Masoretarum clarum opus. Christiani, Duce Gedefriddo Bovilloniensi, Tiberiadis potiti sunt, qua eos deinde Raymundi Tripolitani Comitis proditio spoliavit.

Tichon, loci nomen ad fines Terræ Sanctæ, qua inter regionem Emath, & Auranitidem Arabia Deserta protenditur: *Domus Tichon, quæ est juxta terminos Auran*. Ezechiel. c. XLIX.

Tigris, *jaculum*, rapidissimum Asiæ flumen, quod in Armenia majore oritur, lacum subit, quam, haud permixtis aquis, prætergreditur, se ad radices Tauri montis in cavernam abdit, Assyriam a Mesopotamia dividit, ac tandem in Sinum Persicum ostio cum Euphrate communi se exonerat. Flumen hoc est unum e qua-

e quatuor, quæ ex Horto Eden effluebant: *Nomen fluvii tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios.*

Timæus, perfectus, hominis nomen, qui ejus cæci pater erat, cui Christus in Urbe Jericho oculorum usum restituit: *Filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans.*

Timon, honorificus, unus e septem Diaconis, quos Apostoli primos elegerunt: *Elegerunt Stephanum, & Timonem.* De hoc Diacono nihil peculiare constat. Latini contendunt, Timonem, cum per aliquod tempus Evangelium Beræ nuntiasset, Corinthum venisse, ibique a Judæis, Ethnicisque in ignem conjectum, & mirifice egressum, tandem in crucem actum fuisse. *Actor. cap.* VI.

Timotheus, qui Deum honorat, Ammonita, supremus Antiochi Epiphanis armorum Dux, qui, multis cum Juda Machabæo commissis præliis, semper ab eo insigni Duce victus fuit. Post extremæ pugnæ cladem, profligato prorsus exercitu, Timotheus cum Chærea fratre Gazaram fugit, ubi occisus fuit: *Timotheum occultantem se in quodam repertum loco interemerunt, & fratrem ejus Chæream.* Erat alius ejusdem nominis supremus & ipse Dux armorum Antiochi, qui cum ultra Jordanem formidandum exercitum coegisset, a Juda Machabæo, & fratre Jonatha victus fuit, qui eum persecuti, rursusque aggressi sunt, ejusque exercitum profligarunt. Timotheus in Dosithei, & Sosipatris manus delapsus, vitam supplex expetiit, pollicitus, se Judæos omnes, quos captivos retinebat, liberos remissurum. Ii quidem ei abeundi facultatem concesserunt; ac deinde non amplius de eo sacra Scriptura loquitur. I. *Machab.* XII.

Timotheus, S. Pauli discipulus, Listrensis erat, ethnico patre, & Judæa matre natus, quæ Eunices dicebatur, cujus, ut aviæ Loidis fidem S. Paulus commendat: *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice.* Apostolus, cum Listris esset, Timotheum, cujus magna erat fidei laus, circumcidit, ut posset ad Judæorum salutem incumbere, qui incircumcisum, tamquam impurum, profanumque vitassent. Timotheus, tanto Magistro duce, se de fidei propagatione sollicitum exhibuit, secutusque, quocumque pergeret, ei singularem operam præstitit; quamobrem eum S. Paulus charissimum filium, fratrem, laborum suorum socium appellat, testaturque, Timotheum omnium maxime mente, & corde sibi devinctum fuisse. Ei mature manus imposuit ex peculiari Spiritus Sancti mandato: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Eum Apostolus per Ecclesias mittebat, quarum fideles roboraret, & in doctrina firmaret, qua eos imbuerat; annoque 64. Romam reversus, eum Ephesi reliquit ad ejus Ecclesiæ regimen, cujus Episcopus primus fuit. Apostolus ut ei, omnibusque in eo terrarum Orbis Episcopis tam sancti ministerii officia ob oculos poneret, ad eum ex Macedonia Epistolam primam scripsit, quæ ejus nomen præfert, sub annum Christi 66. in qua Episcopalis muneris officia generatim præscripsit, docuitque, qua demum ratione tum eos dignosceret, quorum opera ad Ecclesiæ servitium uti vellet, tum se cum iis gereret, qui id agebant, ut Evangelicæ doctrinæ puritatem corrumperent. Eumdem hortatur, ut, quod optimum Præsulem decet, in omni exercitatione, & in omni vitæ ratione se Fidelium formam, & exemplar exhibeat. Apostolus paulo post cum Romam pervenisset, jamque se morti proximum nosset, ad dilectum Discipulum Epistolam alteram misit, quæ tamquam ejus testamentum spectatur. Ea quidem, ut prima eximiis ad omnes Ecclesiæ Ministros monitis, præceptisque referta est. Ei commendat, ut veritatis depositum custodiat, inutiles quæstiones fugiat, & se contra persecutiones roboret. Periculosum tempus futurum prædicit, quo tumidi, maledici, inhumanique Doctores pietatem ipsam evertent, ejusque tantum speciem servabunt; quoque homines sibi assentatores quærent, qui omnibus eorum cupiditatibus morem gerant, indulgeantque, & veritati ferendæ impares, non nisi fabulis faciles aures præbebunt. Hæ duæ Epistolæ, S Augustini sententia, semper ob eorum oculos sint, oportet, qui Ecclesiæ servitio addicti sunt. In iis sua omnia, quam late patent, officia perspicient, intelligentque, quem virtutis gradum postulet Ministerii Sanctitas, ad quod adspirare audent: *Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum .... non neophitum.*

Tisri, Civilis Hebræorum anni mensium pri-

primus, & Ecclesiastici septimus, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet. Hujus mensis die prima Tubarum Festum celebrabatur: *Mense septimo, primo die mensis erit vobis Sabbatum clangentibus tubis, & vocabitur Sanctum*. Dies octava Salomonici Templi dedicationi sacra erat; dies decima solemnis Expiationis Festum referebat: *Mense septimo decima die Mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis... in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*. Ejusdem Mensis die decima quinta Tabernaculorum Festum peragebatur: *A quinto decimo die Mensis hujus septimi erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino*.

Titus, *honorificus*, S. Pauli discipulus, græcus ethnicusque origine, ab hoc Apostolo fide imbutus, ei a secretis, & Interpres fuit. Eum idem Apostolus secum duxit ad Hierosolymitanum Concilium, quod habitum fuit, ut dijudicaretur, utrum oporteret, necne, Legis cæremoniis Ethnicos subdi; & Apostolus quidem Titum circumcisioni subesse noluit, ut ostenderet, Circumcisionem necessariam non esse; quamquam Timotheum deinde circumcisum voluit, ut pariter ostenderet, eam consuetudinem adhuc citra peccatum servari posse: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi*. Eum deinde S. Paulus Corinthum misit, ut dissidia dirimeret, quæ eam Ecclesiam scindebant; qua legatione perfunctus, in Macedoniam ad eum se contulit, negotiationis suæ rationem redditurus. Paulo post secundam ad Corinthios epistolam attulit, quam Apostolus ad eos scripserat; & sub annum Christi 63. Cretæ Insulæ Episcopus ab eodem Apostolo creatus fuit: *hujus gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Ad eum sequenti anno ex Macedonia Epistolam misit, in qua notas describit, quibus Sacerdotes, & Episcopos insignitos esse oportebat, quos initiaturus erat, ut Ecclesias administrarent. Rationem etiam tradit, qua non unius generis homines instituat. Eumdem hortatur, ut acriter Cretenses increpet, monetque, eos suapte natura depravatos esse, & Judaicæ religionis illusionibus abripi: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.... quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium se a veritate*. Extollit deinde Apostolus Christi gratiam, cujus miseratione salutem consequimur; eique mandat, ut Fideles ad obedientiam Potestatibus præstandam, querelas, ac disputationes evitandas, honestosque labores suscipiendos hortetur. Titus ergo, cum Insulis Cretæ finitimis Evangelium nuntiasset, ad Episcopalem suam sedem rediit, ubi ætate admodum provectus occubuit.

Titulus multifariam sumitur. I. Pro inscriptione: *Scripsit autem & titulum Pilatus*. II. Pro monumento, quod in alicujus rei memoriam erigitur: *Surgens Jacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum*; idemque præstitit, ut ictum cum Labano fœdus innueret: *Erexit titulum super sepulcrum ejus*. III. Lapidem, columnam significat: *Moyses ædificavit Altare ad radices Montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus*. IV. Signum, quo res aliqua innuitur: *Cum viderint os hominis, statuent juxta illud titulum*: cum hominum ossa nonnulla conspexerint, signum apponent, ne extrahantur.

Tob, *bonus*, regio ad meridionalem partem Tribus Manasse ultra Jordanem sita. Io eam Jephte, ejectus a fratribus, se recepit: *Jephte habitavit in terra Tob*. Judic. XI.

Tobias, *bonitas Domini*, filius Tobiel e Tribu Nephtali, Urbem Cades, hujus Tribu metropolim incolebat, & Annam ex eadem Tribu conjugem duxerat, e qua filium suscepit, qui patris nomen gessit. Sacra Scriptura Tobiam refert ab ineunte ætate Divinæ Legi se dedidisse, Religionis officia fideliter obiisse, nihilque, quod pueritiam saperet, in ejus vitæ ratione fuisse: *Cumque esset junior omnibus in Tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere*. Quamvis autem In Regno Israel inter schismaticos, & Idololatras versaretur, schismatis tamen, & idololatriæ particeps omnino non fuit; at Judæ fratribus animo devinctus, penes quos vera Religio, & Sacerdotium erat, unum Templum, in quo Deus coli volebat, Hierosolymam solemnibus festis diebus se conferebat, suasque in Templo decimas, & primitias fideliter offerebat: *Sed pergebat in Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas fideliter offerens*. Pia hæc officia Tobias ad illud usque tempus prosecutus est, quo Salmanasar, capta Samaria

ria, Tribus decem in Assyriam transtulit. Justus, piusque vir scelestorum hominum calamitate involutus fuit. Captivus & ipse cum conjuge, ac filio Niniven ductus, suum semper animum purum servavit, præceptis Domini præstita fide; nec se unquam, ut Israelitæ cæteri, cibis Lege vetitis polluit. Ut ejus fidem rependeret Deus, in cujus manibus est Principum animus, a Salmanasar Rege bonis, & honoribus cumulatum voluit: *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis.* Regis gratia Tobias ad captivorum fratrum solatium usus est. Eos invisebat, & quotidie, quicquid sibi præsto erat, in capita distribuebat; additaque eleemosynæ doctrina sanctisque monitis, singulos hortabatur, ut præsentem conditionem æquo, conformique Divinæ voluntati animo ferrent. Cum aliquando in Urbe Medorum Reges consanguineus quidam, Gabelus nomine, ad aliquam dubio procul negotiationem talentis decem opus haberet, Tobias, cui regia de more liberalitas scutorum decem millia contulerat, postulatam pecuniam, accepta tantum syngrapha, mutuam dedit. Haud obfuit Regis mors, quominus consuetis charitatis officiis, & quidem in dies magis, Tobias vacaret, regnante Sennacherib ejus filio, qui patri suffectus Israelitas, quos oderat, acerbe habebat. Princeps hic aliquo post tempore cum turpiter ex Judæa fugisset, gravissimæ calamitatis causa, qua Deus ejus blaphemias punierat, reversus suum in Judæos furorem evomuit, quorum multos morti addixit. Tobias eorum corpora sepeliebat; qua de re monitus Rex; indignatus eum bonis omnibus, muneribusque spoliavit, quibus eum pater in regiis Ædibus insignierat, eoque præterea impulir, ut vitam fuga servaret; at paucis post diebus Sennacherib a filiis occiso, Tobias domum rediit, & in integrum restitutus fuit. Festo quodam die, sanctus Vir, se accuratum semper, & religiosum exhibens in Lege servanda, quæ læta convivia ad festorum dierum celebrationem præcipiebat, prandium splendide instructum voluit iis e Tribu, qui cæterorum maxime pietati, Deique timori addicti habebantur: *Dixit filio suo: vade, & adduc aliquos de Tribu nostra, timentes Deum, & epulentur nobiscum.* In ipso prandio Tobias audiens, Israelitarum nescio quem interemptum in via jacere, statim accurrit, sumptuoque cadaver domi celavit, quod post Solis occasum sepulturæ daret. Eum consanguinei, & amici imprudentiæ ac temeritatis accusarunt, qui se ita in vitæ discrimen conjiceret, quam ob eamdem causam jam fuga servaverat. At sanctus vir invicta erga suos indigenas charitate semper incensus, minime dubitaba, alacriter potius bonorum, ipsiusque vitæ jacturam subire, quam officiis deesse: *Sed Tobias plus timens Deum, quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.* At ejus repensa charitas; dignusque fuit, qui Servatorem, cujus venturi fidem fovebar, æmulatus, ejus in Cælo felicitatis, & gloriæ particeps fieret. Aliquando cum mortuos multos sepulturæ dedisset, defatigatus ad muri pedes somnum cepit, calidoque stercore ex hirundinis nido in oculos delapso, cæcus evasit. Calamitas hæc, qua Deus Tobiam probatum voluit, ejus fidei magnitudinem non imminuit; tantumque abfuit, ut de Divina providentia conquereretur, aut de tristi conditione mæreret, ad quam redactus erat, ut potius nullo non vitæ tempore Deo gratias ageret, impiisque consanguineorum dicteriis, & irrisionibus, hoc unum fidei plenum responsum daret: *Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est eis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Uxor ipsa eum increpabat, cui Tobias, ne novis increpationibus ansam præberet, haud respondebat; sed altum suspirium emittens, sibi solatium in prece quæsivit, Deumque obsecravit, ut sibi mortem concederet: *Et præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam vivere.* Quamvis autem mortem expeteret, Religionis ratione habita, sua tamen vota ejus voluntati subdebat, qui unus novit, quid vere prosit: *Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum.* Interea sanctus Vir futurum ratus, ut statim tribueret, quod beneficii loco petebat, mortem scilicet, filium accivit, cui spiritalibus, & ad salutem mirificis datis monitis, haud temporalium rerum curam neglexit, quibus ut consuleret, patris ratio postulabat, eique mandavit, ut Rages pergeret, pecuniam exacturus, quam ipse jam mutuam Gabelo dederat. Haud cunctatus Tobias junior, Angelo Ra-

Raphaele comite, qui Azariæ formam sumpserat, iter suscepit; & Tobias, fide cumulatus, conjugem solabatur, quæ de tam dulcis filii discessu dolebat, certam esse jubens, eum sospitem, & incolumem rediturum, ac certo fore, ut Angelus Dei, cujus custodiæ traditus erat, ipsum reduceret. At retardato dilecti filii reditu, turbari cæpit pater, eumque gravis mæror incessit, ita quidem Deo permittente, ut doceremur, haud naturæ sensa per fidem extingui. Anna, de absente filio prorsus ignorans, effuse flebat, nec tristem animum solari poterat. At Tobiæ fides, quæ altas in ejus animo radices egerat, naturæ vim addens, eum flere prohibebat, qui dabat & operam, ut conjugi solatium afferret, fidenter asserens, filium prospera valetudine frui: *Tace, & noli turbari; sanus est filius noster*. Cum porro adeo irrequieta esset, ut quotidie exiret domo, sederet in viis, in Montis jugo, tandem aliquando redeuntem filium prospiciens, nec expectans, citato gradu virum monuit, qui cæcus licet, surgens, obviam filio cum conjuge properavit. Eum amplexi, præ lætitia flentes, actisque Deo gratiis, consederunt: *Et cæperant ambo flere præ gaudio, cumque adorassent Deum, & gratias egissent, consederunt*. Tum vero Tobias junior, sumpto piscis felle, quod reservaverat, prout Angelus jusserat, confricarisque patris oculis, ei visum restituit. Statim ergo gratiis Deo persolutis, Senex Tobias exclamavit: *Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu sanasti me, & ecce ego video Tobiam filium meum*. Cum ergo Tobias per dies octo singularia lætitiæ specimina consanguineis, amicisque præbuisset, Azariæ officia, quæ filio præstiterat, rependere volens, ei bonorum suorum dimidium obtulit; at Angelus, quem minime noverat, ei, totique familiæ se prodidit, significans, se Raphaelem Angelum esse, unum e septem, qui semper in Domini conspectu sunt, se porro a Deo missum, ut iis opitularetur, ad eum regredi jam oportere; hortatusque eos est, ut Deo benedicerent, ejusque prodigia nuntiarent: *Tempus est, ut ego revertar ad eum, qui me misit Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus*. His dictis, evanuit; ii vero admiratione perfusi, Divinæque bonitati ob adeo singularia beneficia devincti, quibus cumulatos voluerat, Angelo in custodiam, opem, solatium misso, humi prostrati, non intermissum horarum trium spatium in ferventem gratiarum actionem impenderunt; nec se erexerunt, nisi ut prodigia prædicantes, quæ Deus in eorum gratiam ediderat, gratum animum publice testarentur: *Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exsurgentes narraverunt mirabilia ejus*. Tum vero Tobias pater, Divino Numine afflatus, Canticum e sacræ Scripturæ pulcherrimis edidit, cujus prima pars gratiarum actio est, in cujus partem Israelitas omnes vocat, Dei magnitudine, munificentia, potestate magnifice commendatis; pars altera prophetica omnino est; ac Tobias quidem cum de calamitate locutus esset, quam Hierosolymæ post annos centum Divinæ vindictæ minister Nabuchodonosor intulit, captivitatis finem, Urbis, ac Templi restaurationem, Divini cultus splendorem, populique lætitiam longe maximam ex redintegratis Urbis mænibus percipiendam enuntiat. At quod de novæ Hierosolymæ magnificentia, gloria, deliciis Propheta subdit, cum ad terrenam Urbem referri nequeat, sane nos ad Ecclesiam ipsam erigere debet, utpote quæ unus & unicus Prophetiæ finis est, una nos afficit, una locutionum amplitudinem, & vim exæquat: *Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, & sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam*. Tobias a recepto oculorum usu, annos prætereа duos & quadraginta vixit, viditque Nepotum filios. Quod vitæ reliquum fuit, in eo puro, sanctoque gaudio transegit, quod inspirabat Divinorum beneficiorum recordatio, aspectusque familiæ, quæ suam omnem felicitatem, & gloriam in Dei timore, ac servitio collocabat. Jam factus Senex se morti proximum sentiens, suis omnibus accitis filiis postrema monita tradidit. Prophetico spiritu cumulatus, insignia eventa quatuor, deinceps futura portendit. I. Nuntiavit excidium Ninives, cujus incolæ per pœnitentiam Divinæ indignationis fulmina per annos centum octuaginta suspenderant; at decretum in eam indictum longo post tempore tandem Nabopolassar, & Astiages executi sunt; qui an. Mund 3378. captam miseram Urbem funditus everterunt: *Prope erit interitus Ninive; non enim excidit verbum Domini*. II. Israelitarum in patriam reditum prædixit: *Et Fratres*

tres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam; quod regnante Cyro perfectum fuit, qui per Edictum Judæis in patriam redeundi, repetandique Templi facultatem concessit. III. Prophetiæ finem exhibuit: *Omnis autem deserta terra ejus replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur*. IV. Tandem Gentium ad verum Dei cultum vocationem edicit: *Et relinquent gentes idola sua, & venient in Jerusalem, & inhabitabunt in ea omnes Reges terræ, gaudebunt in ea, adorantes Regem Israel*; id autem tum contigit, cum Evangelium promulgatum, propagatumque fuit, institutaque Ecclesia, quæ vera Hierosolyma est, ad quem scilicet Orbis terrarum Nationes, & Reges, rejectis Idolis, turmatim confluxerunt, ut Deum colerent, suam omnem potestatem Christo subderent, & quem Judæi respuerant, eum Regem Israel profiterentur. Id etiam filiis commendatum voluit Sanctus Senex, ut nempe Dei præsentiam sibi nunquam ex animo excidere paterentur, ei cultum præstarent, in spiritu, & veritate deservirent, in adversis rebus æque atque in prosperis benedicerent, fratrum calamitatibus afficerentur, virtutisque traditionem, quo nullus in familia opulentior thesaurus, nullus nobilitatis præstantior titulus esse potest, suæ ipsorum posteritati relinquerent: *Servite Domino in veritate, & inquirite, ut faciatis, quæ sunt placita illi; & filiis vestris mandate, ut faciant justitias, & eleemosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in tota virtute sua*. Sermoni finem imposuit, hortatus, ut ex Urbe Ninive pedem efferrent, cujus excidium proximum prævidebat; mortuusque in pace centesimo secundo ætatis anno, ibidem honorifice sepultus fuit.

Tobias, ejus filius, de quo hactenus, ita a patre altus, educatusque est, ut Divinam Legem diligeret, fideliterque servaret, atque a peccato abhorreret. Junior erat, cum Salmanasar Samariam cepit, captivasque Tribus decem Niniven traxit. Ratus pater se jam ioibi esse, ut ad Deum itutus ex hac vita migraret, filium accivit, & mirum ad eum sermonem, eximiisque monitis refertum habuit, quibus ejus vitæ ratio, ad Christiani cujusque filii exemplum, niti debebat: *Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum constitue*. Commendavit imprimis, ut Deum quotidie, quoad viveret, haberet ob oculos, ejus sanctam Legem diu, noctuque meditaretur, evitaretque, quicquid eum lædere posset: *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri*. Tum de eleemosynæ præcepto verba fecit: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*; eamque tum peccatoribus necessariam esse monuit, ut ad resipiscentiam comparentur, tum justis hominibus, ut venialia peccata deleant, a quibus nulla vel integerrima vitæ ratio in terris immunis est: *Quoniam & eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*; congestisque monitis multis super officiis erga proximum, super mercede iis debita, quorum opera uteretur, super arrogantiæ fuga, super matrimonii fide, hortatus eum est, ut cordati viri consilium exquireret, Deoque in omne tempus benediceret, ac preces offerret: *Consilium semper a sapiente require; omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Ei denique notum voluit, se mutua Gabelo dedisse talenta decem, atque in mandatis dedit, ut summam exacturus se Rages conferret, subdiditque hæc magni momenti verba: Ne timeas, fili mi, pauperes sumus; at multum nobis bonorum erit, si Deum timuerimus, si a peccato abstinuerimus, si bonis operibus vacaverimus. Tobias junior paratus facere, quicquid in patris mandatis erat, ducem quæsitum iit, quo ad Gabelum pergens, comite, socioque uteretur; jamque in platea adolescentem, Azariam nomine, ad iter expeditum nactus ad patrem duxit, cui Azarias se perfecturum promisit, ut filius, se ductore, sospes & incolumis Rages perveniret, & Niniven reverteretur: *Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum*. Cum ergo nihil non ad iter paratum esset, Tobias junior a parentibus petita venia, cum duce abiit, qui Raphael Angelus erat, a Deo missus, ut eum duceret, custodiretque. Cum prima nocte in loco Tigri proximo constitissent, Tobiæ lotum ad flumen pergenti egressus monstrosus piscis, hiansque mortem minitabatur. Sed eum territum, exclamantemque Angelus monuit, ut capitis alas stringens, ad se piscem traheret; qui eductus, multis exantlatis conatibus, tandem anhelitu destitutus, ad ejus pedes jacuit. Ejus, jubente Angelo, exenterati cor, fel,

jecur sepofuit, quæ ad utilissima remedia usui futura erant. Cum Ecbatenam jam accederent, quærenti Tobiæ, quo divertere vellet, respondit dux, Ecbatenæ quemdam esse Raguelem nomine, arcta sibi cognatione devinctum, & omnino oportere, ut ipse ejus unicam filiam, ad quam spectabat omnis hæreditas, conjugem duceret. Tum Tobias Angelum monuit, ei puellæ jam fuisse viros septem, quos omnes nescio quis Dæmon occiderat; se porro timere, ne idem fatum, ea ducta, subiret, atque ita mœrore confectam parentum suorum senectutem opprimeret: *Timeo ergo, ne forte & mihi hoc eveniat, & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos*. At Raphael animos addens testatus est, in eos tantum Dæmoni potestatem esse, qui id unum studebant, ut matrimonium exercerent, detorquebantque ad libidinis depravationem institutionem Dei, cujus gloria matrimonii finis ultimus esse debet: *Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos*. Auctor igitur ei fuit, ut, puella ducta, tridui continentiam servaret, utroque suæ conjunctionis primitias Deo per puræ mentis, humilisque, & ferventis precis sacrificium dicante, ut eos Deus ipse a Dæmonis aggressionibus tueretur, suamque benedictionem in eos, filiosque matrimonium consecuturos effunderet: *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea*. Ei deinde mandavit, ut prima statim nocte piscis jecur combureret, quod servaverat, ut ita Dæmonem in fugam ageret: *Ipsa autem nocte incenso jecore piscis, fugabitur Dæmonium*; quod nobis documento est, orationis igne concupiscentiam, cujus jecur symbolum est, extingui posse; eique promisit fore, ut altera nocte in sanctorum Patriarcharum societatem reciperetur, nempe spiritus, & sanctitatis Abrahæ, Isaac, & Jacob hæres evaderet: *Secunda vero nocte in copulatione Sanctorum Patriarcharum admitteris*; fore denique nocte tertia, ut felix, faustumque matrimonium fieret filiorum spe, qui ejus fructus futurus erat: *Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes*. Eum præterea monitum voluit Angelus, ut, hac elapsa postrema nocte, non sine Domini timore ad sponsam accederet, prolis animo potius, quam libidinis motu; quibus verbis docemur, matrimonii usum tum solum sanctum, & legitimum esse, cum perficiendi finis, qui prolis procreatione continetur, desiderium conjunctum habet; & quicquid ejusmodi fini repugnat, execrandum peccatum esse; quicquid ipsum per se ad hunc finem minime refertur, absonum, & præposterum esse; ac licet, ad hunc eumdem finem quod attinet, nihil non ordinis rationi respondeat, si tamen voluptas potius quam filiorum generatio quæratur, id ipsum a peccato immune non esse: *Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris*. Tum vero Angelus, & Tobias subiere Raguelis domum, qui consobrini filium noscens, ad ejus collum se abjecit, gaudio lacrymas educente, innumerisque blanditiis complexus, prandium parari jussit; at Tobias se apud eum nec cibo, nec potu usurum edixit, nisi Saram sibi conjugem promisisset: Raguel, ei calamitatem veritus, quæ cæteros oppresserat, quid responderet, non habebat, nec ante postulatis annuere statuit, quam Angelus, detectis statim Divinæ providentiæ consiliis, Tobiam eum esse testaretur, cui Deus ejus filiam conjugem reservaverat, juberetque, ut non ægre assensum præberet. Hominis, quem haud norat, nunquamque viderat, dictis mutatus, erectusque Raguel minime dubitavit, quin adessent ambo, ita volente Deo, ut filiæ conjugium ex lege perageretur; quod non ita facile factu erat, Israelitis in captivitate, ac dispersione versantibus: *Non dubito, quod Deus preces, & lacrymas meas in conspectu suo admiserit, & credo, quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ secundum Legem Moysis*. Spopondit ergo Tobiæ filiam, exaratoque matrimonii contractu, Deo benedicens splendidam cœnam paravit. Absoluta cœna, Tobias in cubiculum ductus, in quo lectus erat, cui Saram Parentes de more imposuerant, solus cum sola relictus est; qui primum quidem piscis corde, & jecore in carbones injectis, deinde sponsam hortatus est, ut e lecto surgeret, & secum orationi vacaret, animis conjunctim ad Deum erectis: *Sara*,

na, *exurge*, *& deprecemur Deum hodie*, *& cras*, *& secundum cras*, *quia his tribus noctibus Deo jungimur*; *tertia autem transacta nocte in nostro erimus conjugio*. Ambo igitur, junctis precibus, ita quidem noctis partem maximam peregerunt, Deum etiam atque etiam rogantes, ut Sponsum sospitem, incolumemque servaret. Subsecuto mane Raguel, cujus fides admodum infirma erat, quique jam, in Tobiæ sepulcrum, foveam parari jusserat, eum vivum intelligens, erecto ad Deum animo, ob miserationem tantam, benedicens, & gratias agens, vicinos, & amicos omnes ad lætum, & opipare instructum prandium accivit. Tum vero ducem Tobias rogavit, ut Rages pergeret, pecuniam exacturus, qui præcipuus itineris finis fuerat; abiit Raphael, pecuniam accepit, & Gabelum impulit, ut ad amici nuptias veniret. Eo profectus Gabelus, Tobiam amplexus, lacrymas cohibere non potuit, Deo benedixit, sponsisque prospera omnia precatus est: *Benedicat te Deus Israel*, *quia filius es optimi viri*, *& justi*, *& timentis Deum*, *& eleemosynas facientis*, *& dicatur benedictio super uxorem tuam*, *& videatis filios vestros*, *& filiorum vestrorum usque in tertiam*, *& quartam generationem*. Ejus auguriis, precibusque concinens, & benedictiones confirmans Cœtus omnis respondit, *Amen*. Interea timens Sponsus, ne patri, ac matri mœrorem afferret, si diutius detineretur, Raguelem vehementer obsecravit, ut sibi per eum abire liceret; qui ægre tandem annuit, eum una cum conjuge abire passus, ambos benedictionibus cumulans, Deique sanctum Angelum precatus, ut feliciter utrumque duceret: *Angelus Domini Sanctus sit in itinere vestro*, *perducatque vos incolumes*, *& inveniatis omnia recte circa parentes vestros*. Confecto dierum decem itinere, cum Niniven jam accederent, Tobiam Raphael hortatus est, ut præiret, atque ita citius parentes a sollicitudine liberaret, eumdemque per iter monuit, ut vix domum ingressus, Deo cultum exhiberet, & gratias ageret, tum ad patrem accederet osculaturus, ejusque oculis apposito piscis felle, certum esse juberet, fore, ut apertis confestim oculis, lucem videret. Cum ergo Tobias domum pervenisset, nihil non eorum egit, quæ Angelus eidem mandaverat; sanctusque Senex, recepto visu, lætitia gestiens, filium conspexit; qui parentes de beneficiis omnibus certiores fecit, quibus a Deo per hominem cumulatus fuerat, qui se itineris comitem, ducemque præbuerat, utque gratum ob tot accepta officia animum testaretur, patri proposuit, ut ei suorum omnium bonorum dimidium offerret: *Sed puto*, *pater mi*, *ut roges eum*, *si forte dignabitur medietatem de omnibus*, *quæ allata sunt*, *sibi assumere*. At Angelus edicens, nihil iis aliud curandum esse, quam ut Deo benedicerent, & gratias agerent, ejusque miserationes magnifice prædicarent, occultam Divini quoad eos consilii rationem detexit, significavitque se Raphaelem esse, qui Dei jussu venerat, charitatis officium cum iis obiturus: *Etenim cum essem vobiscum*, *per voluntatem Dei eram*; *ipsum benedicite*, *& cantate illi*. His dictis, evanuit, eosque in prodigiorum admiratione reliquit, quæ in ipsorum gratiam ediderat. Junioris Tobiæ matrimonio Deus benedixit, eique filios septem tribuit. A reditu duos & quadraginta circiter annos vixit cum patre, cui postrema officia præstitit. Cum & matrem sepulturæ dedisset, egressus Ninive, se cum omni familia apud soceros contulit. Eorum curam egit, cumque oculos iis quoque clausisset, filiorumque suorum filios ad quartam usque generationem vidisset, ætatis anno nonagesimo nono in Domini timore diem suum obiit. In ejus filiorum animo fovit Deus, servavitque Religionis principia, & charitatis sensa, quibus imbutus eorum pater, cumulatusque fuerat; quamobrem in singulari vitæ sanctitate ea fide perstiterunt, ut se amore dignos Deo, & hominibus exhiberent: *Omnis autem cognatio ejus*, *& omnis generatio ejus in bona vita*, *& in sancta conversatione permansit*, *ita ut accepti essent tam Deo*, *quam hominibus*, *& cunctis habitantibus in terra*.

Communis opinio est, utrumque Tobiam suam ipsius vitam scripsisse, vel saltem librum, qui eorum nomen præfert, ex ipsorum monumentis concinnatum fuisse. Hujus operis exemplar, quod Hebraicum, seu Chaldaicum erat, nobis non amplius suppetit. Librum hunc S. Hieronymus ex Chaldaico sermone Latine reddidit; ejusque versionem, tamquam omnium maxime simplicem, perspicuam, & ab absonis narratiunculis liberam Ecclesia adoptavit. Librum hunc Judæi canonicum quidem non habent, non sine observantia tamen, utpote vera narrantem legunt.

gunt. Sed eum Chriſtiana ſemper Eccleſia tamquam inſpiratum ſpectavit, ac tandem Tridentina Synodus in ſacrorum Librorum Canonem retulit.

Tobias Ammonites, Judæorum hoſtis, qui Templi reparationi cum Sanaballat reſragatus eſt: *Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias ſervus Ammonites*. Tobias hic, etſi e ſervili genere, Samariæ regioni cum Sanaballat præfectus erat, & Secheniæ, unius ex Hieroſolymitanorum Judæorum primoribus, filiam conjugem duxerat. Hujus cognationis ope Civium non paucos, eosque haud vulgaris notæ ſibi devinctos Nehemiæ conſiliis oppoſuit; at inſignis hic Iſraelita, qua erat prudentia, omnes hoſtis conatus eluſit. Cum autem Nehemias, reparatis Urbis mœnibus, Babylonem regredi coactus eſſet, Tobias Hieroſolymam profectus, ibidem conſtitit, & ab Elaſib, domus Dei procuratore, domicilium in Templo obtinuit; at Nehemias, Babylone reverſus, e Templi atrio Tobiam expulit, unaque e loco ſancto ſuppellectilem ejus omnem ejecit: *Et projecit vaſa domus Tobiæ foras de Gazophylacio*. De Levita quoque, aliisque nonnullis, quibus id nominis fuit, ſacra Scriptura commemorat.

Tondere oves; penes Hebræos, feſtus is dies erat, accitisque ad convivium amicis, celebrabatur. Nabal ejus tonſionis die lautum prandium paraverat: *Erat ei convivium in domo ejus quaſi convivium Regis*; & Abſalon regiam univerſam familiam ad ovium ſuarum tonſionem accivit: *Ecce tondentur oves ſervi tui, veniat, oro, Rex cum ſervis ſuis ad ſervum ſuum*.

Toparchia, peculiaris loci regimen, de quo in Machabæorum *lib. 1. cap. xi.* ſermo eſt: *Poſtulavit Jonathas a Rege, ut immunem faceret Judæam, & tres Toparchias*. Hæ Toparchiæ tres erant, *Aphocrema, Lydda, & Ramatha*.

Topazium, lapillus pretioſus, qui nomen a Maris Rubri quadam Inſula mutuatus eſt. Gemma hæc in primo Rationalis ordine ſecunda erat, & nomen Tribus Simeon gerebat.

Topheth, ex Hebraica voce *toph*, *tympanum*. Erat id nominis cuidam loco vallis Ennon prope Jeruſalem, ubi Judæi ſacrificia offerrebant Idolo Moloch, filiosque in ejus honorem cremabant: *Ædificaverunt excelſa Topheth, quod eſt in Valle filii Ennon, ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni*. Porro dicebatur Topheth, quia tympanum Sacerdotes pulſabant, ut hujus inſtrumenti rumor impedimento eſſet, quominus parentes audirent filii gemitus, qui inter Idoli brachia flammis abſumebatur. Joſias Rex pietate inſignis locum hunc profanavit, polluitque, cadaveribus in eum projectis: *Contaminavit quoque Topheth, quod eſt in Valle filii Ennon, ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch*. IV. Reg. c. xxiii.

Torrens. Hebraica vox, quæ torrentem ſignificat, ſumitur etiam pro valle, ideoque hæc duo, *torrens*, & *vallis* nonnunquam in ſacris Litteris confunduntur, unumque pro altero accipitur: *Venit ad torrentem Geraræ*, ſcilicet ad vallem Geraræ. Eædem ſacræ Litteræ interdum etiam torrentis nomen inſignibus fluviis, ut Nilo, & Euphrati tribuunt. Nos quidem in peculiaribus articulis de torrentibus multis locuti ſumus, qui per Palæſtinam diſcurrebant, ut Cedron, Jabock, Arnon, Cadumin, Carith &c. Vox hæc ipſa methaphoricis multis locutionibus locum dedit; ita dicitur deliciarum torrens: *torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Torrens ſulphuris: *per latus Domini, ſicut torrens ſulphuris*: Domini flatus veluti ſulphuris ingens acervus eſt, quod inferos accendit, comburitque. Perſecutionem quoque ſignificat: *Torrentes Belial terruerunt me*. Item Eccleſiæ doctrinam, quæ copioſe per univerſum terrarum orbem diffuſa eſt: *Et omnis anima vivens, quocumque venerit torrens, vivet*.

Traconitis, *petroſa*, Syriæ regio, montibus, & ſaxis ſcatens, cujus Philippus Herodis Magni filius Tetrarcha erat: *Philippo fratre ejus Tetrarcha Ituræa, & Traconitidis regionis*.

Traditio. Ita ſacra Scriptura nuncupat inſtitutiones, quæ ad Religionem ſpectant, ſeu ſcriptæ, ſeu deinceps, ac ſucceſſione quadam ore tenus a patre in filium derivatæ fuerint. Traditiones ſcriptæ ſunt ipſa Lex; cæteræ ſunt eæ, quas verbo tenus Moſes dedit Joſue, quæque a Joſue ad ſeniores populi, a ſenioribus ad Prophetas, a Prophetis ad Judæorum Doctores commigrarunt. At decurſu temporis Traditiones hæ, quod aſſolet, viciſſitudines ſuas paſſæ ſunt; usque Pharifæi potiſſimum inania multa mandata admiſcuerunt, quibus acrius addicti, quam iis erant, quibus Legis vis, & ratio continebatur, quod iis

iis exprobrat Christus Dominus: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Ab eo tempore eorum erga traditionem observantia nequaquam deferbuit; atque inter eos tamquam Hæretici spectantur ii, qui obstippo capite eidem Traditioni se subdere renuunt. In hoc numero Caraitas ponunt, qui Scripturæ textui adhærent mordicus, neque alias traditiones suscipiunt, quam quæ Legis menti conformes sunt. Christianis quoque suæ traditiones sunt, quas non intermissa successione ab Apostolis acceperunt, quasque jure, ac merito tamquam omnino certam fidei, ac morum regulam spectant; quippe quæ ex eodem fonte, ac sacræ ipsæ Scripturæ, derivatæ sunt: *Tenete traditiones; quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* *

* *Certum inter Christianos, firmumque est, revelationem, seu scriptam, seu traditam, eadem auctoritate gaudere. Nihilo tamen secius haud levis controversiæ caput est, utrum revelata doctrina omnis scripta, an vero partim scripta, partim tradita sit, tametsi omnis omnino nuntiata, indicta, promulgata. Præterea quoniam traditio ab inspiratis Auctoribus commendata & non scripta ea quidem existit; in quæstionem venit, quænam notæ suppetant, qui caracteres, quorum ope divinæ traditiones ab humanis doctrinis distingui possint, quæ temporis lapsu cum divina, ut ita dicam, orali revelatione misceri poterant.*

Ad primum quod attinet, Protestantes omnes fidenter pronuntiant, ea prorsus omnia, quibus Christifideles opus haberent, ut perfectam, absolutamque Religionem obtinerent, scripta fuisse, nullamque proinde divinam revelationem esse, quæ solum tradita, & non scripta fuerit. Addunt & illud, etsi nonnulla sint a divinis Scriptoribus tradita, & non scripta, ea tamen ab humanis traditionibus, commentisque secerni non posse, nullumque certum ex iisdem argumentum posse ad finiendas Theologicas controversias desumi. Argumentum certum *dicunt; contendunt enim probabilia locum non habere, cum agatur de re gravissima, in eo scilicet posita, ut vel Deo, vel hominibus fides adhibeatur. Hinc illud sequitur, eos vehementer in Catholicos invehi, perinde ac si scripturæ traditiones præferrent, easque ipsas accommodarent, aut corrumperent, ut opiniones suas propugnarent. Cum porro ejusmodi quæstio, quæ cum Protestantibus nobis est, mere historica sit; ut eam ordine pertractemus, triplicem revelatæ Religionis statum distinguimus; primum quidem ab Adam ad Mosem usque, qui* naturalis Legis *status dicitur; alterum a Mose ad Christum, qui* Legis scriptæ *status appellari solet; tertium denique a Christo ad nos usque, qui status* Gratiæ *nuncupatur.*

Convenit inter Christianos omnes, in primo statu veram revelatam Religionem fuisse, ipsamque reapse, quæ in duobus deinceps aliis statibus fuit, etsi non ita quoad doctrinarum, præceptorumque numerum ampla fuerit. An vero in hoc statu extiterint, necne, libri divinitus inspirati, id sane certo statui non potest. Verum id prorsus indubitatum est, Protestantes, quibuscum nobis res est, contendere, eo sane tempore Religionem per divinam tantum traditionem non jam scriptam, sed revelatam viguisse, firmamque stetisse. Qua ex re nos quidem gravissimum argumentum desumimus ad ostendendum, tametsi Revelatio necessaria fuerit, ut hominibus vera Religio suppeteret, divinas tamen scripturas necessarias non fuisse, cum Religio per solam traditionem servari possit. Palmare argumentum est, cujus vi tamen Protestantes non permoventur, quia res admodum dissita est, nec vident, suas hinc novitates impugnari posse, ac proinde ea tantum impetunt, quæ propiora sunt; ac re quidem ipsa iidem Protestantes non eunt inficias, antiquissimas opiniones, doctrinasque non paucas apud Nationes aliquas unius traditionis ope sartas, tectasque servatas fuisse. Et sane incolæ Capitis Bonæ Spei *dicti,* Huttentoti *nomine vetera per traditionem tantummodo memoriæ commendata servant, retinentque, cum apud eos nulla profecto scribendi notitia sit, ut ex* Andrea Kolbi *in descriptione Capitis Bonæ Spei Tom. 1. compertum fit.*

In Mosaicæ Legis statu Prophetæ fuere, qui divinas revelationes scripserunt. Ac doctissimorum quidem Virorum opinio est, Prophetas non omnia scripsisse, sed abditiora nonnulla præteriisse, ut ea verbo solum, atque ore traderent, ut scribunt non modo celebres Hebræorum Rabbini, verum etiam e nostris PP. Origenes *in numeros,* Hilarius *in psalmum* II. *aliique. Nec dubitari potest, quin Prophetæ, qui divinam Revelationem scripserunt, ejusdem etiam absolutam, claramque interpretationem minime scripserint, quippe quæ nulla prorsus ratione scribi possit. Pharisæi quidem ejusmodi traditiones in ore semper habebant, quæ licet humana fraude*

de corruptæ, traditiones tamen, & rei quidem alicujus erant. Diruto Templo, eversaque Judæorum Republica, ne forte periret thesaurus hic, quem Hebræi traditionibus suis contineri putabant, Antonino imperante; an. Christi 115. *circiter, si Rabbinis fides, floruis Rabbinus* Judas, *dictus* Sanctus, *qui traditiones, per Majores a Mose ad sua usque tempora propagatas in librum contulit, qui* Sepher Mischnajot, *nempe secunda Lex appellatur. Ejusmodi liber apud Hebræos honorifice exceptus fuit, & publica auctoritate dignus habitus.* Marsamus *in Canone Ægyptiaco sæc.* IX. *librum hunc sæculo* IV. *posteriorem putat, eumdemque ipso sæculo* IV. *nondum innotuisse, quandoquidem* S. Hieronymus *nullibi in suis Operibus ejusdem meminit. Non est tamen, quod dubitetur, in his Rabbinorum libris nonnullas veteres traditiones, ad veteris Testamenti interpretationem utiles contineri, quemadmodum doctissimorum Virorum exemplum evincit, qui iis non parum, & quidem non inutiliter usi sunt. At qui Rabbinorum indolem probe noverit, ejusmodi scripta admodum caute legerit. Quis enim sibi persuadeat, quod legitur in Talmud, Adam adeo immani corpore, proceraque statura fuisse, ut ejus caput Cælum, extremas Mundi partes brachia contingerent? Hevam ex Ada cauda efformatam fuisse? Abraham, dum natus est, circumcisum fuisse, atque ita quidem, ut eamdem numero animam, quæ Adæ, Davidi, & Messiæ fuit, secum deferret? Petram, cujus aspectu evanescerent morbi omnes, Abrahæ collo appositam fuisse? Ab eodem Abraham Ægyptios mathematicis omnibus scientiis imbutos fuisse, ipsumque multos theologicos, & philosophicos libros scripsisse, ut innumeras alias nugas, seu potius deliramenta missa faciam, quibus Rabbinorum libri inferti sunt?*

Melchior Canus lib. 3. de Locis cap. 3. *ut veri similitudinem iis conciliet, quæ dicta sunt, animadvertit, id fuisse apud veteres Sapientes in more positum, ut nonnulla discipulos non scripto, sed verbo docerent.* Jamblicus *inter alios, &* Porphyrius *testantur, Pythagoram ita quidem auditores suos instituisse.* Galenus *Anatomes lib.* 11. *scribit, artes ab antiquis Philosophis ex Majorum traditione servatas fuisse.* Cæsar *lib.* VI. *de* Bello Gallico *Druidas refert veteres Galliarum Sacerdotes scelus putasse, scientiæ præcepta scripto tradere. Erat etiam inveteratus Ægyptiorum mos, ut hieroglificis signis, mysteriisque quibusdam sapientiæ arcana tegerent, quemadmodum argumentis multis in lib. de* Iside, & Osiride Plutarchus *ostendit. Apud Græcos etiam, ac Thraces abditissima erant sacra mysteria, atque ita quidem, ut de iis non modo Scriptores* Ethnici, *verum etiam veteres Patres sileant, qui, quoties eorum mentionem facere debent, parce admodum de iis loquuntur. Hinc factum est, ut arcana dogmata, ad Orphica, & Eleusiana mysteria quod attinet, ex Veteribus Scriptoribus eruditi Viri nulla prorsus ratione detegere potuerint. Probabile ergo est, Prophetas ipsos divinæ Sapientiæ arcana nonnulla obscure scripsisse, aut ne publica quidem omnino fecisse. Id autem ex eo confirmatur, quod prophetias nonnullas, quæ quoad litteram spectatæ non videntur ad Christum referri posse, fidenter Apostoli apud Hebræos Christo ipsi tribuebant, quod certe non fecissent, nisi Traditio facem iis prætulisset; illud, exempli causa,* ex Ægypto vocavi filium meum, de Israelitico populo, *illud etiam,* & Nazaræus Dei erit ab infantia sua, *de Sampsone scripta fuere; eadem tamen vaticinia Apostoli ad Christum referre non dubitarunt.*

Ad Evangelii statum quod spectat, plurima nobis argumenta suppetunt, quæ luculenter evincant, Apostolos per annos multos Evangelium nuntiasse solum, non autem scripsisse, veteresque Christianos de Novi Testamenti Scripturis ex sermonibus, quos auribus exceperant, judicasse, earumdemque Scripturarum obscura loca ex iisdem sermonibus interpretatos fuisse. Neque illud ignoramus, Apostolos non omnia scripsisse, quæ docuerant, sed satis habuisse, eorum præcipua, vel peculiares aliquas quæstiones scriptis mandare. Verum hæc facti quæstio est, ut constat; quam proinde non aliter, quam Veterum auctoritate dirimi posse nobiscum fateantur Lutherani, necesse est; quemadmodum si quæratur, quæ Pythagoræ doctrina fuerit, quæve Pythagoricorum dogmatum notio, non nisi veterum Pythagoricorum auctoritate explorari potest.

Quocirca siquidem Ecclesia Apostolis coæva, vel iisdem proxima testetur, Apostolicas Traditiones non scriptas existere, vel eas nihil aliud esse, quam aut sacræ Scripturæ interpretationes, aut peculiaria nonnulla dogmata minime scripta, aut morum, seu disciplinæ præcepta: nullus amplius superest controversiæ locus, quæ ita sane finita est; ac si Protestantes obluctentur, nequa-

nequaquam audiendi sunt, quippe quos indubitata testimonia convincant. Id vero quam unanimi sententia doceat vetus omnis Ecclesia, profecto admiratione dignum est. Tertullianus in suo de Præscriptionibus libro quæstionem hanc ex professo, non obiter pertractavit; eamdem Vincentius Lyrinensis in suo Commonitorio discussit. Uterque porro antiquitatem, & Apostolicam enuntiationem Fidei nostræ Regulam nuncupat. Audiendus sane Vincentius Lyrinensis (exscribendus enim Tertullianus omnino esset, si vellemus ejus verba producere): Tria, inquit Lyrinensis, sectanda esse homini Christiano, universitatem, antiquitatem, consensionem: sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fatemur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero, ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est, consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, ac Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. Hæc eadem veterum Christianæ Religionis Apologistarum doctrina fuit; passim enim S. Justinus Martyr, Origenes, Clemens Alexandrinus, S. Irenæus, Eusebius in suis Operibus ad Veterum traditiones appellant. In eumdem modum Sæculi quarti Patres loquuntur. S. Epiphanius Hæresi 60. Oportet, inquit, & traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura accipi possunt; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apostoli docuerunt. Idem scriptum reliquit S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 11. Chrysostomus pariter dum ea S. Pauli verba ad Thessalonicenses interpretatur: Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram, docte subdit: Hinc patet, quod Apostoli non omnia per Epistolas, sed multa etiam sine litteris docuerunt; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.

Olden lib. 1. Analysis Fidei id ipsum hac ratione confirmat: constat, Evangelium ab Apostolis ante nuntiatum, quam scriptum fuisse, porro cum illud scripsissent, suos iidem libros per Ecclesias omnes miserunt, quibus Evangelium nuntiaverant. Eæ vero Ecclesiæ non alio argumento ductæ crediderunt, eos libros Apostolicos esse, nisi quia perspexerant, eorum librorum doctrinam cum ea congruere, quam Apostolorum ore ipso perceperant. Ergo vel ipso Apostolorum seniores Evangelicæ Scripturæ Regula, qua ejus institutio, & interpretatio nitebatur, Traditio fuit. Hoc Tertulliani in lib. de Præscriptionibus argumentum est. At, quæso, videamus, quam apte illud exornet acutissimus Richardus Simonius in Præfatione ad Historiam Criticam Veteris Testamenti: Novum Testamentum, inquit, quod attinet, doctrina Evangelii apud innumeras Ecclesias fundata, & plantata fuit, antequam illud extiterit scriptum. Exinde vero Irenæus, Tertullianus, & primi alii Patres in suis adversus Hæreticos disputationibus non tam ad Verbum Dei sacris Litteris comprehensum, quam ad idem Verbum non scriptum, sed traditum, & in Apostolicis Ecclesiis conservatum confugerunt. Quoties vero Episcopi in Concilia, & Synodos convenerunt, singuli, quid in sua quaque Ecclesia credebatur, renuntiabat, ita ut hæc tradita primis Ecclesiis fides, normæ deinceps instar fuerit ad Scripturæ obscura interpretanda; ut ejusmodi Traditiones, Religionis Christianæ, ab initio Christianismi independenter ab ipsa Scriptura fundatæ compendium merito dixeris. Juxta illud ambiguas scripturas interpretari nos decet, sicut ipsi Protestantes, & inter alios Illyricus, fatentur. Possem etiam Gerardi Vossii judicium addere in Epistola ad Forbesium; at de eo alibi redibit sermo.

Huic argumento aliud, & quidem evidentius addimus. In Novi Testamenti Scripturis obscura, & dubia loca sunt; atque id sane de S. Pauli Epistolis S. Petrus diserte scribit: In quibus sunt quædam difficilia intellectu. Profecto cum Apostoli græce scripserint, at non sine omnibus Hebraicis idiotismis, eorum proinde Scripturæ passim Ethnicis Hebraici sermonis vim ignorantibus non obscuræ, ac ambiguæ non esse potuerunt. Nec verisimile fit, eos primos Christianos, Apostolorum æquales, interpretationis, & consilii gratia, ad Apostolos ipsos, qui adhuc in vivis erant, accessisse, cum id exequi facile possent. Interpretationes hæ ex ipso Apostolorum ore prodierunt, in Ecclesia servatæ sunt, magnamque divinarum Traditionum partem conficiunt. Quamobrem sapienter Tridentini Concilii Patres Sess. IV. Decret. I. statuerunt, harum traditionum ope Scripturas explicari oportere.

Joannes Franciscus Buddæus Theologus Luthera-

theranus lib. I. *Theologiæ Dogmaticæ cap.* II. §. 33. *cum laudatum Tridentini Concilii locum protulisset, hæc subdit:* Ostendere quoque debuissent Patres Tridentini, quænam istæ Traditiones sint, unde nobis constet, esse a Christo eas, vel a Spiritu Sancto dictatas, qua ratione in Ecclesia propagatæ sint, quæ ratio sit illas a doctrinis humanis discernendi; quæ cum non fecerint Patres Tridentini, sequitur, nihil certi, & solidi pro fide Christiana ex Traditionibus hujusmodi vagis desumi posse. *Ita Buddæus e Protestantium consuetudine potius, quam aliqua ratione permotus. Primum enim necesse ne erat, Tridentinos Patres commentarium in universam Scripturam, aut Theologiæ corpus edere, quo scilicet, quænam essent hæ Traditiones, ostenderent? Præterea cum e Christiana antiquitate constet, non omnem Christi, & Apostolorum prædicationem ab Apostolis scriptam fuisse, de Traditionum origine pariter constat. Verum a Tridentinis Patribus proposita est eas dignoscendi regula, cujusmodi est Ecclesiæ consensus, & auctoritas; quam sane regulam Protestantes rejicere nequeunt, nisi & illud dicant, veterem omnem Ecclesiam ignorasse, quod credebat, vel docebat, nec intellexisse Scripturas, ut in laudata Epistola* Vossius *egregie ratiocinatur. Sed ut rem hanc fusius pertractem, regulas in medium proferam, quas ad Traditiones discernendas doctus, & eruditus* Melchior Canus *lib.* III. de Locis *c.* IV. *proposuit.*

Prima Regula est: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est ab Apostolis usque ad nos, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. *Regulam hanc docet* S. Augustinus *lib.* IV. *contra Donatistas cap.* XXIV. *& ex tanto Magistro* Vincentius Lyrinensis *in Commonitorio. Pater* Corayer *in Præfatione ad interpretationem Tridentini Concilii, an.* 1742. *Amstelodami edita, etsi generatim Traditiones impugnat, in hanc regulam tamen consentit, nec apostolicum esse negat, quod semper, ubique, & ab omnibus apostolicum habitum fuit.*

At Buddæus *asserit, regulam hanc nullius omnino momenti esse, quia nempe non pauca mendacia venditantur, quorum origo ignoratur. Adduci solet a Protestantibus Papiæ exemplum, qui, cum librum suum Apostolicis, ut ajebat, antiquis traditionibus infarsisset, Veterum multos in crassum, & ridiculum Millenariorum errorem traxit, & inter alios* S. Irenæum *ipsum, qui Traditionibus multum credebat.*

Primum quidem longe alia rerum ad Religionem spectantium, ac cæterarum ratio est. Id enim semper Christiani religiosissime studuerunt, ne quid innovarent, sed Depositum sibi a Apostolis commendatum servarent, quemadmodum ex omnium Veterum professione, ex Tertulliani libro de Præscriptionibus, ex S. Irenæi, ex Lyrinensis Commonitorio, denique ex antiquis Conciliis ostendi potest, quorum Patres se diligenter antiquitatem sectari profitebantur. Nos ergo jure optimo dicimus, quoties in Ecclesia doctrina aliqua occurrit, ab Apostolis usque ad nos transmissa, nec reperitur in sacris Litteris, nec humanæ originis esse probatur, eam sane divinam habendam esse. Quod addunt de Papia, non imus inficias, eum popularibus rumoribus, vel Gnosticorum libris in traditionibus colligendis deceptum fuisse, inconsultosque nonnullos temere, ac citra examen ejus opiniones adoptasse. At cum major, & melior veteris Ecclesiæ pars contra dicat, id evidenti argumento est, hanc veræ Traditionis notam in Papiæ opiniones non cadere, ac proinde ejusmodi exemplum Melchioris Cani *Regulæ nihil officere.*

Secunda Cani *Regula est:* Si quod Fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, ejusque contrarium ut hæreticum refutarunt, idque de sacris libris non habetur, per Apostolicam Traditionem habet Ecclesia.

Tertia Cani *Regula est:* Si quicquam est nunc in Ecclesia, communi Fidelium consensione probatum, quod tantum humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione derivatum est. *Equidem in hac Regula desiderarem, ei, de quo* Canus *loquitur, antiquitatis consensum suppetere; alioquin frustra Theologus regulam hanc Protestantibus opponeret, qui Ecclesiam infallibilem seu fallere, & falli nesciam esse inficiantur.*

Quarta Cani *Regula est:* Si Viri Ecclesiastici aliquod dogma, vel unam quamlibet consuetudinem uno ore testentur, nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, ut credamus.

Atque hæ sunt Melchioris Cani *Regulæ quatuor, quarum ope divinæ Traditiones ab Humanis Doctrinis distingui possunt. Ac facile quivis intelliget, omnes has Regulas ad eam unam referri, quam* Vincentius Lyrinensis do-

docuit, ex divina traditione esse, quod semper, ubique, & ab omnibus creditum est, ita tamen, ut id etiam intelligamus, quod multæ, & antiquissimæ Ecclesiæ, tamquam ab Apostolis traditum crediderunt, id vere Apostolicum esse.

Sed jam videamus, quid Novatores objiciant. Ajunt, eam nostram doctrinam esse, Scripturam sine traditione imperfectam, obscuram, non satis ad Fidem esse, nosque proinde, dum traditiones inculcamus, Sceipturam deprimere, eamdemque contemnere, gravissimamque injuriam Apostolicis irrogare, quasi non omnia ad Fidem necessaria in sua scripta retulerint; ac de nobis dici posse, quod de Pharisæis Christus dixit: Propter mandata Patrum vestrorum transgredimini mandata Dei. *Immo vero, pergunt, quia* Nicolius, Norisius, *aliique Romani Theologi docent, prope nullum Fidei dogma e sacris tantum Scripturis sine* Traditione *demonstrari posse,* Traditiones *autem obscuræ, incertæ, vagæque sunt; ideo, concludunt, nil aliud facimus, quam Christianam Religionem a fundamentis evertimus: atque hoc* Petri Baile *argumentum est in Dictionario Critico p. 2223. Editionis Amstelodami an. 1720.*

Respondemus, eos, qui ajunt, divinam Revelationem tam scriptam, quam traditam semper eadem fide dignam esse, nulla ratione de utraque demisse sentire, vel utramque deprimere. Cum enim divinis Scripturis prima, & præcipua Christianæ Religionis capita contineantur, nostra proinde docet Ecclesia, Scripturas has expendi oportere. At cum constet, nonnulla scripta non fuisse, sive earum rerum, quæ scriptæ sunt, sive aliarum notitiam spectent, atque has ipsas res ejusdem, ac scriptas, originis esse; sapienter eadem Ecclesia genus utrumque rerum in eodem pretio haberi jubet. Neque vero ii sumus, qui dubias, vagas, incertasque traditiones commendemus, se eas tantum, quas ex allatis regulis Apostolicas esse constat; adeoque Petri Baile *argumentum purum putumque sophisma est.*

Reponit hoc loco Episcopius, *atque ita Apostolicas Traditiones oppugnat Theologicarum Institutionum lib. IV. cap. X. &* Limborchius *lib. I. Theologiæ Christianæ cap. V. Christum ea omnia, quæ credenda, speranda, & facienda sunt, cuique ad usque Mundi finem, perfecte, cumulateque Apostolis inspirasse, idque inter omnes Christianos constare, & perspicue Scripturam docere. Preterea id Apostolos prædicasse, ac docuisse qui dubitat, de Apostolorum etiam fide dubitet, necesse est. At, subdunt adversarii, omnia omnino sacris Litteris cumulatissime continentur; ergo prorsus inutiles Traditiones sunt. Quod autem subdunt, ita demonstrant: S. Joannes cap. XX.* Hæc autem, *inquit,* scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes, vitam æternam habeatis in nomine ejus. *Et Epist. 1. cap. V.* Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine Filii Dei, ut sciatis, vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomine Filii Dei. *Hinc infert* Episcopius, *omnia, quæ ad salutarem fidem, vel ad eam fidem, quacum æterna salus per Dei decretum certo conjuncta est, necessaria sunt, scripta esse; alioquin frustra Apostolus diceret, ea scripta fuisse, ut eadem credentes, æternam vitam obtineamus. Profecto nihil pejus ex veris principiis unquam deductum est. Is nimirum est S. Joannis verborum sensus, ut quispiam vere Christianus sit, eum credere oportere, Christum Dei Filium esse, atque ut id credatur, ea scripta fuisse. Ergo loco laudato S. Joannes non dicit, omnia scripta esse, quandoquidem sacer idem Scriptor ad Evangelii sui calcem testatur, se quidem non omnia ad Christi Domini vitam spectantia scripsisse. Præterea S. Joannes ad Christianos scribens, eos jam Christianam doctrinam callere, & in Christum credere pro certo habebat. Dum ergo se, ut crederent, scripsisse ait, id unum sibi vult, se scripsisse, ut, quod ore tenus docuerat, scripto firmaret; neque alius esse potest ejus verborum sensus. At, inquiet* Episcopius, *cur S. Joannes* necessaria *scripsit, si* sufficientia *crederentur? Certe multum interest, eadem sæpe repetit, ut altiores in animo radices agant. Et quoniam S. Joannes id facere coram frequenti multitudine non poterat, id ipsum scriptum reliquit. Nec S. Joannes dicere poterat, omnia ad salutem necessaria in eo, quod ipse scripserat, Evangelio contineri. Atque* Episcopius *ipse fatetur, esse multa credenda, quæ a S. Joanne scripta non fuerunt. Quod autem* Limborchius *repetit, S. Joannem non ad sua tantum, sed ad aliorum etiam Apostolorum scripta animum retulisse, non alio spectat, quam ut argumentum, quo* Episcopius *utitur, si fieri possit, propugnetur.*

Opponit & illud Limborchius, *verisimile non esse, Scriptores sacros, cum etiam inutilia nonnulla scripsissent, necessaria deinde neglexisse,*

se. At jampridem Theologi nostri huic argumento responderunt, non eam scilicet Apostolorum mentem fuisse, ut per ea, quæ scripserunt, integrum Christianæ Doctrinæ Corpus darent, sed præcipua tantum capita, idque eos fecisse, pro ut eorum temporum ratio postulabat; neque enim ut scriberent, sed ut prædicarent, missi fuerunt. At demus, eos omnia necessaria scripsisse; quia ipsi multa verbo explicuerunt, de Scripturis interrogati, eorumne responsa haud Spiritus Sancti doctrinas, atque haud æquali auctoritate pollere censebimus? Quod cum ita se habeat, quidni Apostolorum tum scripta, tum dicta pari cum veneratione suscipiantur?

Nobis tandem Patres objiciunt, quorum nonnulli Traditiones aperte rejiciunt. Theophilus *Alexandrinus lib.* II. *Paschali asserit*, Demoniaci spiritus esse, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare esse divinum. S. Hieronymus *Comment. in Aggæum cap.* I. *damnat, & respuit, quicquid sine Scripturarum auctoritate, ac testimonio profertur; & in Epistolam ad Titum*: sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem. *Praterea* Theodoretus *lib.* I. *Hist. Eccles. cap.* VII. *Constantinum in Nicæno Concilio dixisse refert*: In disputationibus rerum divinarum Sancti Spiritus doctrina præscripta; Evangelici enim, & Apostolici libri cum Prophetarum antiquorum oraculis plene nobis ostendunt sensum luminis. *Necesse proinde esse, ut ex oraculis Spiritus Sancti propositæ cujusque controversiæ solutiones sumamus. Quibus Imperatoris verbis, inquit* Calvinus, *nullus tunc Nicænorum Patrum refragatus est, quemadmodum* Theodoretus *ipse testatur; quod sane silentium sine perfidia non erat, si Traditiones in dubiis fidei quæstionibus tenendæ sunt.*

Respondet Melchior Canus *lib.* III. de Locis *cap. ultimo, Theophilum, & S. Hieronymum in eos loqui, qui nonnullas apocryphas historias, aut humana quædam inventa, sacris quoque libris contraria, tamquam divina, ac certa posteris venditabant. Alioquin S. ipse Hieronymus, cujus præsertim auctoritate Protestantes abutuntur, si nihil extra Scripturam credendum putasset, cur tandem contra Luciferianos, Vigilantium, Helvidium disputans, Traditionum auctoritate usus esset? In eumdem modum explicandos esse cæteros Patres, dum ejusmodi loquendi formulas adhibuerunt, cujusmodi fuere* Tertullianus *in lib.* de Carne Christi: Nihil recipiendum, quod non habet testimonium scripturarum: *&* S. Augustinus *in lib.* de Bono Viduitatis cap. I. Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit; *quæ testimonia objicit* Curayer. *Ad Constantini Orationem quod attinet, perperam* Calvinus *legit* plene; *in Græco enim codice legitur* σαφῶ, aperte, perspicue; *itaque eum decepit Interpretis, aut bibliopolæ oscitantia. Quamquam sit vero simile, Nicænos Patres, ne Ariani a Concilio recederent, qui edixerant, se controversiam e Scripturis agitare velle, liberalius egisse, & Constantini consilium ob pacis studium amplexos esse.*

Transfiguratio, Festum ad diei memoriam celebrandam institutum, qua die Christus Dominus in monte, quo Petrum, Jacobum, ejusque fratrem Joannem duxerat, gloriosus apparuit. Ejus vultus Solis instar emicuit, nivisque candorem vestes æquarunt. Viderunt Apostoli splendidam gloriam, qua Dei Filius exornatus erat, cognoverunque Mosem, & Eliam adstantes, colloquentesque de suppliciis, & morte, quæ Christus Hierosolymis passurus erat. Tum Petrus animum sumens, tabernacula tria, Christo ipsi, Mosi, Eliæ ibidem erigenda proposuit: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, ut Eliæ unum.* Adhuc eo loquente, eos lucida texit nubes; auditaque ejusmodi vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Hæc audientes Discipuli magno timore perculsi, in faciem procubuerunt; at Christus accedens eos tetigit, confirmavitque. Tum vero oculos erigentes, Jesum tantum viderunt. Finis, quem sibi Dei Filius in hac transfiguratione proposuit, is nimirum fuit, ut, quemadmodum promiserat, Apostolorum nonnullis gloriæ, quam hypostaticæ unionis vi humanitas obtinebat, scintillam ostenderet, eosque, exhibito Divinitatis specimine, contra scandalum Crucis, ignominiæque muniret. Moses, & Elias cum Christo visi, ut convinceremur, Legem, quam primus, & Prophetas, quos alter designabant, ad Christum, tamquam ad finem referri, neque alio omnino spectare, & per eam apparitionem nihil aliud, quam Christum Dominum, ejusque Ecclesiam intelligi debere. Constans, firmumque est, sacri quidem textus vi, Prophetas eos duos ipsos, non specie tenus, ut ali-

aliqui contendunt, apparuisse. Petrum autem, Jacobum, & Joannem Christus elegit, quos suæ gloriæ testes faceret, quia at perpessionum testes iidem in Olivarum monte futuri erant. Sacra Scriptura montem haud nominar, in quo mitum hoc eventum contigit; & Interpretum pletique post S. Hieronymum, eum Thabor fuisse contendunt; atque huic quidem opinioni suffragari videtur Ecclesiæ traditio. Tum vero perfecta Regis Prophetæ verba: *Mons Thabor, & Mons Hermon in nomine tuo lætitia gestient*; Hermon quidem in Divini Filii Baptismate, quia tunc ibidem personuit æterni Patris vox; Thabor autem in ejusdem Transfiguratione, quia Servator ibi suæ gloriæ splendorem exhibuit, novumque Patris testimonium percepit.

Transmigratio, domicilii mutatio, seu actio qua quispiam regionem aliquam deserit, ut in alia sibi sedem statuat; *Translata est omnis Judæa translatione perfecta:* Omnino Judaicus populus alio deductus fuit, relicto nemine penitus. Numerantur Judæorum Babylonem transmigrationes quatuor, omnes a Nabuchodonosor. Prima contigit anno quarto Regis Joakim, Daniele, aliisque nonnullis captivis in Chaldæam delatis. Incidit altera in Sedeciæ tempora. Tertia, & quarta distinctis temporibus contigere, atque in postrema, quicquid hominum in Judæa supererat, Babylonem translatum fuit. Tribus quoque decem primo quidem transtulit Teglatphalassar, qui ademptam partem in Urbes *Labela*, *Habor*, & *Haa* deduxit; tum Salmanasar, qui, capta Samaria, Israelitici Regni reliquias in Assyriam traxit, atque ad flumen Gozan, & in Medorum Urbibus consistere voluit. Ex his captivis Israelitis ingens numerus in patriam rediit, Persis, Græcisque regnantibus; cæteri propagati, dispersique per omnes Orientis Provincias. Eorum posteri fuere, qui ex omnibus Asiæ partibus festo Pentecostes die Hierosolymam confluxerunt. Ad hos S. Jacobus Epistolam suam dedit hoc titulo: *Ad decem Tribus dispersionis.*

Tribunus. Hoc dignitatis nomen derivatur a *Tribus*, quia populus Romanus a Romulo divisus fuit in partes, seu Tribus omnino tres, præfecto singulis Magistratus, qui Tribunus dicebatur. Tribuni porro multorum generum erant. Aliis internum Reipublicæ regimen commissum erat. Aliis demandata armorum administratio. *Tribunus Celerum*, is, qui equitum cohorti præerat. *Tribunus Militum*, is, qui peditum cohortem ducebat. *Tribunus Ærarii* custos publici thesauri erat. *Tribunus maritimorum* maritimis portubus præfectus erat. *Tribunus Plebis*, Magistratus institutus ad sustentanda jura populi; hæc autem dignitas in Republica celeberrima evasit. Dum Hebraicus Veteris Testamenti Textus Latine redditur, vocabulum hoc sæpe adhibetur, ad ea penes Hebræos munia significanda, quæ Romanorum Tribunorum officia exhibebant: *Iratusque est Moyses principibus exercitus, Tribunis, & Centurionibus, qui venerant de bello*. Hi Tribuni præerant hominibus mille. In Novo Testamento nomen hoc id fere significat, quod apud Romanos, quia scilicet ii, quibus is titulus tribuitur, reapse Romana militia erant.

Tribunal, locus, e quo suum cuique jus redditur. Tribunalia penes Judæos erant generum omnino trium; unum quidem Judicibus constabat tribus, viginti tribus alterum, tertium denique septuaginta. Primum Tribunal aderat in vicis omnibus, ut de causis quæreretur, ac de pecunia, aliisque rebus mobilibus ageretur. Tribunal alterum erat in Urbibus, & de criminibus judicabat. Denique Tribunal tertium, cæterorum maximum, supremumque, magnum Synedrium erat, quod Hierosolymis cogebatur, cujusque auctoritati nemo non indiscriminatim suberat. Magistratus hic ipse de negotiis omnibus ad Religionem spectantibus judicabat. Occurrit in Deuteronomio Tribunalium horum trium institutio; *Judices, & Magistros constituet in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus dederit tibi per singulas* Tribus *tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent*. Minora Tribunalia sita erant ad Urbium portas, tamquam in loco cæterorum aptissimo, ac frequentissimo, quo scilicet, qui contendebant, facilius convenire poterant. Tertium denique Tribunal designatur his verbis: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*.

Tribus. Hebræi divisi erant in Tribus duodecim pro numero filiorum Jacob, quorum unn-

unusquisque suæ Tribui nomen dabit. Cum hic Patriarcha morti proximus filius duos Joseph, *Manassem*, & *Ephraim* adaptasset, extitere Tribus omnino tredecim, Tribu Joseph, post mortem Jacob, in duas secta. Joseph fuit omnis familiæ suæ caput, cujus prodigiosa per Ægyptum propagatio traxit in suspicionem ejus regionis Reges, qui eam delere statuerunt. Sed ea quidem a Deo mirum in modum per Mosis ministerium a Tyrannorum manibus liberata se contulit in Terram Chanaan, duce Josue, qui regionem partitus est in Tribus duodecim, quibus hæc familia constabat; hæc autem erant Tribuum nomina: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dan, Nephtali, Gad, Aser, Beniamin, Manasses, & Ephraim. Una Tribus Levi nullam in divisione partem obtinuit, quia Deus eam servitio suo mancipavit, dicavitque. Ei nonnullæ tantum Urbes in domicilium traditæ, primitiæque, decimæ, & oblationes, quibus subsisterent. Ita porro distributa terra Chanaan, ut Tribus Ruben, & Gad, ac pars Tribus Manasse ultra Jordanem sitæ ad Arabiam, ac Syriam vergerent; cæteræ citra flumen sibi sedem statuerent. Tribuum duodecim status hic ad Salomonis usque mortem perstitit. Roboam, qui ei successit, cum acerbius, & asperius ageret, funestæ defectionis causa fuit. Tribus decem recessere a Davidis domo, Jeroboam Regem renuntiarunt, Regnumque Israel constituerunt. Salomonis filio non nisi Tribus duæ, Judas, & Beniamin remanserunt, quæ Regnum alterum confecerunt, quod Dei cultum, & veram Religionem retinuit; usurpator enim, ut subditis ad legitimi Regis obedientiam redeundi voluntatem adimeret, verum cultum repudiavit, eique aurei vituli idololatriam substituit. Schisma hoc gravissimarum calamitatum Epocha fuit, quibus Deus perduellis populi ingratum animum, & pertinaciam puniit. Hinc statim pervicax, æternumque odium inter Regna duo, quæ nunquam non in mutua bella furor egit, ac rabies, quam longe maximam ratio regiminis inspirabat. Tum eumdem populum Deus, delictis exacerbatus, maxima potestate instructis Regibus tradidit, quos identidem suscitavit. Teglatphalassar e media Assyria ad perduelles puniendos eductus rapuit initio statim Tribus Ruben, Gad, & Nephtali, dimidiumque Tribus Manasse, quod ultra Jordanem erat, easdemque Tribus ad Euphratem transtulit. Deinde Salmanasar irruit in Regnum Israel, Metropolim diruit, captumque, quod supererat Tribuum decem ultra Euphratem & ipse deduxit. Ita deletum Regnum Israel, seu Tribuum decem, in quarum locum immisit barbarorum, & idololatrarum populorum colonias; ut Israel per ea tempora conspicuum, & peculiarem populum non conficeret, confusis, permixtisque cum exteris Nationibus ejus reliquiis. Tribus hæ decem non amplius ab exilio revocatæ, ut sui regiminis formam reciperent; quippe quæ, dum a Davidis se domo sejunxerant, Messiæ spem abjecerant, ac se pariter per idololatriam aurei Vituli, quam nunquam ab eo tempore deseruerunt, a Deo segregaverant. Interea favente per Edictum Cyro, Judæisque Hierosolymam redeundi facultatem concedente, Israelitarum multi variis e Tribubus in regionem rediere, quam eorum Majores incoluerant, irrueruntque in Tribum Juda, ut unam cum ea ditionem conficerent. Ita Dei perfecta oracula, qui Domui Israel gravissima minitatus, dulcissima promissa minis addiderat, fore scilicet, ut idem populus ad novum, eumque priore feliciorem statum rediret: *& erit in die illa, ait Dominus Exercituum; conteram ejus jugum de collo tuo, & vincula ejus dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni; tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveat, Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum, & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit, quem formidet.* Sane reditus hic sensim tantum, ac sine rumore contigit; & quod jam diximus, Tribus decem in peculiaris populi corpus redintegratæ non fuerunt. Id nimirum Tribubus duabus, Juda scilicet, & Benjamin servatum erat, penes quas, inter prævaricationes, viguerat, perstiteratque veræ Religionis exercitatio. Tribus hæ diutius, quam cæteræ, in patrio solo remanserunt, obscuratæ Regibus Juda, & splendida non pauca Divini in hostes patrocinii specimina obtinuerunt; sed addito tandem delictis cumulo, Deus eas quoque in ejus Principis manus tradidit, quem suæ vindictæ Ministrum, quasique instrumentum statuerat. Missus prædicto jam tempore Nabuchodonosor Hierosolymam cepit, Templum

plum flammis devovit, Urbem vastavit, diruitque, & populum omnem in Imperii sui Provincias captivum traxit. Post septuaginta captivitatis annos, promissorum meminit Deus, quibus suo se populo obstrinxerat, fore scilicet, ut libertatem recuperaret, ipso Liberatoris nomine designato. Igitur Cyro, quem in æternis decretis jampridem elegerat, inspiravit, ut Judæos in patriam remitteret. Princeps hic Judæis licere voluit, Templum restituere, & ex Majorum Lege vivere. Palæstina quamprimum referta incolis, restaurata Urbs, exculti agri. Ac Judæi quidem deinceps unum tantum regimen, quod uni tantum capiti suberat, confecerunt, corpusque unum, cujus omnia & singula membra per ejusdem Religionis professionem mutuo conjuncta vero Deo cultum in Templo exhibebant, & in Messiæ spem erecta vivebant, quam Majores per extremam calamitatem repudiaverant. Hæc proprie totius Judæorum Historiæ maxime insignis Epocha est. Nunquam antea populus hic majorem de Mosaica Lege sollicitudinem exhibuerat, nunquam ei vehementius adhæserat; nunquam etiam eum Deus majoribus beneficiis, bonisque temporalibus cumulavit; quod ipsum Prophetæ praetenderant: *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani; ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani. Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, & germinabunt quasi vinea.*

Tributum. Israelitæ non nisi Deum ipsum sibi supremum Principem agnoscebant, ac se a nulla prorsus alia potestate pendere putabant: *Nemini servivimus unquam*, ita ipsi de se dictitabant. In hujus supremi dominii argumentum Deo quisque quotannis tributi titulo dimidium siclum solvebant, Obsequii notam hunc exegit Deus ipse: *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino; & non erit plaga in eis; cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram Templi.* Sæpe quidem exteris Principibus subditi, gravissimisque tributis addicti, quasique obruti fuere; at timori tunc, & necessitati cedebant, ac non nisi coacti, reluctantesque jugum subibant. Eorum Reges ipsi diligenter cavebant, ne ejusmodi servitutem, quam populus uni Deo religiosissime profitebatur, omnino læderent. Ita Salomon, Chananæis, qui supererant, jussis tributum solvere, ac diurnum servitium ad publica opera conferre, Israelitarum nullum vectigalem esse passus est. Quamquam sub regni sui finem eos & laboribus, & vectigalibus subdidit; at eum quamprimum facti pœnituit; ita enim avertit animos, jecitque seditionis semina, quæ ejus filio regnante contigit. Judæa in Romanam Provinciam redacta, descriptisque Augusti jussu nominibus ad statuendum tributo modum, quod in capita solvendum erat; stipatus asseclarum manu Judas Galilæus obstitit, arrogatumque vetus Judæorum jus excitans, haud licere contendit, tributum Romanis solvi; quod Galilæorum, seu Herodianorum sectæ locum præbuit. Ab hujus sectæ hominibus subdole interrogatus Christus; ut, quicquid respondisset, circumventus aut Nationis, aut Principis hostem se proderet, eorum vafritiem diluit, disjecitque, sapienti responso, statutis utrique potestati finibus: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Eos ergo monitos voluit, Principis nomen, imaginem, monetæ cudendæ, & ad certem pretium, ac valorem redigendæ jus supremæ in subditos potestatis notas esse; Deique Lege præcipi, ut, quoad jurisdictio postulat, suo quisque Principi subsit; iisque proinde jactatam libertatem haud fore rituli loco, quamobrem negarent tributa Principi, cui Deus ipsos subdiderat. Tanti Magistri vestigiis insistentes SS. Petrus, & Paulus, contra arrogantes ejus ætatis Judæos cum Juda Galilæo sentientes, officia Principibus debita Fidelibus ob oculos ponere non destiterunt; ita utriusque nomine S. Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt.* Illud ergo, docente Apostolo, præcipuum, ac primum subditorum officium est, ut supremam Principum potestatem, eorumque in Magistratibus auctoritatem profiteantur, iisdemque obedientiam exhibeant. Utrumque divini juris est; & obedientia quidem hæc ex conscientia derivari debet; ut, nulla licet timenda pœna esset, eam tamen excuti non liceret: *non propter iram, sed propter conscientiam.*

Potestas omnis, quæ in terris existit, quæcumque tandem ea sit, a Deo est: æternamque Dei Legem violat, quisquis in eam aliis ar-

armis, quam gemitibus, & precibus utitur, si quando ejusdem Potestatis malo fit, ut tyrannicum in modum adhibeat eam vim, quam Deus in ejus manibus posuit. Hæc autem Potestas non ea solum est, quam sibi ipse temere confinxit unus e scelestis auctoribus operis execrandi, *omnis potestas bene ordinata quæ a Deo est*. Seditiosus hic Scriptor Apostoli verba ita explicare non potuit nisi per depravationem pœna dignam, quæ eo spectat, ut in Principem, qui se tyrannum proderet, perduellibus subditis arma suppeditet: *quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*: hæc generatim est potestas omnis, quæ a Deo est: *quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*; tametsi ejusdem potestatis usus omnis, omnisque ad eam perveniendi ratio a Deo non sit. Alterum subditorum officium est in eo positum, ut Principibus tributa solvant; id Apostolus mandat Dei nomine: *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*. Huic autem officio subditi subsunt, ut Principibus dent, quo publicam tranquillitatem, temporalia populorum suorum bona, vitamque tueantur; neque ulla eos ratio ab hoc officio eximere potest, tametsi contingeret, ut Princeps, ob immodicas expensas, gregem jugularet, cujus pater esse deberet.

Trinitas, sacrum nomen ad ineffabile exprimendum Mysterium Dei unius in Personis tribus, Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Nomen hoc ipsum non reperitur in sacris Litteris; at divinæ Personæ tres pluribus in locis occurrunt. Deum Patrem designant prima Geneseos verba: *creavit Deus Cœlum, & terram*. Filium sæpe innuunt *Verbi*, Sapientiæ, Salvatoris, & Liberatoris nomina. Spiritus Sanctus exprimitur nomine Spiritus Consolationis, seu Paracliti. Occurrunt in Novo Testamento conjunctæ Personæ tres: *Ite, docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & alibi passim. Probabile est, initio quidem Mysterium hoc Judæorum plerisque notum non fuisse, quos sane inscitia a Trinitatis fide ad Deorum plurimorum opinionem trahere potuisset; & dubitari non potest, quin ejus notitia Patriarchis, Prophetis, & Hebræorum sapientissimis, sanctissimisque concessa, præsertim vero Christi Domini tempore communis fuerit.

Triphon, *deliciosus*, seu Deodotus, ex Urbe Apamæa, supremus Dux exercitus Alexandri Bales, eidem utile servitium præstitit in bellis, quæ cum Demetrio Nicanore gessit. Post Alexandri mortem, in Arabiam se contulit, ut ejus filium quæreret, quem Syriæ Regem renuntiandum curavit, obluctante licet æmulo Demetrio, quem vicit, & in fugam egit. At perfidus Triphon, qui nihil aliud animo versabat, quam ut solio potiretur, eo studium, & operam contulit, ut Antiochum de medio tolleret, veritusque, ne Jonathas Machabæus ejusmodi consiliis obsisteret, eum occidendi occasionem quæsivit. Venit ergo Bethsan, ad quem Jonathas non exigua suorum manu stipatus accessit; quod videns Triphon, aperte consilium exequi non ausus, ad vafritiem confugit. Jonatham honorifice excepit, ei dona obtulit, eidemque omnem Exercitum, tamquam sibi ipsi parere jussit. Cum ita sibi Jonathæ animum devinxisset, ei persuasit, ut suos remitteret, sibique Ptolemaidem pergenti comes adesset; quippe eam Urbem ei traditurum. Jonathas, cui nulla proditionis suspicio, Triphoni obsecutus est; at vix Ptolemaidem ingressus, in vincula conjectus fuit, sociis admodum paucis ad unum contrucidatis. Hac insigni proditione fœdatus Triphon in regionem Juda ingentem exercitum intulit, idque etiam assecutus est, ut e Simonis manibus Jonathæ filios duos, & præterea argenti talenta centum extraheret; ita se subdole libertatem patri concessurum pollicitus, at perfidiæ cumulum addens, patrem, & filios occidit; tum vero in patriam rediit. Occisiones hæ non nisi sævioris stragis præludia erant, quæ Syriæ diadema ejus capiti imponeret. Haud diutius inhumanum consilium distulit, prodito juniore Antiocho, in cujus locum irrepens, se renuntiatum voluit regionis Regem, quam immani crudelitate vastavit. At non diu Regnum tenuit, quod ei delicta comparaverant. Legitimus solii successor hæreditatem adiit, omnisque exercitus, cum Triphonis tyrannidem diutius ferre non posset, ei statim se dedit. Usurpator se ita derelictum videns, Doram fugit, maritimam Urbem, quam mari, terraque novus Rex insecutus obsedit. Cum porro diu hostilem imperum Urbs sustinere non posset, id Triphon obtinuit, ut Ortosiadam fugeret, unde Apamæam profectus, cum in patria sibi satis consultum crederet, captus, & morti addictus, proditi Jo-

Jonathæ, fusi regii sanguinis, suæque in subditos tyrannidis pœnam luit.

Tripolis, *Urbes tres*, Phœniciæ Urbs ad oram Maris Mediterranei, ita dicta, quia reapse constabat Urbibus tribus, quæ stadii spatio invicem aberant. In Machabæorum libris legitur, post Antiochi Epiphanis mortem, Demetrium Seleuchi filium, ad quem jus in Syriæ Regnum spectabat, Roma fugisse, ac Tripolim appulisse. Urbs hæc etiamnum subsistit, maximo ob aptum portum commercio clara.

Tritura, grani a palea separandi actio; quod duobus modis apud Hebræos fieri consueverat, plaustris, seu curribus ferro instructis, vel expeditis bobus, qui pedum bisorcatis unguibus paleato tererent: *Non ligabis os bovis, triturantis in area fruges tuas*. Alligabatur his belluis os, ne granum atringerent, quod terebant; & cum triturationis opus laboriosissimum esset, Deus, ut Judæis humanitatis sensa in eos inspiraret, qui operam suam in eorum utilitatem conferebant, in Lege vetuit, ne os Bobus, in hoc grave opus incumbentibus alligaretur. S. Paulus, super vero sacræ Scripturæ sensu a Deo illustratus, præceptum hoc ad Evangelii Ministros accommodat, ostenditque, Deum his verbis id sibi velle, ut iidem Ministri alantur eorum impensis, qui instituuntur: *Non alligabis os bovi trituranti.... an propter nos utique hoc dicit? .... si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sacra Scriptura sæpenumero ad hanc terendi tritici rationem alludit: *Surge, & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos*. Verba hæc victorias innuunt, quas Ecclesia per universum terrarum orbem ex acerrimis persecutoribus, & hostibus retulit. Hac eadem similitudine Isaias, & Jeremias ad imminentes Babyloni calamitates nuntiandas utuntur: *Filia Babylonis, quasi area, tempus trituræ ejus; adhuc modicum, & venit tempus messionis ejus*.

Troas, *penetrata*, Phrygiæ Urbs in Asia Minore ad Hellespontum, veteris Trojæ ruinis proxima. Ibi S. Paulo contigit Macedoniani visio, qui eum hortatus est, ut in Macedoniam migraret; itaque ibidem Apostolus navim conscendit, ut eo se conferret. *Navigantes a Troade*. Actor. cap. XVI.

Troglodita, Græcum nomen, quod eos significat, qui Cavernas incolunt. Ita nuncupabantur populi quidam, qui bus ad Palæstinam, Arabiam, & Ægyptum, & quidem in Cavernis tantum, domicilium erat. Semel in sacris Litteris leguntur: *Nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo, ex Ægypto, Lybici scilicet, Trogloditæ, & Æthiopes*.

Tryphæna, & *Tryphosa*; *deliciosa*, Christiana Fœmina, de qua S. Paulus in Epistola ad Romanos: *Salutate Tryphænam, & Tryphosam, quæ laborant in Domino*. Nihil certi de duarum harum Fœminarum vita; & quicquid fertur, apocryphis monumentis nititur.

Tubalcain, *mundana possessio*, filius Lamech bigami, & Sellæ, *qui fuit Malleator, & Faber in cuncta opera æris, & ferri*. Is nimirum est, qui vulcani notionem Ethnicis suppeditavit. Huic sane Nomini admodum ejus nomen, atque respondent. *Genes.* IV. 22.

Tubianæi, *homines boni*, populi e regione Job ad septemtrionem Bathaneæ: *Venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi Judæos*. Tubini quoque nuncupabantur. I. *Machab.* V.

Turris. Sacra Scriptura multarum turrium meminit, quæ pluribus usibus addictæ erant. Aliæ muniendis Urbibus inserviebant, ut turres Phanuel, Sichem, Thebes, Tyri, Syenes, & quæcumque Hierosolymis erant: *Narrate in turribus ejus*. Aliæ eo spectabant, ut inde prospiceretur; ejusmodi erat turris Jezrael, e qua excubiæ exercitum Jehu accedentem conspicabantur: *Speculator, qui stabat super turrim Jezrael, vidit globum Jehu venientis*. In agris quoque turres ad fructus custodiendos erigebantur: *Ædificavit turrim in medio ejus*: in media nempe vinea, ut gregem cogeret, & custodiret. *Egressus inde fixit tabernaculum trans turrim gregis*. Turris hæc mille circiter passibus aberat Urbe Bethleem; ibique feruntur Angeli Pastoribus apparuisse, ut iis Christum natum nuntiarent. Ad armentorum etiam custodiam Ozias Rex turres in Deserto erectas voluit: *Extruxit etiam turres in solitudine*; cumque in iis turribus custodes essent, qui Pastores, & armenta a latronum excursionibus tuerentur, hinc proinde originem duxit in sacris Litteris usitatissima loquendi ratio: *A turre custodum ad Civitatem munitam*; ad omnia generatim regionis

gionis loca, a minimo scilicet ad maximum, significanda.

Turtur, avis, quam Evangelium puram declarat, quæque multis in sacrificiis offerebatur. Pauperes imprimis, qui conferendis magni momenti victimis impares erant, Turtures offerebant. Hæc B. Virginis ad purificationem oblatio fuit: *par turturum*. Pauper quoque leprosus turtures duas obtulit, unam pro peccato, in holocaustum alteram, purificationis die; quod etiam vir, aut fœmina, immodico fluxu laborantes præstabant octavo post die, quam convaluissent.

Tychicus, *fortunatus*, ex Asiæ provincia, S. Pauli Discipulus, qui Apostolo diu deservivit, obiitque id officii, ut ejus epistolas ad Ecclesias perferret: *Omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis Minister in Domino*. Id etiam ei demandatum erat, ut Ecclesiarum rationem expenderet, quique esset Ecclesiæ cujusque status, ad S. Paulum deferret. Ephesum legatus creditur, ut, absente Tito, eam Ecclesiam administraret. *Ad Coloss. IV.*

Tympanum, musicum apud Hebræos instrumentum, totum generali nomine *Toph*, quod omnia tympanorum genera complectebatur. Post Rubri Maris transitum, Maria tympanum sumpsit, unaque cum cæteris fœminis lætitia gestire, & choreas agere cæpit: *Sumpsit Maria Prophetissa tympanum in manu sua, egressæque sunt Mulieres omnes post eam cum tympanis, & choris*. Tympani genus hoc veluti cribrum erat, eique, fere non aliter ac cymbalo, tintinnabula circum aderant. Usui tympanum erat lætis, faustisque temporibus, ut in victoria, in conviviis, in nuptiis, in divinis laudibus celebrandis.

Tyrannus. Id nominis institutum ad Principem, Regem significandum non nisi absolutæ apud viros principes auctoritatis abusu odiosum evasit. In sacris Litteris pristinam significationem retinet: *Primus de Regiis principibus, ac tyrannis teneat equum ejus*. Nonnunquam tamen in malam partem accipitur: *Animos crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens*.

Tyrannus. In Actis legitur, S. Paulum, cum Ephesinos Judæos nullum ex ejus sermonibus fructum percipere perspexisset, in eorum Synagogam pergere destitisse, & in cujusdam Tyranni schola quotidie docere cæpisse: *Quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam*. Non constat, idne proprium nomen sit, quod ethnicum aliquem fide imbutum, & S. Pauli amicum significet, an vero Tyrannus hic vir aliquis princeps fuerit, qui ad Discipulos instituendos suam Apostolo domum concesserit.

Tyrataba, Palæstinæ vicus in Tribu Ephraim prope Montem Garizim, nece clarus, quam Pilati jussu Samaritani plurimi subierunt. Hoc ei facinus extremam perniciem attulit; populo enim apud Vitellium Syriæ Præsidem conquerente, Pilatus ad Tiberium accitus fuit. Ea clades est, de qua S. Lucas: *Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum*.

Tyrus, *collis*, Phœniciæ Urbs celeberrima, antiquissima. Subsistebat Josue tempore; eamque, ut ejus regionis maritimas Urbes cæteras, Tribus Aser obtinuit: *Usque ad Civitatem munitissimam Tyrum*; at ex ea Chananæi nunquam a Judæis expulsi videntur. Multis ea vicibus obnoxia fuit; nec de ipsius fato constat. Nova porro, insignis & ipsa Tyrus ante Salomonis Templum 240. non amplius annis a Sidoniis ædificata fuit in quadam Insula e conspectu veteris, a qua freto admodum angusto dividebatur. Hæc posterior ob industriam, locique opportunitatem domina maris, totiusque terrarum Orbis quasi centrum evaserat. Ad ejus opum, splendoris, potestatisque incrementum nationes undique conferebant. Certatim ad ejus nundinas pretiosissima quæque, singularia, & ad luxum fovendum aptissima conferebantur; eaque vicissim in proximas regiones depravationis suæ contagionem teterrimam diffundebat. Eam proinde Isaias meretricem appellat, quæ se omnibus terrarum Regnis prostituit: *Erit Tyro quasi canticum Meretricis .... & rursum fornicabitur cum universis Regnis terræ*. Passim occurrunt apud Prophetas in hanc scelestam Urbem minæ, quam longa secundarum rerum series arrogantia, & fastu perfuderat; ut non fine voluptate tamquam Urbium Regina spectaretur. Ob luxum, & idololatriam Deo jam maxime invisa, inhumanitate in Judæos delictis cumulum addidit. Haud satis et Hierosolymæ excidium ad lætitiam fuit; ejus incolas in captivitatem traxit, & Idumæis, sævissimis hostibus tradidit.

Potita est etiam Templi divitiis, quibus Idola sua ipsa exornavit. Impietas hæc, & barbaries divinæ vindictæ fulmina in eam traxere. Nabuchodonosor, divinæ justitiæ flagellum, in Tyrum irruit, Itobalo ejusdem Rege. Per annos tredecim obsessam Urbem cepit, ejus evertit aggeres, thesauros diripuit, ipsamque Urbem a fundamentis diruit, quemadmodum Ezechiel portenderat: *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor Regem Babylonis.... cum equis, & curribus, & cœtu, populoque magno, & dissipabunt muros Tyri, & destruent turres ejus.... Vastabunt opes tuas, & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subvertent*. Ergo superba Urbs ad vici conditionem redacta est, qui notus nomine *Palætyri*, ubi Templum erat, quo Tyrii volebant Alexandrum sacrificii offerendi gratia se conferre. Ejus incolæ, qui in proximam Insulam se receperant, ibi novam Urbem ædificarunt, quæ prope momento temporis veteri potentior evasit; quæque ipsa pristinæ calamitatis oblita, quam delicta meruerant, longe laxiores quam antea fastui, luxui, impietati habenas solvit. Ei Prophetæ pœnam priore graviorem, atque adeo extremum exitium Dei nomine prædixerunt. Ejus eversio, inquit Isaias, veniet e Cethim, scilicet e Macedonia,. a Rege infirmo, obscuro, spernendo: *Onus Tyri: ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverunt; de terra Cethim revelatum est eis*. Elapsi erant anni quadringenti a Tyro primum per Nabuchodonosor Regem capta, cum eam Alexander Macedo rursus obsedit, cepitque, eum mensium septem spatio obsedisset. Rationem Propheta prædixerat, qua Princeps hic ea potiretur, completo scilicet Maris sinu, qui Urbem a terra sejungebat: *Transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi*. A Tyro postremum capta, incipiunt septuaginta obscuritatis, & oblivionis anni, quos Deus eidem Urbi minitatus fuerat: *In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies Regis unius*. Ea quidem statim reparata fuit, cum Sidonii, in Urbem cum Alexandri copiis ingressi, suis in navibus, Civium quindecim millia servassent, qui patriæ ruinas improba eura excitarunt; at restituta Urbs imperium maris amisit, nec longius, quam in proximas Urbes commercium propagavit. Non ante elapsum prophetiæ tempus veterem splendorem recuperavit, in vetera simul vitia, in avaritiam, in luxum, in turpem negotiationem relapsa, qua finitimos populos depravavit: *Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum & reducet eam ad mercedes suas, & rursum fornicabitur cum universis Regnis terræ super faciem terræ*. Tyrus in viriorum suorum cæno sepulta jacuit, quoad Evangelii luce perfusa, tandem universi terrarum orbis scandalum esse destitit. Domino scilicet laborum, & commercii fructum obtulit, divitiasque, quibus pollebat, ad Fidelium, verique Dei Ministrorum solatium contulit. Prodigiosum hoc eventum ipsum Propheta prædixerat: *Et erunt negotiatores ejus, & merces ejus sanctificatæ Domino, non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem*. S. Pauli temporibus, Tyri magnus jam erat fidelium numerus, ac deinceps ejus Ecclesia celeberrima evasit. Archiepiscopi sedes fuit sub Antiocheno primum, deinde sub Hierosolymitano Patriarchis. Tyrum Christiani cepere, cum priora sub Crucis vexillo bella gererent; sed ea statim a Saracenis recepta, semper in Infidelium ditione jacuit, hodieque non nisi vicus est oomine *Sur*.

V

VA

VAcca rufa; sarificium Vaccæ rufæ, quod Deus in Lege mandaverat: *Præcipe filiis Israel, & adducant ad te Vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum*. Vacca hæc Summo Sacerdoti tradebatur qui eam in agrum delatam, universo populo spectante, immolabat; tum supposita, incensaque ligoorum strue ex cedro, hyssopo, coccinoque bis tincto comburebatur; collectisque cineribus conficiebatur

aqua

aqua Expiationis dicta, quæ eorum purgationi inserviebat, qui legali aliqua impuritate fœdati essent. Hæc Vacca rufa Christi Domini figura erat, cujus sanguis extra Hierosolymam effusus, & pro omnibus semel oblatus firmam semper & perennem vim ad nostros omnino purgandos animos retinet: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi .... emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Ad Hebræos cap. IX.

Vaccę pro fœminis opulentis, delicatioribus, mollioribusque, ita denique ad voluptatem factis metaphorica significatione sumuntur. Ejusmodi apostrophe Amos Propheta utitur. *Audite verbum hoc, Vaccę pingues, quę estis in monte Samarię, quę calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quę dicitis Dominis vestris: afferte, & bibemus.* Jeremias Ægyptum cum Vitula comparat eorum stimulis acta, qui ab Aquilone venient, Chaldæorum scilicet, a quibus subigenda Ægyptus erat: *Vitula elegans, atque formosa, Ægyptus, stimulator ab Aquilone veniet ei.* Aliena Vitula ad opus uti, est figurata loquendi ratio, qua significatur, quempiam alieno bono ad suum ipsius lucrum abuti: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Samson adolescentibus, qui ænigma explicuere, notum vult, eos egisse mala fide, sponsam impellentes, ut eum proderet, & secretum patefaceret.

Vagaus, elevatus, primus e Ducibus Holofernis, cujus opera Judith in ejus tabernaculum ducta. Nomen hoc, quod hoc loco proprium videtur, Eunuchorum apud Persas commune est.

Vallis. Multæ leguntur Valles in sacris Litteris, de quibus diximus pro singularum nomine. Reliquæ sunt, *Vallis Artificum*, ad fines Tribuum Juda, & Beniamin, cujus incolis præerat Joab filius Saraï: *Saraï genuit Joab patrem vallis Artificum.* Vallis nemorum, *Vallis Sylvestris*, in qua sitæ Sodoma, & Gomorrha, quibus incensis, Lacus Asphaltites ibidem prodiit. *Vallis Save*, seu *Regalis*, ita dicta, quia Melchisedech ibi obvium Abraham habuit: *quæ est Vallis Regis. Vallis benedictionis* prope Jerusalem, ita nuncupata, quia Judæi ibidem Deo gratias egerunt ob victoriam, quam Josaphat Regi concesserat: *Quoniam ibi benedixerunt Domino, vocaverunt locum illum*, Vallis benedictionis, *usque in pręsentem diem.* Vallis Gad sita erat ultra Jordanem ad Arnon: *ad dexteram Urbis, quę est in Valle Gad. Vallis visionis* Hierosolymam significat prophetico stilo, & per antiphrasim, utpote quæ supra Montem sita est: *Onus vallis visionis. Vallis pinguissima* dicta Samariæ suberat, eamdemque circumdabat; ejus erat summa fertilitas, eidemque Samaria supra montem sita dominabatur: *in vertice Vallis pinguissimę. Vallis viatorum* innuit ingentem viam, quæ ad Carmeli Montis radices erat, patens euntibus ad maris Ortum: *Vallis viatorum ad Orientem maris. Vallis montium* designat eas Valles, quæ Hierosolymæ circum aderant, & in quas ejus Urbis Incolæ se receperunt, cum eam Romani obsiderent, ut Zacharias prædixerat: *Fugietis ad Vallem montium meorum. Vallis carnificinę* ita dicta, quia Josaphat ibidem magnum hostium numerum profligaverat. Hæc eadem est, ac Vallis Josaphat, seu judicii: *Populi, populi, in Valle concisionis*: audire, audite, Populi, in Valle carnificinæ. In hac Valle, nonnullorum Interpretum sententia, extremum universale judicium fiet.

Vanitas, vanum; vocabula hæc multiplici significatione sumuntur in sacris Litteris. I. Pro nihilo, eo scilicet, quod solidi nihil habet: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, vana opera eorum.* II. Pro vana gloria: *Superba vanitatis loquentes. Vani sunt omnes homines, quibus non subest scientia Dei.* III. Pro mendacio: *Locuti sunt vanitates; vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* IV. Pro idolis, quibus nihil est, quod constet, subsistatque: *Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?*

Vasseni, primogenitus Samuelis, qui Joel quoque dicitur in sacris Litteris: *Filii Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia.* Vasseni, quod tamquam nomen proprium positum est, hebraice significat *secundum*; ut proinde ita legendum sit; Samuelis filii fuere, Joel ejus primogenitus, & secundus Abia. I. *Paralip.* VI.

Vasthi, qui bibit, uxor Assueri, Persarum Regis, qui idem fuit ac Darius Istaspis filius. Princeps hic cum per dies septem uni-

verso populo splendidum prandium paraſſet, & mero caluiſſet, Reginam Vaſthi diademate ornatam adduci juſſit, ut convivis omnibus ſingularem ejus pulcritudinem oſtentaret; at Regina nec dignitatis, nec pudoris ſui eſſe putans, ut ipſa ſe ſub prandii finem ſpectaculum exhiberet prodigioſæ hominum multitudini, quorum non paucis caput vino incaluerat, obſequi renuit, atque adeo ſe Regis juſſa parvi pendere ſignificavit: *Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, venire contempſit*. Aſſuerus hac recuſatione exacerbatus, Regni Sapientes, Legum, veterumque conſuetudinum peritos conſuluit, qui reſponderunt, Reginæ obluctationem omnibus per Regnum fœminis periculoſo exemplo eſſe; illud enim eas imitatas virorum juſſa facile contempturas. Auctores ergo fuere Regi, ut, ea ſolemni, firmoque edicto repudiata, diadema dignioris capiti imponeret. Acquievit eorum conſilio Rex, edictumque, quam late patebat Imperium, per Provincias vulgatum voluit; ut omnes cum nobili loco, tum e vulgo fœminæ ſuis quæque viris honorem, & obedientiam debitam exhiberent: *Et miſit epiſtolas ad univerſas provincias Regni ſui, ut quæque gens audire, & legere poſſet, diverſis linguis, & litteris, eſſe viros principes, ac majores in domibus ſuis, & hoc per cunctos populos divulgari*. Aſſuerus porro, cum tempus indignationem ſedaſſet, Vaſthi meminit, ac de ea recipienda cogitabat; at cum ineſſet Edicto vis Legis, quam violari non licebat, ſuis ipſe juſſis ſtare coactus, in Vaſthi locum Judæam Eſther ſibi conjugem ſumpſit. Ægre admodum e profana hiſtoria ſtatui poteſt, quænam hæc Vaſthi fuerit. Eamdem nonnulli faciunt atque Atoſſam Cyri filiam, quæ primum Cambiſi fratri, tum ficto Smerdæ, poſtremo Dario nupſit; alii putant, Aſſueri ſororem ipſam Vaſthi fuiſſe; at nihil occurrit, quod alterutri conjecturæ favere poſſit. *Lege librum*. Eſther.

Ubil, qui flet, Iſmaelitæ cujusdam nomen, qui Davidis Regis armentis præerat: *Super Camelos vero Ubil Iſmaelita, & ſuper aſinos Jodajas*. Iſmaelitam quidem David elegit, quia ii populi Camelos in ipſorum regione frequentiſſimos alendi, educandique artem apprime callebant.

Vendere. Hebræi, ſi qua gravis neceſſitas impuliſſet, ſuam ipſorum libertatem vendere poterant, ut ex his Levitici verbis conſtat: *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum*; vetabatur nempe emptor eum habere mancipii loco, ſed ut operarium mercede conductum ſpectare jubebatur. Eadem ratione ſi quis Hebræorum neceſſitate compulſus filiam venderet, id ea conditione faciebat, ut herus eam duceret, & in conjugum loco poneret: *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur, ſicut ancillæ exire conſueverunt*; ita ſiquidem eam remittere vellet, mercedem aliquam dimiſſæ tribuere debebat, ſecus atque in ſervorum dimiſſione fieri conſueverat, qui liberi remittebantur. Vendebat ſe quoque fur, qui, quod eripuerat, reſtituere non poſſet: *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur*. Vendebantur etiam debitores ſolvendo impares, eorumque filii: *Cum autem non haberet, unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi*. Nonnumquam pro ſervis homines liberi vendebantur, quod delictum erat *plagium* dictum, quod Lex morte puniebat: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, morte moriatur*. Quempiam ad malum faciendum venditum eſſe, familiaris in ſacris Litteris locutio eſt, quæ ſignificat, omnino, ac ſollicite ſe malo dedere: *Qui venundatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini*.

Venter. Nomen hoc non una ſignificatione ſumitur. Pro edaci, paraſito: *Cretenſes malæ beſtiæ, ventres pigri*. Pro alicujus rei fundo: *De ventre inferi clamavi*. Pro corde, anima: *Quæ pulcra erit tibi, cum ſervaveris eam in ventre tuo*: cognoſces, perſpiciesque ſapientiæ pulcritudinem, ſi eam intime altéque in animo cuſtodieris. *Facere amaricari ventrem*, ſignificat, triſtitiam afferre: *Cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus*: cum librum hunc deguſtaviſſem, animum mœror inceſſit; S. Joannes ſcire cupiit, quod ſibi Deus revelaverat; ſed eum faſtidium cepit, rarum, eas res iojucundas eſſe. *Fructus ventris* filii ſunt: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: ſolii hæredem tibi filiorum tuorum unum dabo.

Ventus. Vox hæc præter conſuetam ſignificationem deſignat etiam terrarum plagas, unde venti flant: *Congregabit electos ſuos a* qua-

quatuor ventis. Hi venti alibi designant Imperia quatuor, quæ sibi deinceps successerunt, ut in aere venti deinceps regnant. Nomen hoc ipsum metaphorice sumitur ad designandos formidandos hostes: *Inducam super Ælam quatuor ventos a quatuor plagis Cœli*: undique hostes in Ælamitas educam. Sumitur etiam ad subitam calamitatem significandam: *tollet eum ventus urens*. *Pascere ventum*, est, angi vana sollicitudioe. *Seminare ventum*, est, frusta laborare, oleum, & operam perdete. *Observare ventum*, significat, nimia circumspectione uti, sinere occasionem elabi.

Verbum, Hebraice *Dabar*, multifariam in sacris Litteris sumitur. I. Pro voce, dictione: *Dic verbo*, *& sanabitur puer meus*. II. Pro doctrina: *Ostendam vobis verba mea*. III. Pro re: *Quomodo palam factum est verbum istud?* Quomodo id innotuit? IV. Pro voce ipsius Dei: *Loquebatur eis verbum*. V. Pro ejusdem divini verbi promulgatione: *Auditus per verbum Christi*: audierunt homines, quia quæ Christus ipse docuerat, nuntiata fueruot. VI. Pro obstricta fide, promisso: *Sic erit verbum meum*: perficietur divina promissio; promissio autem hæc Messiæ adventus erit. Denique sumitur etiam pro comminatione, monito, mandato, voluntate, prece, sententia, historia &c. & sacra quidem Scriptura sæpe Dei verbum tamquam animatum, & efficax exhibet: *Misit verbum suum & sanavit eos*. Itaque verba illa: *Ecce ego faciam verbum istud in Israel*, *quod qui audierit*, *tinnient ambæ aures ejus*: rem, factum significant; illa: *Donec veniret verbum ejus*, decretum, captum consilium; *Dimisi juxta verbum tuum*, petitionem; illa: *Verbum*, *quod vidit Isaias*, afflatum, quem Deus Prophetis suis inspirabat; illa: *loquebatur eis verbum*, id, quod Dei servi populis ejus nomine nuntiabant; illa: *In verbo autem tuo laxabo rete*, præceptum, mandatum, jussum; demum aliquando Hebraico quidem sermone pleonasmus est, & redundare videtur, ut in eo textu: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Verum in Evangelio veluti sacrum est, significatque Filium unicum æterni Patris, increatam ejus Sapientiam, secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam, æqualem, & consubstaotialem Patri, Græce ὁμοούσιον. Hoc nimirum est Divinum Verbum, quod ad Judaicum populum a Deo missum fuit, quod apparuit Mosi in flamma rubi, seu potius Angelus, cui scilicet id honoris tribuebat Deus, ut Deum ipsum exhiberet, organumque esset, per quod æternum verbum agebat, & loquebatur, quasique velum, sub quo Verbum ipsum latebat, quodque per temporalem Judaici populi liberationem significabat spiritalem, æternamque veri populi Dei liberationem, quæ deinde per ipsius Divini Verbi ministerium perficienda erat. Idem Verbum ab Angelo exhibitum illud fuit, quod apparuit Abrahæ in Valle Mambre, quod se Jacob in Bethel videndum dedit, & cui Jacob voto se obstrinxit, quodque hic idem sanctus Patriarcha Deum fassus est. Verbum hoc illud ipsum est, cujus divina attributa S. Joannes in ipso Evangelii sui exordio tam apte, sublimiterque firmavit, ejus scilicet æternitatem, quam deinde Ariani negare ausi sunt: *In principio erat Verbum*; distinctionem Personarum, quas Sabelliani confuderunt: *Verbum erat apud Deum*; ejusdemque Verbi divinitatem, quam Cerinthiani credere renuerunt: *Et Deus erat Verbum*.

Veritas sumitur I. pro eo, quod opponitur meodacio: *Non est in ore eorum veritas*. II. Pro fideli promissorum executione: *Benedictus Dominus*, *qui non abstulit misericordiam*, *& veritatem suam a Domino meo*: Eliezer Deo gratias agit, qui fidem præstitisset, quam Abrahæ obstrinxerat. Veritas hæc significatione sumpta fere cum miseratione copulatur; ita David de se ipso: *Misericordia tua*, *& veritas tua semper susceperunt me*; ut nempe significet, se, cum a Deo innumeris beneficiis in hac mortali vita cumulatus esset, finalis quoque perseverantiæ donum obtinuisse. Contra Deus ipse non nisi regiam dignitatem, & nonnulla temporalia bona Sauli tribuerat, & perseverantiam negaverat; atque ita misericordiam concesserat, veritatem non item; eoque spectant verba hæc: *In veritate tua humiliasti me*. III. Sumitur veritas pro Dei Lege: *Prosternetur veritas in terra*: Dei Lex in terris abrogabitur. Daniel futurum prædixit, ut impius Antiochus nihil intentatum relinqueret, ut æternum religionis cultum de medio funditus tolleret. IV. Pro intelligentia, sagacitate, perspicacia, peritia: *Opus textile*, *viri sapientis judicio*, *& veritate præditi*: Rationale opus erat, quod Vir sapiens, suæque artis appri-

me

me peritus contexuerat. V. Pro Christo ipso, qui æterna ipsa veritas est, extra quam scilicet error tantum est, ac deceptio: *Ego sum via, veritas, & vita*. Vox hæc *veritas* cum doctrinæ nomine Rationali judicii insculpta erat: *Pones in Rationali judicii doctrinam, & veritatem*.

Vermis, insectum vile repens, quocum sacra Scriptura Hominem comparat, ut ejus abjectionem, & vilitatem innuat: *Filius hominis vermis*. Christus Dominus ut depressionem significaret, in quam ipse se ultro conjecerat, se vermem dixit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*. De damnatis hæc legimus: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; vermis hic dolorem, æternamque desperationem designat, cui reproborum animæ in Inferis suberunt. Metaphorica locutio hæc ex Isaia ducta est, qui, memorata Dei in Judæos indignatione, supplicium descripsit, quod eos æternum manebat: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Versiones Sacræ Scripturæ. Deus, qui primo in Judæa tantummodo notus fuit, Oracula sua ei tantum populo concredidit, quem præ cæteris elegerat; ac proinde sacri Libri Judaico solum sermone, eo scilicet, qui penes Judaicam Nationem obtinebat, scripti erant. Populus hic de honorifico privilegio sollicitus, ut ipse nimirum unus Divinæ Legis, cujusdam veluti sacri depositi custos esset, cæteras Nationes despiciens conferebat ad Dei consilium, qui tum quidem Mysteriorum suorum notitiam reliquis hominibus ademptam volebat. Judæi patrio solo contenti, quo nullum putabant in terris pulcrius, se ab omni cum Exteris commercio alienos servabant. Id deinde assecuti sunt, ut pretiosum sanctarum Scripturarum thesaurum diu possiderent. At cum tempus accederet, quo Deus ubique gentium sibi cultum exhiberi volebat, verbum suum ad Gentes migrare passus est, & per varias ejusdem Versiones, quæ exteris linguis elaboratæ fuerunt, obstaculum sustulit, quod veritatis propagationi pertinax Judæorum odium quoad cæteros populos opponebat. Factum ergo regnantibus iis, qui Alexandro Magno successerunt, ut Judæi per universum, quam late petebat, Græcorum Imperium dispersi, & græca jam lingua petentes omnes populos, ipsosque Judæos obtinente, & Judaicam apud eos ipsos prope funditus abolente, iidem sacrorum suorum Voluminum versione sibi opus esse sentirent. Hinc extitit Versio, Septuaginta Interpretum dicta, cæterarum omnium prima, eaque ipsa, qua Deus usus est, ut primam Messiæ notitiam Ethnicis impertiretur. Hac etiam nulla magis authentica est, nulla majorem auctoritatem obtinet, tum quia eo tempore concinnata, quo Hebræa lingua etiamnum vigens intellectu facilior erat, tum quia Christus, & Apostoli ea ipsa usi sunt. Post Christum natum, Aquila, e Ponticæ Provinciæ Urbe Synope, ex Ethnico Christianus, & paulo post e Christiano Judæus, novam sacræ Scripturæ græcam Versionem in lucem edidit. Eam ex Hebraico textu religiosa quadam diligentia ad verbum expressam Hebræi dispersi humaniter susceperunt, & in Synagogis legerunt. Suæ primæ Versioni Aquila alteram addidit, quam Judaicis traditionibus locupletavit. Post Aquilam Symmachus Samaritanus, qui a Judaica secta ad Catholicam fidem venerat, ac deinde in Ebionitarum errorem prolapsus erat, veteris Testamenti libros græce reddidit, ut sectam suam adversus Catholicos propugnaret; itaque textui, quem explicuit, formam apposuit, quæ maxime Hæreticorum suorum commentis faveret. Theodotion ex Urbe Synope, æque ac memorati duo levis in religionis negotio, quippe qui Ethnicus, Catholicus, Ebionita, denique Judæus fuit, suam versionem aggressus est, ut Marcionitis refragaretur, in qua inter Aquilæ litteralem diligentiam, & Symmachi Paraphrasim media incessit via. Ejus Versionem Christiani duabus prioribus antepofuerunt; & ab ipso Ecclesia Susannæ historiam accepit, quam immerito Judæi rejiciunt, cum in omnibus Christianarum Ecclesiarum Bibliis legatur. Interea cum lingua latina per universum terrarum orbem una cum Romano Imperio propagaretur, Christiani a Judæis longe alii, nihil magis quærentes, quam ut fidei, & Evangelii lumen ubique diffunderent, haud cunctati sacræ Scripturæ Versiones non latina solum, sed alia quaque vernacula lingua ediderunt. Consuli in hanc rem potest Articulus *Biblia*. *

* *Equidem memini me in hujus Dictionarii*

rii Articulo Biblia *dixisse*, *universæ Scripturæ Versionem Italam a Gregorio* Leti *Sixti* v. *jussu editam esse an. Christi* 1590. *Hoc loco palinodiam cano*, *quippe qui dicere debuerim*, *Gregorium* Leti *in Sixti* v. *quam scripsit*, *vita referre*, *Pontificem hunc mandasse*, *ut ejusmodi Versio conficeretur*, *cum id mandati in Gregorium* Leti *congruere non possit*, *utpote qui Sixto* v. *ætate posterior fuerit*.

Laudatus quidem Pontifex, *ad sacrosancti Tridentini Concilii mentem se conformare studens*, *Vulgatam ab erroribus*, *qui irrepserant*, *purgatam voluit*, *ut universæ Christianæ Ecclesiæ textus loco esse posset*; *cui correctioni præfuit eruditissimus Cardinalis Marcus Antonius Columna*, *Vaticanisque typis editæ Bullam* an. 1589. *datam Sixtus* v. *præpositam voluit*. *At Summus Pontifex de nonnullis*, *qui perspicaces Cardinalis oculos effugerant*, *erroribus monitus*, *Versionem*, *& quidem suismet oculis revisam voluit*, *& notas quasdam*, *genuinam lectionem indicantes*, *quas* Thomas James *Sixti correctiones dixit*, *erroneis locis imponi jussit*. *Itaque an.* 1590. *Vulgata lucem aspexit*, *cujus exempla statim per universum Christianum orbem diffusa sunt*. *Interea Sixtus adeo elegantis*, *magnificæque Editionis laude contentus ex hac mortali vita migravit*. *At cum ejus sedem ad dies paucos occupasset Urbanus* VII., *& in hujus locum an.* 1591. *Gregorius* XIV. *suffectus esset*, *coortæ tum Protestantium*, *tum Catholicorum in Sixtinam Editionem querelæ Summum Pontificem impulerunt*, *ut Theologorum*, *harum rerum peritissimorum Congregationem institueret*, *e quorum numero fuere doctissimus Bellarminus*, *Morinus*, *Agellius*, *& Cardinalis Marcus Antonius Columna*, *qui emendationes ipse scribebat*, *Cardinalis Sylvius Antonianus*, *& Cardinalis Alanus*, *qui intra dies undeviginti Sixtina Biblia correxerunt*. *Perfectum opus Gregorius videre non potuit morte præventus*; *at vidit Clemens* VIII. ; *quo Pontifice e Vaticana Typographia prodiit an.* 1592. *rursusque insequente an.* 1593. *quam postremam Editionem* VVadingus, Gretserus, *&* Lucas Brugensis, *qui priores duas an* 1590. *&* 1592. *ignorabant*, *Editionem primam Sixti jussu correctam putarunt*.

Ac licet diligentissime cautum esset, *ut omnia Sixtinæ Editionis exempla revocarentur*; *nonnullæ tamen elapsæ priores Editiones duas publici juris fecerunt*; *ut proinde* Thomas James *illectus inani spe*, *fore*, *ut Ecclesia*, *quam falli nesciam Catholici in Romano Pontifice profitentur*, *jugulum peteret*, *congestis locis omnibus*, *quæ in Sixtina*, *& Clementina Editionibus alia erant*, *opus confecerit inscriptum* Bellum Papale, *an.* 1606. *Londini editum*.

Jamesium *Opus litteratos viros impulit*, *ut earum Editionum exemplaria conferrent*; *& quoniam Sixtina perrara erant*, *& plurimi*, *atque adeo pro cujusque lubidine vendebantur*, *nonnulli unde unde lucrum quærentes*, *Sixtina bene multa protulerunt*, *quæ reapse Clementina erant*, *falsum titulum*, *falsamque Bullam ad perfectam Sixtinæ Versionis imitationem præseferentia*. *Fraus hæc locum dedit Dissertationi*, *quæ legitur Tom.* IV. Schelornii *Amænit. Litter. pag.* 442., *quæque notas omnes exhibet*, *quibus vera Sixtina Versio a suppositis*, *& apocryphis secernatur*. *Consuli possunt in hanc rem* Bellarminus *in sua*, *quam ipse scripsit*, *vita*, James *in memorato Papali Bello*, Marinus *in Epistola ad Cardinalem Sylvium Antonianum data*, Calmet *in Biblioth. & præsertim in Opusculo an.* 1754. *Levanii*, *ut habet titulus*, *edito*, *qui ejusmodi est*: Epistola Apologetica super Editione Vulgatæ Latinæ, quæ Sixti v. jussu Romæ prodiit an. 1590.

Veræ Sixtinæ Editionis exemplum cum notis ad emendatos textus servatur in selecta, *copiosaque Bibliotheca* Principis Aliani Columnæ, *qui in Ecclesiastica Historia apprime versatus*, *& sacræ Eruditionis studiosissimus jucundam sibi curam sumpsit maxime singularia Biblia colligendi*, *inter quæ est Sixtina Editio*, *cujus is est nitor*, *ea species*, *& nullam temporis injuriam sinserit*.

Vesci carnibus. Animalium erant genera multa, quibus vesci Hebræis non licebat; quemadmodum iidem carnem cum sanguine, & victimarum adipem, qui semper super Altari comburebatur, edere prohibebantur. Ad pura animalia quod attinet, eorum carnibus uti poterant, quarum tamen condimentum non admodum exquirebant. Iis vescebantur vel assis, ut Agno Paschali: *& edent carnes nocte illa assas igni*, vel in lebete coctis, ut conjici licet ex eo, quod legitur libro Regum primo, filios Heli trahere solitos e lebete carnem, quam deinde pro suo ipsorum arbitratu coquendam curarent: *Et habebat fuscinulam tridentem in manu sua*, *& mittebat eam in lebetem*, *& omne*, *quod levabat fu-*

fasciculo, tollebat Sacerdos sibi. Erat etiam apud Hebræos pulmentorum usus, ut ex verbis Isaac ad Rebeccam licet intelligi: *Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, ut comedam*. Vesci tamen iis non licebat animalis carne, quod naturali morte obiisset, aut non emisso sanguine suffocatum esset, aut quod alterius belluæ morsu periisset: *Carnem, quæ a bestiis prægustata fuerit, non comedetis, sed projicietis canibus*. Qui per oscitantiam ejusmodi carnem comedisset, pollutus manebat ad vesperam, & se purgare jubebatur. Diligenter etiam cavebant, ut nervum abstraherent ab animalium femore, quorum carne vesci volebant, idque ob nervum Jacob ab Angelo exsiccatum: *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, quia marcuit in femore Jacob usque in præsentem diem*. Semper autem legem accuratissime custodierunt, quæ vetabat, ne sanguis, aut soffocatum animal comederetur, atque id moris in Christiana quoque Ecclesia diu viguit. Hanc unam veteris Legis cæremoniam Ethnicis, qui ad fidem venerant, Hierosolymitanum Concilium imposuit: *De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. Hæc ciborum distinctio, quam indulgentia quadam erga Judæos, qui fidem susceperant, Apostolorum prudentia servavit, statim evanuit, ac separationis murus inter duos populos funditus eversus est, & in Christianæ Ecclesię sinu non amplius extitit Israelita, secundum carnem, semper addictus gravi cæremoniarum jugo, a quo nos liberaturus Christus Dominus venit.

Vestimenta. Hebræi tunicam lineam, quæ proxime carnem tegebat, eique impositum pannum instar pallii gerebant; eaque indumenta duo conficiebant id, quod sacra Scriptura nuncupat *mutatorias, vestes*, quas Naaman Elisæo Prophetæ dono dedit. Ut a cæteris populis secernerentur, pallii quatuor angulis vittas hyacinthinas, & fimbriam extremis ejus partibus apponebant. Iis Deus per Mosem ita mandaverat: *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas*. Christus ejusmodi fimbrias gestasse fertur in Evangelio: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus*, Hemorrhoissæ verba sunt. Ita quidem se ornabant Hebręi; at ubi dispersi fuerunt, regionis ornamenta sumpsere, quam incolebant. Colores duo, albus, & purpureus cæterorum plurimi erant; eumque, qui elegantiæ studuerit, hortatur Salomon, ut albis vestibus semper utatur: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*.

Vetus, antiquum. Dicimus Testamentum Vetus illud, cujus Moses Minister fuit: *Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo*; ut illud opponamus Novo Testamento, cujus mediator est Christus Dominus: *Et ideo Novi Testamenti mediator est*. Vetus homo, vetus Adam significat hominem in naturæ corruptæ statu positum, quem crucifigere cum Christo debemus, ut peccati corpus extinguatur: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. Vetus fermentum concupiscentia est, & Legis litteræ addictus animus, quo S. Paulus Pascha celebrari prohibet: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*.

Via, callis, seu trames, qua itur aliquo: *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. *Via gentium*, iter ad Gentes: *in viam gentium ne abieritis*: cavete, ne ad Ethnicos accedaris; nimirum Evangelium Judæis primo nuntiandum erat, ut excusatione prorsus indigni essent, siquidem illud rejecissent. *Per unam viam venire, & per septem fugere* de Exercitu dicitur, quem hostilis impetus profligavit, & fudit. *Erunt aspera in vias planas*; petrosæ viæ evadent planæ, scilicet id, quod in moribus depravatum est, rectum fiet. *Ingredi viam universæ carnis*, significat, morti proximum esse. Metaphorico sensu nomen hoc sumitur I. pro ineunda vitæ ratione: *Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus*. II. Pro Legibus Domini: *Notas fecit vias suas Moysi*. III. Pro operibus propriis: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum*. IV. Viæ pacis, justitiæ, veritatis sunt ea, quæ nos ducunt: *via vitæ, via pacis, via veritatis &c.* V. Nomen hoc ipsum colendi Dei rationem significat: *Ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*. *Via spatiosa* est accurata custodia Divinæ Legis, quæ ad vitam ducit. Christus Dominus via est exemplo, mysteriis, fide, quæ nos manu ducit, & extra viam hanc nemo non aberrare, ac perire potest.

Videre. Verbum hoc præter communem aspi-

aſpiciendi ſignificationem adhibetur etiam ad ſenſationes cæteras ſignificandas: *Videbant voces*: populus audiebat voces; *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: non patieris, ſanctum tuum corruptioni ſubeſſe. Videre faciem Regis, eſt, ad eum accedere: *Erant primi, & proximi, qui videbant faciem Regis*: intimis tantum aulicis licebat Regem videre.

Vidua, Mulier, cui virum mors eripuit. Præceperat Lex, ut Fæmina, quam prolis expertem vir reliquiſſet, defuncti fratri nuberet, e quo filios pareret; qui ejus bonorum hæredes eſſent, ipſiuſque nomen poſterorum memoriæ commendarent: *Uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, ut non deleatur nomen ejus in Iſrael*. En autem renuente, Vidua ſe conferebat ad Urbis portam, & apud Seniores querebatur, qui accito cognato proponebant, ut eam conjugem duceret; quod ſi reluctari non deſtitiſſet, Vidua ad eum accedebat, omnibuſque ſpectantibus, detracto ſibi calceo, ei in faciem ſpuebat, inquiens: ita is habebitur, qui fratris domum reſtituere non vult: *Et tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui, & vocabitur nomen illius in Iſrael, domus diſcalceati*. Eo ſpectabat Lex hæc, I. ut bona eidem familiæ ſervarentur; II. Ut hominis nomen juge fieret. Neque vero lex ad cognatum tantummodo referebatur, ſed conſanguineos quoque vel remotiſſimos ejuſdem lineæ afficiebat, ut oſtendit exemplum Booz, qui duxit Ruth, conſanguineo cæterorum proximo abnuente. Huic mori legimus inſtitiſſe Thamar, quæ deinceps Her, & Onan filiis Juda nupſit, quæque, fato functis ambobus fratribus, Selæ quoque tertiogenito nuptura erat.

Præceperat populo Deus, ut ſingularem Viduæ curam ageret: *Viduæ, & pupillo non nocebitis*; idemque Timotheo commendat S. Paulus: *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*; id autem, quia fidelium impenſis Viduæ in ipſo Eccleſiæ exordio alebantur. Ex iis eligebantur, quæ Epiſcopo deſervirent ad munia quædam, quæ eum obire dignitas non ſinebat. Vult autem Apoſtolus, eas, quæ ad hæc officia eliguntur, ſexaginta ſaltem annos natas eſſe, uni tantum viro nupſiſſe, hoſpitalitati ſtuduiſſe, afflictiſque opem tuliſſe. Vetus, & novum Teſtamentum in Judith, & Anna Propheteſſa, quæ receſſui, jejunio, precibuſque vacabant, Chriſtianarum Viduarum perfectum exemplar exhibent, quas in epiſtola ad Timotheum S. Paulus deſcribit. Sumitur etiam viduæ nomen ad perſonam quamque derelictam, & in mœrore, ac deſolatione poſitam ſignificandam: *Firmos faciet terminos viduæ*: viduæ ſcilicet hæreditatem firmabit Deus, nempe tuebitur infirmas ab eorum vi, quorum arrogantia, ac temeritas eoſdem opprimit.

Vinea. Plures erant in Palæſtina Vineæ. Sacra Scriptura Vineas Sorec, Sebama, Jazer, & Ebel ſæpe commendat. Vineæ quidem fructus ante diluvium innoteſcebat; at exprimendi vini ratio nondum inventa erat. Eam Noe primus detexit, expertuſque eſt. Eum, qui vitem ſeviſſet, ejus fructu ante annum quintum veſci Lex non ſinebat, volebatque ſeptimi anni fructum ad pauperem, orphanum, advenam pertinere. Licebat viatori cuique in vinea, quæ ad viam occurrebat, uvam colligere, & comedere, non tamen extrahere: *Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum*. Jacob benedicens Judæ futurum dixit, ut aſinam ad vitem, & aſellum ad vineæ ſepem alligaret: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam*; quod vinearum, & agrorum copiam, & ubertatem, quibus affluit Tribus Juda, deſignabat; at metaphorica ſignificatione vaticinium de Chriſto intelligi debet, qui populos duos, Ethnicum, Judaicumque, per Aſinam, & Aſellum exhibitos copulaturus erat, Eccleſiæque, cujus Vinea figura eſt, devincturus. Suum ſæpe Populum Deus in ſacris Litteris Vineæ comparat, quam ex Ægypto tranſtulit, & in Palæſtina plantavit; quæ tamen bonorum fructuum loco, amaras tantum, & ſylveſtres uvas emiſit: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam*. Deſignat quoque Eccleſiam vinea, quæ vinum merum producit: *Vinea meri cantabit ei*. Nomen hoc ipſum pro natura, moribus ſumitur: *De vinea Sodomorum vinea eorum*; nempe hujus populi mores ſunt iis pares, quibus Sodomitæ addicti erant. Sub viti ſua quieſcere, nihil eſt aliud, quam tuta pace frui, ſine hoſtilis impetus metu, & ſub regimine boni Principis, ſpectata ſcilicet Orientalium populorum conſuetudine, qui re-

frigerii causa ad arborum umbram sedere consueverant: *Habitabatque Juda, & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua; a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*. Hæc etiam, Summi Pontificis Simonis Machabæi tempore, felix Judæorum conditio fuit; ubique pax obtinebat, omnisque Israeliticus populus lætitia gestiebat: *Et sedit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua, & non erat, qui eos terreret*.

Vindemiare est uvas colligere; quod apud Hebræos cœnæ, & oblectationes comitabantur: *Et faciet Dominus Exercituum populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*. Verbum hoc ipsum, *vindemiare* metaphoricos quoque significatus habet, qui a vineæ expoliatione derivantur; sumitur pro destruere, evertere, diruere; eaque metaphora sæpissime utuntur Hebræi ad vindictam significandam, quam ex hostibus Deus sumebat: *Vindemiavit me, sicut locutus est Dominus in die furoris sui*; hæc Hierosolymæ verba sunt Dominum rogantis, ut cum hostibus ita se gerat, ut cum ea se gessit ob patrata scelera: *Et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas*.

Vinum. Fere liquor hic adhibebatur ad Sacrificia, quæ Domino offerebantur; at eo Sacerdotes uti vetabantur, quandiu Altaris servitio addicti, in Tabernaculo versarentur: *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu, & filii tui, quando intratis in Tabernaculum Testimonii, ne moriamini*. Metaphorice nomen hoc pro Dei vindicta sumitur: *Sume calicem vini furoris ejus de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te*. Pro bonis spiritalibus, Deique beneficiis: *Emite absque argento vinum, & lac*. Ejusmodi vinum, & lac sunt Christi munera; & hoc vinum est, quod sapientia paravit: *Bibite vinum, quod miscui vobis*. Significat etiam oblectamenti genus omne: *Meliora sunt ubera tua vino*: amicitia tua, quæ omnino spiritalis est, omnibus terrarum voluptatibus longe jucundior, gratiorque est.

Vinum Myrrhatum liquoris genus, qui damnatis tribuebatur, ut ebrietas quædam iis afferretur, & in iisdem doloris sensus extingueretur. Vinum hoc mixtum Christo Domino oblatum fuit, ante quam Cruci addiceretur, S. Marco teste: *Dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit*; erat autem, Evangelista Matthæo referente, *vinum cum felle mixtum*. At probabile est, Evangelistas de eodem liquore locutos esse, quem ob amaritiem longe maximam unus quidem fellis, alter vera myrrhæ nomine expresserint; vel vinum hoc reapse cum myrrha mixtum fuisse, milites autem ei fel addidisse.

Vinum conditum, quod in Cantico Canticorum legitur, vinum est, cui odores admiscebantur, ut gratius fieret: *Dabo tibi poculum ex vino condito*. Vinum Libani, de quo Oseas, ita dictum, quod e vitibus ad ejus montis radices satis exprimeretur: *memoriale ejus sicut vinum Libani*. Vinum *compunctionis* in Psalmis significat Dei calicem, quo peccatores ebrii fiunt: *potasti nos vino compunctionis*. Vinum *Libaminum* primas obtinet; itaque in victimas infundebatur; vel vinum merum significat, quippe quod in libationibus non misceretur: *Bibebant vinum libaminum*. *Convivium vini* prandium significat, in quo multum vini compotatur: *in convivio vini non argues proximum*: scilicet in solemni prandio. Vinum *damnationis*, de quo Amos: *Vinum damnatorum bibent*; accipi potest de vino, quod obtundebat, tribuebaturque reis ad mortem damnatis, aut metaphorice, aut denique de eorum bonis, qui damnati fuerunt. *Vinum bibunt*, hoc est, laute prandent eorum impensis, quos injuste judicarunt. *Vinum germinans Virgines*, de quo Zacharias, significat vel Dei verbum, vel dona Spiritus Sancti Pentecostes die in Fideles effusa, vel effecta sanctissimæ Eucharistiæ.

Virga, ramus arboris: *Ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum*. Concepturis ovibus verno tempore, Jacob mediis in aquis ramos variis coloribus insignitos ponebat ob ovium, caprarumque oculos, quibus in ipso prurriginis æstu colorum varietate commotis, fœtus albis, nigrisque maculis tincti prodibant, quod ei maximo emolumento fuit. Signa hæc, hæ maculæ non jam naturalis effectus artis Jacob, pecudumque imaginationis erant, sed verum sane miraculum, quod Deus in gratiam Jacob edebat, ut ejus labores, & sollicitudines compensaret; avaritiemque Libani, & asperitatem puniret. *Virga* sumitur etiam pro Viatoris baculo: *Nihil tuleritis in via, neque virgam*; item pro Pastoris hasta: *virga tua*,

tua, *& baculus tuus ipsa me consolata sunt*; pro virga quoque, qua Deus utitur, ut homines plectat: *visitabo in virga iniquitates eorum*. Eodem vocabulo significatur tum sceptrum: *extendit contra eum virgam auream*; tum arbustum: *egredietur virga de radice Jesse*; tum populus: *redemisti virgam hereditatis tuæ*. Denique adhibetur ad eos designandos, quibus Deus tamquam instrumentis utitur, ut vindictas suas in homines exequatur: *Væ Assur, virga furoris mei*.

Virga Mosis baculus est, quo uti solebat, ut gregem ageret, quemque Deus eum sumere jussit, ut prodigia ederet, quibus Pharao adigendus erat, ut populum dimitteret: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*. Virga hæc instrumentum fuit, per quod ei Deus miracula edendi facultatem contulit, cujus eum statim per experimentum convicit. Mandavit ergo, ut virgam projiceret, quæ in serpentem conversa est; cumque Moses præ metu fugeret, jussit, ut serpentis caudam stringeret, qui in virgam rediit. Haud constat, cui usui fuerit virga hæc post Mosis mortem; eam Josue, utpote in populi regimine ejusdem successori datam fuisse probabile est.

Virga Aron baculus est, quem Summus hic Sacerdos gerebat, quemque Deus mirum in modum noctis spatio florere voluit, ut per ejusmodi prodigium significaret, se quidem ad obeunda Sacerdotii munia Tribum Levi electam velle. In conjuratione Core, Deus Mosi præcepit, ut a singulis Tribuum principibus viris virgam sumeret, iisque adderet virgam Aaron, quæ decima tertia erat. Inscriptis singulis virgis offerentis Principis nomine, positisque in tabernaculo Cætus, ubi se Dominus Mosi manifestabat, sequenti mane compertum est, ex Aaron virga erupisse frondes, quæ in amygdalas versæ sunt: *Invenit germinasse virgam Aaron, in domo Levi; & turgentibus gemmis, eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt*. Ita quidem Sacerdotium Aaron, ejusque posteritati prodigio firmatum fuit; atque ad tam insignis, prodigiosique eventi monumentum, Deus virgam in Tabernaculo positam voluit, ibique dubio procul frondes, fructusque servavit, ut in omne tempus editi miraculi Judæos convinceret.

Virgo, nomen respondens Hebraico *Almach*, pro puella sumitur, quæ corporis puritatem custodiit. Hebraica vox abditam personam significat, quia nempe puellæ, adhuc innuptæ, seorsim in abditis ædium partibus morabantur, neque exibant nisi velo tectæ, quin unquam faciem nisi coram proximis consanguineis detegerent. Ita Amnon, ut legimus in sacris Litteris, sororem Thamar, quam perdite amabat, videre vix poterat, quia Virgo erat, & sollicite custodiebatur: *Quia cum esset Virgo, difficile ei videbatur, ut quidpiam inhonesti ageret cum ea*. Porro veteris Testamenti tempore, Virginitatis status in honore non erat, atque adeo puellæ turpitudini ducebatur, innuptam esse; itaque legimus, filiam Jephte, cum inibi esset, ut a patre immolaretur, cum nondum nubere potuisset, virginitatis deflendæ causa, in Montem se contulisse: *Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam Virginitatem meam cum sodalibus meis*. Verum in Novo Testamento Christus virginitatem maxime commendavit; & S. Paulus statum hunc conjugali longe præstantiorem exhibet: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. Virgo per excellentiam est Sanctissima Christi Mater, Virgo ante partum, in partu, post partum, quam Isaias Virginem ita designat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Nomen hoc in sacris Litteris pro adolescentula quoque ponitur: *Plange quasi Virgo accincta sacco super Virum pubertatis suæ*. Sumitur etiam pro Ecclesia, idque ob ejus Religionis puritatem, & Sponso servatam fidem; *Despondi vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo*; Apostolus de Corinthi Ecclesia, tamquam de populo, de Urbe, de Religione loquitur; *Virgo Israel prostrata est in terram suam, non est, qui suscitet eam*; Propheta Amos de Tribubus decem loquitur, quæ ab Assyriis in captivitatem tractæ, non amplius reversæ sunt: *Virgo filia Sidonis, Virgo filia Babylon &c.*

Visio, revelatio, per quam hominibus Deus voluntatem suam vel in somniis noctu, vel rebus sensibus obviis, imaginationem permoventibus interdiu patefacit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium*. Bifariam noctu se Deus in somniis hominibus prodit, vel per claram, & sensibus obviam imaginem, ut cum

Angelus apparuit Joseph, eumque monuit, ut in Ægyptum fugeret: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi*; seu per obscuras, & ænygmaticas imagines, cujusmodi Pharaonis somnium fuit, itemque Nabuchodonosor. Suam quoque voluntatem Deus hominibus interdiu significat duplici pacto, vel ipse se sistens, ut cum Angelus Cornelio apparuit: *Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli*; vel sub allegoria quadam, cujusmodi Ezechielis, & Joannis in Apocalypsi visiones sunt. Eamdem aliquando declarat absque visionum ope, alte scilicet impressa hominum animis perspicua rerum notitia, quas ab iisdem expetit. Ita animo comparata, divinoque afflatu instituta Judith id consilii cepit, ut Holoferni se traderet, firmiter persuasum habens, se su s a formidando hoste liberaturam: *Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum, & virtutem, ut evertam illum; erit enim memoriale hoc nominis tui, cum manus fœminæ dejecerit eum.*

Visio præterea pro vaticinio, prophetia, revelata resumitur: *Visio Isaiæ; liber Visionis Nahum*; pro externa specie: *Non secundum visionem oculorum judicabit*. Visionis terra est Mons Moria, ita dictus, quia Deus ibi se Abrahæ videndum præbuit: *Vade in terram Visionis*. Id deinceps nominis servatum monti in quo Templum, & Davidis Arx ædificata fuere.

Visitare. Verbum hoc in sacris Litteris duplicem significationem habet; in bonam scilicet, & malam partem accipitur. Deus bifariam homines visitat; in miseratione, ut cum Saram visitavit, concesso filio: *Visitavit Dominus Saram*; Israelitas, misso Mose; populum, Messiæ adventu: *In quibus visitavit nos oriens ex alto*. Deus in indignatione quoque, ac vindicta visitat: *Visitans iniquitatem patrum in filios*. Atque hoc verbum hoc sensu acceptum in sacra Scriptura maxime commune est. Promittit Deus, se terram Chanaan, incolarum peccatis omnino pollutum visitaturum: *Cujus scelera ego visitabo, ut evomat habitatores suos*. Verbum hoc ipsum de urbanitatis, & amicitiæ solutis per colloquium officiis dicitur: *Fratres tuos visitabis, si recte agant*. Isaias Davidem ad fratres invitendos misit, ut intelligeret, quid agerent.

Visitatio, eodem sensu accipitur, ac verbum, a quo derivatur, & duo significat, ad Deum quod attinet; favorem: *ibi erunt usque ad diem visitationis suæ*, & severitatem: *visitatio tua venit*: tempus adest, quo te iratus Deus visitet.

Vitulus, ad Sacrificia adhibitum animal, de quo passim in sacris Litteris, quodque nonnunquam pro cujusque generis Victima sumitur: *Tunc imponent super Altare tuum Vitulos*.

Vitulus Aureus, Idolum, quod Israelitæ ad radices Montis Sinai coluerunt, quodque Aaron ad Bovis *Apis*, Ægyptiorum Numinis similitudinem condidit: *Fecit ex eis Vitulum conflatilem*. Incredulus hic, & perduellis populus, Mosis e monte descensum diutius dilatum conquerens, Deoque non semel obstrictæ fidei statim oblitus ita audacter ad Aaron: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit*. Aaron, populi Summus Pontifex designatus, non suo solum consensu execrandam impietatem probavit, sed ipse se Idoli opificem præstitit; petitisque a fœminis inauribus, & in ignem projectis, vitulus prodiit, cui per horrendum facinus, veri Dei nomen, quod commune esse non potest, tribuere ausus est. Populus e conspectu, & ad pedes ejus Montis ipsius, ubi se Divina Majestas per insignia prodigia adeo perspicue prodiderat, & unde formidanda vox prohibens, *ne exteri Dii colerentur*, omnium aures perculerat, cultum suum operi manuum hominum prostituere non est veritus: *Et fecerunt Vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem Vituli comedentis fœnum*. Tum sanctus vir Moses de populi prævaricatione a Deo monitus descendit, & Israelitas ad Idolum saltantes videns, Legis tabulas fregit, ut ostenderet, fœdus, cujus eæ monumentum erant, per eorum apostasiam fractum esse, Deumque tamquam perduelles servos eos puniturum. Arreptum deinde aureum vitulum flammis devovit, ut execrandum idololatriæ monumentum deleret, eumdem redegit in pulverem, arte sane aliqua iis temporibus nota, cineresque in torrentem projecit, cujus aquis ad potum populus utebā-

bitur. Cum Idolum ita evertisset, ut ne minimum quidem tantæ abominationis vestigium superesset, Levitas jussit arma sumere, qui licet totius populi delicti rei, statim tamen ex animo resipuerant, iisque mandavit, ut, quidquid obvium habuissent, indiscriminatim occiderent. Jussa executi Levitæ, quin ullam carnis, aut sanguinis rationem haberent, cumque ea ipsa die hominum viginti tria millia & amplius interfecissent, id honoris assecuti sunt, ut qui ea sollicitudine illatam Deo injuriam ulti essent, Sacerdotalis Tribus evaderent.

Vitulus Aureus, quem Jeroboam filius Nabal colendum Israelitis proposuit. Princeps hic ut solium conscendit, ejus oblitus, a quo illud acceperat, ejusdem gloriam ipse sibi arrogavit. At sibi semper timendum intelligens, quoad Hierosolyma Religionis centrum esset, Divinique cultus sacrum vinculum utrumque populum devinciret, eos sejungere aggressus est, idque obtinuit, duobus aureis conditis Vitulis, quorum unum in Urbe Dan, alterum in Urbe Bethel exposuit: *Separavit Jeroboam Israel a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum*. Ut autem amoveret a metu populum, quem Religionis species firmius, quam ipsa Religio detinet, non una in re ceremonias, quæ Hierosolymis obtinebant, imitari studuit, aususque est ipse sibi Sacerdotalia munia arrogare. Suo ita exemplo subditos impulit, ut a vero Deo deficientes, illud ipsum Idolum colerent, quod alias in eorum majores Divinam indignationem irritaverat, universumque Regnum execrandis jussis in apostasiam traxit; positis enim ad utrumque Regni finem Vitulis, Israelitæ paulatim novæ Religioni assueverunt, cujus exercitatio facilis erat, nec ægre ferebant, se a Templo abesse, cum sacrificia offerre, satisque votis facere possent, quin longi, ut antea, itineris labori subessent, quippe qui hactenus Hierosolymam pergere jussi essent. Prophetæ quidem in aureorum Vitulorum sacrilegum cultum invehi non destiterunt, & futuram Dei vindictam Israelitis sæpenumero prædixerunt, quæ sane in Samariæ excidio, ac decem Tribuum dispersione se prodidit. Ejus Urbis potiti Assyrii aureos Vitulos abstulerunt, infirma, & inepta Numina, quæ Israelitis perniciem attulerant, quæque ipsa se a calamitate tueri non potuerunt, quam eorumdem Numinum causa Israelitæ subierant: *Projectus est Vitulus tuus, Samaria, iratus est furor meus in eos .... quia ex Israel & ipse est, artifex fecit illum, & non est Deus, quoniam in aranearum telas erit Vitulus Samariæ*.

Vitulus Libani qui in Psalmis legitur: *comminuet eos tamquam vitulum Libani*, vitulus, qui in Libano pascitur. *Labiorum* Vituli apud Oseam significant laudam sacrificia, preces, quas Judæi Domino in Babylonica captivitate offerebant, cum non amplius in Templo Sacrificia eidem offerre possent: *Reddemus Vitulos labiorum nostrorum*.

Vituli nomen etiam methaphorice sumitur ad feros, arrogantesque hostes significandos: *Circumdederunt me Vituli multi*; quod de Christi hostibus dicitur, qui veluti juvenci semper furebant, & cornibus impetere parati erant. Præterea pro infirmis, & simplicibus sumitur: *Vitulus, & ursus pascentur simul*: nempe infirmi, & simplices homines cum iis versabuntur, qui præ feritate Urbes similes videbuntur, eos Christi gratia in unum cor, unumque animum conjungente. Denique pro iis ponitur, qui lætitia gestiunt: *Salietis sicut vituli de armento*: de justis hominibus Propheta loquitur, qui Christo obviam ituri e sepulcris læti prodibunt.

Vivere, *Vita*, duo hæc vocabula tum propria, tum metaphorica significatione sumuntur, scilicet de temporali vita, ac de æterna accipiuntur. Vivere naturalem vitam, quæ corporis est: *In ipso vivimus, movemur, & sumus*; vitam gratiæ: *Justus ex fide vivit*; vitam temporalem: *Quæ faciens homo, vivet in eis*; hæc servatæ Legis veteris merces erat; itaque fures ad mortem damnabantur. Vivere gloriosam vitam in Cælis: *Hoc fac & vives*. Dominus dicitur Deus vivens; unus enim infinita natura est, principiumque, & fons eorum omnium, quæ existunt. *Vivit Dominus*, jurisjurandi forma est, per Dei vitam; quæ loquendi ratio passim occurrit in sacris Litteris: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & judicio, & in justitia*. *Terra viventium* dicitur, eorum ratione habita, qui mortui sunt; & hunc terrarum orbem significat, quem incolimus; at spiritali notione Cælum est, ubi mors locum non habet: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Aquæ viventes sunt aquæ puræ, aquæ fontium, ad quas passer immolabatur in lepros

puti-

purincationem: *Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes*. Christus Dominus vita est; ejus enim gratia Christianæ vitæ, omniumque recte factorum principium est; & fine hac vita noo nisi mors: *Ego sum resurrectio, & vita*.

Vivificare, vitam dare seu corporalem: *Dominus mortificat, & vivificat*, seu spiritalem: *spiritus est, qui vivificat*. Verbum hoc ipsum significat, servare vitam: *Virum, et mulierem non vivificabat David* David nec viris, nec fœminis parcebat, quos ex hostibus ceperat. Significat etiam a morte excitare, ad vitam revocare: *Mulier, cujus vivificaverat filium*.

Ulai, *vesania*, nomen Euci fluminis, quod prope Urbem Susam, Persidis metropolim fluit: *Vidi in visione, me esse super portam Ulai*. Insignis visio Danieli contigit ad Urbis portam, quæ ad Ulai flumen referebatur. *Daniel. cap.* VIII.

Ulam, *porticus*, hujus nominis fuere viri duo vix nomine noti. I. *Paral. c.* VII. & VIII.

Ultio, *vindicta*; unius Dei est ulcisci, vindictam sumere; id juris ipse sibi reservavit: *Mea est ultio, & ego retribuam*; is enim proprie, non homo læsus est, unusque ipse juste punire potest: *Non quæras ultionem, nec memineris injuriæ Civium tuorum*; ita Deus in veteri Lege vindictam sumi, aut expeti prohibebat; nec in Mosis Lege quicquam hac sanctione clarius, apertiusque est. Christus ergo in Evangelica Lege nullam perfectionis regulam proposuit, cum jussit, ut inimicos diligeremus, iisque ex animo ignosceremus; nihil aliud egit, quam veteres, constantesque regulas sua ipsius auctoritate firmavit, quas nequam homines evertere conabantur, suffectis in earum locum erroribus, qui maxime animorum depravationi favent. Mosaica sane Lex, quæ vetabat, ne inimicus odio haberetur, expressis verbis eum diligi non jubebat; at satis id innuebat, ex una quidem parte odium excludens, ex alia vero præscribens externa officia, quorum executio, ut meritum conjunctum haberet, reapse amorem, ac benevolentiam requirebat: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi*. Quamobrem inimici diligendi, eique parcendi vetus præceptum est; illudque Christus non alia de causa novum dicit, nisi quod illud ipse restituit, cum jam ubique terrarum in oblivionem abiisset; ejusque amplitudinem, & perfectionem ostendit, amore, quo nos ipse prosecutus est, proposito tamquam ejus regula, quo nos ipsi mutuo complecti debemus. Sanctitate insignes viri, qui in Veteri Testamento memorantur, præceptum hoc, quam late pateт, agnoverunt, perfeceruntque; ac si inimicorum dilectio non æque in iis, atque in Novi Testamenti Sanctis Viris elucet, id proinde factum, quod priores externa quidem specie Legi suberant, quæ ad perfectionem non ducebat, novæque Legis Auctori servatum erat, ut perspicua, distinctaque ratione amorem præciperet, in se ipso perfectissimam ejus executionem ostenderet, & gratiam ipse conferret, quæ efficit, ut amemus, efficiamusque, quod jubet. Atque hac sane regula uti debemus, ut de multis Psalmorum locis judicemus, in quibus Propheta non nisi cogitationibus, consiliisque occupatus videtur, quæ odium, & malevolentiam præseferunt, dum scilicet maledicta, & imprecationes acerrimas in adversarios pronuntiat, divinæque iræ omnia in eos fulmina implorare videtur. Verum id conveniat primum omnium, necesse est, Davidem perfectissima erga persecutores suos charitate refertum fuisse, quæ sane inimicorum amorem non complecti non potest; ut proinde ejus vota, & maledicta ad principium longe aliud, quam ad odium, & vindictam referri debeant. Propheta nimirum de Dei gloria, nequam hominum peccaris læsa se maxime sollicitum exhibebat; cumque Deum tantum in se ipso injuria affectum videret, ejusque consilium, quo pœnam parabat, divino instinctu afflatus agnosceret, ultricis divinæ justitiæ sensa sibi sumebat, reosque non præpostero quodam impetu, aut indignatione permotus, sed ordinis tantum, æternæque justitiæ amore incensus puniri cupiebat. Itaque Martyres in Apocalypsi mortis suæ vindictam elata voce sollicitant: *Usquequo, Domine, Sanctus, & verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?*

Dies ultionis ea est, qua die Deus suis ex hostibus vindictam sumit, cum scilicet cumulus eorum flagitiis accessit: *Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit*. Quod non ita accipiendum est, quasi Deus ei cupiditati obnoxius sit, qua abrepti ho-

homines injurias ægro animo ferunt, & ulcisci cupiunt; sacra Scriptura utitur hac loquendi forma, ut se ad captum nostrum accommodet; nullo enim odio, nulla vindictæ cupiditate movetur Deus, ut injurias suæ ipsius justitiæ, ac majestati illatas puniat.

Vocatio. Vox hæc sumitur in sacris Litteris I. pro vocatione ad Christi fidem, quæ quidem quoad Deum omnino gratuita est; nos quippe nihil egimus, quod ejusmodi gratiam promereri posset; tenebris, & erroribus involuti, innumeris cupiditatibus, & voluptatibus irretiti, ad nequitiem, & invidiam facti, quod in nobis est, rejiciendi sumus, & in peccati servitute relinquendi: *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, invidia agentes, odibiles, odientes invicem*. At nos vocavit Deus mere gratuito sui amoris effectu, & ut promissa non secundum opera nostra, sed secundum voluntatis suæ decretum exequeretur: *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*. Gratuita scilicet prædestinatio vocationem, vocatio justificationis gratiam præcedit; & per hanc gratiarum seriem, quasique catenam Deus ad salutem nos ducit: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Nostrum est, cum Dei auxilio, vocationem nostram bonorum operum praxi certam facere, & ita vivere, ut nos eo statu, ad quem vocati sumus, dignos exhibeamus: *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*.

Vocatio sumitur II. pro ea vitæ ratione, quam quispiam amplexus est, eoque statu, ad quem vocatus fuit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. Dei nimirum voluntas ea esse debet, quæ vocationis electionem determinet; & quisquis alicui vitæ statui se addicit, quin eam consulat, nec nisi lucri cupiditate, aut ambitione ducitur, quas Deus exectatur, est sane, quod merito timeat, ne sine miseratione damnetur, nisi ingressus sui vitium per pœnitentiam corrigat. Potissimum vero ad Ecclesiasticum ministerium adspirare nemo debet, nisi ab eo vocatum se satis norit, qui unus eo jure gaudet, ut suos sibi ministros eligat, eorumque, quos vocat, animum iis dotibus imbuat; quas tanti officii dignitas postulat. Væ tenebris, vitiisque involutis hominibus, atque adeo peccatis nonnunquam pollutis, qui inconsulta Dei voluntate, innumerisque ministerii periculis flocci factis, suæ ipsorum vocationis ipsi se judices statuentes, ad sacros Ordines accedere, Altare conscendere, maxime formidanda Sacerdotii munia usurpare non verentur, repugnante Apostolo, qui docet nemini jus esse, ut Sacerdotii honorem ipse sibi vindicet, sed divina vocatione, prorsus ut in Aaron contigit, opus esse: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Hæc una Regula est; neque vero est ex earum Legum numero est, quæ pro temporum, adjunctorumque ratione mutationi subsunt, sed divina, constansque Lex est; nemini licet ad Ecclesiasticum officium accedere, nisi adsit Dei vocatio, eoque dignus finis, dignaque ea ipsa adjumenta, quæ ad finem ducunt. Ita quidem vocati fuere Moses, & Aaron; afflatuque Spiritus Sancti is ipse, cujus iidem figura erant, missionem suam inchoavit: *Et regressus est Jesus virtute Spiritus in Galilæam*. Post ejusmodi exempla quis eorum temeritatem ferat, qui non alio quam absonæ vitæ apparatu, nullo præter audaciam, ac festinationem merito, non aliis instructi consiliis, quam quæ ambitio, & avaritia secum afferunt, in eos gradus irrepunt, qui hominem virtutibus, quibus ipsi carent, exornatum, & a vitiis, quibus fœdantur, immunem postulant?

Voluntas. Nomen hoc, quod volendi facultatem innuit, sumitur etiam I. pro Dei voluntate, quæ prima, & immutabilis est eorum regula, quæ nos facere par est, eorumque omnium suprema generalis causa, quæ in hac rerum universitate contingunt. Voluntas hæc absoluta est, eique nemo obluctari potest: *Voluntati ejus quis resistit?* Vult Deus, & quicquid vult, quaque ratione vult, in tempore fit, quia scilicet in eo velle, & facere unum & idem sunt. Voluntas hæc ea est, quæ hominis animum moderatur, eum movet pro suo ipsius arbitratu, & semper effectum producit, quem ab omni æternitate sibi proposuit: *Consilium meum stabit, omnis*

volun-

voluntas mea fiet. II. Voluntatem quidem significat non tamen absolutam, quæque non semper impletur. Hæc nimirum voluntas ea est, qua *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* *.

* *Malum tamen morale dictum, peccatum scilicet divinæ voluntatis objectum esse non potest, quia peccatum positum est in depravatione voluntatis, quæ recedit ab ordine, quem Deus præscripsit. Mali genus hoc Deus non vult, at quamvis nolit, permittit tamen, ut ex eo bonum trahat, quod ejus Providentia statuit.* II. *Deus alicujus naturalis boni privationem vult, quod nos naturale, seu naturæ malum dicimus, cujusmodi est improbi mors, quia bona vult, a quibus hoc mali genus sejungi non potest.* III. *Voluntas Dei, quantum in ipso est, libera non est, ipsa in se necessarius actus est; causa exempli, necessario Deus Divinas suas perfectiones amat, quemadmodum homo beatitudinem suam necessario vult. Legatur* S. Thomas 1. Part. q. 19. art. 3.

At eadem voluntas Dei, quoad ea omnia, quæ extra ipsum sunt, cujusmodi sunt creatæ res omnes, absolute libera est; atque ut ab æterno potuit aliquid velle, ita etiam potuit id ipsum nolle. Ita cum dicitur Deus non posse nolle, quod vult, id de voluntate non absoluta, sed hypothetica accipiendum est, facta scilicet hypothesi, eum id velle statuisse.

IV. *Dei voluntas firma prorsus est, & immutabilis; ut proinde non ad litteram accipi debeant nonnulla sacrarum Litterarum oracula, quæ significare videntur, Dei voluntatem mutari posse, ac reapse mutari. Etenim* I. *Deus aliquando prædicit res, prout spectato naturalium caussarum cursu futuræ sunt, licet ob ejus Providentiæ ordinem aliter accidant.* II. *Dum legitur, exempli causa, Deum de homine condito pœnitere, id non significat, Deum voluntatem mutare, sed operis sui partem delere; id autem se facturum ab æterno decreverat, quemadmodum æque ab æterno decreverat, se eam ipsam rem producturum.*

V. *Voluntas Dei quoad omnium hominum salutem certissima est:* Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, *inquit Apostolus* 1. *Timoth.* 2. *Quæ veritas ut bene penitus intelligatur, distinguendæ sunt in Deo cum Theologis voluntates duæ, antecedens una, consequens altera. Deus omnium hominum salutem vult voluntate antecedente, quandoquidem certum est, finem, quem in eorum creatione sibi proposuit, eum fuisse, ut eos felices, & beatos faceret, eumdemque omnibus hominibus gratias multas conferre, quæ eos ad salutem ducere possent, siquidem iis bene uterentur; at non minus certum est, Deum ipsum certis quibusdam conditionibus salutem hanc addixisse, cujusmodi sunt divinæ Legis executio, ferventes preces ad obtinendas Dei gratias, a peccatis aversio, quorum gravitas postulat, ut homo æterna mercede privetur, quia Deus, cum sit summe justus, peccatores puniri vult. Quamobrem si hæ conditiones desint, dici potest, Deus horum peccatorum salutem nequaquam velle, sed voluntate consequente, quia nempe vult, homines gratiæ cooperantes sua se salute dignos reddere; idque propterea, quia hominem liberum condidit. Quod si quis objiciat, cur tandem volens Deus homines ad unum omnes salvos esse, omnes homines reapse non salvet, collatis auxiliis, per quæ ita ad salutis opus incumbant, ut ad extremum ea se dignos exhibeant;*

Respondent Theologi, hominem, qui gratiis, quas ei Deus contulit, respondere negligit, iisdem resistit, nec novas petit, dignum non esse, cui Deus auxilia tribuat, per quæ salutem suam efficaciter operaretur; hominis esse, magnum opus hoc cum timore, ac tremore agere, sibique persuadere, Deum nunquam primum deserere creaturam suam; & huic quidem creaturæ, quod in Deo est, auxilia præsto esse, quæ satis ad salutem sint; eamdemque respondentem per sanctum usum, scilicet per humiles ferventesque preces, ut cælestem opem obtineat, per peccati fugam, & occasionum, quæ ad illud ducunt, dubio procul a Deo salutem consecuturam. Hæc sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & inter cæteros S. Augustini doctrina est. Quod si Dei voluntas, quæ hominem salvum vult non impletur, id ipsius tantum hominis culpa, vitioque fit. Deus justus non nisi sontes damnat, & punit: Apud Deum justum nemo miser, nisi reus, *Augustini verba sunt.*

Quod si quis addat, cum Dei voluntas a potestate sit, cui nihil omnino resistere potest, necesse proinde videri, ut eadem divina voluntas evertat hominis libertatem, & funditus tollat; respondent iidem Theologi cum S. Thoma 1. 2. q. 10. art. 4. *infinitæ sapientiæ Dei esse, id efficere, ut creatæ res omnes ea ratione*

ne agant, quæ singularum naturæ consentanea est. Deus, inquit S. hic Doctor, efficit, ut causæ liberæ libere agant, iis nempe in actione ipsa realem non agendi potestatem servat; ut semper causa eadem retineat eam, quam Theologi nuncupant potestatem ad opposita.

Voluntas Dei, inquit magni nominis vir Bossuet *Tract.* de libero arbitrio, & concupiscentia, *rerum omnium, quæ existunt, causa est; & ratio, propter quam Deus facit, quicquid ei placet, ejus voluntas est in se ipsa efficacissima. Efficacia hæc tanta est, ut res omnes absolute sint, quia Deus vult, eas ejusmodi esse. Cum ergo homo existat, quia Deus vult eumdem existere; liber est; quia Deus vult liberum esse; agitque libere, quia Deus vult eum libere agere. Omnes hominum, & Angelorum voluntates in Dei voluntate, tamquam in prima, & universali causa continentur; nec liberæ sunt, nisi quod in ea tamquam liberæ continentur. Causa hæc prima, quod inde fit consequens, in humanis actionibus non solum essentiam, qualem obtinent, sed ipsam quoque earum libertatem ponit; & libertas hæc in animo est, non modo quoad eligendi potestatem, qua præditus est, verum etiam dum actu eligit. Porro quicquid hactenus diximus, nihilque præterea rationi maxime consonum dici potest super ea re, quæ semper hominum torquebit ingenia.*

Canonicus Magli *in suis Dissertationibus contra doctissimi Professoris* Antonii Genovesii *systema significat, se non satis hoc Systema Thomisticum intellexisse, quippe qui Deo, tamquam efficienti causæ peccata, & culpas tribuit; qui perniciosissimus est Calvinistarum error, & in desperationem trahens. Legantur laudati* Genovesii *apologetica responsa.*

Votum, Deo facta cum deliberatione promissio, qua quispiam se bonum aliquod opus facturum recipit. Votum comitari debet obligationis, quæ contrahitur, perfecta cognitio, ac plena libertas, atque ita, ut non ei vehemens aliquis impetus animi causam præbuerit. Ita qui aliis subjecti sunt, sine eorum consensu, a quibus pendent, vovere non possunt: *Mulier si quidquam voverit ... quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & tacuerit, voti rea erit .... si maritum habuerit .... & non contradixerit, voti rea erit.* At quisquis non nisi a se ipso pendet, tenetur votum solvere, siquidem non sine requisitis conditionibus illud ediderit: *Si quis virorum votum Domino voverit, omne, quod promisit, implebit.* Atque hæc generalis regula quoad eos est, qui subeundæ obligationis plenum dominium obtinent, qui nempe sub patris, tutoris, mariti potestate non sunt. Tenentur omnino promissa facere, quæ suapte sponte ediderunt, ut proinde si promissorum executionem distulerint, peccati rei sint: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis promissio, sed quodcumque voveris, redde, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Religionis actus hic ipsi Mundo coævus est, ac dubio procul a prima familia derivatur, e qua omnes homines prodierunt. Primum, de quo sacra Scriptura loquitur, votum Jacob est, qui Mesopotamiam petens, suorum omnium bonorum decimam partem Domino promisit, ut ejus beneficia rependeret, recepitque fore, ut eum sibi Deum profiteretur, hoc est, ei rursus se dederet, firmaque fide serviret. Post hoc primum votum passim apparet in sacris Litteris votorum usus; quod ut recte atque ordine fieret, non una edita lege, Moses cavit. Promittebantur Deo vota, ut propriæ personæ, filiique. Ita Jephte filiam in holocaustum, & Anna filium ad Tabernaculi servitium promisit. Qui posteriore ratione se devovebat, votum implere debebat, aut se redimere: *Homo, qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium.* Eadem erat voti ratio, quo boves, & animalia Deo offerebantur. Redimi poterant, si forte iis caruissent, quæ requirebantur, ut immolarentur, aut in omne tempus consecrationi addicerentur: *Omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Obtinet etiam in Novo Testamento votorum usus. S. Paulus Nazaræatus voto se obstrinxerat, cum e Cenchrensi portu solvit, Hierosolymam profecturus: *habebat enim votum*; nulloque non tempore Christiani seu per publica, seu per privata promissa se Evangelicis consiliis, continentiæ, peculiari jejunio, bonorum dimissioni addixerunt.

Vox. Nomen hoc designat non hominis solum, & bruti vocem, sed etiam sonum quemvis, & rumorem, quæ inanimata res edunt:

edunt: *Abyssus dedit vocem suam*; & alibi: *locuta sunt tonitrua voces suas, vox aquarum, vox nubis, vox tubæ*, Audire alicujus vocem, scilicet ei parere: *Si audieris vocem Domini Dei tui, & obedieris mandato ejus*.

Ur, ignis, Urbs Chaldææ, ultra Euphratem ad Tigrim sita, patria Thare, & Abrahæ: *Eduxit eos de Ur Chaldæorum*. Deus nempe Patriarcham hunc ex hac Urbe duxit in regionem Chanaan, quam ejus posteris daturus erat. Nomen *Ur* huic Urbi indictum creditur, quod ibidem ignis, Solis symbolum coleretur; quod locum præbuit Judæorum fabulæ, contendentium, Abrahamum a Chaldæis in ignem conjectum esse, quod eorum Idola contemneret. *Genes. c*. XI.

Urai, qui vigilat, filius Bela e Tribu Benjamin. I. *Paralip. c*. VII.

Urbanus, S. Pauli socius, de quo ipse in Epistola ad Romanos: *Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu*. De hoc Christiano homine nihil præterea.

Uri, meum lumen; I. pater clari viri Beseleei; II. pater Gaber, quem Salomon annonæ præfecerat; III. Levita quidam ex eorum numero, qui extraneas fœminas duxerant.

Urias, Deus est lumen meum, ex Hethæis ortus, terræ promissæ veteribus incolis, e proselytorum numero erat, eorum scilicet, qui cum origine Israelitæ non essent, veri Dei Religionem amplexi fuerant. Contra Ammonitas in Davidis exercitu militabat, cum Princeps hic eo turpis imbecillitatis prolapsus est, ut ejus conjugem Bethsabeam dehonestaret. Ut suum porro, & adulteræ fœminæ dedecus tegeret, falsum prætexens, Uriam ad se accitum misit. Cum ergo ex eo quæsiisset, quænam esset in castris rerum ratio, eum domum remisit, persuasum habens, ei cordi esse, ut uxorem reviseret; at Davidis calliditatem strenui militaris viri alacritas vicit, qui ad regalium ædium fores noctem transegit, quin domum pergeret; quod exprobranti Regi responsum dedit, quo ejus consilia prorsus evertit: *Arca Dei*, inquit, *& Israel, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc*. David, cum bellatoris hujus robur animi, & egregia sensa mirari deberet, non est verecundatus, ut voti compos fieret, turpi consilio uti, a quo ut abhorreret, probitatis, & humanitatis leges efficere debuissent. Uriam totius diei spatio apud se detinuit, & bene potum voluit, ut ita rationis impos, propositi, jurisque jurandi oblivisceretur. At ille cum regiis excubiis & noctem egit, nec domum iit. Tum David injustitiæ, & crudelitati execrandam perfidiam addens, remisso Uriæ, cujus honorem læserat, ad Joab epistolam dedit, qua ejus mortis decretum continebatur. Nempe Duci mandabat, ut Uriam in maximum pugnæ discrimen conjiceret, eo consilio, ut vita spoliaretur. Iniquo Principis mandato Joab obsecutus est. Obsidebat eo tempore Urbem Rabath; itaque Uriam ibi posuit, ubi norat hostilem impetum majorem fore; obrutus ergo obsessorum incursu fidelis servus cum multis aliis occisus jacuit.

Urias, successor Sadoc alterius in Judæorum Pontificatu, vivebat regnante Achaz; qui Damascum ad Teglatpalassar profectus, cum profanum Altare, quod ei placuit, ibidem vidisset, statim ejus formam ad Uriam Pontificem misit, mandans, ut in eam rationem ad Templi servitium Altare conderet. Haud cunctatus Pontifex jussa fecit; regressusque Achaz super eo victimas obtulit, & holocausta combussit, & vetus Altare templo totius Orbis splendidissimo indignum ratus, amotum voluit, novumque substituit, ibique sacrum fecit. Pontifex, quem invicto animi robore profanæ novitati obluctari par erat, regiis votis mollius obsecutus, ministerium suum, divinamque rem turpiter prodidit, assensusque est, mutationem Legi repugnantem in divinum cultum induci. IV. *Reg. cap*. XVI.

Urias, filius Semei, prophetam agebat Dei nomine, Jeremia eo ipso tempore in Hierosolymam, omnemque Judæam prorsus eadem vaticinante. Cum Uriam Rex Joakim, & Aulicorum proceres vera nuntiantem ferre non possent, & vita spoliatum vellent; ille monitus se in Ægyptum recepit; at missis a Joakim, qui eum insequerentur, captus, Hierosolymam ductus, jussuque Regis ense confossus e vita migravit; quem scelestus Rex sine honore in infimæ plebis sepulcra conjectum voluit: *Eduxerunt Uriam de Ægypto*,

pte, *& adduxerunt eum ad Regem Joakim*, *& percussit eum gladio*. Jerem.

Uriel, *Deus est lumen meum*, filius Thabat, & pater Uziæ, e Levitarum stirpe, qui e Caath familia erant. Familiæ Caput erat Davidis tempore: *De filiis Caath*, *Uriel princeps fuit*. Occurrit & Uriel Gabaanites e Tribu Benjamin, cujus filia Regina Maacha, conjux Roboam, & mater Abdiæ. Legitur etiam Esdræ lib. IV. hujus nominis Angelus: *Et ego jejunavi diebus septem ululans*, *& plorans*, *sicut mihi mandavit Uriel Angelus*. Verba hæc significant, Uriel esse Angelum luminis, qualem Judæi putant; Christiani tamen nonnulli contra sentiunt; & nulla suppetit auctoritas, qua quæstio dirimatur. II. *Paralip. cap.* XIII.

Urim, *& Thumim*, hebraica vocabula, quæ *lumen*, & *perfectionem* significant, quæque disputationibus multis locum præbuere. Alii quidem contendunt, hæc nomina duo Summi Pontificis Rationali medio rotundis litteris insculpta fuisse, eique, dum eo ornamento indutus esset, abditissima quæque innotuisse: *Pones autem in Rationali judicii doctrinam*, *& veritatem*, *Urim*, *& Thumim*, *quę erunt in pectore Aaron*, *quando ingredietur coram Domino*. At alii, quod vero propius, putant *Urim*, & *Thumim* pretiosos lapillos fuisse, qui in Summi Sacerdotis Rationali positi, ob insuetum splendorem, Dei voluntatem, futurasque res, de quibus consulebatur, ei patefacerent. Sane non semel Deus per *Urim* consultus in sacris Litteris legitur. Josephus ait, lapillis iis singularem lucem non emittentibus, id argumento esse, Dei responsum infaustum fore. Alii demum asserunt, *Urim*, & *Thumim* fuisse signa quædam Rationali addita; at cujusmodi ea' signa fuerint, inter eos non convenit; singulisque hac in re conjecturas sectatis, semper hactenus venditata falsitas, quin adhuc veritas innotuerit. Addit Josephus, se scribente, splendorem ab iis lapillis ante annos ducentos jam recessisse; atque ita quidem oraculum annis ante Messiam natum centum decem circiter, aut duodecim defiisset; at cum Dei per *Urim*, & *Thumim* consulendi nullum prorsus vestigium post Templum a Salomone conditum Historia suppeditet, probabile fit, oraculum multo ante cessasse. Super hujus consultationis ratione fabellas multas ii, qui ex Judæis Doctores audiunt, venditarunt; at cum peculiare nihil occurrat in sacris Litteris, eorum visa, seu potius somnia pro conjecturis habenda non sunt. Id unum generatim convenit, Summum Sacerdotem tantum hujus cæremoniæ Ministrum fuisse, idque tum solum, cum ita maximi momenti negotia, & duodecim Tribuum commune bonum, non autem privata necessitas postularent.

Us, primus e filiis Aram, & Nepos Sem, qui Traconitidi, & Damascenæ regioni incolas dedisse creditur. *Genes.* X. 23.

Usura, fænus, illicitum lucrum, quod contra Legis sanctionem exigitur: *Non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam*, *nec fruges*, *nec quamlibet aliam rem*, *sed alieno*. Moses Dei nomine Israelitis præcipit, ut gratis pecuniam mutuam indigentibus fratribus dent, prohibetque, ne usuram inde percipiant; quam tamen ex alienis percipi patitur; quo nomine venire debent, quicumque Judæi non erant; quamvis autem usura iis ob cordis duritiem, ut divortium, concessa fuisset, legitima tamen non esset; aut intelligendi, qui ex Chananæis superérant, quos Deus ab iis funditus deletos volebat, cum tamen prævidebat fore, ut iis per injustam miserationem parcerent. Et in hac quidem sententia, quæ cæterarum maxime ad veritatem accedit, usura esset hostilis ratio, Judæis a Deo permissa, ut eæ sceleste Nationes deprimerentur, & ad inopiam redigentur, quippe quæ pronuntiato iam anathemati subessent, quemadmodum Israelitis ipsis præceperat, ut Ægyptios, antequam ex eorum regione egrederentur, pretiosissimis quibusque bonis spoliarent. At cum hi maledicti populi penitus extincti essent, usura quoad omnes omnino vetita fuit; & Prophetæ sæpe in eam consuetudinem a justitia alienam, cum Religionis ratione pugnantem, ipsique humanitati non parum ignominiosam invecti sunt; & Christus, qui veterem Legem non attigit, nisi ut eamdem perficeret, quicquid hactenus in hanc rem toleraverat, abrogavit, & caput hoc ad mores apprime spectans in suum omne robur restituit: *Mutuum date*, *nihil inde sperantes*. Christi sanctio hæc, quæ nullam restrictionem patitur, omnia cupiditatis perfugia disjicit, eorumque mendacium Doctorum paralogismos evertit, qui delictum communi

muni odio obnoxium, omnibusque naturalibus, divinis, & humanis Legibus proscriptum purgare, quasique pallio quodam obtegere ausi sunt. Ecclesiæ doctrina semper in hoc articulo sibi constitit; atque adeo ex Ethnicis multi usuram tamquam injustam, & naturæ legibus repugnantem, publicique juris peritissimi quique tamquam imperiis maxime perniciosam spectarunt.

Uter, caprina pellis assuta, & aptata, in quam aqua, vinum, oleum, aliique liquores, ante ligneorum doliorum usum, infundebantur: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres; factus sum sicut uter in pruina*. David, se cum utre comparat: coivit, & aruit; malis enim pressus, ac prope exsiccatus erat, quæ ei persecutores intulerant. *Congregans sicut in utre aqua maris*. Ait Propheta, Deum in Rubri Maris transitu aquas quasi utre conclusisse.

Vulgata. Ita nuncupatur sacrorum Bibliorum Latinus textus, quem Tridentina Synodus authenticum pronuntiavit, non jam præ exemplaribus, sed quoad eorum temporum Latinas Versiones, quarum multas dubiæ fidei Auctores ediderant. Porro Vulgata vetus quo Auctore, & quandonam prodierit, incerto est; id unum constat, eam primis Ecclesiæ temporibus passim obtinuisse, Christifidelibus pro virili operam dantibus, ut divinum verbum, quam latissime poterant, propagarent. Ea tamen e multis erat, quæ a S. Augustino *Itala* dicta, quæ habita est cæterarum optima, quoad S. Hieronymus ex Hebraico textu aliam elaboravit. Obstitere sane S. Patris consilio Christiani bene animati veriti scilicet, ne quid detrimenti subiret auctoritas Interpretum Septuaginta, quam multi tamquam inspiratam habebant, assuetisque veteri versioni populis, oblata nova, alia a prima, scandalum afferretur; quibus tamen ei sensim assuescentibus, vetus Itala ita in desuetudinem, & oblivionem abiit, ut non amplius integra reperiatur, ejusque non nisi fragmentum aliquod ad nos pervenerit. Causa exempli, ex hac Itala veteri Psalterium servamus; nostrisque in Bibliis non occurrit Hieronymiana versio, Psalmis enim, pro ut Hieronymus verterat, nemo uti voluit, quia populus eos memoriæ commendatos quotidie in Ecclesiis canentes, ægre admodum novos suscere potuisset. S. Doctor Hebraicos tantum libros vertit, quin græce scriptos, ut Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos, Baruc, & additiones Esther, ac Danielis attingeret. *

* *Ita quidem antiqua Vulgata Versio pedetentim reformata est ex S. Hieronymi editione, quæ præ cæteris communis evasit, quaque una Latina omnis Ecclesia usa est. At cum lapsu temporis amanuensium oscitantia varias mutationes passa esset, Carolo Magno imperante, adlaboratum est, ut in pristinam puritatem restitueretur, ita porro, ut subsecutis quoque temporibus ejusdem Versionis novæ correctiones prodierint, cum tamen eæ mutationes impedimento non fuerint, quominus ea Vulgata, quæ nunc obtinet, eadem reapse sit, ac primigenia S. Hieronymi Versio. Et vero cumulatissimam auctoritatem addidit œcumenica Tridentina Synodus, quæ decreto Sessione* IV. *edito authenticam pronuntiavit*.

Per hanc decisionem, inquit Bellarminus, Ecclesia nos certos reddidit, Vulgatam, quantum ad fidem, & mores spectat, ab omni prorsus errore liberam esse, eaque tuto Fideles uti posse; at Concilii Patribus, subdit idem insignis Theologus, non ea mens fuit, ut Vulgatam exemplaribus anteferrent.

Cum porro agitata quæstio esset, confugiendum, necne, esset ad autographum textum, ut sacra Scriptura probe intelligeretur; Ludovicus Catanensis e *S. Dominici Ordine in ea fuit sententia, methodo standum esse a Cardinali Cajetano proposita, qui, cum an.* 1524. *Germanica Legatione fungeretur, quærens, qua demum ratione Hæretici ad Ecclesiam redigi, convincique possent, id fore comperit apprime utile, si nimirum sacrorum Codicum litteralis textus perciperetur ea lingua, qua primum prodiit, ad cujus proinde studium ipse postremos vitæ annos omnino contulit. Cardinalis hic dicere solebat, eum, qui Latinum tantum textum intelligit, non Dei, sed Interpretis, qui falli poterat, verbum intelligere, & S. Hieronymum merito dicere solitum fuisse, vaticinari, & scribere sacros Libros, opus esse Spiritus Sancti, at eosdem traducere, humani spiritus opus esse*. Isidorus Clarius *Brixiensis ex ordine S. Benedicti cum in Cœtu varios sacrorum Librorum textus singillatim commemorasset, animadvertit, quamvis permiserit Deus, subjecutis temporibus sacræ Scripturæ Versionem edi e vetere*, Itala *dicta, & e nova, quæ S. Hieronymi est, quæque Vulgata Editio nuncupatur, concinnatam, non proinde tamen asseri posse, scitatia plus*-

quam

quam humana ad hanc versionem opus fuisse; ac S. Hieronymum aperte dixisse, nullum Interpretum Spiritus Sancti afflatu locutum esse; consequens proinde fieri subdidit Clarius, *Versionem nullam unquam autographo sacræ Scripturæ textui parem fore; ex quo conclusit, vulgatam Editionem, post quam emendata esset, cæteris omnibus præferendam esse.*

Sane cum Hebraica sit primigenia sacrorum librorum lingua, nullus est dubitandi locus, quin in fonte lecti Spiritu Sancto quoque, qui eos dictavit, digniores videantur; iis quippe nobilitas, & simplicitas propius perspectæ majorem observantiam conciliant. Quamobrem salva & integra remanente Vulgatæ laude, quam Tridentina Synodus firmo, sacroque decreto authenticam declaravit, fateatur quisque, necesse est, autographi textus notitiam esse apprime Ecclesiæ utilem, ut fidem suam fartam, tectamque tueatur, & os Hæreticis obstruat. Itaque tantum abest, ut Protestantes in Europa Hebraicæ linguæ instauratores se jactent, ut potius, si bona fide sunt, profiteri debeant, se, si quid habent, ad hanc rem quod attinet, id totum debere Catholicis, *qui eorum Magistri extiterunt.*

Andreas Vega *Religiosus Hispanus e Franciscanorum familia suum deinde consilium proposuit; qui scilicet animadvertit, verum esse, quod S. Hieronymus monuit, Interpreti nec prophetiæ spiritum, nec ullum alìud divinum donum, cujus ope fiat fallere, & falli nescius, præsto esse, ac proinde eumdem S. Patrem, & S. Augustinum hortari, ut Versiones ad primigenios textus exigantur, & corrigantur. At subdit* Vega id *minime obesse, quin Ecclesia pronuntiare possit, se Vulgatam Editionem pro authentica habere, quod idem est, ac dicere, eam primigeniis textibus omnino conformem non esse, cum fieri non possit, ut omnia prorsus alicujus linguæ vocabula in aliam integerrime ac perfectissime transferantur. Denique monuit idem Theologus, Vulgatam ante annos amplius mille in Ecclesia obtinuisse, eamdemque ab antiquis Conciliis adhibitam fuisse utpote ab omni errore tum in fide, tum in moribus liberam; ac proinde probandam esse, & authenticam declarandam, ut una per universam Ecclesiam sacræ Scripturæ lectio esset una citatio, quin propterea ad primigenium textum confugi vetaretur. Licet enim*, Salmerone *Jesuita monente, qui & ipse Concilio interfuit, iis, qui sedulo ad sacrorum Codicum studium incumbunt, eorum fontes consulere, eoque subsidio adversus errores uti, quicumque Amanuensium, ac Typographorum incuria in Vulgatam irrepserint.*

Ergo Tridentini Patres consilium secuti, quod Andreas Vega *proposuerat, Vulgatam e Latinis Versionibus elegerunt, tamquam eam, quam tutissimam judicarunt, cum plurium jam sæculorum usu perspectum esset, in ea Versione nihil aut fidei, aut bonis moribus contrarium esse. Post Tridentinum concilium Vulgata a Sixto* V. *correcta fuit; at ejus correctio non obstitit, quin Clemens* VIII. *Editionem alteram accuratiorem perficiendam curaret, qua de re legenda Adnotatio ad Articulum* Versiones Sacræ Scripturæ. *Pontifex hic in Præfatione ad sacrorum Codicum editionem suam disertis verbis ait, Editionem Latinam, quam exhibet, ex traductione, seu correctione S. Hieronymi concinnatam fuisse, ita quidem, ut ea ipsa veteris Versionis, dictæ Vulgatæ veteris, seu* Italæ *multa servata fuerint. Ex hac porro Clementina Editione omnes deinceps sacri Codices impressi fuerunt.*

Vzal, viator, filius Jectan, qui fere in Arabia Felici ponitur. *Genes.* x. 27.

X

Xanticus, Macedonum mensis, qui respondebat Hebræorum Nisan: *His, qui commeantusque ad diem, trigesimum mensis Xantici, damus dexteras securitatis* II. Machab. c. xi.

Xerxes, filius, & successor Darii primi in Persarum Regno. Princeps hic in prophana Historia admodum notus est; & nos quidem ob eam tantum causam ejus mentionem facimus, quia is esse creditur, quem Daniel vidit, dum futurum nuntiavit, ut quartus e Persarum Regibus longe maximis divitiis afflueret, suosque decessores omnes superaret, & cum se suarum opum dominum viderit, universum terrarum Orbem in Græciæ Regnum concitaret: *Ecce adhuc tres stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimis su-*

per omnes, & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum Regnum Graeciæ. In his verbis subolet Xerxis in Græciam expeditio, quam infelix successus, qui neminem latet, secutus est. *Josephus* hunc Principem refert Judæis omnia privilegia firmasse, quæ Darius ejus pater concesserat, & illud imprimis, quo Samariæ tribura conferebantur ad Victimarum impensas, quæ Hierosolymis offerebantur. Contendit idem Auctor, Judæos eidem Principi, in Græciam pergenti se comites addidisse; ac vero simillimum fit, eos utpote Subditos suum ei servitium in hoc bello ooo exhibere non potuisse. Xerxes, cum ab ea fatali expeditione rediret, diruta voluit Templa omnia, quæ per iter ei occurrerunt, religione incensus, quam ei Zoroaster inspiraverat in Magorum gratiam, qui Idola aversabantur. Idem Babylone præstitit, atque ita Jeremiæ vaticinia perfecit. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum*. Joseph. Antiquit. lib. XI.

Z

ZA

ZAbad, *dos*, hominum plurium commune nomen, qui leguntur in sacris Litteris, atqui tamen parum noti sunt. I. *Paralip.* XXIV. I. *Esdr. cap.* X.

Zabadei, Arabiæ populi, quos orientalem partem Montium Galaad incolentes Jonathas Machabæus vicit: *Divertit Jonathas ad Arabes, qui vocantur Zabadei*. Josephus legit, *Nabathei*, Zabadæorum loco, quod nomen ignotum est. I. *Machab. cap.* XII.

Zabadia, dos Domini; occurrunt in sacris Litteris hujus nominis viri sex, quorum notissimus filius Jerohan ex Urbe Gedor, qui in Saulis persecutione a Davide stetit: *Jobela quoque, & Zabadia filii Jerohan de Gedor*. I. Paralip. cap. XII.

Zabai, qui excurrit, eorum unus, qui a Captivitate reversi, se ab uxoribus, quas contra Legem duxerant, sejunxerunt. I. *Esd. c.* X.

Zabdi, dote instructus; fuere hujus nominis homines duo parum noti. *Jos. cap.* VIII.

Zabdiat, Deus est dos mea, Cellariis Davidis præfectus. I. *Paralip. cap.* XXVII.

Zabdiel, dos Dei, pater Jesbaam, qui præerat hominum millibus viginti quatuor, Davidis personæ, mensis primi spatio, deservientibus: *Primæ turmæ in primo mense Jesboan præerat filius Zabdiel, & sub eo viginti quatuor millia*. Idem nomen erat cuidam Arabiæ Regi, apud quem Alexander Bales Syriæ Rex se recepit, quique hujus miseri Principis, quem occidi jusserat, caput ad ejus hostem Philometorem Ægypti Regem misit: *Et abstulit Zabdiel caput Alexandri, & misit Ptolomæo*. I. Paralip. cap. XXVII. I. Machab. cap. XI.

Zabina, qui emit, eorum unus, qui, captivitatis tempore, extraneas fœminas duxerant, jussique fuere post reditum eas dimittere. I. *Esdr. cap.* X.

Zabud, dote donatus, filius Nathan, e præcipuis Salomonis aulicis, amicisque: *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis*. III. Reg. c. IV.

Zabulon, dotem dare, sextus filiorum Jacob, & Liæ, qui in Mesopotamia sub annum Mundi 2556. natus est: *Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, & ait: dotavit me Deus dote bona, etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios; & idcirco appellavit nomen ejus Zabulon*. De hujus Patriarchæ vita nil peculiare nobis innotescit. Id unum constat e sacris Litteris, cum Jacob morti proximus postremam filiis benedictionem impertiretur, ita sanctum senem locutum esse, fore scilicet, ut Zabulon ad Maris littus, & in Navium portu degeret, suamque ditionem Sidonem usque protenderet: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione Navium, pertingens usque ad Sidonem*. Et sane Tribus Zabulon portionem obtinuit in ea regione, quæ a mari Galilææ ad Ortum, usque ad Mare Mediterraneum ad Occasum extenditur. Moses Israeliticis Tribubus benedicens, antequam e vita migraret, conjungens Tribus duas, Zabulon, & Issachar, iis fausta nuntiavit: *Lætare, Zabulon, in exitu tuo, & Issachar, in tabernaculis tuis; populos vocabunt ad montem, ibi immo-*

immolabunt victimas justitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Hæc autem verba futurum significabant, ut hæ duæ Tribus, cæterarum longissime ad septentrionem dissitæ se una conferrent ad montem Sion, ubi Templum futurum erat, eoque traherent Tribus alias, quæ quidem ad eam viam erant, & cum Mediteranneo adjacerent, se proinde commercio dederent. Thesauri in arena conditi metallorum, & vitri fusionem designabant, ad quam Israelitæ e Tribu Zabulon incubuerunt; flumen enim Belus, apud eos fluens arenam vitro conficiendo accommodatam deferebat. Tribus Zabulon, cum ex Ægypto egressa est, quadringentos viros armis idoneos supra quinquaginta millia complectebatur, eamque ducebat Eliab, filius Helon. Sita erat, ut diximus, ad Maria duo, Mediterraneum, ac Tiberiadis, continebatque Urbes Canam, Berlyadem, Nazareth, Bersabee, Emmaus, aliasque multas, quarum caput Zabolon, Carmelum inter, & Ptolemaidem, quæ Græcis dicta *Andron*, *Homines*, quia dubio procul frequentissima erat. Pulcherrima hæc, & munitissima Urbs capta fuit, & combusta in Judaici belli exordio a Cæstio Gallo, Romani in Syria Exercitus Duce.

Zachai, *purus*, Judæus, cujus posteri, numero septingenti sexaginta a captivitate redierunt. I. *Paralip. cap.* VII.

Zacharias, *memoria Domini*. Hujus nominis viri plures occurrunt in sacris Litteris; e quibus hoc loco notissimos tantum commemorabimus. Zacharias, Jeroboam secundi filius patri successit in Regno Israel; at non nisi sex mensium spatio regnavit; cum enim Majorum suorum, & Jeroboam, qui idololatriam in Israel induxerat, scelera imitatus esset; Sellum, filius Jabes in eum conspiravit, occisique locum occupavit. Atque ita perfectum est, quod Deus promiserat Jehu, fore scilicet, ut ejus filiis ad quartam usque generationem solium servaret: *Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel*. Ita etiam perfectæ in eumdem Jehu minæ, futurum nempe, ut Deus ex ejus familia sanguinem Jezrabel, quem fuderat, ulcisceretur; quamvis enim Jehu, cum domum Achab delevit, divinorum decretorum Executor fuisset, non proinde tamen divinæ justitiæ oculis pœna dignus non erat, quippe qui potius conscendendi solii cupidus, quam divina jussa veritus ea cruenta consilia executus esset: *Voca nomen ejus Jezrabel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrabel super domum Jehu, & quiescere faciam Regem Israel*. IV. Reg. cap. XIV.

Zacharias, filius Jojadæ Summi Judæorum Pontificis, & Jocabet filiæ Joram Regis Juda, Patri in Summo Pontificatu successit, & sollicitudinem imitatus est, quam is illustris Sacerdos ob Dei gloriam exhibuerat. Post hujus sancti Pontificis mortem, cujus pietas, & constantia Regem Joas in officio continuerat, Aulicorum assentationes Principem hunc impulerunt, ut, quam iidem impii homines expetebant, idololatriam instauratam vellet, & se falsorum Numinum cultui cum iis prostitueret. Tum vero Summus Pontifex Zacharias, divino spiritu cumulatus se populo sistit, ei summo animi robore impietatem exprobravit, Deique, quem deseruerat, indignationem minitatus est: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit? & dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos*, At populus a Joas ipso concitatus, eum jactis saxis occidit; nec timuit ingratus Princeps in ejus sanguinem manus immittere, qui Religionis Caput, ipsius germanus frater, & filius matronæ erat, quæ ei vitam servaverat, & viri, cujus opera solium conscenderat: *Et non est recordatus Joas Rex misericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius secum, sed interfecit filium ejus*. Nonnulli Interpretes crediderunt, Jojadæ filium eum fuisse, cujus mortem Christus in Evangelio Judæis exprobrat, quippe quem inter Templum, & Altare, scilicet inter Templi partem, quam Sacerdotes tantum ingrediebantur, & Holocaustorum Altare interfecissent: *A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum, & Altare*. Qui porro in hac sententia sunt, animadvertunt, in Hebraico S. Matthæi Evangelio, quod autographum creditur, extitisse Jojadæ, non Barachiæ nomen, ac præterea Hebræos nomina duo gerere consuevisse. At opinio hæc difficultatibus obnoxia est, quandoquidem quoad Christi mentem Zacharias, de quo loquitur, justorum virorum, quos Judæi necuerunt, postremus esse videtur, quemadmodum Abel primus fuit; ac filius Jojadæ in Templi atrio lapidibus obtu-

tus

tùs tuir, *in atrio domus Domini*, cum is, de quo Christus, *inter Templum*, *&* *Altare* occisus fuerit. Alii malunt id de S. Joanois Baptistæ patre explicare, quem ab Herode morti damnatum contendunt. II. *Paralip. cap.* xxiv. *Matth.* xxiii.

Zacharias, unus e minoribus Prophetis duodecim, filius Barachiæ, & nepos Addo, eo ipso, quo Aggæus, tempore a Deo missus fuit, ut Judæis ad Templi reparationem animos adderet, anno scilicet duodecimo regni Darii filii Istaspis, & septuagesimo a Hierosolymæ, Templique excidio. Quo potissimum anno, & loco Zacharias natus fuerit, in incerto est; & Sacræ Scripturæ silentium, quoad hæc duo, dubium efficit, quicquid Interpretes dicunt. Propheta hic in ipso suæ missionis exordio populum hortatur, ut resipiscat, nec majorum suorum pertinaciam imitetur, quos Deus patriæ eversione, diuturnaque captivitate punierat. Ei deinde Deus, immissis mysticis visionibus, futura detegit; declaratque suæ indignationis tempus præteriisse, ac se miseratione permotum Hierosolymam regredi; futurum, ut Urbs, itemque Templum omnino repararentur, & Urbs ipsa frequenti populo afflueret, quem Dominus ab Ortu, Occasuque missurus erat; Hierosolyma vocaretur *Urbs veritatis*, & Sion *Mons Sanctus Domini*; Domus Juda, & Domus Israel essent populus Dei, & filiorum pacis; ac demum populi multi se tunc Domino addicerent, ejusque populus evaderent. Addit Deus, si, quod prædicit, difficile videtur iis, qui superstites fuerunt, sibi quidem nihil esse difficile: *Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus Exercituum?* Quicquid hoc loco Propheta de Hierosolymæ, Templique instauratione prædicit, refertur ad Ecclesiam renovandam per Judæorum conversionem post diuturnam captivitatem, in qua gemunt, quamque eorum per Assyriam dispersio significabat. Ergo Dei fausta ad Prophetam promissa Christianam potissimum Ecclesiam spectant, nec nisi minus proprie terrestri Hierosolymæ congruere possunt. Zacharias præterea Babylonem obsidendam est, & capiendam prædicit; nuntiat expressis verbis vitam, & passionem Christi Domini, mirum Evangelii progressum, omnesque calamitates, quæ Judæis imminebant in exectaodi Deicidii pœnam, quod patraturi erant, Romanorum in eos bellum, extremumque Templi incendium, imperante Tito. Zachariæ prophetia quatuordecim Capitibus constat, & quod de Messia dicit, adeo clarum, & in medio positum est, ut Evangelistam potius, quam Prophetam loquentem exhibeat: *Ecce enim ego adducam Servum meum Orientem.... Ecce Vir Oriens nomen ejus, & subter eo orietur, & ædificabit Templum Domino.... Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi, justus, & Salvator; ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ,... quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

Zacharias, Sacerdos e familia Abiæ, S. Elisabeth Sponsus, & S. Joannis Baptistæ Pater. De utriusque, Sponsi scilicet, & Sponsæ singulari sanctitate nos dubitare non sinunt Evangelii verba hæc: *Erant autem justi ambo ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Iis filii nati non erant; quamvis ætate provecti essent, quia scilicet Elisabeth sterilis erat. At cum aliquando Zacharias, qui hebdomadarius erat, suum in Templo munus obiret, ei Angelus apparuit, prædixitque fore, ut filium susciperet, cui Joannis nomen imponeret; & cum Zacharias ægre adduci posset, ut Angeli dictis crederet, is monitum voluit, mutum ipsum fore, quoad ea perficerentur, quæ Dei nomine promittebat: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo.* Ergo ministerii diebus expletis, Zacharias domum rediit, ejusque conjux, cum concepisset, suo masculum tempore feliciter peperit; cui octava post die circumciso iis, qui aderant, Zachariæ nomen, quod patris erat, imponere volentibus, obstitit Elisabeth, quæ Joannem dictum voluit. Eodem tempore ex Zacharia per signa quæsitum est, quem ipse vocari vellet; qui tabellam petens, ei Joannis nomen inscripsit: *Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus.* Eodem momento temporis soluta lingua, a prodigio, quod in ipso peragebatur, occasionem sumpsit laudandi Dei, cujus miserationem experiebatur. Tum vero divino Spiritu cumulatus, jamque Propheta factus sublime illud

lud Canticum edidit, quod a gratiarum actione ob Incarnationis, & redemptionis singulare beneficium incipit; & in quo Zacharias adeo luculenter Messiæ adventum, ejusque Præcursoris munia prædicit: *Benedictus Dominus &c.* Quæ hactenus de S. Joannis Baptistæ Patre diximus, ex Evangelio constant; nihil præterea. Quæ autem ejus vitæ, ac morti a nonnullis adducuntur, e dubiis fontibus ducta sunt, & ejusmodi, ut ne digna quidem sint, quæ referantur. Non deesse jam diximus, qui Zachariam hunc fuisse putent Barachiæ filium, de quo Christus.

Zachæus, *purus*, militari officio fungens apud Judam Machabæum, a quo cum Simone, ac Josepho relictus est, ut expugnaret filios Bean, qui in turres duas se receperant: *Machabæus ad eorum expugnationem relicto Simone, & Josepho, itemque Zachæo*. II. Machab. cap. xx.

Zachæus, Publicanorum Princeps, qui in Urbe Jericho morabatur, & Christum videre vehementer cupiebat, cum admodum statura pusillus esset, & turba, ne accederet, impediretur, præcurrens, sycomorum conscendit, ut prætereuntem Dominum facilius aspiceret; qui ut sanctam hominis sollicitudinem compensaret, eum descendere jussit; se enim velle ad eum divertere: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Ille vero, cujus animum Dominus jam subjerat, haud cunctatus descendit, eumque lætitia gestiens excepit. Obstrepuere, quicumque aderant, absonum rati, ad scelestum hominem Servatorem divertere; at Zachæus vocantem secutus, mutata vitæ ratione, se ex animo resipuisse significavit. Se bonorum suorum dimidium pauperibus daturum, & cuicumque damnum attulisset, quadruplum redditurum promisit: *Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; quantum scilicet Romanæ Leges a Publicanis, qui extortæ pecuniæ convicti essent, postulabant. Ac de Zachæo quidem e Sacra Scriptura nihil præterea; neque vero constat, Judæusne, an Ethnicus fuerit, ante quam fidem susciperet. *Luc.* xix.

Zachior, *qui recordatur*. Sacra Scriptura multos hujus nominis homines memorat, qui tamen omnes nomine tantum noti sunt. I. *Paralip.* iv. xxiv. xxv. I. *Esdr.* viii.

Zambri, *qui canit*, filius Salu, Caputque Tribus Simeon, quem, universo spectante populo, in tentorium ingressum, in quo fœmina Madianites, cui nomen Cozo, versabatur, insecutus Phinees, Magni Pontificis Eleazari filius, ambos uno ictu transfodit: *Ingressus est post virum Israelitam in Lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem*. Numer. xxv.

Zambri, unus e Ducibus Regis Ela, qui Equitum dimidio præerat, e Ministro proditor, Dominum suum, dum apud Præsidem Thersæ biberet, vita spoliavit, & Regno potitus est. Deus, qui eum suæ in impietatem Baasa vindictæ ministrum elegerat, ipsius opera usus est, ut pro decreto per Prophetam Jehu ipsi Baasa indicto, regiæ familiæ reliquias deleret: *Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & posui te Ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in viam Jeroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum, ecce ego demittam posteriora Baasa, & posteriora domus ejus, & faciam domum tuam, sicut domum Jeroboam, filii Nabath*. At Zambri cum Dei in reos consilia, quos ejus justitia damnaverat, executus esset, perduellionis, & proditionis fructu haud diu frui potuit; septimo enim post usurpatum sceptrum die, exercitus Israel sibi Regem elegit Amri, & Zambri in Urbe Thersa versantem obsedit. Usurpator hic eo se redactum videns, ut in hostium manus incideret, se ipse regiis in ædibus una cum suis omnibus divitiis combussit: *& mortuus est in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo peccare fecit Israel*. III. Reg. c. xvi.

Zamram, *Cantor*, primus e filiis Cethuræ, & Abrahæ, qui cum fratribus Jectan, Madan, & Madian Arabiam Felicem incoluit. Eos sacra Scriptura fere Orientales nuncupat: *Filii Orientis*. Genes. xxv.

Zana, seu *Zanos*, *oblitus*, Urbs in Tribu Juda, cujus Cathiel conditor fuerat. Erat & alia hujus nominis Urbs, in ejusdem Tribus montibus sita. I. *Paral.* iv. *Jos.* xv.

Zara, *Oriens*. Hujus nominis viri plures memorantur in sacris Litteris, e quibus duo potissimum noti sunt. I. Zara, filius Patriarchæ Judæ, & Thamar ejusdem Nurus. Cum Thamar in partus discrimine versaretur,

tur, Zara manum obtulit, quasi primus in lucem proditurus, eique obstetrix coccineum funiculum applicuit, inquiens, eum primogenitum fore; at ille recessit, & frater accedens exiit primus, dictusque est Pharez. *Genes.* XXXII. *Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellaverunt Zaram.* II. Zara Rex Æthiopiæ, seu potius regionis Chus in Arabia ad Mare Rubrum, ad Ortum Ægypti. Princeps hic, quanam prætexta causa, non constat, decies centena hominum millia, & currus trecentos in Judæam invexit, regnante Asa: *Egressus est contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia, & curribus trecentis.* Pius Rex Juda, cumulata in Deum, quem colebat, fidentia animatus, formidando hosti occurrit impavidus, suosque in Valle Sapheta prope Marezam ad prælium instruxit; eosque, a Divina tantum ope victoriam expectans, ad pugnam paravit eximia prece, qua Dei omnipotentiam professus, ejus auxilium sibi, ac populo efflagitavit: *adjuva nos, Domine Deus noster; in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem; Domine, Deus noster tu es; non prævaleat contra te homo.* Precantem Asam exaudiens Deus terrore perculit Æthiopum animos, qui statim se fugæ dantes, penitus profligati perierunt, *quia Domino cædente*, (ita sacra Scriptura loquitur) *contriti sunt, & exercitu illius præliante.* Eos Asa Geraram usque insecutus, omnes eorum Urbes vastavit, & ingentem prædam retulit. II. *Paralip.* XIV.

Zared, potestas extera, torrens, seu Vallis ultra Jordanem in Moabitarum Deserto, se in Mare mortuum exonerans. *Numer.* XXI. *Deuter.* II.

Zares, corona miseriæ, conjux Aman, quæ virum hortata est, ut Mardochæum vita spoliandum curaret: *Jube parari excelsam trabem, habentem excelsitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane Regi, ut appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum Rege lætus ad convivium.* Esth. c. 5.

Zeb, lupus, Madianitarum Princeps, qui a Gedeone victus, in torculari, in quem se abdiderat, inventus fuit; eique Ephraimitæ abscissum caput ad Gedeonem detulerunt: *Et persecuti sunt Madian, capita Oreb, & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.* Jud. VII.

Zebedæus, dos, pater Apostolorum, S. Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ: *Vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum.* De Zebedæo quidem nihil præterea. Hoc etiam nomine insignitus fuit unus e filiis Asaph, post reditum a captivitate excellens in Templo Musicus. *Matth. cap.* IV.

Zebedia, dos Domini, e Saphaticæ posteris, & Michaelis filius, qui octuaginta viros ducens, a captivitate rediit. I. *Esdr. cap.* VII.

Zebee, victima, Madianitarum Princeps, quem Gedeon cepit in prælio una cum Salmana, qui & ipse ejusdem populi caput erat, & ambos occidit, quandoquidem ipsi ejus fratres in Thabor necuerant. *Judic. cap.* VIII.

Zebida, dotata, Mater Joakim Regis Juda, & filia Phadajæ Rumæ: *Nomen matris ejus Zebida filia Phadaja de Ruma.* IV. *Reg. cap.* XXIII.

Zebul, commoratio, Præses Urbis Sichem, quam ei regendam tradiderat Abimelech, Gedeonis filius: *Constituit Principem Zebul servum suum.* Præfectus hic de seditione, ad quam Gaal Sichimitas excitabat, Abimelech monuit, qui proinde eo se conferens, perduelles populos vicit. *Judic.* IX. 28.

Zechri, qui recordatur. Occurrunt hujus nominis multi, e quibus unus potens, & strenuus e Tribu Ephraim occidit Maasiam, filium Achaz Regis Juda: *Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex Ephraim Maasiam filium Regis.* II. Paralip. XXVIII.

Zelus. Sumitur id nominis multifariam in sacris Litteris. I. Fervorem significat ob aliquam rem: *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum.* Phinees commendatur ob zelum in Impios, qui Divinam Legem violabant: *Qui zelatus est pro Deo.* II. Indignationem: *Usquequo accendetur velut ignis Zelus tuus?* III. *Invidiam*: *Judæi repleti sunt zelo.* IV. Zelotypiam, emulationem, vehementiorem proprii boni curam: *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* Huc spectat illud: *Auris zeli audit omnia*, scilicet auris Dei, qui Zelotes dicitur. Item illud: *Ubi erat statutum Idolum Zeli, ad provocandam æmulationem.* Nonnulli hoc Adonidis Idolum fuisse putant; verum alii per hæc Ezechielis Prophetæ verba cujusvis generis Idola designari

signari

ſignari cenſent, quæ Dei ſcilicet indignationem irritant, ejuſque zelum in eorum cultores accendunt.

Zelus, judicium Zeli. Ita nuncupabatur apud Hebræos alicujus Iſraelitæ facinus, qui abſque ulla juſtitiæ forma reum morte puniebat, quem grave aliquod Legis caput non ſine ſcandalo violantem comperiſſet. Jus hoc, quod Iſraelita quiſque ſibi tribuebat, nitebatur traditione quadam, quæ ad Moſem ipſum referebatur, & exemplo Phinees, qui zelo abreptus, infames adulteros duos uno ictu transfodit: *Phinees .... ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitam in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierem*. Juris hujus vi, inſignis Mathatias Apellem occidit, quem Syriæ Rex miſerat Modin, ut Judæos ad thus Idolis adolendum adigeret: *Et vidit Mathatias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundum judicium Legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper Aram*.

Zelpha, contemptus bonitatis, ancilla Liæ, quæ evaſit uxor Jacob e ſecundo ordine, fuitque mater Gad, & Aſer. *Geneſ*. xxx.

Zenas, vivens, Legis Doctor, & S. Pauli Diſcipulus. Erat is in Judaicis Legibus apprime verſatus, & a S. Paulo plurimi factus, qui ad Titum ſcribit, ut eum cum Apollo Nicopolim ad ſe mittat, caveatque, ne quid iis ad iter deſit: *Zenam Legisperitum, & Apollo ſollicite præmitte, ut nihil illis deſit*. *Matth*. xxii. *Luc*. vii.

Zephrona, falſa gemma, unus e finibus Tribus Juda in Terra promiſſa: *Ibuntque confinia uſque ab Zephrona*. Numer. xxxiv.

Zethon, oliva; occurrunt hujus nominis homines duo parum noti. I. *Paralip*. x. xxiii.

Zethu, olea, eorum unus, qui a Babylonica captivitate reverſi fœdus cum Domino renovarunt, & ſubſcripſerunt. II. *Eſdr. c*. x.

Ziph, buccella hæc, filius Jaeel e Tribu Juda, & e familia Caleb, qui creditur Urbi Ziph in eadem Tribu nomen dediſſe. Cæterum erat & alia ejuſdem nominis Urbs, ad Carmelum ſita, penes quam Deſertum erat, in quod David ſe recepit: *Deſcendit in Deſertum Ziph, ut quæreret David in Deſerto Zip*. I. *Paralip*. iv. *Joſ*. cap. xv.

Ziza, qui rutilat. Hujus nominis viros quatuor ſacra Scriptura memorat, quorum unus Roboami Regis Juda, & Maachæ filius erat. II. *Paralip. cap*. xi.

Zoheleth, qui ſerpit humi, repitque, lapis prope fontem Roget ad mœnia Jeruſalem. Lapis hic inſerviiſſe creditur, ut adoleſcentes, eum invertentes, attollenteſque, ſuarum quiſque virium periculum facerent. III. *Reg*. i.

Zom-Zommim, delicti conſilia, antiqui Gigantes, admodum procero, immanique corpore, qui ultra Jordanem degebant in ea regione, quam poſtea Ammonitæ occuparunt: *Terra Gigantum reputata eſt, & in ipſa olim habitaverunt Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zom-Zommim*. Latrones hi, robore, quo pollebant, & poteſtate abutentes, omne jus, faſque violabant. *Deuter. cap*. xi. 20.

Zorobabel, advena Babylonis, e familia Regum Juda, filius erat, ſeu nepos Salathiel, a quo educatus, eum deinde vel hoc titulo tamquam patrem ſpectare potuit. In Regis Perſarum Aula Saſſabaſar nuncupabatur; eoque nomine deſignatur ab Eſdra: *Et annumeravit ea Saſſabaſar Principi Juda*. Cyrus ſacra Templi Vaſa, quæ Hieroſolymam remittebat, tradidit Saſſabaſar, ſeu Zorobabel, qui inter Iſraelitas pietate præſtans, Judæorum Princeps fuit, qui in patriam redierunt. Quo cum perveniſſent, Zorobabel Templi fundamenta jacere cœpit, Deique cultum, & conſueta Sacrificia redintegravit. Acriter urgebat opus, cum Samaritani convenientes ad Dominici Templi ædificationem collaturos ſe receperunt. At Zorobabel, qui de oblationis pravo fine ſuſpicabatur, & ex alia parte probe noverat, ad publica cultus officia Nationem admitti non poſſe, quę Deum colere contendebat, quin ab Idolis recederet, renuit ædificandi Templi honorem cum ea partiri, quem Judæis tantum Cyrus conceſſerat: *Non eſt vobis, & nobis, ut ædificemus domum Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum*. Obluctationem hanc ægre ferentes Samaritani, ſollicitatis Regiis Aulicis, tandem aſſecuti ſunt, ut opus intermitteretur; Judæi porro, remiſſo Religionis ſtudio, neglectaque ſacra domo, in id unum incubuerunt, ut ſibi pulcherrimas ædes erigerent. Eorum oſcitantiam Deus non una ratione puniit; annoque altero Regni Darii filii Iſtapis, miſſiſque Prophetis duobus Aggæo, & Zacharia, eoſdem increpuit, qui divinum cultum contemnerent, ac Templi ædificationem negli-

ge-

gerent. Zorobabel, omnisque populus oon fine fi gulari observantia, & religioso timore audiere Domini verba, eodemque tempore animos perolovente Deo, ad construendum Templum miram sollicitudinem retulerunt, quod opus ante anoos quatuordecim intermiserant. Zorobabel operi præfuit, Judæique sollicite adlaborarunt; non tamen sine metu, oe Samaritani, novis structis insidiis, obsiterent, sanctumque coosilium in malam partem apud regios Aulicos detorquerent, quibus adhuc accepti erant. Eos sane Deus, Zorobabel per Zachariam monito, certos voluit, inchoati operis exitum se sibi sumere, & summa licet obstacula emergerent, omoia tameo irrita fore; se quippe cum Zorobabel ipso esse, suisque consiliis nullam io terris potestatem obluctari posse: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel, in planum...? Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficient eam*. Sacra Scriptura de Zorobabel oihil prætetea, nisi filios septem eidem fuisse. Nonnulli Zorobabel alterum agnoscunt, Phadajæ filium, de quo io Paralipomenis sermo est; at probabile est, eum ipsum Phadajæ filium, & Salathiel nepotem fuisse, & Salathiel *quidem* ipsius Zorobabel patrem dici consuevisse, tum quod erat Phadaja clarior, tum qood ab eo Zorobabel alius, educatusque fuerat. Tertius liber Esdræ Zorobabel tamquam e regii corporis apud Darium Custodibus unum exhibet, atque eumdem e tribus fuisse, a quibus agitata quæstio, quid horum trium fortissimum esset, Rex, Fœminæ, Veritas, ipsumque a postremo stetisse, & præmio donatum esse. At historia hæc, quæ omoes falsitatis notas præsefert, nullam obtinet, quæ veram exhibeat.

Zuzim, *fortes*, Gigantes, quos ultra Jordanem degentes Codorlahomor, ejusque socii viceruot: *Codorlahomor, & Reges, qui erant cum eo, percusserunt Raphaim, & Zuzim cum eis*. Noonulli nomen hoc in eorum numero pooout, quæ appellativa dicuntur, ut nempe fortes homines, robustosque sigoificet. *Genes. cap.* XIV. Legatur Articulus *Gigas*.

F I N I S.







